ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES I
(ANTEPRAEPARATORIA)

VOLUMEN II

CONSILIA ET VOTA
EPISCOPORUM AC PRAELATORUM

PARS III: EUROPA

ITALIA

(SUB SECRETO)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLX

ITALIA

1

Exc.mi P. D. DOMINICUS PICCHINENNA
Archiepiscopi Acheruntini (Acerenza)

Acerenza, 16 marzo 1960

Eminenza Reverendissima,

Compio il dovere di trasmettere le mie modestissime proposte circa gli argomenti che potrebbero essere eventualmente trattati nel Concilio Ecumenico.

Prego Vostra Eminenza Rev.ma che Si compiaccia accettare le mie più umili scuse pel ritardo con cui invio le proposte.

Assicuro il ricordo quotidiano nella Santa Messa e la quotidiana preghiera alla Madonna per l'Eminenza Vostra Rev.ma e per la Commissione Antipreparatoria perchè l'ingente ed arduo lavoro sia copiosamente benedetto dal Signore.

Profondamente chino al bacio della S. Porpora, mi onoro confermarmi

dell'Eminenza V. Rev.ma
dev.mo
✠ Domenico Picchinenna
Arcivescovo di Acerenza

Prot. N. 2212/S/60

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Honori mihi duco responsionem mittere Litteris Eminentiae Tuae Rev.mae diei 18 iunii 1959 N. 1 C/59-69, humillime communicando vota pro Concilii Oecumenici argumentis apparandis.

Quotidie preces meas Deo, per manus B. M. V. Immaculatae, offero ad obtinendos uberrimos fructus a proximo Concilio sicuti est in votis Summi Pontificis Ioannis XXIII feliciter regnantis, Episcoporum orbis catholici et omnium Sanctae Romanae Ecclesiae filiorum atque in Christo credentium. Quas preces Sacerdotes cunctusque populus Acheruntinae Archidioecesis enixe effundunt.

Sacram Purpuram deosculor omni quo par est obsequio.

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimus
✠ Dominicus Picchinenna
Archiepiscopus Acheruntinus

Pars Prima

Vota generalia

1. Ex apparatis studiis pro Concilio Vaticano Primo quae locum non invenerunt in duabus Constitutionibus *Dei Filius* et *Pastor aeternus* puto non pauca utillima esse ad definienda aliqua doctrinae capita, ad quaedam accuratius explananda atque ad plures condemnandos errores.

2. Summi Pontifices Leo XIII, Sanctus Pius X, Benedictus XV, Pius XI atque Pius XII pluribus Litteris Encyclicis aliisque multimodis magisterii pontificalis instrumentis plurima docuere circa veritates fidei, mores, disciplinam cleri et populi, cultum, apostolatum laicorum, actionem politico-socialem populi christiani, atque Ecclesiam inter et potestatem civilem relationes currentes. Romanae Curiae Dicasteria atque Pontificiae Commissiones summi momenti documenta, tum doctrinalia tum disciplinaria, promulgarunt.

E fonte tam copiosa atque praetiosa oporteret:

a) *Synthesim redigere,* et breves atque perspicuas edicere propositiones ad enuntiandas veritates in re dogmatica, biblica, morali, liturgica, pastorali relate quoque ad laicos, sociali, civico-politica.

b) *Enucleatius exponere* praestantiora atque urgentiora capita quoad res de quibus sub littera a).

c) *Novum Syllabum* emanare ad condemnandos graviores errores ubique grassantes circa omnia de quibus sub littera a).

3. Praesertim Summus Pontifex Pius XII v. m. suis sermonibus, nuntiis radiophonicis etc. quasi novam *Summam* quoad rem moralem et socialem dedit Ecclesiae atque universo orbi. Synthesis praeclara tam multiplicis doctrinae maximam utilitatem omnibus afferret.

Pars Secunda

Vota particularia

Praenotanda. 1. In foliis quae sequuntur mentem meam aperio *tantum circa quosdam peculiares aspectus quorumdam peculiarium problematum,* aliquam addendo animadversionem in exponendis meis votis.

2. Quaedam mea vota potius quam argumenta Concilii Oecumenici respiciunt tantum Codicem Iuris Canonici et legislationem ordinariam. Sed cum Beatissimus Pater nuntiaverit sic dictum *aggiornamento* Codicis Iuris Canonici, praedicta vota exprimo.

3. Quaedam mea vota respiciunt tantum Italiam, dum e contra Concilium Oecumenicum indicitur pro Ecclesia universali. Sed cum in humanissimis Litteris Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Eminentissimus Dominus Cardinalis Praeses benigne hortatus sit Episcopos ad communicanda vota et consilia *omni cum libertate et sinceritate,* quaedam dico respicientia Italiam tantum. Cetero, Concilium posset maxima sua auctoritate monere Episcopos Italiae ad subicienda Sanctae Sedi particularia problemata propriae ditionis, vel constituere Commissionem hisce particularibus quaestionibus studendis.

A) De Episcopis

I. *Facultates Episcoporum.* Salva reservatione Sanctae Sedi facultatum quoad res maioris momenti cuiusvis generis, ad expeditiorem reddendam vitam dioecesanam, oportet conferre Episcopis — *sive iure sive Facultatibus Quinquennalibus* — facultates ampliores quibus hodie gaudent. Exempla facultatum quae optantur:

1) Concedendi ecclesiis, oratoriis publicis et semipublicis licentiam asservandi SS.mam Eucharistiam.

2) Dispensandi ab impedimentis matrimonialibus minoribus.

3) Permittendi habitualiter iterationem S. Missae diebus festis suppressis atque diebus peculiaris devotionis et festorum quae cum populi concursu celebrantur.

4) Permittendi, per modus actus, trinationem.

5) Reducendi et commutandi, onerata conscientia, pia legata.

6) Celebrandi vel permittendi celebrationem S. Missae media nocte, post unam horam sacram supplicationum, occasione conventuum, sacrarum Missionum, praedicationis extraordinariae, etc.

7) Conferendi Ordines extra Tempora, sed diebus dominicis, festis duplicis praecepti et festis suppressis.

II. *Privilegia Episcoporum.* Optantur pro Episcopis a iure quaedam alia privilegia, ex. g.:

1) Servandi in proprio oratorio Sanctissimam Eucharistiam.

2) Independenter ab inscriptione quibusdam Adsociationibus, celebrandi privatim Missam votivam Iesu Christi Summi et Aeterni Sacerdotis prima feria quinta cuiusvis mensis, Missam Sacratissimi Cordis Iesu prima feria sexta cuiusvis mensis, Missam de Immaculato Corde Beatae Mariae Virginis primo sabbato cuiusvis mensis, intra limites concessionis pro Missis celebratis in ecclesiis in quibus exercitia peculiaria mane peraguntur.

3) Anticipandi post horam duodecimam Matutinum cum Laudibus diei sequentis.

4) Benedicendi in sua Dioecesi (et extra Dioecesim privatim et de consensu saltem praesumpto Ordinarii loci) unico signo crucis coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas religiosas ac sacra numismata, eisque applicandi sic dictas Indulgentias Apostolicas, necnon adnectendi coronis precatoriis indulgentias a Sancta Birgitta atque indulgentias a Patribus Crucigeris nuncupatas; benedicendi crucifixos eisque applicandi Indulgentiam plenariam in articulo mortis; benedicendi crucifixos ad lucrandas indulgentias Viae Crucis pro legitime impeditis.

B) De regionibus et provinciis ecclesiasticis

I. *Quoad Regiones Conciliares.* Quod sequitur circa Regiones Conciliares *respicit Italiam,* quod tamen mihi videtur dicere, occasionem nactus mittendi has animadversiones ad Apostolicam Sedem.

Prae oculis habentes Decretum diei 15 februarii 1919, Litteras Circulares diei 22 martii 1919 atque Decretum diei 23 septembris 1933 Sacrae Congregationis Consistorialis, patet necesse esse revisere circumscriptiones regionales ut, quo meliore fieri potest modo, ipsae eosdem limites habeant ac regiones civiles. Revera in Italia, praesertim hodie, maximi momenti est problema politicum; unde, quo idem sentire ac velle habeant catholici eiusdem regionis, necesse est eorum Episcopos simul convenire ac eadem statuere. Quapropter *forsitan* utile est nullam dioecesim esse Regionis Conciliaris, cuius dioeceses pertineant ad aliam regionem civilem.

II. *Quoad provincias ecclesiasticas.* Salva competentia Regionum Conciliarium seu Conferentiarum Episcopalium, forsitan magis actuosae debent esse provinciae ecclesiasticae, cum raro Episcopi possint convenire in Conferentiam Regionalem, et cum non pauca sint problemata pastoralia quae respiciunt tantum determinatam provinciam ecclesiasticam. Optabile est ut Metropolitae a iure habeant facultatem audiendi confessiones in tota sua provincia.

C) De dioecesibus

I. *Quoad circumscriptiones dioecesanas.* (Quod sequitur respicit Italiam). In omnium votis est revisio circumscriptionum diocesium. Absque dubio valde difficile est problema solvere cito et funditus; attamen saltem correctiones faciliores afferendae essent. Si conficiatur sic dictum *piano organico* quo dioeceses ex una parte amittant aliquas paroecias,

ex altera vero parte quasdam alias acquirant, forsitan brevi temporis spatio non pauca incommoda auferrentur atque animarum bono satis provideretur.

Ad fovendas mutuas relationes cum iis qui potestatem habent in rebus civilibus, scholasticis, iudiciariis, militaribus, etc., Episcopus ordinarie tractare deberet cum uno Praefecto provinciae civilis. At non raro Episcopi tractant cum tribus vel quattuor Praefectis; atque Praefecti saepe tractant cum Episcopo etiam alius regionis ecclesiasticae unius tantum paroeciae causa. Liceat mihi addere exemplum. Praefectus parvae provinciae Potentiae in Lucania, quae complectitur 98 municipia quorum animae numerum 445.216 attingunt, tractat cum 16 Curiis (Acheruntina, Potentina, Marsicensi, Melphiensi, Rapollensi, Venusina, Murana, Tursiensi, Tricaricensi, Compsana in Irpinia, Campaniensi in Salernitano, Policastrensi in Salernitano, Sanctissimae Trinitatis Cavensis in Salernitano, Cassanensi in Bruttio, Andriensi in Apulia, Lungrensi in Bruttio) atque 13 Ordinariis (Acheruntino, Potentino, Melphiensi, Murano, Tursiensi, Tricaricensi, Compsano, Campaniensi, Policastrensi, Sanctissimae Trinitatis Cavensis, Cassanensi, Andriensi, Lungrensi).

II. *Problema de minimis dioecesibus.* (Quod sequitur respicit Italiam). Omnibus compertum est plurimas difficultates expertam esse Commissionem mixtam circa exsecutionem art. 16 et 17 Concord. Pactorum Lateranensium ad minuendum numerum dioecesium. Attamen necesse est aliquid facere. Equidem non omnes dioecesium sedes abolendae sunt quae non sint provinciarium civilium capita, quia talis reductio non tantum est practice impossibilis sed animarum etiam bono noxia. Reductio quaedam tamen exigitur. Si perficiatur sic dictum *piano organico* ad exitum deducendum progressivo temporis cursu, si servetur quod praestant articuli 16 et 17 Conc. Pact. Lat., si sagaciter agatur, videntur non gravissima futura esse reductionis pericula. Honores et privilegia concedi possent Primae Dignitati Capituli; in aliquibus casibus, prope ecclesias cathedrales Episcopi Auxiliares constitui possent, etc.; at Curia *unica* deberet extare, atque ordinatio (*organizzazione*) dioecesana *unica* exsurgere deberet ab unione omnium virium (personarum, locorum, et bonorum cuiusvis generis) minimarum atque parvum dioecesium. Etenim concedo Episcopum, regentem minimam dioecesim, singulatim omnia (homines et res) percallere, in omnibus personaliter iudicare, ubique interesse; sed ordinatio dioecesana non sufficiens est; vis vitalis dioecesis exigua est. Minimis et parvis dioecesibus non sunt sacerdotes et laici sufficientes et idonei ad multiplicem hodiernum apostolatum; cum desit omnino Seminarium, aut cum istud habeat tantum sic dictam *Scuola*

Media, dioecesis caret sacerdotibus pietate scientiaque pollentibus, qui sint quasi consiliarii et duces ceterorum dioecesis sacerdotum.

III. *Quoad Episcopos senes vel aegros.* Videntur varii modi quibus, in sua sollicitudine, Sancta Sedes providet dioecesibus quorum Episcopi sint senes aut aegri, nempe: Coadiutore, Administratore Apostolico sede plena, Auxiliare qui est Episcopus proprior, non solvere problema de efficienti gubernio dioecesis. Verum est quod communiter adfirmatur, scilicet: Episcopo sene aut aegro, destruitur quod perdiu atque magno opere aedificatum est. Unica solutio vero animarum bono idonea est renuntiatio. Spiritus Sancti gratia mentem illuminet atque voluntatem moveat meimet et omnium Episcoporum ad remittendum tempestive in manus Summi Pontificis mandatum apostolicum!

IV. *Quoad Episcoporum testamentum.* Ad vitandas cuiuslibet generis irregularitates occasione mortis, praesertim si improvisae aut extra sedem, Episcopi, praescriptum *severissimum desideratur,* quo Episcopi sub gravi teneantur ad conficiendum testamentum. Atque scitu necesse est quisnam custodiat Episcopi testamentum, quia, mortuo Episcopo, sub praetextu cognoscendi voluntatem seu desideria defuncti circa locum et modum sepulturae, etc., omnia manumittuntur, atque inspiciuntur documenta reservatissima quoque.

D) De Capitulis

Quoad Capitula Cathedralia. Saepe auditur Capitula abolenda esse cum eorum ratio non amplius exstet. At mihi videntur Capitula servanda. Utique reformari debent eorum Constitutiones quae non raro rigidae sunt et continent privilegia quae hodie sustineri nequeunt; sed Capitula servari debent. Servitium chorale mitigetur, at bene perficiatur, quia per Capitulum Dioecesis collegialiter reddit Deo debitum cultum, et quia Capitulum est vere senatus Episcopi.

E) De Paroeciis

Paroeciae non territoriales. Firmo manente principio quo paroecia ex se est territorialis, attentis innovatis vitae conditionibus atque novis necessitatibus spiritualibus exsurgentibus e migrationibus atque activitatibus humanis, in dies animadvertitur necessitas erigendi paroecias non territoriales. Quapropter abrogari deberet limitatio § 4 can. 216 *C.I.C.*, vi cuius requiritur speciale indultum apostolicum ad erigendam paroeciam non territorialem. Lex statuat normas ad erectionem atque navi-

tatem talium paroeciarum, ex. g. emigrantium, opificum, militum, infirmorum etc., Episcopus prudenter erigat has paroecias iuxta normas a Sancta Sede traditas.

F) De Parochis

Cum maximi momenti sint in vita Ecclesiae missio atque navitas paroecialis, oportet in dies perficere iuridicum institutum Parochos respiciens atque amovere ea omnia quae verum animarum bonum impediunt.

I. *Quoad concursum.* Videtur concursus specialis iuxta can. 459 § 4 *C.I.C.* et Constitutionem Benedicti XIV *Cum illud* abolendus, quia saepe impedit quominus provideatur paroeciae vacanti quo meliore fieri potest subiecto. Revera:

1) Si viget lex concursus, Episcopus ad eam observandam tenetur, quia exemplum praebere debet in observandis omnibus legibus; atque dedecet Episcopum petere a Sancta Sede dispensationem a concursu ne ipse in suspicionem alicui favendi veniat. Expleto concursu speciali, saepe qui primus evadit in examine non est magis idoneus ad *illam* regendam paroeciam *illo* peculiari momento. Verum est Episcopum non teneri ad promovendum illum qui primus fuerit in examine; sed practice in existimatione communi ille reputatur naturalis candidatus qui exitum optimum habuerit in examine. Si Episcopus promoveat alium quem magis idoneum existimaverit, inde irae...

2) Saepe ad aliquam regendam Paroeciam destinandus esset qui iam fuerit parochus. Sed plerumque qui iam sunt Parochi non intersunt concursui speciali; neque Episcopus potest *saepe* transferre, sine concursu, Parochum a sua ad aliam paroeciam (can. 2162 *C.I.C.*), quia ista provisio est extraordinaria.

3) Si quis fuerit Vicarius Oeconomus vacante paroecia, saepe se existimat candidatum natum ad regendam paroeciam, qualiscumque sit exitus concursus; atque saepe idem sentit populus. Si Episcopus alium nominat, non raro a se abalienat animum sacerdotis populique.

Quapropter multo melius esset indicere consursus *generales* ad paroecias vacaturas ex. g. intra triennium vel quinquennium. Singulis vicibus vacationis Episcopus nominaret unum e probatis in consursu generali.

II. *Quoad inamovibilitatem.* Firma maneat gravis obligatio providendi paroecias de vero et stabili Parocho ubi primum potuerit. Sed oportet revisere naturam inamovibilitatis. Episcopo potestas sit transferendi sine impedimento parochos sicuti exigit animarum bonum. Revera ex una parte parochus qui obtinuerit paroeciam magnam vel commodam, vel divitem posset — quia homines sumus! — caritatis pietatisque languore affici; ex altera parte parochus qui rexerit paroeciam

parvam, incommodam, pauperem promoveretur in melius ad aliam paroeciam.

III. *Quoad parochos senes aut aegros.* Non obstantibus difficultatibus, quas scio multas esse, ut animabus provideatur, quotiescumque habeantur subiecti idonei, parochi senes aut aegri renuntiare debent paroeciae.

IV. *Quoad processum administrativum.* Si servatur modus procedendi in remotione parochorum inamovibilium et amovibilium (cann. 2147-2161 *C.I.C.*), ipse ad *minimum* reducatur, ut Episcopus sine mora semper possit consequi effectum quem lex intendit: *providere bono animarum.* Prae oculis habeo Litteras quas Secretaria Status Sanctitatis Suae die 2 iulii 1953 ad Exc.mum Episcopum Regiensem in Aemilia misit. Mihi videtur ulterius faciliorem reddendum esse processum. Etenim si Episcopus in invitatione ad renuntiationem indicare debet *argumenta* (§ 2 can. 2148) quibus innititur causa quae Episcopum movet ad invitationem, si insuper parochus oppugnare potest causas ad amotionem invocatas, practice nunquam, aut fere nunquam, *praesertim hodie,* Episcopus poterit aliquem amovere parochum.

G) De Religiosis

a) *Revisio exemptionis.* Servetur venerandum institutum iuridicum exemptionis Religiosorum. At in formatione spirituali Clericorum Religiosorum, in Constitutionibus et Regulis, in conferentiis asceticis, in Exercitiis Spiritualibus continue ac sedulo revocari debent in eorum mentem unitas Sacerdotii catholici, cuius fons Episcopatus est, atque unitas Mystici Corporis Christi seu Ecclesiae, etc.; expressis verbis ac rigide sanciatur dependentia *exclusiva* ab Episcopo in iis rebus omnibus quae respiciunt cultum in ecclesiis atque oratoriis publicis et semipublicis, in auxilio navitatibus apostolicis et — quoad paroecias regulares — in exercendo ministerio pastorali.

b) *Cura pro animabus.* Religiosi in dies sanctius servanto suas Regulas; at operam praestanto Episcopo petenti pro salute animarum. Sive quoad officia permanentia (munera in multis apostolatus partibus), sive quoad necessitates momenti (ex. g.: impossibilitatem practicam providendi hic et nunc de suo pastore paroeciam etc.) Episcopum inter et Superiores Religiosos maxima sit unitas mentium atque cordium. Ne Superiores dicant se suosque subditos religiosos esse, cum sint *quoque* Sacerdotes! Qua Religiosi consulunto suis animabus, qua Sacerdotes consulunto fratrum animabus in exigentiis quas unice Episcopus animadvertit in earum universitate.

c) *Quoad novas fundationes.* Optatur maximus rigor in permittendis novis fundationibus praesertim Institutorum mulierum religiosarum. Facultas concedenda esset tantum institutis quae non infimum numerum sodalium habeant, atque *praesertim* finem habeant novum, vel saltem novis mediis persequi velint finem quem iam alia instituta prosequuntur.

H) De beneficiis

1. *Quoad beneficia Datariae devoluta.* Optatur abrogatio devolutionis beneficiorum quae Ordinarius non contulerit intra semestre a vacatione. Curnam, nisi ob iustas causas, Episcopus non conferat beneficia? Verum est Pontificiam Commissionem ad Codicis canones authentice interpretandos die 24 novembris 1920, interpretando § 3 canonis 1432 *C.I.C.*, statuit non esse devoluta beneficia quae Ordinarius non contulerit *ob absolutum defectum subiectorum.* At *quando* est absolutus defectus? Interdum adsunt subiecta (physice seu materialiter), sed ob varias causas eis beneficia dari nequeunt; oportet exspectare alia subiecta. Aut conferri possunt subiectis existentibus, sed non intra semestre. Quid erit? Estne, in casu, absolutus defectus subiectorum, vel non? Cum agatur de validitate collationis beneficiorum exsurgunt graves angustiae conscientiae. Melius esset abrogare supradictam devolutionem, firmis manentibus ceteris reservationibus etc, beneficiorum non consistorialium Datariae Apostolicae.

2. *Quoad peraequationem beneficiorum.* Cum notabilis inaequalitas beneficiorum saepe manifesta sit, atque Clero obtrectationi et Populo scandalo evadat, optatur — post experimenta quae secuta sunt normas a Sacra Congregatione Concilii latas diebus 27 novembris 1946, 28 aprilis 1949 et 10 iunii 1951 — nova legislatio ad solvendum funditus atque auctoritative problema beneficiorum, non sufficienter solutum impositione pensionis extraordinariae, quae, etsi modica, semper odiosa est. E contra, semel facta dismembratione bonorum temporalium, consulitur pro semper aequae partitioni beneficiorum.

I) De incardinatione

Aliqui vellent reformari institutum iuridicum incardinationis clericorum uni dioecesi. Mihi videtur incardinatio sancte religioseque servanda atque nihil esse innovandum. Necesse est clericum totaliter esse unius tantum dioecesis, quae est eius vera familia, quae proinde unica debet esse. Attamen sacri Pastores, ubi potuerint, succurrant dioecesibus carentibus sacerdotibus, ad tempus cedendo aliquem *optimum* sacerdotem, ut provideatur animabus, cum Ecclesia catholica sit.

L) De Sacerdotibus infidelibus

Saepe sacri Pastores loquuntur de misera sorte sacerdotum qui defecerunt in via. Quandoque exprimitur spes sanationis lugendae condicionis eorum, atque permissionis celebrationis sacramenti matrimonii. At mihi videtur Ecclesiam nihil amplius concedere debere post Decretum Sacrae Paenitentiariae *Lex sacri coelibatus* diei 18 aprilis 1936, ne — intuitu remissionis — Sacerdotes minus resistant tentationibus, ubi primum difficultates experti sint.

M) De praecepto paschali, de ieiunio et abstinentia

I. *Quoad praeceptum paschale.* Firma sacra lege Communionis paschalis, optatur Episcopis a iure concedi facultatem determinandi longum temporis spatium ad satisfaciendum praecepto paschali utile.

II. *Quoad ieiunium et abstinentiam.* Absque dubio ieiunium et abstinentia servanda sunt. Logice vero in pristinum nequit urgeri observantia ieiunii et abstinentiae sicuti praecipitur a canonibus Iuris atque a regulis a Moralistis traditis. Attamen oportet sacratissimo tempore Quadragesimae atque feriis Quattuor Temporum aliquo modo observare, etsi mitigatam, legem ieiunii et abstinentiae; secus nullum sensum haberent multi textus sacrae liturgiae, atque Quattuor Tempora suum sacrum sensum amitterent. Nova disciplina ita ex. g. posset instaurari:

1) Salva observantia normarum quae *hodie* (post Decretum S. C. Concilii die 28 ianuarii 1949) praecipiuntur sub gravi, possent imponi ieiunium et abstinentia ceteris diebus Quadragesimae et Quattuor Temporibus *sub levi tantum* ne multiplicentur gravia peccata.

2) Ieiunium et abstinentia possent imponi tantum Clero atque Religiosis utriusque sexus, laicis vero *consilium* tantum daretur ea observandi.

3) Ieiunii lex Quadragesimae et Quattuor Temporum posset permittere esum carnis tantum in comestione principali et prohibere esum *solidi* extra comestiones.

Quae omnia sunt tantum exempla. Ecclesiae sapientia quid faciendum statuet. At aliquid faciendum est!

N) Circa Codicem Iuris Canonici atque documenta legislativa

Ad dubia erroresque cavenda, optatur determinata verba in legibus ecclesiasticis *univocam* acceptionem *semper* habere. Ex. gr.: statuantur verba quae *semper* afficiant *validitatem;* pariterque statuantur verba

quae *semper* respiciant *liceitatem*. Ita in re matrimoniali, in re processuali, in re sacramentaria (praesertim quoad Paenitentiam), verba « *delegatio, auctorizatio* » *semper* respiciant *validitatem* actuum; verba « *licentia, praemonitio* » *semper* respiciant *liceitatem* (seu convenientiam, urbanitatem).

Itidem verbum « *consilium* » *semper* exprimere deberet votum consultivum ad liceitatem quaesitum; verbum « *consensus* » *semper* exprimere deberet quid praecipiatur ad validitatem.

Lex statuat casus in quibus delegatio (seu auctorizatio ad validitatem) *scriptis* dari debeat; pariterque indicentur casus in quibus actus positi invalidi sunt, si auctorizatio scripta non fuerit antecedenter concessa.

O) De facultatibus, dispensationibus, etc.

I. Cum agatur de facultatibus, dispensationibus etc. quae novitatem sapiunt, aut aliquid contineant in quo caute procedendum sit, facultates concedantur ad breve tempus, ex. gr.: ad triennium et ad experimentum. Sed quando agitur de facultatibus et dispensationibus quas Sancta Sedes *semper* concedit, ex. gr.: binationes, trinationes, oratoria domestica pro sacerdotibus senibus et infirmis, reductiones cuiusvis generis, concessio saltem ad quinquennium facienda esset.

II. In concedendis facultatibus, dispensationibus et similibus, desideratur maior uniformitas ad vitanda dubia, dicteria, errores, etc. Ex. gr.: sicuti sapientissime Motu Proprio *Sacram Communionem* diei 19 martii 1957 *unica* norma ieiunii statuta est pro Sanctae Missae celebratione atque sacra Communione, ita eadem hora statui deberet pro celebratione Sanctae Missae noctis tempore. Scilicet: sicut sollemnitatibus Paschatis Resurrectionis atque Dominicae Nativitatis Sancta Missa celebratur *media* nocte, ita *semper media nocte* (non autem dimidia hora post mediam noctem) deberet celebrari Missa quae extraordinarie conceditur. Pro concessione S. Missae extraordinariae noctis tempore, aliquando praecipiuntur duae horae sacrarum supplicationum (incluso tempore celebrationis), nonnumquam tres horae praecipiuntur. Puto *semper* sufficere posse *unam* horam alicuius pii exercitii (adoratio, preces, sermones) *ante* celebrationem Sanctae Missae.

✠ Dominicus Picchinenna
Archiepiscopus Acheruntinus

2

Exc.mi P. D. NICOLAI CAPASSO

Episcopi Acerrarum (Acerra)

Acerra, 30 septembris 1959

Ad epistolam istius Commissionis diei 18 iunii 1959 1 C/59-70 haec respondenda censemus.

In Theologia Dogmatica: Definire ac reprobare marxismum, existentialismum, caeteros errores in Encyclica *Humani Generis* proscripta.

In Theologia Morali: Reprobare « Ethicam situationis », limitationem prolis, foecunditatem artificialem, sterilizationem, educationem sexualem, abortum eugeneticum, euthanasiam, etc.

In *Codice Iuris Canonici* haec proponenda videntur:

Can. 2 de liturgia: Instanter vota promimus ut renovatio liturgica — iam feliciter incoepta, decreto S. R. C. die 23 martii 1955 — infra duos annos perficiatur, nominatis commissionibus.

Can. 126: « Exercitia spiritualia singulis trienniis »: sunt statuenda saltem singulis biennis vel melius per tres dies completos singulis annis, sicut multi laici praesertim Actionis Catholicae iam nunc solent.

Can. 131 et alibi: Locutio « sacerdos saecularis » mutetur in alteram « sacerdos dioecesanus ».

Can. 132: Omnino reicienda est omnis petitio de supprimenda vel reformanda lege caelibatus.

Can. 134: In locis ubi plerique parochi sunt viciniores et unusquisque eorum parvum numerum animarum habet, statuendum ut una vivant sub praeside ab Episcopo electo.

Can. 135: Attenta imminutione numeri sacerdotum et perspectis multiplicatis officiis, censemus munus divini Officii recitandi ab breviorem formam esse reducendum.

Can. 136: Censemus respuendam omnem petitionem circa innovationem habitus ecclesiastici.

Can. 193 § 2: Ratio (procedura) remotionis ab officio deberet esse expeditior.

Can. 329: Numerus Dioecesium in Italia Centrali et Meridionali est nimis excedens. In parvis Dioecesibus, desunt dirigentes et media pro multiplicibus officiis dioecesanis, et omnes labores cumulantur in humeris Episcopi. Statuenda videtur una dioecesis saltem pro 200.000 incolis.

Can. 454: Censemus abolendam esse legem de inamovibilitate parochorum, salvo recursu ad S. Sedem.

In loci ubi iam provisum est de pensione sacerdotum, statuendum ut parochi usque ad septuagesimum annum in officio remaneant, nisi aliter ab Episcopo provideatur.

Can. 459 § 4: Examen in concursu parochorum iuxta Const. Benedicti XIV *Cum Illud* (1742) est maxime obsoletum. Satis est statuere examen orale de universa theologia morali et de iure canonico, iuxta normas ab Episcopo statuendas.

Can. 707: Post canones de Confraternitatibus, addendi sunt canones de Actione Catholica: de sua necessitate et debito, iuxta Encyclicas Summorum Pontificum.

Can. 807: Episcopis concedatur etiam facultas trinandi, ob imminutum numerum sacerdotum.

Can. 843 § 2: « Singulis *saltem* annis Episcopi tenentur per se vel per alios libros missarum recognoscendi ». Videtur opus nimium onerosum ac non necessarium.

Can. 847: « Communio infirmis *publice* deferatur nisi etc. ».

Hodie est generalis consuetudo deferendi eam privatim.

Can. 976: Presbyteratus conferendus est *non* post medietatem IV anni cursus theologici, sed post completum IV annum studiorum.

Can. 1053: Regulae mortis praesumptae, quas statuit Codex Civilis Regni Italici, art. 58, 65 etc. vim non habent apud ecclesiasticam potestatem, in qua adhuc viget Instructio S. Officii die 13 maii 1868 de certitudine morali mortis coniugis ut quis admittatur ad secundas nuptias. Attamen in Codice I. C. videtur contradictorie admitti haec praesumptio mortis in can. 1053.

Can. 1080: Proponitur aequiparatio inter « affiliationem » et adoptionem ut definiatur an affiliatio sit impedimentum dirimens.

Can. 1274: « Expositio solemnis et publica SS. Sacramenti nonnisi ex licentia Ordinarii fiat ». Non videtur exquirenda haec licentia, cum cultus publicus SS. Eucharistiae sit nunc temporis tam frequens ac diffusus.

Can. 1342 § 2: « Concionari in Ecclesia vetantur laici omnes ».

Censemus addendum: « Sed permittitur, de consensu Ordinarii, praesertim extra divina officia, causa apostolatus (Actio Catholica, etc.).

Can. 1087: Proponitur, ut minuatur magnus numerus processuum ex capite metus: Matrimonium contractum metu gravi iniuste incussum non potest demonstrari nullum, si sponsi per sex menses simul habitaverint.

Can. 1094: Item ad vitandos processus, proponitur: Incompetentia ministri in matrimonio (defectus formae) sanatur post sex menses vel post ortum primi filii,

Can. 1409 etc.: A multis optatur ut nunc temporis ad actum reducatur maior aequalitas beneficiorum.

Can. 2241 etc.: Proponitur ut definiatur quando censura latae sententiae (promulgata in Synodo vel per praeceptum particulare) possit considerari « reservata ab homine » postquam quis eam incurrerit.

✠ Nicolaus Capasso
Episcopus Acerrarum

* * *

Prot. N. 852

Acerra, 13 februarii 1960

Die prima octobris 1959, animadversiones et vota misimus ad istam Commissionem pro Concilio Oecumenico.

Alia vota nunc promimus.

1. Dies Paschatis die fixo assignetur.

Continua mutatio festi, singulis annis, molestias et incommoda secumfert in periodis scholasticis, in consuetudinibus nundinarum, mercaturae etc.

Causae, quae Concilium Nicenum (anno 325) induxerunt ad statuendum festum dominica prima post plenilunium veris, sunt prorsus obsoletae; nemo enim, nunc temporis, de illis cogitat.

Fere omnes in votis habent ut dies Paschatis statuatur die fixo, secunda dominica aprilis.

Quod si Orthodoxi et Protestantes non subito adhaereant, nullum malum inde sequetur, nam pro omnibus dies Paschatis erit semper in dominica.

2. Opportunum esset promovere in Concilio votum de nota innovatione Kalendarii Civilis, ut prima dies anni sit extra ordinem, sit dies a se, ut singuli dies hebdomadae semper respondeant eidem numero cuiuscumque mensis.

Maxima reverentia nominamur

Humillimus servus
✠ Nicolaus Capasso
Episcopus Acerrarum

3

EXC.MI P. D. SALVATORIS RUSSO

Episcopi Iaciensis (Acireale)

Prot. N. 578/59

Acireale, 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Libenter Eminentiae Tuae Rev.mae invitationi obsecundans, mihi pergratum est remittere vota quaedam animadversionesque pro Concilii Oecumenici argumentis apparandis, quae visa sunt Ecclesiae animarumque bono profutura.

Dum impensos animi mei sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, omnem benedictionem et gratiam a Domino adprecor super Commissionis huius antepraeparatoriae labores et operam, cui Te praeesse mihi sat iucundum est.

In osculo sacrae Purpurae

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ SALVATOR RUSSO
Episcopus Iaciensis

I. *Quaedam doctrinae capita*

I. Cum hisce temporibus notio Ecclesiae in mentibus multorum deformata sit ac fides in Eam magis magisque in dies languescat ob materialismum theoreticum, praesertim, et practicum, exponatur in Concilio Oecumenico doctrina de Ecclesia qua hierarchice organizata et qua corpus Christi mysticum.

II. Illustretur insuper quid sit « sentire cum Ecclesia » et quid exigat « fidelitas erga Ecclesiam ».

III. De relatione inter magisterium Ecclesiae et traditionem ac theologiam ampla et omni ex parte absoluta doctrina tradatur.

IV. Character missionarius Ecclesiae in plena luce ponatur, itemque officia missionaria sacerdotum ac fidelium.

V. Exponatur doctrina de natura, formis, legibus et conditionibus « apostolatus », sive quoad sacerdotes sive quoad fideles, eos speciatim qui collaborant cum hierarchia ecclesiastica.

VI. Tractatio explicita fiat de Institutis saecularibus et de iis legislatio codificetur.

VII. In votis est ut doctrina de B. V. Maria Mediatrice omnium gratiarum tamquam dogma fidei definiatur.

II. *Quaedam doctrinae moralis capita*

I. Doctrina socialis Ecclesiae in clara luce ponatur, et errores communismi iterum ac solemniter refutentur et condemnentur, ac de his rebus, si fieri potest, quaedam forma catechismi edatur.

II. Problema, item, hodierna circa matrimonium, utputa, de eius sanctitate ac fine, necnon de generatione et educatione prolis discutiantur ac auctoritative solvantur.

III. Quid sentiat Ecclesia de corpore et cultu corporis, de ludis ac spectaculis, in relatione ad vitam christianam, edoceatur in Concilio Oecumenico.

III. *De Clero Saeculari ac Regulari*

I. Ut melius ac plenius invitamentis ad sanctitatem ultimis hisce annis, ne alia commemoremus, a Summis Pontificibus factis, satisfiat, status cleri saecularis fiat, iure ecclesiastico, status canonicus perfectionis per observantiam consiliorum evangelicorum votis vel promissis obfirmatam.

II. Oratio mentalis fiat obligatoria, saltem sub levi.

III. Exercitia spiritualia praescribantur pro singulis annis.

IV. Vita communis clericorum promoveatur, quantum fieri potest.

V. Clerus saecularis ac regularis fraterno foedere consocientur oportet in aedificando regno Dei in unaquaque Dioecesi, memores verbi Domini « Unum sint ».

Quapropter dentur normae secundum quas Episcopus possit facilius ac efficacius disponere etiam de religiosis, quoad res omnes quae spectant bonum animarum, ita ut, viribus unitis et mutua aedificatione ac humili docilique submissione Angelo ecclesiae dioecesanae, optatum bonum animarum securius et abundantius effici possit.

IV. *De Seminariis dioecesanis*

I. Vita pastoralis difficilior nunc ac periculosior evasit. Alumni Seminariorum propterea « ad omne opus bonum » convenienter et apte instruantur oportet. Proinde:

II. In alumnis seligendis maxima cura adhibeatur, adiumento etiam periti medici vel psychologi, quantum fieri potest.

III. Alumni formentur integraliter, ad virtutes scl. naturales et supernaturales, ut *probi viri* et *homines Dei* fiant.

IV. Instauretur annus probationis, ut ita dicam, spiritus post exactum lycaeum litterarium, ita ut qui discedere velint, opportuno tempore discedant, qui vero non, obfirmentur in sancto proposito exercitiis peculiaribus asceticis, explicatione catechismi in paroeciis, visitatione infirmorum etc.

V. Instauretur annus exercitationis pastoralis theoreticae ac practicae, exacto quadriennio theologico et sacerdotio suscepto, sub ductu sapientis ac periti presbyteri.

VI. Qui ad munus superioris, praesertim rectoris, in Seminario Dioecesano deputandi erunt, ad illud bene explendum informatione specifica diligenter sese praeparent vel praeparentur.

V. *De Fidelibus*

I. Ad vitam christianam fidelium, tam enervatam, roborandam, energice revocetur sensus et usus liturgicus.

Summula vel codex liturgicus iussu Concilii edatur, et ad eius normam commissio liturgica dioecesana enixe intendat vitae liturgicae promovendae ac in actum deducendae.

II. Languidae fidei in populo christiano non raro causa inter praecipuas exstat deficientia in « praedicatione verbi » et in « sana doctrina » tradenda. Catechismus edatur a Concilio Oecumenico, iuxta typus illius qui iussu Tridentini publici iuris factus fuit, ab omnibus parochis et rectoribus ecclesiarum explicandus in adultorum saltem instructione catechetica.

III. In universum denique legislatio codicis circa instructionem catecheticam fidelibus impertiendam adaptetur tempori instanti.

IV. Requies festiva determinetur secundum exigentias hodiernas. In particulari lex de cessatione ab operibus servilibus adaptetur evolutioni temporis praesentis.

✠ SALVATOR RUSSO
Episcopus Iaciensis

4

Exc.mi P. D. IOSEPHI DELL'OMO

Episcopi Aquensis (Acqui)

Die 10 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Maxima cum veneratione litteram Eminentiae Tuae Rev.mae, diei 18 iunii (N. 1 C/59-74), proximum Concilium Oecumenicum respicientem accepi, et nunc responsionem mitto, prae oculis habens desideria Augusti Pontificis.

Discreta quadam ratione, audito consilio aliquot virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium huius dioecesis, audeo sequentia argumenta proponere examini Pontificiae Commissionis Antepreparatoriae pro futuro Concilio:

I. *Circa catholicam doctrinam*

1. Videtur opportune confirmandum quod iam decrevit Concilium Vaticanum circa naturam divinae Inspirationis Sacrarum Scripturarum, nec non de earum interpretatione; sunt enim non pauci, qui duplici Earum sensu utentes, vel potius abutentes, Eas interpretare praetendunt ita ut supernaturalem Dei interventum, et praesertim quidquid miraculum sapiat, prorsus reiciunt, omnia naturaliter explicando.

2. Quantum fieri potest, doctrina catholica socialis pressius determinetur, circa negotia quae maxime hodie actuositatem important, nempe: iustum salarium, laborem foeminarum, cessationem laboris ex condicto, obligationem in conscientia tributa solvendi, etc.

3. Doctrina iam quidem definita de divina Episcopatus institutione, quam exigat Episcoporum dependentiam a Romano Pontifice et quas autonomias permittat.

4. Veritatem « Mediationis universalis B. Mariae Virginis » adfirmare et munus Eiusdem Deiparae Virginis in mysterio Redemptionis praecisare.

II. *Circa Cultum et Liturgiam*

1. Valde optatur definitiva reformatio et uniformitas Divini Officii.

2. Item auspicatur uniformitas et unitas circa actus cultus, inculcando, quae sunt praecipuae, devotiones, et continendo nimias devotiones particulares prorsus inanes.

3. Praecisatio usus linguae vulgaris in sacris Ritibus, in Sacramentalibus et in Sacramentis, ad maiorem uniformitatem in Ecclesia Dei catholica.

4. Denique desideratur ut magis extendatur, quoad tempus, praeceptum Paschatis, ut iam viget pro certis fidelium coetibus.

III. *Circa disciplinam Cleri et populi christiani*

1. An, nostris temporibus, adhuc prosit bono animarum inamovibilitas parochorum, an potius iuvet eos, debitis adhibitis cautelis, ad nutum Episcoporum remittere.

2. Quantum fieri potest, normas statuere pro clericis circa sic dictas res politicas.

3. Confirmetur usus habitus ecclesiastici, prout in singulis nationibus traditionaliter defertur.

4. Agendi rationem Clericorum in laicali societate, si non unicam, saltem conformem indicare; nostro enim tempore, exurgentibus, per statuta internationalia, communitatibus Nationum, conformitas in more se agendi Ecclesiasticorum in civili societate certe optanda esset.

5. Officium laicorum, eorum praecipue, qui in ecclesiastico apostolatu laborant, praecise determinare.

Haec argumenta ausus sum humiliter exponere, inter plurima maioris momenti et utilitatis, quae ab aliis excellentissimis Praesulis certe exposita erunt.

Ad osculum Sacrae Purpurae profunde provulutum, Eminentiae Tuae, profiteor

add.mum

✠ Iosephus Dell'Omo
Episcopus Aquensis

5

Exc.mi P. D. GUIDONIS M. MAZZOCCO

Episcopus Adriensis (Adria)

Omnibus diligenter perpensis, atque divino lumine invocato, haec pro proximo Concilio Oecumenico proponere mihi visum est:

De re dogmatica et biblica

In dogmatibus explicandis et in exegesi Sacrae Scripturae saepe recurritur ad argumenta naturalismo et rationalismo infecta. Normae dentur firmae et clarae, ut traditionalis orthodoxia in rebus tanti momenti servetur.

De re morali

Iterum examinanda videtur philosophia quae italice « Esistenzialismo » vocatur.

Quoad matrimonium saepe antequam contrahatur conditiones ponuntur fini primario, qui est generatio prolis, contrariae. Frequentissima est profanatio Sacramenti propter onanismum. His gravissimis malis remedia efficacia comparentur.

De re liturgica

a) Circa Divini Officii recitationem opportuna reformatio desideratur ut magis conferat spiritualitati sacerdotali. Constet ex duabus partibus, quorum altera tamquam preces matutinae ex psalmis atque lectura Sacrae Scripturae, mentali orationi apta composita sit; altera vero tamquam preces vespertinae ex psalmis atque vita Sanctorum vel meditatio mysteriorum, lecturae spirituali opportune efformata.

b) Sanctae Missae sacrificium est oratio in qua ipse Christus, per os Sacerdotis, exorat Coelestem Patrem; Sui Ipsius Sacrificium renovat atque divinae Redemptionis gratias dispensat. Quid autem populus de Missa intelligit? Maxime laudandae sunt versiones textus S. Missae in linguam vulgarem, atque recentes S. Rituum Congregationis dispositiones, sed hoc non sufficit. Pars Missae quae elata voce a Sacerdote legitur, praesertim illa quae *didactica* dicitur, lingua vulgari, legenda, meo iudicio, videtur, ita ut omnes clare intelligant, sicut antiquo tempore intelligebant. Unica lingua latina, ubique terrarum, servari poterit

in *Canone*. Tali modo populus in divinis rebus, maxime animae necessariis, extraneus non teneretur.

c) Denique omnium legum liturgicarum codex unicus desideratur per quem maxima simplificatio atque fidelis in toto orbe terrarum executio comparetur.

De re pastorali

a) Maxima consideratio tribuenda est catecheticae eruditioni sive puerorum sive adultorum in formis magis aptis pro diversitate locorum.

Catechetica instructio in publicis scholis magis curanda videtur per idoneos magistros, atque opportune ordinanda est. Sicut, occasione Concilii Tridentini, catechismus ad parochos editus est, ita, occasione novi Concilii Oecumenici, desideratur ut brevis, clarus, universalis Catechismus Doctrinae Christianae, definitiones et formulas pro tota Ecclesia continens conficiatur.

b) In pueris educandis, praesertim in scholis, recreatoriis, coloniis, severa separatio sexuum servetur, cum coeducationis principia ab Encyclica *Divini illius Magistri,* Summi Pontificis Pii XI reprobata sint, atque naturalismo inficiantur.

c) Ephemerides Catholicae, sive periodicae, sive nationales, sive regionales, vel dioecesanae, maius incrementum atque ordinem attendunt.

d) Adsistentiae emigratorum graviter et ordinate consulendum est, cum ipsi saepe negligantur ac misere se perdant.

De disciplina Cleri

a) Ut novensiles Sacerdotes gradatim ad ministerium pastoralem exerceantur et a periculis praecaveantur, convicta ecclesiastica instituantur, ubi per aliquot tempus morentur post sacerdotalem ordinationem.

b) Quoad vestem ecclesiasticam communis norma in tota ecclesia desideratur. Interest ut sacerdos ab aliis distinguatur, nec obiectum admirationis nostris temporibus sit. Vestis talaris in liturgicis actionibus semper induatur.

c) Quoad mercaturam diligenter servetur can. 142 *C.I.C.* cum nostro tempore Clerici nimiis negotiis, nec semper honestis modis, implicentur.

d) Maxime persequenda est unio inter Clerum saecularem ac regularem; si vero religiosi ministerio pastorali et paroeciali addicti sint, ab Ordinario loci totaliter dependant. Tali modo unio inter Clerum saecularem et regularem in Clero Dioecesano perficitur,

Actio Catholica et Apostolatus Laicorum

Valde laudanda Actio Catholica, quia Sacerdotes pauci sunt nec eorum opera ad omnes, in omnibus adiunctis, pervenire potest. Sed, ita ut nunc est, quadam superorganizatione oneratur, ita ut ad numerum potius quam ad veram Actionem apostolicam saepe intendat et pro Parochis magis onus quam auxilium fiat. Attamen cum his temporibus multae adsociationes laicorum militantium existant, praeter Actionem Catholicam, suggerenda videtur iuridica et ordinata physionomia apostolatus, determinando laicorum officia et munera, proprietates et dotes.

Pro Opera congregationis laicorum haec videntur suggerenda:

opus *Organizativum*: ad uniendas singulas adsociationes per paroecias, dioeceses, nationes;

opus *Doctrinale*: circa scripta, dicta et propagationem;

opus *Formativum*: quoad asceticam, liturgiam, theologiam, cum referentia ad apostolatum etiam in rebus et negotiis politicis.

De actuositate Ecclesiae

I. *In re sociali:*

Determinandae sunt fines et activitates variarum adsociationum, quae ad res sociales pertinent, ita ut earum opera ab aliis distincta sit et ad res politicas et stricte syndacales non transeat; attamen cum aliis ad commune bonum concordi animo tendat.

Res politicae clare distinguantur a rebus divinis et religiosis, ita ut a principiis evangelicis, doctrina Summorum Pontificum ac praeceptis Sanctae Ecclesiae lumen accipiant. Sacerdotes vero ipsis ne se immisceant usque ad confusionem inter res materiales et proprium ministerium eminenter spirituale.

II. *In re caritativa*:

Maxime fovenda sunt opera caritatis, quae semper fuerunt et sunt signum vitalitatis Sanctae Ecclesiae, sed ipsa exercenda sunt absque ulla inquinatione mercaturae vel negotiationis, quod interdum accidere videtur in quibusdam operibus nostris, praesertim in coloniis et in activitate Pontificiae Operae Adsistentiae. Quoad hanc Operam optabile est ut a quadam speciali Romana Congregatione dependat, quae praesit et invigilet omnibus operibus caritatis in tota Ecclesia; et in singulis Dioecesibus a Consilio quodam, sub auctoritate Ordinarii, qui perspiciat, examinet et dirigat omnia quae beneficentiae et caritati respiciunt.

III. *In re recreativa:*

a) Quoad cinematographa ac televisionem firmae atque opportunae normae statuantur ad mala praecavenda, sive pro Clericis, sive pro laicis.

b) Graviter perpendendum est et conciliandum quod attinet ad recreationem cum mandato de sanctificatione diei festi.

IV. *De unione Ecclesiae Orientalis et de haereticis ad Ecclesiam Catholicam revocandis.*

Haec unio omnibus modis, studiis ac mediis persequenda est, cum unitas Ecclesiae cum puritate doctrinae sub Romano Pontifice necessaria sit ad salutem animarum, pro quibus Christus mortuus est, et maxima defensio sit contra modernum materialismum atque obsidionem communistarum. Magna semper caritate perficiantur quae opportuna et necessaria videntur ad unitatem Ecclesiae assequendam.

Redemptor et Pastor animarum nostrarum, Christus Deus, intercedente Beata Maria Virgine Immaculata, Concilium Oecumenicum benedicat ut fructus maximos producat ad gloriam Dei, ad incrementum fidei, ad instaurandam disciplinam, ad haereticos et schismaticos vocandos ad unicam Sanctam Ecclesiam Catholicam!

✠ GUIDO MARIA MAZZOCCO
Episcopus Adriensis

6

EXC.MI P. D. EDUARDI FACCHINI
Episcopi Alatrini (Alatri)

Alatri, 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Respondeo ad N. I C/59 die 18 ianuarii 1959, aliquid adnotans, circa clericorum disciplinam.

In tanta huius temporis depravatorum opinionum perversitate quae militant contra sanctissimam nostram Religionem, contra sanam doctrinam et animarum salutem Ecclesiae divinitus commissam, ac contra ipsius societatis ordinem, oportet ut Clerus vitae sanctitate, doctrina, animarum zelo fulgeat.

Docentes et profitentes funestissimum communismi et socialismi errorem in primis adversus Clerum dimicant. In suis impiis opinionibus et

machinationibus praecipue intendunt ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina a societate domestica seu a familia et a iuventutis institutione prorsus eliminetur, ut iuvenes perniciosis erroribus et vitiis mere inficiantur ac depraventur.

Quapropter omnes qui rem tum sacram tum publicam perturbare et rectum societatis ordinem evertere et iura omnia divina et humana delere conantur, nunquam cessant clerum quibuscumque infandis modis divexare. In hac dura et continua contentione, Sacerdotum integritas et sana disciplina est unica vis quae tantis inimicis obsistere possit.

Attamen in hac temporum perturbatione et iniquitate nonnulli Sacerdotes, praecipue iuvenes, vitae simplicitatem derident, temporalibus divitiis gaudent, quaerunt quae sua sunt, ceteros despiciendo superbiunt, suas utilitates sectantes in suo ufficio non perstant. Non « sectantur iustitiam, pietatem, fidem, castitatem, patientiam, mansuetudinem », sed cum ad omnes saeculi vanitates contendant, « incidunt in tentationem, in laqueum diaboli et desideria multa et nociva quae mergunt hominem in interitum et perditionem ». Haec exempla generatim ubicumque inveniuntur, maxime in magnis Civitatibus et etiam inter sacerdotes aliquo honore antecedentes. Haec scandala non semper abscondi nequeunt; iis inimici Religionis abutuntur ut Clerum iniuria afficere possint.

Ex his omnibus patet, gravissimas inter acerbitates quibus undique premitur, Ecclesiam ex potestate a suo Auctore commissa, non solum ius sed officium habere summo studio Cleri disciplinam advigilandi, ac maxima cura ea omnia amovenda et eliminanda esse quae honestatem et rectam Sacerdotum vitam laedunt.

Unicuique autem notum est leges disciplinares tempori et conditioni accomodandas esse ut labentibus annis immutentur, novisque obvenientibus causis augeantur.

Evidentissimum est et ab omnibus iamdiu agnitum ob tam multiplices gravesque rerum et societatis humanae mutationes etiam clericorum disciplinam novis legibus muniendam esse. Haec vera est temporis opportunitas Concilii Oecumenici. « Opus sane arduum; sed quo plus difficultatis habet eo magis sit tanto Pontifice dignum ».

Ante omnia oportet Sacra Congregatio Concilii, quae in intelligendis, pensitandis et applicandis legibus est pars activa, sit vis efficiens et agens, apta novorum temporum conditionibus maiore industria leges efficiat, rem summam disciplinae clericorum maximo periculo gerat, praestet et administret et attente vigilet ut clericorum disciplinae leges in usu quotidiano religiose deducantur.

Ipsa ne sit pondus gravans, parata tantum ad applicandas sanctiones, sed mater sollicita, omnia prudenter praeveniens; tempora, loca et

personas perscrutans, desideriis episcoporum maiore diligentia et caritate se offerens, in rebus gravibus eos non deserens, citius controversias solvens, in causarum processu magis ac magis expeditior, valida et opportuna, pro tempore et re, consilia dans.

Quod, exempli gratia, praecipue, his temporibus, in re disciplinari, Episcopos gravi molestia afficit, sunt processus in remotione parochorum inamovibilium. Hac in re Congregatio Concilii est tarda, processus diuturnus, ut potiusquam scandala amoveri possint, ipsa augeantur. Ut salvetur forma, amittitur tempus et saepius etiam dignitas, iustitia et caritas. Quae cum ita sit, melius esset, beneplacito apostolico, reddere amovibiles paroecias quae sunt inamovibiles.

Nunc autem magni momenti est consulere Seminariorum disciplinae. In primis curandum est ut Seminaria Regionalia sedulo vigilentur. Accuratius ea investigare et percontari oportet. Graviter attendendum est non tantum ad alumnorum institutionem quam ad eorum formationem spiritualem, quae manebit fundamentum et regula totius eorum vitae et disciplinae sacerdotalis.

Pars sacerdotum simul ac Seminario Regionali egressi, quaerunt vitae commoda et saecularia desideria. Brevi, spiritum sacrificii et virtutem oboedientiae et castitatis amittunt. Huius rei testimonium est quod ii vera et interna formatione spirituali carent. His temporibus in educatione et disciplina alumnorum Seminariorum Regionalium spiritus humanus subest.

Cum Seminariorum Regionalium regimen universum et administratio regitur normis a S. Sede statutis, oportet ut Congregatio de Seminariis directe ab Episcopis Regionum consilia accipiat. Tantum Episcopi omnia scire possunt circa vitae rationem et institutionem horum Seminariorum.

Haec brevia libertate, sinceritate et maxima deditione mihi adnotare visum est.

Gratias ago D. N. I. C. toto corde, quia per Suum Vicarium in terra, Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. reg., Ecclesiae, his temporibus tam exagitatis, maximum donum, seu Concilium Oecumenicum, concesserit.

Firmiter credo et veraciter confiteor Romanum Pontificem illam petram esse, supra quam Christi Ecclesia aedificata est et ex qua firmitatem illam inconcussam trahit, qua portas inferi iugiter victrix superat.

Ad osculum Sacrae Purpurae flexus

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humillimus
✠ EDUARDUS FACCHINI
Episcopus Alatrinus

7

Exc.mi P. D. CAROLI STOPPA

Episcopi Albae Pompeiensis (Alba)

Die 3 septembris 1959

I. *De Doctrina*

1. Summa redigenda de principiis doctrinae socialis Christianae.

2. Clarior determinatio doctrinae traditionalis de iuribus et debitis in matrimonio, iuxta Ecclesiae magisterium et praesertim recentiorum Summorum Pontificum (Pii XI et Pii XII).

3. Sylloges errorum hodie ubicumque grassantium circa usum matrimonii, circa naturalismum, autonomiam rationis personalis, autonomismum conscientiae, existentialismum, etc.

4. Reformanda fatiscens locutio de « opere servili » a quo fidelibus abstinendum in festis de praecepto. Hodie non amplius valet distinctio inter dominos et servos, sed in operibus exercendis valet ratio oeconomica et lucrativa, qua occupantur « professionistae » (medici, advocati, professores, et huiusmodi).

II. *De Clericis*

1. Fortius arcendi Sacerdotes a quibusdam modernis erroribus, qui abeunt longe a doctrina supernaturali Evangelii, ideo adducendi ad traditiones semper in Ecclesia vigentes; unde pressius insistendum in Seminariis in docenda scholastica philosophia.

2. Num ratio studiorum in gymnasiis et lycaeis seminariorum utilior ad efformandum Clerum evaderet si non ad rationem scholarum civilium sed pressius fierent ad finem specificae ecclesiasticae culturae.

3. Innovanda Presbyteria pro exiguis et vicinioribus paroeciis, quo fiat ut presbyteri in unum collecti, absque dispersione virium, provideant convenienter fidelibus dissitis.

4. Promoveatur facilior intercommunicatio inter Dioeceses saltem viciniores, quae vel Clero carent vel abundant.

5. Num proderit: *a*) dismembratio a S. Sede promovenda earum paroeciarum quae in civitatibus nimia plebe constant, quo efficacior fiat cura fidelium; *b*) largior potestas Episcopis danda amovendi Parochos, qui senecta vel infirma valetudine non amplius possunt curae paroeciae incumbere — coarctanda igitur inamovibilitas ut nunc est in Iure;

c) amplior facultas Episcopis concedenda circa minora beneficia, quae utiliora hodie evaderent, si eorum redditus devolverentur muneribus ecclesiasticis quibus, etsi praestantioribus, nullo alio modo providetur.

III. *De adsociationibus fidelium*

Danda figura iuridica, in codicem introducenda, novis societatibus fidelium, hodie exortis, ex gr. Actio catholica, quae in Codice desunt.

IV. *De Seminariis*

Num in Seminariis proderit alternatio alumnorum ita ut in uno alterove centro maiore colligantur pro eorum institutione doctrinali melius obtinenda, ex. gr. omnes accedant simul ad philosophiam addiscendam, alibi ad discendam propedeuticam, alibi iterum ad moralem vel dogmaticam.

V. *De re liturgica*

1. Num introducenda lingua vulgaris in partem didacticam in celebratione missarum.

2. Item num proderit editio Ritualis bilinguis pro Italia, eo modo quo iam exstat pro aliis nationibus.

3. Revisio Ritualis romani in ea parte quae tractat de sacramentalibus et benedictionibus; quaedam, ex. gr. contra mures, exspungi possunt; aliae vero innovandae quae melius conveniunt novis inventis.

4. Citius ad finem perducatur reformatio Breviarii romani, et, si diutius differatur, saltem permittatur eius editio, qua, salvo Decreto de semplificatione rubricarum, omnes ecclesiastici uti debeant novo psalterio.

5. Ad simpliciorem formam redigatur Pontificale Romanum in his quae nimia prolixitate constant et graviora evadunt pro pontifice et fidelibus adstantibus, ex. gr. in consecratione ecclesiarum, altarium, in benedictionibus coemeterii, campanarum, et huiusmodi.

6. Promoveatur reformatio Anni Liturgici eo modo quo iam factum est pro Hebdomada Maiori.

✠ Carolus Stoppa
Episcopus Albae Pompeiensis

8

EM.MI P. D. IOSEPHI CARD. PIZZARDO
Episcopi Albanensis (Albano)

Romae, d. 8 m. octobris a. 1959

E.me ac Rev.me Domine mi Obs.me,

Dum vehementer Tibi gratulor de honorifico, quamvis gravi munere a Summo Pontifice Eminentiae Tuae commisso, uno eodemque tempore omni cum libertate et sinceritate expono, quam brevissime potero, ea quae mihi pastoralis sollicitudo zelusque animarum suggerunt:

Nemo est ignarus pietatis imminutionis, morumque corruptionis populi christiani.

Procul dubio hoc tribuendum est ethnicae aestimationi vitae et innumeris saeculi illecebris; sed ne clerus quidem est extra culpam, quatenus relictis: vita interiori, spiritu orationis et sacerdotali ministerio, arbitratus est animas Christo lucrari posse prudentia et scientia humana, sese immiscendo operariis, syndacatis fabricae, factionibus politicis etc.

Nihil funestius hac aestimatione, quae sacerdotis opus reddit sterile, imo ipsi sacerdoti valde noxium. Memoria teneat sacerdos verba Christi: « sine me nihil potestis facere ».

Redeat quaeso clerus missioni suae spirituali:

a) distinguatur prae omnibus *habitu, prudentia, pietate* et *modestia*;

b) devitet conventus mundanos, spectacula profana et vulgarem familiaritatem cum personis in genere;

c) praetermittat negotia saecularia, maxime gestionem aularum paroecialium, et similia, prorsus committenda viris probatae honestatis; et, ad nutum Ordinarii attendat;

d) ministerio sacerdotali, idest: Evangelii explanationi, sacramentorum administrationi et doctrinae christianae traditioni.

Ad hoc iuvabit vita communis in domo paroeciali, saltem vicariorum cooperatorum.

Nihilominus considerandum est etiam quod multa mala in paroeciis eveniunt ob imperitiam vel negligentiam aut senectutem parochorum. Habeat Episcopus potestatem mutandi aut removendi ineptos, sicut in clero regulari. Haec sanctio in manu Episcopi erit stimulus utilis et efficax erga negligentes aut imperitos.

Cum autem compertum sit copiam sacerdotum saecularium inferiorem esse necessitati, imponatur clero regulari paroeciae localis obligatio parochum adiuvandi diebus festis, prout necessitas dictat, et rogatu Ordinariorum.

Quapropter necesse videtur Episcoporum auctoritatem omnibus modis firmandam esse, non solum erga sacerdotes dioecesanos, sed etiam erga religiosos, sive quoad apostolatum confessionum in ecclesia paroeciali, sive quoad actionem catholicam.

Postremo est auspicandum quod in quavis Dioecesi constituantur aliquot sacerdotes regulares in apostolatu, sub Ordinariorum directionem, pro animarum assistentia in regionibus campestribus, disiunctis ab ecclesia paroeciali.

Eminentiae Tuae manus humiliter deosculor meque profunda veneratione profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
Obs.mus et dev.mus servus verus

✠ I. Card. PIZZARDO
Episcopus Albanensis

9

EXC.MI P. D. RAPHAELIS DE GIULI
Episcopi Albinganensis (Albenga)

Albingauni, die 8 augusti 1959

Eminentissime Ecclesiae Princeps!

Ad Tuas litteras, Prot. N. I C/59-94, libentissime respondens, ante omnia gratos animi sensus totius Dioeceseos Cleri necnon Christifidelium erga Summum Pontificem Ioannem XXIII, fel. regn., pro habendo Concilio Oecumenico, prodere gaudeo, atque praeces Deo fundam, ut quam maxima inde Ecclesiae Sanctae bona enascantur.

Quod autem ad res in Concilio tractandas attinet, haec modeste proponere audeo:

1. *De rebus fidei*: *a*) solemniter mihi iterum damnandi videntur gravissimi impiique errores materialismi, atheismi, communismi marxistici, exsistentialismi atheistici etc. quibus Fidei penitus evertitur.

b) Praeterea, solemniter iterum, meo iudicio, inculcanda sunt quae ad doctrinam de genuino conceptu, realitate, necessitate absoluta et gratuitate Ordinis Supernaturalis Gratiae spectant, prout in Encycl. *Humani Generis* s. m. Pii Pp. XII factum est, cum in dies Christifidelium animi

magis magisque « naturalismum », saltem in agendi ratione, redoleant, et quandoque vel ipsi Theologiae magistri in hac re aberrare possint.

2. *De re liturgica*: valde utile censeo, si quid in Concilio statuatur de lingua latina conservanda insimulque intra quos limites permittendus sit vulgarium idiomatum usus in sacris Liturgiae ritibus.

3. *De Cleri institutione et disciplina*: *a*) studendum imprimis est, meo iudicio, uniformitati promovendae circa studiorum ecclesiasticorum programmata et curriculum (ex. gr.: statuere quadriennium pro alumnis nostri Lycaei et quadriennium vel quinquennium pro alumnis Sacrae Theologiae etc.);

b) decernendum praeterea est aliquid omnibus Clericis commune de habitu ecclesiastico;

c) tandem, grave illud problema de Cleri defectu in plurimis catholicorum nationibus mature distringendum est, ne in dies messis sine messoribus fiat! *Sarto tectoque Sacerdotum caelibatu,* ad Presbyteratus ordinem fortasse promoveri possent viri illi qui, ex. gr. apostolicis laboribus inter Actionis Catholicae agmina operam navantes, docti, pii atque virtutibus praediti apud Christifideles habeantur et ad aetatem provectam pervenerint, exemplo omnibus etiam in matrimonio. (Cf. casus Dr. Goethe in Germania).

4. *De rebus morum*: *a*) Cum ingens procul dubio sit animarum damnum, quod ex quibusdam publicis, frequentibus atque paganis contra mores spectaculis oritur, quae passim etiam inter Catholicos fiunt, peropportunum dico, ut Concilium de huiusmodi quoque inverecundis exhibitionibus (ex. gr., de electione pulchritudinis « reginularum » quae « Miss » vulgo nuncupantur) agat, damnans et castigans, sicut pro Communismo factum est, viros catholicos, qui haec facinora promovent necnon puellas, quae tam procaciter corporum suorum ostentum faciunt, immo etiam eorum parentes, qui filias his spectaculis concedunt.

b) Enixe mihi pariter recolenda videtur, quae ad spectacula radiophonica, televisiva et cinematographica necnon ad ephemerides, praesertim pictas, pertinent, quippe quae tanti sane momenti sunt sive ad populum recte instituendum atque educandum, sive ad eumdem funditus corrumpendum .

5. *De Dioeceseon divisione*: fortasse congruenter cum viarum retibus, fines territoriales Dioecesium corrigi possent, ut aptius animarum bono consuli posset.

His omnibus candide sincereque propositis, sacram Tuam Purpuram devote osculans, gaudeo me Tibi addictissimum in Domino profiteri.

✠ Raphaël De Giuli
Episcopus Albinganensis

10

Exc.mi P. D. ANTONII TEDDE

Episcopi Uxellensis et Terralbensis (Ales e Terralba)

Prot. 59/17232 c/p Ales, li 24 dicembre 1959

Eminenza Rev.ma,

Rinnovando la mia cordiale accettazione di quanto nel Concilio Ecumenico il Vicario di Cristo vorrà sancire e definire, invio l'acclusa lettera, in umile risposta all'invito di V. Eminenza Rev.ma a suo tempo rivolto a tutto l'Episcopato Cattolico.

Umilmente ho inteso dire quelle preoccupazioni, che il mio cuore di Vescovo, tra le molte, sentiva e sente come motivo di urgente studio e soluzione.

Con l'occasione, porgo a V. Eminenza Rev.ma i miei devoti auguri di gioioso S. Natale e di Nuovo Anno ricco delle più belle benedizioni del Signore.

Chino al bacio della S. Porpora mi professo di V. Eminenza Rev.ma umilissimo e devotissimo in X. I.

✠ Antonio Tedde
Vescovo di Ales e Terralba

Eminentissime Domine,

Ut respondeam tuis quidem veneratissimis litteris paulo ante datis, in primis et praecipue me praenuntio obsequentissime accepturum omnia quae ab indicendo Oecumenico Concilio futura erunt praescripta sive de Fide Catholica et christianis moribus, sive de clericorum cuiusque gradus disciplina, quaeque erunt praecepta utpote regulae apostolatus actionis catholicae ad Domini gloriam et Religionis incrementum.

Cumque Episcoporum mentem exquirere sis adgressus, eorumque investigare curas quae unanimiter curis Ecclesiae Universae consentiant, circa obiecta quae in proximo Concilio erunt agenda, liceat mihi aliquid excogitatum de rebus eiusmodi notatum humillime referre.

Censeo quidem:

1. Summa ope enitendum ut providendis canonibus primum opus sit imbuendi clericos veraci et genuino evangelico spiritu, quo a temporalibus vitae sollicitudinibus arceantur et ad hereditatem Domini in paupertate et fide sibi quaerendam excitentur, ad cuiusque eorum perfec-

tionem et ad efformandum in iis adflatum apostolicum, ut, nulla admissa divitum adulatione vel personarum acceptione, incumbant ad salutem animarum, idque uti ad praecipuum et quasi « professionale » onus et argumentum Sacerdotii, in spiritu illius Sacerdotii munus quod est Sacerdotium Christi.

2. Summopere hortandi sive saeculares sive regulares ut generosa voluntate et liberali animo ecclesiasticam disciplinam amplectantur et quidem eam quae iure communi codificata sit, et eam quae a Summo Christi Vicario pro Ecclesia Universali aut a locorum Ordinariis pro singulis dioecesibus suis erit opportuno tempore proposita. Est enim in pluribus, et quidem boni nominis clericis, aliquis novus spiritus qui indicium est indocilis fereque rebellis animi, non quidem in minimis et levioribus rebus, sed quasi generatim et veluti dubiose circa extradogmaticum Magisterium Ecclesiae. Si vero libelli anonymi, qui saepe audacter ad Episcopos missi sunt de abolenda ecclesiastica lege coelibatus, originem indicant a quadam secreta clericorum manu, perutile videtur et honestum doctrinam de coelibatu clericorum clariori lumine exprimere et argumentis confirmare, ut ex oecumenicis statuendis legibus validitas sacerdotalis virginitatis exoriatur alte mireque triumphans veluti — si fas sit exemplum summum repetere — Sacratissimae Virginis divina maternitas collustrata fuit ex oecumenico Ephesino Concilio.

3. Quo melius Ordinariis locorum liceat pro bona utilitate animarum honestis de causis cum libertate provisionem paroeciarum peragere, peropportune reformanda videtur arcta illa canonica praxis de inamovibilitate parochorum.

4. Clarius et efficacius confirmare oportere censeo magisterium circa materialismi veterem pestem tam periculose in plurimorum voluntatibus insitam, idque ut lucidius fereque dogmatice fidelibus ipsis appareant praecipua cristianae socialitatis principia, contra quae nec theoretice nec practice per adhaesionem ad Communismum fas sit christifideles se gerere.

5. De re morali liceat exoptare clariorem doctrinam qua proscriptum evadat illud quorumdam theologorum « relativismum morale » seu « morale della situazione », qui error subtiliter minatur validitatem absolutam moralium praeceptorum.

6. Quoad vero doctrinam circa matrimonii sacramentum, confirmandae illae quae ex re ipsa et ex constanti Ecclesiae magisterio sunt proprietates indissolubilitatis et unitatis, divortii fautoribus quamcumque generisve cuiusvis expectationem vel minimam absolutis et explicitis canonibus abrumpendo.

7. Item perspicue definienda onera cuiusque ad iura verae fidei reli-

gionisque tuenda sive actuosa civica ope vel audaci fortique animo, sive munere politici suffragii ut a publicis muneribus arceantur ii qui irreligiosi sint vel proscriptas ideologias falsae socialitatis prosequantur.

8. Demum amplius et quidem solemnius vindicanda suprema iura et officia familiae et Ecclesiae ad iuvenum animos efformandos, ex quo melius effulgeat, ad mentem iuris publici ecclesiastici, nativum ius Ecclesiae ad scholas ceteraque omnia ad instruendum vulgus subsidia quae his nostris temporibus apostolici Ecclesiae muneris sunt tecnicae rationes.

His vero paucis permulta alia addenda censeo argumenta quae ex ampliori conspectu universae Ecclesiae excellentissimi confratres catholici Episcopatus erunt allaturi; quaeque omnia praecipua nostrorum temporum religiosa problemata illis afferenda videantur. Me humili animo haec scripsisse sufficiat, quasi ad obsequendum tuis litteris veneratissimis et dociliter desiderio Ecclesiae parendum, magis quam ut aliquid novum aut peculiare ad Concilii ingentia programmata afferre valeam.

Habeas igitur, Eminentissime Domine, obsequentis ac devoti cordis veluti vocem et speciem, has meas ad Te litteras obsequentissimas.

Addictissimus in Christo
✠ ANTONIUS TEDDE
Episcopus Uxellensis et Terralbensis

11

EXC.MI P. D. IOSEPHI P. GAGNOR
Episcopi Alexandrini Statelliorum (Alessandria)

23 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Nella fiducia di arrivare ancora in tempo utile, invio qui uniti, alcuni articoli da discutere nel prossimo Concilio Ecumenico.

Prostrato al bacio della S. Porpora devotamente ossequio.

✠ GIUSEPPE GAGNOR, O. P.

Beatissime Pater,

Oecumenico Concilio proxime celebrando haec examinanda propono:

1. Opportunitas reddendi Sacram Liturgiam melius a fidelibus intelligendam, per usum linguae nationalis, sicuti ab immemorabili con-

cessum est Orientalibus Ecclesiis. Etiam in Missae Sacrificium dicantur in lingua propria Epistola, Collectae, et Evangelium.

2. Opportunitas abolendi etiam in Italia Constitutionem *Cum Illud* Benedicti XIV, circa concursum pro Beneficiorum provisione (*C.I.C.*, can. 459/4). Quae Constitutio hodie etiam apud nos videtur superata.

3. Episcopi omnes facultate gaudeant praedicandi et absolvendi a peccatis ubique terrarum, sicut Cardinalibus concessum est (*C.I.C.*, can. 239: 1, 2, 3, 5, 6). Episcopi enim sunt Apostolorum Successores, quibus Christus Dominus dixit: « Ite, docete *omnes gentes,* baptizantes eos ».

✠ IOSEPH P. GAGNOR, O. P.
Episcopus Alexandrinus Statelliorum

12

EXC.MI P. D. ADULPHI CIUCHINI
Episcopi Algarensis (Alghero)

Algaren, pridie Kalend. Septembris 1959

Eminentissime Domine,

Pergrata mihi epistola occurrit ab Eminentia Tua data Romae die XIV ante Kalendas Iulias labentis anni (prot. N. 1 C/59-103), qua de quaestionibus in Concilio Oecumenico proxime ineundo pertractandis Episcoporum animum eorumque vota enixe exquirebas.

Hanc igitur petitionem libenter excipiens, mentem meam quae de ecclesiastica disciplina tractanda videntur capitibus quae sequuntur breviter exponam.

Videlicet, mihi expedire videtur:

1) ut maior libertas in dioeceseos regimine Episcopis concedatur eorumque sententiae et notitiae — saltem cum quaestiones *de facto* vel sacerdotum disciplinam attingunt — plurimi fiant;

2) ut normae ac praxis in nominatione et remotione parochorum servandae hoc sensu reformentur ut omnes parochi « ad nutum » Episcopi nominentur eorumque remotio, indignitatis causa, ab eodem — audito tantum consilio de Cleri disciplina — illico fieri possit;

3) ut in rebus maioris momenti, quibus Episcopi in dioeceseos regimine Capitulum Cathedrale audire teneantur, eiusdem sententia minime obligentur.

Haec vota sapienti examini Eminentiae Tuae humiliter subiicio ut, si pertractanda Tibi videantur, iudicio Patrum submittere digneris.

Tuo igitur consilio apprime confisus, Tibi gratias agens devotissime obsequor atque ex corde me indignum humillime profiteor.

Eminentiae Tuae
in Christo fratrem

✠ Adulphus Ciuchini
Episcopus Algarensis

13

Exc.mi P. D. VIRGINII DONDEO
Episcopi Aliphani (Alife)

Prot. N. 67 - Pos. N. 8 Caserta, 24 agosto 1959

Eminentissime Domine,

Grato animo desideriis Summi Pontificis et Eminentiae Tuae obsecundans humiliter has quaestiones propono quae mihi videntur tractanda in proximo Concilio Oecumenico:

In re doctrinali: Definitio dogmatica de Mediatione Universali B. M. V. Expositio doctrinae Corporis Mystici Christi et de eius unitate; Expositio doctrinae de Sacra Liturgia; Expositio doctrinae de relationibus inter Ecclesiam et Statum. Errores damnandi: Communismus atheus; neo-modernismus praesertim laicismus.

In re morali: Damnatio relativismi moralis; Expositio moralis theologiae socialis, familiaris, professionalis.

In doctrina sociali: Synthesis doctrinae socialis Ecclesiae; quaestiones de syndacatu et de parte politica.

In re disciplinari: disciplina de inamovibiltate parochorum mutanda; facilis reddatur translatio sacerdotum de una in aliam dioecesim titulum Ordinationis mutando; Relationes inter Episcopos et Sacras Congregationes romanas examini subiciantur; relationes inter clerum saecularem et regularem declarentur et Episcopo etiam clerus regularis in re pastorali subiciatur; Reformatio administrationis beneficiariae; Renovatio legislationis circa « Legata »; ieiunium et abstinentia; quomodo providendum assistentiae iuvenis cleri et quid providendum pro Sacerdotibus apostatis.

In re liturgica: Desideratur revisio et simplificatio Pontificalis romani et Caerimonialis Episcoporum: Ritualis; Missalis; Breviarii.

Quomodo melius uti possit lingua vulgari.

In re pastorali: Positio laicorum in Ecclesia; Actio catholica; Instructio catechistica.

Devotissimis animi sensibus ex corde me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ VIRGINIUS DONDEO
Episcopus Aliphanus

14

EXC.MI P. D. ANGELI ROSSINI
Archiepiscopi Amalphitani (Amalfi)

Amalfi, 23 marzo 1960

1. Supprimatur, vel concedatur facultas dispensandi ab irregularitate Can. 984, n. 1, et generatim reformetur materia irregularitatum.

2. Supprimantur impedimenta matrimonialia gradus minoris, vel reserventur dispensationibus Ordinariorum.

3. Detur Ordinariis facultas concedendi et dispensandi quae S. Sedes concedere et dispensare solet.

4. Concedatur maior auctoritas Episcopis in regimine propriae dioecesis.

5. Clausura monialium vel auferatur, vel modificetur.

Practice moniales sunt saepissime extra monasteria, vel ratione valetudinis, vel negotiorum materialium, et quotidie augetur numerus saecularium qui admittuntur in monasteria.

Unicus qui non potest introire est Ordinarius loci, sub poena excomunicationis latae sententiae.

Concedatur Ordinariis facultas ingrediendi in clausuram monialium sicut Cardinalibus concessum est.

Ordinarius concedere potest facultatem ingrediendae clausurae omnibus opificibus, dum illi prohibetur ingressus.

6. Reformetur competentia Ordinariorum in alienandis bonis ecclesiasticis.

De confirmatione.

Pius XII f. r. concessit parochis in proprio territorio facultatem administrandi Sacramentum Confirmationis sub conditionibus adiectis *ad validitatem,* ni fallor, casus urgentis, periculi mortis, incommodi Episcopi, quarum valor obiectivus, subiective diiudicandus est.

Cum agatur de validitate sacramenti, et de effectu certe obtinendo remanet dubium de effectu sacramenti, quoties minister non est certus de obiectiva existentia conditionum, quod dubium magis confirmatur in subiecto recipiente sacramentum.

Melius esset si, manente concessione Pii XII, conditiones requirantur *ad liceitatem,* statuta validitate sacramenti collati a Parocho in suo territorio.

✠ ANGELUS ROSSINI
Archiepiscopus Amalphitanus

15

EXC.MI P. D. VINCENTII LOJALI
Episcopi Amerini (Amelia)

Ameriae die 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Adhibitis prudentibus ac doctis sacerdotibus, collegimus quae nobis in hac parva dioecesi degentibus et huius temporis necessitates considerantibus, digna visa sunt ut in proximo Oecumenico Concilio tractentur.

Omnia quinque punctis continentur, ut in adnexo folio conspici potest.

Tanto honore adfecti maximas Deo referimus gratias et Spiritum Sanctum enixis precibus invocamus ut illuminet, confirmet, sustineat quos Summus Pontifex ad omnia rite paranda elegit.

Sacram Purpuram deosculamur et qua par est reverentia omnia fausta Tibi adprecamur.

Emin. Tuae Rev.mae
in C. I.

✠ VINCENTIUS LOJALI
Episcopus Amerinus

1. Revisio finium praesertim parvarum dioecesium, quae supprimendae non sunt; sed ita constituendae ut digne et sufficienter vivere possint.

2. Institutio seminariorum inter parvas dioeceses, quae etsi non sint regionalia, tamen efficacius alumnos praeparare possint ad Seminaria regionalia.

3. Abolenda vel cogenda exemptio religiosorum, in ministerio pastorali externo, ita ut subditi sint singulis parochis in quorum territorio vivunt.

4. De veste talari non abolenda quia, apud nos, sacerdotes magis sunt populo reverendi, sed in casibus particularibus, rationabiliter deponenda, ut in montibus, rusticationibus, exercitationibus praesertim cum iuvenibus.

5. De caelibatu tollendo, ut sinister rumor serpit, ne verbum quidem: populus qui pronus est sane ad suspiciones et calumnias, fidem amitteret. Instantissime petimus, parati usque ad effusionem sanguinis ad caelibatum defendendum, ne ista pretiosa ac coelesti margarita, Clerus catholicus privetur.

✠ VINCENTIUS LOJALI
Episcopus Amerinus

16

EXC.MI P. D. CAROLI RE

Episcopi Ampuriensis et Templensis (Ampurias e Tempio)

Tempio, 2 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Acceptis Litteris Eminentiae Vestrae datis die 18 iunii a. D. 1959 Prot. N. 1 C/59-121, dum reverenter gratias ago pro tanto honore, mihi pergratum est rescribere circa nonnulla vota pro Commissione Antepraeparatoria pro futuro Oecumenico Concilio.

In foliis adiunctis extant argumenta et vota nostra, quae humiliter submitto Eminentiae Vestrae, cui fausta omnia a Domino adprecor .

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus

✠ CAROLUS RE
Episcopus Ampuriensis et Templensis

I - *De Doctrina*

Detur: Constitutio dogmatica de Fide Catholica, praecipuos nostrae aetatis errores complectens; et alia Constitutio dogmatica de Ecclesia Christi, compactam structuram Ecclesiae in suo duplici elemento hierarchico et praesertim divino prospiciens, una simul cum doctrinis de Communione Sanctorum et de Laicatu catholico, quae omnia cum doctrina Mystici Corporis Christi intime connectuntur.

II - *De re pastorali*

a) Ad augendam efficaciam in methodo impertiendi Catechismum adultis, quaeritur utrum adhibenda sint in ipsis ecclesiis, quonam modo et mensura, media quae nunc in usu inveniuntur: cinema, televisio, radio ...

b) Apostolatus catholici subsidia et media in dies crescunt, sed non harmonice videntur. Intima et magnanima compositio inter Clerum dioecesanum et religiosum praesertim desideratur, sicut etiam associationum catholicarum multiplicitas unitatem afficere non debet.

III - *De disciplina*

Votum promitur ut Ordinariis maior libertas concedatur in amovendis vel transferendis Parochis in bonum paroeciae et ipsorum adque scandala vitanda vel praecavenda.

IV - *De re liturgica*

a) Desideratur ut facultas sit propria Ordinariis concedendi, in Festis de Praecepto, binationem et etiam trinationem prout gravis necessitas possit requirere.

b) Ex corde quaeritur ut privilegium de Mediatione universali Beatae Mariae Virginis ut dogma definiatur.

De censuris

Censurae sint numero limitatae; quae non sunt ab homine, inscribantur ad unicam categoriam.

✠ CAROLUS RE
Episcopus Ampuriensis et Templensis

17

Exc.mi P. D. HENRICI R. COMPAGNONE
Episcopi Anagnini (Anagni)

Anagni, 13 aprile 1960

Eminenza Reverendissima,

Mi riferisco al foglio n. 1 C/59-123 bis del 21 marzo u. s., a firma di Mons. Pericle Felici.

Ricevei l'anno scorso l'invito a presentare « animadversiones, consilia et vota » in vista del Concilio Ecumenico. Occupato però in alcuni delicati incarichi da parte della S. Sede, che mi portarono fuori d'Italia, mi scadde il termine indicato per la presentazione e pensai che non si dovesse nè potesse più inoltrare il proprio pensiero.

Ora però che mi viene rinnovato l'invito mi reco a premura rispondere a codesta Pontificia Commissione Antipreparatoria.

Suppongo che dai vari Dicasteri Romani e dagli Ordinari di Diocesi più impegnate in vaste questioni religiose e sociali sia stato presentato un ampio materiale di studio. Io mi limito umilmente a proporre i seguenti voti:

1. Confido che verranno prese decisioni concretamente attuabili in riferimento ai gravissimi problemi della preservazione della fede nei Paesi cattolici e della sua propagazione tra popoli acattolici o infedeli, in mezzo ai quali i nuovi nazionalismi e l'invasione di ideologie antireligiose hanno creato nuove preoccupanti difficoltà.

2. Bisognerà anche studiare la possibilità di inserire un cuneo nell'atteggiamento antiumano ed antireligioso del comunismo; *è il problema* che ha dinanzi a sè la Chiesa di oggi, come in altri tempi ha avuto dinanzi a sè altri problemi. Chiederei iniziative concrete di riconquista, incoraggiate da una fiducia soprannaturale di riuscita.

3. Siano ridotte le barriere tra le Diocesi e sia studiata la maniera di favorire una effettiva e facile circolazione del Clero da una Diocesi ad un'altra in cui si determinassero situazioni di bisogno.

4. Deploro che il sistema di conferimento per concorso delle parrocchie faccia considerare queste, non come un *servizio* di ministero sacerdotale, ma come *una conquista* inalienabile. Al sistema dei concorsi si sostituisca l'esame che dà soltanto l'*attestato di idoneità,* ma non conferisce nessun diritto ad avere una parrocchia e tanto meno una parrocchia determinata.

5. L'amministrazione del patrimonio immobiliare sia tolto ai parroci e sia affidato integralmente all'Ufficio Amministrativo diocesano.

6. È anzi auspicabile che il patrimonio immobiliare dei singoli Benefici sia cumulato in una massa comune e il reddito netto sia distribuito senza assurde sperequazioni.

7. Poichè non sempre i migliori Sacerdoti della Diocesi sono i membri del Capitolo Cattedrale, si tolga al Capitolo Cattedrale la funzione di Consiglio vincolante spesso l'attività pastorale del Vescovo, e si passi tale funzione ad un ristretto Consiglio Diocesano di Sacerdoti particolarmente zelanti e prudenti, della cui nomina si possono studiare le modalità.

Mi astengo dal chiedere la discussione di alcuni delicati problemi che penso siano presentati dai competenti Dicasteri Romani.

Mi è gradita l'occasione per auspicare al concilio Ecumenico copiosi frutti di grazia secondo le aspirazioni apostoliche del S. Padre e le attese della Chiesa.

Alla Eminenza Vostra Reverendissima, al bacio della S. Porpora, esprimo i sensi del mio profondo ossequio, mentre mi raffermo

della Eminenza Vostra Reverendissima
umilissimo servo in Cristo

✠ Enrico Romolo Compagnone
Vescovo di Anagni

18

Exc.mi P. D. AEGIDII BIGNAMINI
Archiepiscopi Anconitani (Ancona)

Ancona, 19 aprile 1960

Eminenza Rev.ma,

Le faccio avere, finalmente i miei umili voti per il futuro Concilio Ecumenico.

Mi è gradito l'incontro per ossequiare V. E. e baciarle la S. Porpora con affettuosa venerazione.

Di Vostra Eminenza Rev.ma

✠ Egidio Bignamini
Arcivescovo di Ancona

Infimus Episcoporum, mea prorsus nullitate conscius, nihil hactenus ad Praesidem Pontificiae Commissionis misi circa quae in futuro Concilio pertractari possint.

Si erravi veniam humiliter exposco. Iterum rogatus ut et ego aliqua vota et consilia pandam, sequentia submisse propono.

I - *Circa Potestatem Episcoporum residentialium*

Iuxta catholicam doctrinam Episcopi Apostolorum Successores sunt atque, Divina Institutione, peculiaribus Ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria, sub Auctoritate Romani Pontificis regunt. Ipsis Ius et Officium confertur Dioeceses gubernandi in spiritualibus et temporalibus cum potestate legislativa, iudiciaria ac coactiva.

At hodie potestas Episcoporum videtur, et a nonnullis occulte vel palam dicitur, arctata et valde imminuta, quod etiam constituit unam, ac non parvam, ex difficultatibus quae auspicatam Ecclesiae Orientalis unionem cum Ecclesia catholica romana impediunt.

Optandum, igitur, ut Episcoporum residentialium a Romano Pontifice facultates amplientur:

circa aliquas leges liturgicas (exempli gratia, concedenti trinationem diebus festis; celebrationem Missae media nocte in particularibus functionibus etc.);

circa dispensationes matrimoniales ... circa collationes beneficiorum ...

Optandum ut omnes parochi amovibiles declarentur.

Optandum etiam, ad nociva inconvenientia in regimine paroeciarum vitanda, ut in paroeciis Domui Religiosae adnexis, parochus sit etiam istius domus Superior.

II - *Circa caelibatum ecclesiasticum*

Solemniter sacra lex ecclesiastici caelibatus *confirmanda est,* quae fulgentiorem Sacerdotis gloriam constituit atque dignitatem foecunditatemque Ministerii et Apostolatus sui, necnon fiduciam ac fidelium venerationem mirabiliter auget.

Sanctus Clemens Alexandrinus scripsit: « *Soli qui puram habent vitam sunt Dei sacerdotes* ». Sed, heu, sacerdotes incontinentes adsunt qui vel sine vocatione ad sacerdotium perventi, vel mala voluntate ac vitiorum inveterata consuetudine, vitam pessimam et mali exempli ducunt, destruentes et non aedificantes in Christi Ecclesia. Nemo non videt quantum Religioni dedecus et quanta gravia fidelium animabus damna ab istis causentur. Ad haec scandala vitanda, ad decorem sanctae Ecclesiae

promovendum, necnon ad aeternam ruinam praecavendam sacerdotibus qui ita ab impura passione capti fuere ut inemendabiles censeantur, aliquod remedium requirendum et applicandum est.

Prae oculis habens verba illa Sancti Isidori « *si pudicitia sacerdotes creat, libido sacerdotibus dignitatem abrogat* » (Liber III, epist. 75) et alia Sancti *Gregorii Magni* « *qui post acceptum sacrum ordinem, lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita carebit, ut ad altaris ministerium non accedat* », submisse *propono* ut *isti sacerdotes,* ab Ordinario proprio, consulta sancta Sede, *ad statum laicalem redigantur et, contra praescriptum canonis 213 § 2, ab obligatione caelibatus liberentur.*

Haec dispositio quae non esset gratia sed poena, non favor sed condemmatio, non dispensatio sed punitio, hos perditos sacerdotes a societatibus ab Ecclesia damnatis et a sectis haereticis arceret eosque in bonos laicos verteret.

Si quis obiciat quod sic agendo, periculose, in ecclesiastica disciplina, ianua usque adhuc semper clausa aperitur, respondendum quod per hanc ianuam *soli indigni* transibunt, e sacerdotio ab eis sacrilege profanato *eiecti.* Miserabiles Sacerdotes transibunt, qui Ecclesiam inhonestant ac diffamant et quos Ecclesia ad proprium dedecus et ad propriam infamiam ac ad animarum ruinam servare et sustentare debet. Horum exitus pulchriorem faciet Ecclesiam, sine macula et sine ruga eam reddet, replebitque laetitia fideles quia mala exempla et scandala in nonnullis paroeciis cessabunt.

Si quis ad statum laicalem reductus cum caelibatus dispensatione, ad nuptias transire voluerit, prohibitum sit ei matrimonium celebrare in Dioecesi et in locis in quibus ministerium sacerdotale exercuerit et in iis degere.

III - *Circa studia in cursu seminaristico S. Theologiae*

Necessarium existimo ut in Seminariis theologicis Clerici etiam illis doctrinis imbuantur quae directe ministerium pastoralem seu animarum curam respiciunt.

Non raro enim fit ut sacerdotes nuper e Seminariis egressi nihil aut parum sciant de quaestionibus quae Actionem catholicam spectant et minus etiam idonei sint ad socialem doctrinam explanandam.

✠ AEGIDIUS BIGNAMINI
Archiepiscopus Anconitanus

19

Exc.mi P. D. FRANCISCI BRUSTIA
Episcopi Andriensis (Andria)

Datum Andriae, die 6 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Quae in Domino opportuna iudicavi argumenta, in futuro Concilio Oecumenico tractanda, libere et sincere notavi.

Grato animo erga Summum Pontificem Ioannem XXIII (quem Deus diu sospitet), supplicem, una cum commissis mihi fidelibus, precem attollo, ut tanto consessu maximum Ecclesiae bonum eveniat.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ Franciscus Brustia
Episcopus Andriensis

Doctrina

Resumatur tractatus « De Ecclesia » Concilii Vaticani Primi, et exponatur doctrina de Episcopis, de laicis ...

Non videtur opportunitas alicuius dogmatis definiendi, cum iam Christifideles credant veritates in universa Ecclesia acceptas (v. g.: mediationem universalem B. M. V., spiritualem eius Maternitatem ...). Ceterum nova dogmata videntur augere difficultates in recuperandos fratres separatos praesertim Protestantes.

Opportunum erit: anathematizare serpentes errores philosophicos (circa peccatum, circa actuum obiectivam honestatem, circa novissima, etc.) et errores sociales;

ad faciliorem expressionem reddere Catechismi responsiones, dogmatice quidem perfectas, sed intellectu difficiles, praesertim pro pueris;

revelationibus privatis (quae saepe curiositatem et superstitionem magis quam religionem sapiunt) revelationem, quae in Scripturis sacris et in Ecclesiastico Magisterio continetur, anteponere, maxime in ministerii verbi administratione;

instructionem religiosam totis viribus curare, ad dissipandam lacrimabilem ignorantiam scientiae Dei, etiam in viris doctis.

Disciplina cleri

Omnes conveniunt plerosque sacerdotes fideliter officiis suis fungi. Tamen non sunt perpauci qui sacerdotium dedecorant, in longinquam regionem abeuntes. Horum conditioni mederi, saltem in casibus in quibus non videtur possibilitas eos recuperandi et ubi sincerum adest desiderium vivendi in gratia, nonne caritas est? Summa requiritur prudentia, ne scandalum debilioribus eveniat. Attamen, praemissis conditionibus de quibus supra, praeferendi sunt viventes more laicorum, facultatem habentes Sacramenta suscipiendi.

Magis necessarium erit praevidere et in posterum providere:

Seminaria committantur Superioribus, qui scientia etiam paedagogica et psychologica praediti sint; melius si alicui Congregationi Religiosorum ad hoc munus excercendum praeparatae.

Alumni visitationi psychiatrae subiciantur.

Post ordinationem diaconalem, differatur ordinatio sacerdotalis per aliquod tempus. Interim Diaconi praedicent, Baptismum et Eucharistiam administrent, Catechismo incumbant, pueros et iuvenes in nostris Adsociationibus iuvent. Elapso tempore experimenti positive, ad Sacerdotium accedant. Si autem experimentum dubios Ordinario relinquit, diaconus, cessata voti obligatione, dimittatur.

Novensiles alicui sacerdoti experto committantur tamquam patri, qui maxima caritate eos dirigat, saepius visitet et eorum confidentias excipiat.

Exercitiis Spiritualibus quotannis vacent.

Libenter vita communis inter sacerdotes instauretur, ad mutuum auxilium fovendum, ita ut senior fraterna correptione confratres iuvet.

Ubique habeatur domus paroecialis, quae sufficiens sit ad omnes sacerdotes paroeciae addictos excipiendos, ne quis, coactus domicilium in domo paterna ponere, negotiis familiarium magis quam Dei et animarum incumbere videatur.

Valde opportunum, immo saepe necessarium, sacerdotem ministerio extra patriam fungi. Ordinarii, praesertim in Dioecesibus minoribus, sibi commutent sacerdotes.

In Sacra Ordinatione sacerdotes non tantum promittant sed etiam voveant oboedientiam Episcopo.

Disciplina populi

Praeter sodales Actionis Catholicae, Confraternitatum, piarum unionum, exiguus est numerus baptizatorum qui in gratia Dei vivere studeant, servantes mandata. Adest in pluribus scissio quaedam fidei (quae

est superstitionis species) et morum (qui a paganorum moribus non differunt). Causae sunt:

a) ignorantia circa fundamenta revelationis et religionis;

b) observantia tantum externa, quae fit per traditionem, non vero per persuasionem;

c) desiderium solius voluptatis, quasi unius finis consequendi. Iura omnes quaerunt, negligunt officia;

d) diffusio doctrinae communistarum et protestantium, qui fideles auxiliis pecuniariis interdum alliciunt;

e) neglegentia vitae supernaturalis et aeternae. Materialismum praedicant et docent communistae, multi alii colunt.

Contra has causas necessarium erit:

1) docere opportune importune, simpliciore modo, publice et privatè, verbis, scriptis et quavis ratione ad aetatem nostram idonea;

2) Actionis Catholicae et piarum adsociationum sodales ad integram exteriorem et interiorem praxim vitae christianae informare, ut vere sint verbo et exemplo ecclesiasticae hierarchiae auxilium;

3) ad Eucharistiae et Liturgiae fontem fideles adducere, amoto, praeterquam in sollemnioribus, latino sermone, ita ut lex orandi facilius fiat etiam lex credendi;

4) paroeciae praestare omnia subsidia ad modum communitatis vitalis;

5) vires unire, quae saepe in rivulis dissipantur devotionis privatae;

6) doctrinam de mystico corpore Christi familiarem reddere, ad fovendam mutuam caritatem inter fideles et ad devotionem et oboedientiam erga Matrem Ecclesiam fovendam.

Actuositas ecclesiae

1. Defensio fidei in populis catholicis. Commissiones Episcopales quae magis necessaria sunt tractent: Ordinariis conclusiones certas communicent: omnes unanimiter agant.

2. Studium recipiendi christianos acatholicos, ut in viam possint redire unitatis; scriptis, contactibus, dissertationibus, praeterquam supplici ad Deum prece.

3. Gentiles in diem multiplicantur, per legem naturalem generationis. Multiplicandum etiam opus Missionum.

Negotia maioris momenti

1. Penuria Sacerdotum. Operarii autem pauci. Quomodo manebit fides, ex. gr. in America Latina, in qua perpauci sunt praedicantes? Quomodo in omnem terram exibit sonus Missionariorum?

Cupiditate pecuniae et sensu religioso frigescente arcentur iuvenes a sacerdotio. Iam P. O. V. E. felices fructus tulit. Sed perseverandum est in « Crociata » pro Vocationibus Religiosis. Interim libenter Religiosi operam praestent Ordinariis in ministerio paroeciali; ... laicis, tamquam diaconis, relinquantur curae administrationis, aliaque munia quae sacerdotalem potestatem non exigant.

2. Doctrina Communistarum magis in diem serpet. Nec valent remedia hucusque adhibita, non exclusa excommunicationis poena. « Ecclesia silentii » expanditur ... Expectanda erunt tempora meliora, an nova tentamina experienda?

Varia

Temperare praxim vigentem de beneficiorum reservatione, de inamovibilitate parochorum, de Religiosorum exemptione.

In unum colligere decreta liturgica; simpliciores reddere quasdam caeremonias (consecrationes Ecclesiae, altaris ...).

Revisere fines Dioecesium (Concordatum Italicum art. 16-17).

In minoribus Dioecesibus haec reperiuntur incommoda:

Exiguus est numerus sacerdotum. Inde difficultas deligendi addictos Curiae, Officiorum et Commissionum selectos, Adsistentes Dioecesanos pro Actione Catholica, docentes in Seminario minore et in scholis in quibus docetur scientia Religionis. Optimi in plura negotia incumbunt, modico fructu.

Insuper sacerdotes ministerium exercentes fere omnes in familia commorantur, quod minus conveniens videtur.

Ordinarii, manus postea imposituri, multa ignorant de alumnis Seminarii Regionalis.

Pro laicis desunt ephemerides, domus Exercitiorum, copia « Dirigenti » piarum adsociationum.

Saepe, in pagis vicinioribus, vigent diversae methodi, praescriptiones, disciplinae, quae res admirationem vel etiam scandalum praebet fidelibus minus in fide doctis.

Expedite hodie potest quis adire aliquem locum, ideoque facilius possunt amplificari fines Dioecesium, in fidelium utilitatem.

✠ FRANCISCUS BRUSTIA
Episcopus Andriensis

20

Exc.mi P. D. SECUNDI TAGLIABUE

Episcopi Anglonensis-Tursiensis (Anglona-Tursi)

Tursi, 20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Post maturas considerationes ac preces Deo Optimo Maximo perfusas, Eminentiae tuae Rev.mae humillime significo argumenta quae mihi pertractanda videntur in Oecumenico Concilio quod, Deo favente, celebrandum erit.

Ad rerum claritatem argumenta divido per partes:

I - *De doctrina*

a) solemnis definitio dogmatica de universali Mediatione Beatae Mariae Virginis;

b) confirmatio doctrinae de Mystico Corpore Christi.

II - *De erroribus damnandis*

a) doctrina Communismi materialistici-athei;

b) neo-modernismus secundum Pontificium documentum *Humani Generis* id est: naturalismus, laicismus, existentialismus atheus.

III - *De re morali*

a) certa et clara principia catholica ethicae familiaris, professionalis et socialis;

b) hodierna pericula contra publicam moralitatem profluentia ex « Cinema, Radio, TV, Sport, Stampa »;

c) confirmatio aspecti positivi ac ascetici ethicae christianae.

IV - *De doctrina sociali*

a) synthesis integra doctrinae socialis Ecclesiae;

b) synthesis principiorum christianorum rationis reipublicae gerendae.

V - *De disciplina*

a) relationes inter Episcopos et S. Congregationes Romanas;

b) relationes inter Episcopos et Clerum Regularem necnon inter Clerum Saecularem et Regularem;

c) maior auctoritas ac libertas Episcoporum in dirimendis quaestionibus parvi momenti;

d) amovibilitas Parochorum;

e) translatio clericorum ex una ad aliam dioecesim cum modificatione Tituli S. Ordinationis;

f) lugenda quaestio de Sacerdotibus apostatis;

g) ieiunium et abstinentia;

h) piae fundationes ac legati.

VI - *De re liturgica*

a) revisio ac simplificatio Pontificalis libri necnon caeremonialis Episcoporum, Ritualis, Breviarii Romani;

b) quaestio de vulgari lingua adhibenda in administratione Sacramentorum.

VII - *De re pastorali*

a) Actio Catholica ac positio laicorum in Ecclesia ac apostolatus eorum;

b) quaestio de instructione catechetica ac de textu nationali;

c) maior unitas ac ordo in actuositate multiplicis generis qua hodie in Ecclesia clerici et laici tenentur ad bonum populi christiani.

Interim, coram Deo, significo Eminentiae Tuae Rev.mae omnia me exposuisse pro bono animarum et maior Dei gloria.

Denique impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Ill.mae ac Rev.mae
add.mus

✠ SECUNDUS TAGLIABUE
Episcopus Anglonensis-Tursiensis

21

Exc.mi P. D. MATURINI BLANCHET

Episcopi Augustani (Aosta)

Augustae Praetoriae, die 10 maii 1960

Re attente perspecta coram Deo et auditis viris ecclesiasticis prudentia et experientia praestantibus, humillime et reverenter nota facere desidero quaedam vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico utiliter tractari poterunt.

Circa doctrinam

1. Definitio dogmatica mediationis universalis B. M. V.
2. Catechismus ad parochos nostris temporibus accommodatus.

Circa cleri disciplinam

1. Lex coelibatus confirmanda.
2. Providendum magnis periculis Sacerdotum noviter ordinatorum e vita in Seminario ad vitam in ministerio pastorali transeuntium.
3. Confirmanda Episcoporum potestas in collatione beneficiorum, canonicatuum, etc. et abolendum omnino privilegium praesentandi ex parte alicuius personae physicae vel moralis, Capituli etc. (ex. gr. privilegium Capituli Collegialis Ecclesiae S. Petri et Ursi Augustae Praetoriae praesentandi tria nomina Episcopo pro collatione canonicatuum).

Circa apostolatum

1. Actio Catholica in specie et apostolatus laicorum in genere.

Interim ex corde fausta quaeque a Domino adprecor.

✠ Maturinus Blanchet O. M. I.
Episcopus Augustanus

22

Exc.mi P. D. CAROLI BOIARDI
Episcopi Apuaniensis (Apuania)

Apuaniae-Massae, die 31 augusti 1959

Ad Augusti Pontificis desiderium implendum et ad rescribendum ven. Litteris ab Em.mo Card. Dominico Tardini, Pontificii Consilii Praeside Oecumenico Concilio praeparando, die 18 iunii 1959 datis, n. 1 C/59, 138, omni, ut par est, reverentia, mihi conscius dicendi res non novas, quae vero ab iis, quibus plus est auctoritatis consiliique, expromentur, sed experientia motus pastorali haec, quae sequuntur, animadvertenda propono.

I - Generales animadversiones

1. Censeam Concilio tractandas esse potius quaestiones morales, pastorales, apostolatus, quam stricte dogmaticas, quin tamen ullae excludantur, quae sunt in praesens maximi momenti.

Ut Concilium Tridentinum partimque Vaticanum definire praesertim intenderunt dogmata tunc urgentiora damnaruntque pressis verbis contrarios errores, sic futuro Concilio, quasi ad illa complenda et ad haec tempora componenda, mihi videntur esse maxime curandae quaestiones morales, asceticae pastorales, liturgicae, ad apostolatum spectantes, quae nunc sunt, fortasse, potius quam dogmaticae, gravis huius aetatis necessitas. Idque:

quia maxima est morum corruptio, cui favet communis sensus vitae, ideoque ethicae theoriae, seu prorsus a christiana veritate ordineque naturae aberrantes, seu nixae materialismo utilitaristico et hedonistico interdumque atheistico, qui re nunc structuram constituit totius vitae privatae publicaeque;

quia solidus interventus dogmaticus forsitan acrius sonet adversariorum diffusae sensibilitati publicaeque opinioni, quae est agnostica vel neutra vel sine colore, eiusdemque definitionis efficaciae in praesens periculum creet; e contra grave monitum et restitutio quaedam moralis veritatis christianae, non solum theoretica sed etiam apta ad concretam hodiernae vitae rationem magis magisque multiplicis, haud dubie multo maiori esse poterit utilitati.

2. Ad Ecclesias separatas quod attinet, Occidentis maximeque Orientis, malim expositionem lumine Revelationis Traditionisque obiectivam

planamque fidei dogmatum, quae sunt inconcussa neque reicienda; serenam explanationem, quae sit apta ad praeiudicia depellenda, saeculis currentibus in mente separatorum cumulata; tandem explicitam et sinceram asseverationem Ecclesiam Catholicam bene esse animatam ad retinenda omnia quae Ecclesiae separatae, maxime Orientales, habent in suis Liturgiis religiosisque traditionibus, dummodo ne sint certe contraria Domini doctrinae.

Ideoque censeam esse vitandas, quantum fieri potest, novas dogmatum definitiones, disciplinares sanctiones aliasve secundarias quaestiones, quae possint multo graviora discidia discordiasque afferre.

II - De doctrina

Pauca dicam, non ad rem absolvendam, sed in modum potius exempli notandi.

1) *De Re Dogmatica*

Censeam haec solum capita esse tractanda, quae mihi iam videntur gravi esse oneri:

a) *Repetendum esse schema Constitutionis « De Ecclesia Christi » a Concilio Vaticano iam delineatum;* quod argumentum videtur esse nunc magni momenti, his de causis:

ecclesiologiae progressu his temporibus facto;

progressu tam carae, tam pulchrae, tam consolantis doctrinae de Christologia in genere et de Mystico Corpore in specie;

pertinaci laicismo variis procedente de fontibus varioque colore, profunde in conscientiis inhaerente etiam virorum ceterum catholicorum religiosorumque, atque in nonnullis consociationibus doctrina catholica etiam afflatis;

ad definiendas designandasque opiniones confusas vel etiam erroneas falsasque, late diffusas, de laicorum loco in Ecclesia quoad Christi sacerdotium et oboedientiam sacrae Hierarchiae debitam, ubi de rebus neque stricte neque directe dogmaticis tractetur;

ad solacium denique et mutuam coniuctionem cum Ecclesia silentii, ad incrementum apostolatus missionalium, apostolatus laicorum, qua est cooperatio cum Ecclesiae apostolatu hierarchico.

b) *Clare dilucideque esse damnandum Communismum,* saltem qua est doctrina et haeresis, quin distincte designentur eius aspectus vel modi regiminis politici, quamvis difficulter haec duo separentur, cum sint re unum et idem.

Ea damnatio, ut constat, nova non est, cum post Syllabum a Summis

Pontificibus et Ecclesiae Pastoribus renovata sit sollemniter; et non caret variis periculis, ut facile intellegi potest; opportuna tamen videtur:

vi absolutae obiectivitatis obventurae ex tam gravi tamque universali Concilio a Spiritu Sancto ducto, atque ut multo facilius reddatur exercitium pastoralis ministerii in praedicando et in regenda religiosa societate et in administrando Paenitentiae sacramento;

lumine secuturo eorum saltem mentibus, qui sunt saepe incerti;

communismi urgenti periculo ob eius compositionem, diffusionem blanditiasque, quasi sit nova quaedam revelatio pauperumque redemptio.

c) *Doctrinam moralem socialem*: haec ad cogitandum inducit, etiamsi opportunum non sit Ecclesiam tam sollemni Concilio in claras concisasque formulas redigere suam doctrinam de re sociologica; haud dubie distinguenda sunt iam certa ab iis etiam nunc subiectis indagini liberaeque disputationi, saltem circumscribenda expositione principiis certis moralis socialis (principia sociologica), asceseos socialis (virtutes sociales, opera caritatis et misericordiae, etc.).

Haec videtur definitio requiri:

necessitate multas, quae commoverunt populum, refellendi accusationes adversus Ecclesiam, quasi ea sit subiecta capitalismo et conservatorismo, quin curet condiciones opificum, pauperum, oppressorum, cum sua ipsius naturae incapacitate, ut est institutum sociale, et catholicorum, ut sunt homines publici, nequeat efficaciter conferre ad solvendas quaestiones sociales et regendam rempublicam;

opportunitate Christianismo et Ecclesiae vindicandi, ob eorum doctrinam meritaque acquisita, privilegium ut sint verus et unicus fons socialis vitae humanae christianaeque secundum iustitiam, honorem caritatemque.

d) *Dogma Mediationis B. Mariae V.* A multis requiritur definitio B. V. Mariam universalem esse gratiarum Mediatricem, quae doctrina iam est communis magisterii.

Ego vero dubitem de huius definitionis opportunitate, cum sit periculum ne ea animos irritet christianorum separatorum, seu orientalium seu occidentalium etiamsi hoc fiat contrariis vel diversis de causis. At laetus definitionem approbem si ii, qui melius habent rei notitiam, putent posse tranquille procedi.

E contra pulchrum mihi videtur occasionem arripere ex legatione omnium catholici orbis Episcoporum consecrandi in Concilio totum mundum Immaculato Cordi B. Mariae V., sicque concludere actu tam significantis et excellentis universalitatis quod iam factum est in omnibus Dioecesibus et Nationibus.

2. *De Re Morali*

Quaestiones morales potissimum, ut supra dixi, Concilio sunt tractandae. Utilissima videtur clara et sobria expositio variorum capitum doctrinae moralis de vita privata publicaque, ut iam fecit Concilium Tridentinum de iustificatione, de sacramentis, etc.

Periti accurate clareque haec capita tractabunt; ea autem, ad instar exemplorum, respicere possunt:

a) *Errorum damnationem*: expositionem et reiectionem errorum doctrinarumque ethicarum, a quibus ortum habuit neopaganismus et neomodernismus, qui dicitur, circa moralitatem.

b) *Legem moralem naturalem et revelatam,* quae nunc magna ex parte est neglecta.

c) *Hominem*: eius totam Deo eiusque Legi subiectionem; hominis finem; novissima hominis, re ignorata; hominis personam eiusque sacerrima iura tam impune violata; quandam denique « *Chartam hominis iurium* » secundum Evangelium, diversam sane ratione ac sententia a charta ab ONU edita.

d) *Moralis problematis aspectus*: ii varii sunt, cum totam vita respiciant, velut:

moralem familiae: matrimonium, liberorum limitationem; matrimonii fines; familiae tutelam; reipublicae rationes cum familia; domos familiis aptandas; educationis officia, etc.;

moralem professionum, cum saepe officio antecellat lucrum;

moralem rerum politicarum, artis typographicae, divulgationis, ludorum, peregrinandi delectationis causa, doctrinae, etc.

e) *Ethicen et mores*: artis typographicae, radiotelevisivae, cinematographicae culpas in efficiendis, excusandis, diffundendis turpibus scandalis;

necessitatem officiumque catholicorum paria instrumenta opponendi, provehendi augendique ad bonum diffundendum;

monita civili auctoritati ad tutandam moralitatem, saluti potissimum pueritiae et iuventutis;

monita magistratibus ut uniformiter severeque iudicent et puniant iniurias publicae moralitati.

f) *Libertatem et licentiam*: morem promiscuitatis, divismi, mendacii usualis, etc.

g) *Civium officia*: officium participandi vitam civilem christiana cum conscientia; honestatem in exercendis muneribus publicis; christianam fortitudinem.

b) *Ascesim*: mali existentia nos commonere debet bonum quoque esse; utilis igitur est animarum initiatio ad vitam christianam, earum maxime, quae annumerantur in catholicis consociationibus, in saecularibus institutis, in tertiis ordinibus, etc.

3. *De Re Catechetica*

Religiosa institutio, sive puerorum sive adultorum, alia gravissima est sollicitudo ministerii pastoralis. Maxime laudabilis et consolans est studii cura nunc vigentis indaginis psychologicae, methodorum didacticarum, apparationis textuum, etc.; manet autem problemata primaria, id est: quomodo possit provideri neglegentiae et absentiae in dies crescenti, ex qua oritur christifidelium religiosa ignorantia magis magisque crucians; quomodo foveri possit studio religiosorum problematum hac aetate, in qua cotidie augescit cupiditas cognoscendi ceteros vitae aspectus. Praeter monita ad officia religiosae institutionis parentibus maxime atque institutoribus facta, haec opportuna videntur:

a) *Officium catecheticum*, quod est reddendum vera efficientia fungens. Id Episcopis cordi esse debet aeque fere ac Seminaria et in id debent conferre adiumenta et viros idoneos ad parandos sollertes catechistas scholis aptis, etc.

b) *Catechumenatus*: recentibus studiis et coetibus proposita est institutio cuiusdam catechumenatus aliquibus saltem personarum generibus et occasionibus, velut sponsis qui se parant ad matrimonium celebrandum. Et re vera religionis ignorantia tanta nunc est ut rursus resumendae sint sive methodi docendi sive docendi summa.

c) *Textus*: ut Concilium Tridentinum Catechismum composuit, ita futuro Concilio parandus est liber unicus omnibus sequendus. Hodie desideratur in libris reditus ad Sacram Scripturam Evangeliumque, ad praecipuas notiones historiae salutis, ad Christum, salutis et redemptionis centrum, ad Ecclesiam, Corpus Mysticum Christi, depositariam salutis adiumentorum, nempe doctrinae, sacrificii, sacramentorum, precum.

Periti huius haud facilis argumenti efficacissima suggerent. Certo vigentes formulae catechismi esse videntur praeterquam difficiles, quibusdam etiam obscurae, ea ipsa historiae salutis ignorantia.

d) *Peculiaris institutio catechetica*: textus et auditionum cursus singulis personarum generibus ad complendam adiuvandamque catechesim communem omnibus impertiendam.

e) *Divulgationis adiumenta*: praeter tradita utendum est, quandocumque fieri potest, hodiernis divulgandae doctrinae adiumentis, ut instrumenta sunt radiotelevisiva, cinematographica, typographica, etc.,

cum constet omnes hodie cogitare, iudicare, consilia capere, agere plerumque ex receptis opinionibus iis divulgationis instrumentis. Ut habentur scholae radiotelevisivae, cur non sunt instituendi, ubicumque fieri potest, religiosae doctrinae cursus?

Si haec bene succedant, partim saltem gravis expleta sit lacuna christifidelium absentiae a verbi Dei praedicatione.

4. *De Re Liturgica*

Maior Liturgiae participatio christifidelium divitiorem communicationem afferet Redemptionis eiusque mysterii cognitionis. Id suggerit non solum adhortationem ad ulteriorem progressum motus liturgici — ceterum arcendi intemperantiis irrationabilibus interdumque phantasticis — sed etiam:

a) *Enchiridion precum*: utile videtur commune directorium, lingua vulgari et latina, precum et modorum participandi s. Missam, ritus liturgicos et paraliturgicos maximos maximeque communes, adiunctis, si fieri potest, explanationis et commentarii adnotationibus ad rectam intellectionem et securum fructum.

b) *Usum linguae vulgaris*: cum confirmanda sit lex usus linguae latinae in ritibus stricte liturgicis, usus linguae vulgaris suadetur in iis partibus sacramentorum administrandorum, quae proxime respiciunt et obligant christifideles ritum participantes, ut etiam in benedictione nuptiali statim post « Pater noster » et ad finem Missae pro sponsis; atque in ritibus paraliturgicis, velut in benedictione domorum et in multis aliis benedictionibus Ritualis.

c) *Cantum sacrum*: constitutionem in omnibus paroeciis scholae cantorum, saltem puerorum, et restitutionem cantus in Missa et in Vesperis.

d) *Pueros sacris ministrantes et caerimoniale*: constitutionem consociationis parvi cleri, quem dicunt, in omnibus paroeciis, eam incrementando et indulgentiis ditando, etc.; atque generatim monendo ut detur sacrorum rituum celebrationi decus et vis ad vehementer commovendos christifideles praesentes, qui facilius impellentur ad se coniungendos, cum licet, sacerdoti puerisque inservientibus.

e) *Simpliciorem et breviorem formam*: plures Pontificalis et Ritualis ritus possunt ad simpliciorem et breviorem formam redigi, velut ritus aquae benedictae faciendae, consecratio Ecclesiae, altaris, etc.

f) *Lectionem cyclicam*: desideratur a quibusdam in Missa reformatio pericoparum Epistularum et Evangeliorum, ita ut habeatur earundem Epistularum et Evangeliorum universa lectio, locis cyclice dispositis per tres vel quattuor annos.

III - De Clero

Urgentius premit problema vocationum sacerdotalium, formationis et sanctificationis Cleri, seu saecularis seu regularis. In hac re, praeter sapientes normas quae continentur Litteris Encyclicis de Sacerdotio a S. Pio X, Pio XI, Iohanne XXIII editis, ad effectum adducendae sunt Litterae Encyclicae *Menti Nostrae* Pii XII.

Singillatim haec sunt animadvertenda:

1) *Vocationes sacerdotales*: ad graves superandas difficultates opportunum videtur:

a) magis excolere Opus Vocationum Sacerdotalium;

b) multum curare vocationum selectionem, quin fiant inconsideratae collectiones, vocationis iudicio in posterum reservato; sed vocationes accurate seligendae sunt a primo ingressu in Seminarium, magni facientes familias ex quibus pueri proveniunt earumque condiciones non solum morales et religiosas, sed etiam integrae valetudinis;

c) multum curare A. C. consociationes Puerorum et Adspirantium, qui inventi sunt duo optimi fontes, etiam quoad formationem;

d) Sororibus vel Religiosis Instituta puerorum regentibus persuadere ut in iis pueris bonam spem de se facientibus colantur semina vocationis sacerdotalis.

2) *Seminaria*: iam exstant optimae normae S. Sedis, praeter documenta, quae supra memoravi, quarum opportuna videtur coordinatio, quasi codificatio. Inter alia autem haec digna videntur consideratione:

a) opportunis parare auditionum cursibus Moderatores Seminariorum (Rectores, Vice-rectores, maxime autem Directores spiritus saepe carentes apta institutione ascetica et paedagogica);

b) opportunis parare auditionum cursibus Seminariorum magistros, idoneos non solum doctrinali institutione, sed etiam paedagogica, ut noscant discipulorum psychologiam methodosque docendi, etc.;

c) instituere tempus « novitiatus », vel inter cursum philosophicum et theologicum, vel potius inter cursum theologicum et sacerdotalem ordinationem, quae est retardanda, ut fit apud Societatem Iesu aliaque religiosa Instituta. Si verum est, ut affirmatur, tempus ab annis viginti quattuor ad annos duodetriginta vel undetriginta intercurrens esse procellosissimum ad probandam voluntatem castitatis in caelibatu, ea retardatio fungi potest novitiatu atque sui provectiore studio.

3) *Sacerdotes*: haud dubie requiritur nunc in Sacerdotibus maior scientia, maxime autem maior spiritus et vitae sanctitatis formatio ad fructuosiorem apostolatum, ad maiorem existimationem populi eiusque intimam coniunctionem cum suo Pastore. Haec suggeruntur:

Spiritus et exercitium pietatis: corrigatur et melior efficiatur Breviarii structura, velut minuendis longioribus lectionibus, recognita historia sanctorum, minuendo dominicae et festorum sollemnium officio; cavendum est autem ne secundentur petitiones quaedam neve videatur Ecclesia, ob auctam apostolatus actionem, remisisse Sacerdotibus pietatis officium.

Exercitia Spiritualia: ea obligatoria reddantur quotannis et urgeatur officium sacri secessus omnibus mensibus.

Caelibatus: his proximis temporibus, humanis nimis de causis ac praetextis, diffusae sunt, scilicet, opiniones dissolventes illud sacerdotii decus, neque negari potest iis esse tactos quosdam quoque sacerdotes ceterum prudentes, sed infelici afflictos defectione aliquot fratrum. Itaque prorsus necesse habeam de hac re omnes dubitationes et perplexitates tollere ac penitus confirmare sanctam ecclesiastici caelibatus legem, ut sacerdotium, hodie magis quam heri, pergat esse lux mundi et terrae sal, lucerna ardens in monte in signum et monitum ad morum sanctitatem. Utinam ne fiat ut, tam corruptis moribus, cogitent sacerdotes uxorem ducere atque Ecclesia id eis concedat!

Spiritualitas et mortificatio: ad vitandas vel saltem medendas humanas rationes, naturalismum, desiderium commodorum, negotia saecularia, quae clerum penetraverunt, certe necessarium urgensque est monitum cum aptis consiliis ad mortificationis spiritum cleri, qui semper meminisse debet non omnia laicis concessa sacerdotibus expedire: « non enim omnia omnibus expediunt » (*Eccl*. 37, 31); « omnia mihi licent, sed non omnia expediunt » (*I Cor*. 6, 12). Itaque, exempli causa, haec utilia esse possunt:

renovare gravem abstinendi a negotiationibus et mercaturis obligationem iam confirmatam a S. Concilii Congregatione (22 mar. 1950);

clara quaedam statuta de usu, qui nunc est sine discrimine magnaque ex parte sine ministerii causis, quorundam ex technicis inventis largius adhibitis;

restitutio clero saeculari et regulari legis ieiunii Quadragesima et Quattuor Temporibus, cum monitione moralis disciplinae doctoribus ne eam inutilem reddant casibus qui videntur legem evadere;

experimenta vitae communis cleri, ubi fieri potest, quamquam in re hac graves sint difficultates, etiam cum omni bona voluntate;

experimenta cleri levandi administratione beneficiorum, eam demandando officio cuidam dioecesano vel vicariali; quod quidem re difficile est: constat tamen eam administrationem causam esse tantorumdem impedimentorum pastoralis ministerii. Simul proponendam censeam peraequationem beneficiorum eiusdem vel plurium dioecesium modumque inveniendum succurrendi clero infirmo vel provectioris aetatis.

IV - De pastorali ministerio

Pastorale ministerium paulatim assumpsit maiora gravioraque munera; itaque accuratiorem requirit praeparationem Cleri hodierni. Qua de re haec opportuna videntur:

1. *Exercitatio pastoralis,* sive opportuniore Theologiae Pastoralis institutione in Seminario, sive experimentis habendis primis sacerdotii annis, sive tempore « novitiatus », quem supra petii. Hae exercitationes hodie magis necessariae habentur:

a) in curandis pueris, iuventute studiosa;

b) in curandis opificibus etiam extra officinas, provehendis consociationibus et patronatibus seu Secretariatibus populi;

c) in assistendo pauperibus, instituendis coetibus Vincentianis seu paroecialibus consiliis assistentiae, quae sunt reddenda obligatoria omnibus paroeciis, sicut sunt Confraternitates SS. Sacramenti vel christianae Doctrinae.

2. *Associationes:* necessaria habetur totius vitae paroecialis ordinatio, si volumus paroeciam respondere inceptis. Hoc uno modo potest haberi habitualis coniunctio pastoris cum parte saltem gregis.

3. *Actio Catholica,* quae cum ceteris associationibus catholicis, velut confraternitates, tertii ordines etc. praebere debet sacerdoti laicos cooperatores; eae autem associationes perattentam requirunt curam, ut socii formentur ad vitam spiritualem et ad apostolatum.

4. *Sacri secessus,* clausi, semi-clausi, perseverantiae, quibus est insistendum, quorumque est ratio ita diffundenda, ut eorum habitus mentis christifidelibus instilletur ipsique clero, qui semper eorum est animator.

5. *Diaconatus:* a quibusdam proposita est Diaconatus restitutio. Quamvis plane theoretice nihil sit contrarii, ego vero ei adversor, cum ea restitutio videatur vehementer esse nocitura vocationibus sacerdotalibus, seu quia, si hodie difficile est habere Clerum suis muneribus parem, difficilius est formare Diaconos — id est viros dimidium itineris ad sacerdotium facientes — ad elatam vitam spiritus, seu quia, si iis Diaconis tum gravia munera committantur, ut praedicatio, Eucharistiae et Baptismi administratio, tum facultas fiat matrimonii contrahendi, evidens oriatur incommodum sacerdotibus et diaconis in eadem paroecia conviventibus eidemque ministerio deditis.

Si vero Diaconatus restitutionem volumus solum ad diaconis committendam beneficiorum aliorumque paroecialium officiorum administra-

tionem, puto ad idem perveniri posse per viros laicos bene formatos, et, nimirum, bonis praeditos.

Denique, si nunc difficilius providetur oeconomicis sacerdotum condicionibus, quomodo diaconorum provideri poterit?

V - De disciplina ecclesiastica

Hac de re censeam haec suggerenda:

1. *De inamovibilitate*: opportunum existimaverim valde esse temperandum vel prorsus abolendum iuridicum institutum inamovibilitatis sacerdotum beneficiariorum, Episcopis permittenda maiore libertate ita ut, secundum conscientiam, possint facilius citiusque necessitatibus providere dioeceseos.

2. *De residentia*: ab aliquibus requiritur legis residentiae remissio. Censeam esse confirmandam, hodie potissimum, cum dentur maxima facilitate evadendi occasiones; nisi instituatur « vita communis ». Ea lex pulcherrimus est successus Concilii Tridentini atque videre licet quantos attulerit fructus; maneat igitur, quamvis Episcopis concedendae sint maiores facultates eam ordinandi.

3. *De clero Regulari*: necessarium existimatur attenuare exemptionis iura cleri regularis ut habeatur maior communicatio cum clero saeculari, utque actio cleri regularis, ceterum tam bene meriti, maioris sit utilitatis dioecesi hospitae.

4. *De Episcoporum facultatibus*: videtur interdum Episcopis non esse auctoritas libertasque decernendi, quae optanda est, cum iubeantur recurrere ad romana dicasteria etiam multis et spiritualibus negotiis, quibus non satis constat cur ipsis praecludatur decernendi facultas, velut de quibusdam matrimonialibus dispensationibus, de nonnullis statuendis in re administrativa bonorum, etc.

5. *De studiis*: praeter obligationem sacerdotibus novensilibus periculorum quadriennii, opportuna videtur instituenda obligatio sacerdotibus omnibus periculorum faciendorum singulis quinquenniis usque ad aetatem quadraginta annorum. Satis constat plerosque sacerdotes, emenso in Seminario studiorum curriculo, amplius studio non vacare.

6. *De studii titulo sacerdotibus*: magis magisque apparet necessitas instituendi atque donandi quodam « titulo studiorum » sacerdotes omnes, qui rite et cum laude in Seminario curriculum studiorum perfecerint. Hodie, cum omnes fere se ornet aliquo studii titulo, eo carent soli sacerdotes, qui stricto iure uno elementaris scholae titulo notari possunt, nisi postea alia fecerint pericula.

7. *De coniunctione sacerdotum cum suis Episcopis*: ea certo nequit

stricto iure praescribi, cum mutuam consequatur fiduciam benevolentiamque: utilis tamen est etiam obligatorius congressus, velut per occasionem renovandi, apto instituendo ritu, subdiaconatus vel presbyteratus promissa coram Episcopo singulis quinquenniis vel plus.

8. *De circumscriptionum revisione*: omnes fere Episcopi conqueruntur irrationales dioecesium circumscriptiones, historicis ortas de causis, quae nunc iam non durant, immo sunt anachronisticae, quae circumscriptiones sunt prorsus noxiae efficaci ministerio pastorali.

VI - De christifidelibus

Immensa sunt problemata religiosam christifidelium vitam spectantia, substantialiter ob dissociatos opinione ac re omnes vitae aspectus a fide; itaque haec habentur phaenomena: sive habitualis omnium spiritualium quaestionum neglegentia, quam consequitur usualis desertio officiorum omnium religiosorum; sive vita bipartita ac plane diversa, ita ut mixtura quadam materialismi hedonistici atque observantiae religiosae, in Ecclesia christifideles christiani sint, pagani extra Ecclesiam. Eae praeterea vigent contrarietates ob condiciones historicas, politicas, sociales, quibus hodierna vita agitatur; ob stridentes oeconomicas inaequalitates, ob acria certamina politica et syndacalia; ob maleficos impulsus duorum materialismorum, quos duae constituunt contrariae foederationes politicae, etc.

Quae sunt remedia? Quae consilia? Quid agat Concilium?

Complurium sacrorum totius orbis catholici Pastorum experientia suggeret provida consilia. Problemata, quibus citius consulendum est, haec respiciunt:

religiosam institutionem;

puerorum iuvenumque educationem;

reditum opificum coetus ad fidem religiosaque officia;

christianum afflatum ad exercendam caritatem, ad actionem politicam, syndacalem, etc;

necessitatem « sentiendi cum Ecclesia ».

De his omnibus rebus supra aliqua iam ostendi et suggessi.

Hic alia quaedam addam minus urgentia, id est:

1. Provehendam esse in paroeciis pietatem, opportune renovandis pietatis exercitiis singulis aptis coetibus. Semper pietas ad omnia utilis est.

2. Augendam esse religiosam formationem adscriptorum consociationibus syndacalibus vel parasyndacalibus aliisque huiusmodi, cum non sufficiat ut sint consociationes, sed maxime oporteat niti ad earum totam christianam formationem.

3. Non esse exspectandum suffragiorum tempus ad suffragatores commonendos munerum politicorum civiliumque, sed antea id esse faciendum opportunis modis.

Addam denique renoventur oportere generalia Ecclesiae praecepta, potissimum secundum et quintum.

Interea, eo quo par est obsequio, me profiteor

addictissimum in C. I.
✠ CAROLUS BOIARDI
Episcopus Apuaniensis

23

EXC.MI P. D. BLASII MUSTO
Episcopi Aquinatensis, Sorani et Pontiscurvi
(Aquino, Sora e Pontecorvo)

Prot. N. 1224/59 Sora, 4 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Eminentiae Tuae Rev.mae pergratum est vota mea ex corde communicare et argumenta sincere exponere, quae suggerere humiliter censui ac tractari in futuro Concilio poterunt:

I - Ut nostris temporibus, quae semper maiore coelesti auxilio egent, ad errores multiplices repellendos, ad Fidem Catholicam promovendam et augendam, ad pacem omnium gentium obtinendam, ad gloriam Individuae Trinitatis, solemniter Virginis Mariae universalis Mediatio definiatur.

II - Ut Communismus atheus et Laicismus liberalis, qui Ecclesiae Christi et hominum generi gravissima sunt pericula et mores paganos denuo instituere conantur, ratione efficaciae a Patribus in Concilio Oecumenico damnentur.

III - Ut in Catholicis Scholis, in Seminariis praesertim, traditionalem doctrinam, philosophicam et theologicam, quae Angelicum Doctorem semper secuta est, Magistri doceant, neve scientiae profanae ac progressus nomine novas theorias, fidem catholicam evertentes, introducant, maxime theoriam eorum qui ad sensum religiosum omnia reducunt. Sollicitus et strenuus defensor sum Thomisticae doctrinae, cum, Divinae Providentiae consilio, Dioecesim Aquinatensem, Divi Thomae patriam, regam.

IV - Ut opportunis dispositionibus Sedes Apostolica Episcopis concedat maiorem auctoritatem in Religiosos, in Dioecesi morantes, ad bonum praecipue Christifidelium, cum exemptiones et privilegia, quae multa Codex Iuris Canonici Religiosis tribuit, saepe discordiae et inoboedientiae sint causa.

V - Ut in Dioecesi administranda a S. R. E. Congregationibus facultates augeantur Episcoporum. Quae maior auctoritas utilissima praesertim inveniri potest:

a) in *Sacris Ordinationibus,* ut Episcopus unus et maximus habeatur iudex indolis ac vocationis alumnorum, qui in Seminario Regionali studeant;

b) in *Parochorum amovibilitate,* ut Parochi nominari ac in aliam Paroeciam transferri queant « ad nutum Episcopi », et ita Dioeceseos Paroeciae per turnum conferantur diligentioribus, qui in aliis Paroeciis regendis bene meruerunt.

VI - Ut Episcopi, quorum Dioeceses Sacerdotibus abundent, libenter mittant in Dioeceses, quarum exiguus sit vocationum numerus, Sacerdotes suos, qui in Parochos assumantur et Paroecias vacantes pro bono animarum gubernent.

Haec mihi visa sunt Ecclesiae animarumque bono profutura. Omni qua par est reverentia me profiteor Eminentiae Tuae Rev.mae

✠ BLASIUS MUSTO
Episcopus Aquinatensis, Soranus et Pontiscurvi

24

EXC.MI P. D. PASCHALIS VENEZIA
Episcopi Arianensis (Ariano)

Arianen., 6 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Ego infrascriptus Paschalis Venezia, Episcopus Arianensis et Auxiliaris Ecclesiae Beneventanae, humillime propono pertractanda in futuro Concilio Oecumenico ea quae sequuntur:

1. *De doctrina*

1) Doctrina de Episcopatu enucleanda et definienda mihi videtur sive in seipsa sive in suis relationibus cum Romano Pontifice, a quo « Sacerdotii unitas exoritur », sive cum Sacris Congregationibus et aliis Episcopis:

et hoc praesertim ut facilius ad unitatem fidei et disciplinae redeant errantes.

2) Definiatur doctrina de Corpore Mystico. Declarentur doctrina, iura et officia laicatus militantis eiusque debita subordinatio Episcoporum potestati servanda. Actionis Catholicae deinde officia et iura systematice determinentur praesertim relate ad alias consociationes.

3) Errores repellantur qui ad doctrinam pertinent quae vulgo « Etica della situazione » appellatur, necnon immutabilia, positiva principia theologiae moralis alte adfirmentur.

4) Communismus marxista, in suis principiis et quoad valorem et usum rerum temporalium, omnibus patefiat, ne facile decipiantur christifideles.

5) De doctrina sociali catholica saltem praecipua capita proponantur necessaria scitu omnibus fidelibus.

2. *De Sacramentis*

Magna videtur utilitas administrandi in casibus iam praevisis Sacramenti Confirmationis facultatem Sacerdoti supplenti Parochum absentem vel quovis modo impeditum.

3. *De Liturgia*

Tum in scholis ecclesiae, tum in vita pastorali maxima deprehenditur necessitas iuris liturgici codificandi; pariter urget revisio divini officii et missalis romani, pontificalis romani et caeremonialis Episcoporum.

4. *De disciplina*

1) Religiosos omnes utriusque sexus statuere vere sub potestate Episcoporum, privilegiis abolitis permultis de exemptione, praesertim his temporibus ob auctum laborem et deficientiam Sacerdotum, necessitas seu bonum animarum postulat.

2) Pressius disciplina tum interna tum externa « Institutorum saecularium » eorumque dependentia ab Ordinariis locorum describatur.

3) Facilior reddatur excardinatio Clericorum a Dioecesibus quae eorum copia fruuntur, ad alias dioeceses quae iisdem Clericis indigent.

4) Facilior reddatur, utique rationalis, Parochorum remotio pro bono animarum, ipsius Parochi, Sacerdotis adiutoris et fidelium.

Omnia haec exposui in immutabili unione cum Romano Pontifice et humili subiectione eius supremo et infallibili Magisterio.

Libentissime occasionem arripiam ut humiles animi sensus et pro futuri Concilii Oecumenici praeparatione et pro eius felici exitu

Tibi laeta omina dicam

Em. Tuae Rev.mae
add.mus

✠ PASCHALIS VENEZIA
Episcopus Arianensis

25

EXC.MI P. D. MARCELLI MORGANTE
Episcopi Asculani in Piceno (Ascoli Piceno)

Asculi in Piceno, 28 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris diei 18 iunii (1 C/59-152) exceptis, grave habui officium perpendere, quae nunc humillime Pontificiae Commissioni antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico significanda duco. Imas imprimis gratias Summo Pontifici ago, qui per Concilium Oecumenicum proxime convocandum, haud dubio maximas utilitates Ecclesiae universae procurabit.

Cum omnimodam libertatem Pontificia Commissio Episcopis, in sua vota communicando, reliquerit, sequentia argumenta et vota significare audeo:

A) *Doctrina*: 1) attentis huius temporis praecipuis ac magis perniciosis erroribus, utile erit sollemniter damnare, quae Pius XII f. r. litteris encyclicis *Humani generis*, diei 12 augusti 1950, proscripsit, praesertim vero errores qui vulgo vocantur: « Monismo panteistico », « Esistenzialismo », « Relativismo religioso e dogmatico », « Statolatria », « Razzismo ».

2) Cum insuper nonnulla documenta Magisterii ordinarii circa interpretationem S. Scripturae in malum sensum intellecta fuerint, utile fortasse erit quaedam edicere circa « inerrantiam et interpretationem » S. Scripturae, ne « Epistula Dei ad homines missa » prorsus enervetur ita ut praecipuus fons Revelationis qualibet vi destituatur.

3) Cum tandem cultus Marialis hisce temporibus maximas partes in vita christiana feliciter sit consecutus, utile erit Mariam Virginem novo titulo sollemniter decorare, eam videlicet proclamando « Mediatricem

universalem gratiarum », eo vel magis cum populus christianus Beatissimam Virginem una voce iam habeat: « Mediatricem omnium gratiarum ».

B) *Disciplina*: Quo efficacius in praesens animarum bono consulatur, nonnulla in Concilio Oecumenico tractanda videntur:

a) Quoad disciplinam utriusque *Cleri*:

1) praestantia ac maxima in dies utilitas ac convenientia coelibatus;

2) excellentia vitae s. d. « contemplativae »;

3) relaxatio veteris disciplinae exemptionis Religiosorum ab auctoritate Ordinarii territorii;

4) relaxatio vel potius abolitio inamovibilitatis parochorum;

5) ne Sacrae Romanae Congregationes negotiis parvi omnino momenti incumbant (ex. gr.: in mittendis indultis pro Missarum binatione, trinatione, pro altaribus portatilibus, etc.), Episcoporum competentia extendatur.

b) Quoad disciplinam *populi*:

1) s. d. « Cinque precetti generali della Chiesa » aptanda sunt nostris temporibus, uti postulat vita pastoralis;

2) ut sacramenti Matrimonii validitati efficacius consulatur, nonnulla impedimenta abroganda videntur ac simul vitia consensus et forma canonica celebrationis magis stricte intelligenda.

c) Quoad *Liturgiam*:

1) lingua s. d. « vulgaris » abundantius adhibenda videtur;

2) liber Pontificalis et ceteri libri liturgici ad simpliciorem ac breviorem formam redigendi videntur (ex. gr.: ritus consecrationis ecclesiae, altarium, etc.).

Quod si ex superius dictis, Exc.ma Commissio Antepraeparatoria ne unum quidem votum acceptandum duxerit, non minore ac promptione animo accipiemus quae Concilium Oecumenicum ad maiorem Dei gloriam et ad animarum salutem decernere statuerit.

Interim ad osculum sacrae Purpurae provolutus, me profiteor

humillimum servum

✠ MARCELLUS MORGANTE
Episcopus Asculanus in Piceno

26

Exc.mi P. D. MARII DI LIETO

Episcopi Asculani Apul. et Ceriniolensis
(Ascoli Satriano e Cerignola)

Ascoli Satriano, li 6 settembre 1959

Esprimendo la gratitudine per essere stato interpellato da codesta Pontificia Commissione Antipreparatoria per il Concilio Ecumenico, presento all'esame della sullodata Commissione i « desiderata » concordati in due adunanze speciali con i rappresentanti dei due Rev.mi Capitoli Cattedrali di Ascoli Satriano e Cerignola e dei MM. RR. Parroci.

In intima unione di preghiera per l'ottimo andamento del Concilio Ecumenico, mi professo

✠ Mario Di Lieto
Vescovo di Ascoli Satriano e Cerignola

a) *Pars Dogmatica*

1. De methodo immanentistico Blondelii, Laberthonnière, Mano, et Tyrrel in Apologetica temporum nostrorum.

2. De errore Psychologistarum et Modernistarum circa notionem et criteria religionis, circa fidem et Ecclesiam.

3. De relationibus inter Ecclesiam et Statum, quomodo concipiuntur a fautoribus illius sectae politicae vulgo dictae « *Base* della Democrazia Cristiana ».

4. Explicitetur definitio Concilii Vaticani de existentia Dei contra Empirismum, Kantismum, Modernismum et maxime contra Ontologismum.

5. De errore Rationalismi, fidentis tantum lumine naturali rationis et propugnantis pro adoptianismo in doctrina Trinitatis Personarum divinarum in unitate divinae essentiae.

6. De allegorismo Michelis, Faye et Hummelauer circa tria capita Geneseos.

7. De transformismo Huxley et Darwin.

8. De errore Rationalistarum circa unionem duarum naturarum in unitate Personae Verbi.

9. Definiatur Dogma Beatae Mariae Virginis Mediatricis Universalis Gratiarum eiusque Regalitatis.

10. Revideatur tota doctrina communismi et socialismi.

b) *Pars Canonica*

1. Can. 137 roboretur poena aliqua canonica.

2. Includatur in can. 138 abstensio a gestione v. d. « dei cantieri-scuola » quia scatent periculis.

3. In can. 139 § 4 prohibeatur etiam participatio aperta, directa et publica comitiis causa elegendi officiales populi v. d. « deputati-consiglieri ».

4. Extendatur prohibitio can. 140 etiam spectaculis, quae habentur a femineo sexu in domibus religiosarum seu sororum.

5. Sacerdotes prohibeantur praeesse sacris peregrinationibus fidelium foeminei sexus et iisdem peregrinationibus partecipantes prohibeantur tempore aestivo petere loca marina vel turistica.

6. In can. 155 prorogatur terminus saltem ad integrum annum et dimidium.

7. In can. 415 melius specificentur relationes inter Vicarium Perpetuum et Capitulum et in § 5 eiusdem canonis statuatur maior obligatio Capitulo pro auxilio dando in cura animarum.

8. Praescriptum can. 420 § 4 extendatur prudenti iudicio Ordinarii omnibus canonicis ministerio pastorali addictis, praesertim pro audiendis sacramentalibus confessionibus et pro ministerio in Actione Catholica vel in operibus socialibus explendo.

9. In can. 476 amplius patefiant facultates Vicarii Cooperatoris.

10. Obligatio fiat rectoribus ecclesiarum, praesertim illarum quae ab Ecclesia paroeciali multo distant, impertiendi lectiones catechisticas sive pueris sive adultis.

11. In can. 526 fiant ordinariae illae facultates usque nunc delegatae.

12. Quoad can. 609 fiat etiam obligatio Catechesis et Catechismi: praeterea in eadem persona cumulentur officia Superioris domus et Parochi.

13. In can. 610 illud officium aptetur et subordinetur ministerio pastorali, et si casus ferat, minuatur ut religiosi possint coadiuvare clerum dioecesanum.

14. Quoad can. 630 attendatur ad dicta de can. 609.

15. Quod ad can. 682 et sq. attinet, canonizetur tota materia de Actione Catholica et sociali.

16. Quoad can. 707 et sq. confraternitates plene et totaliter subdantur Parocho ob necessitates ministerii paroecialis.

17. Cann. 762-769 abrogentur.

18. Extendatur in can. 782 facultas confirmandi etiam ad rectores spirituales nosocomiorum.

19. Cann. 793-798 abrogentur.

20. Facultas can. 806 extendatur diebus ferialibus et adiungatur trinatio pro diebus festivis cum dispensatione a numero fidelium participantium pro locis ruralibus in quibus domus sunt maxime longinquae inter se.

21. Dentur regulae communes pro forma vestium v. d. « moda » in Ecclesia.

22. In can. 874 extendatur ubique locorum facultas ordinaria et delegata Sacerdotis qui per examen a proprio Ordinario adprobatus sit ad Confessiones excipiendas.

23. In can. 893 reserventur peccata illius qui scripserit epistulam calumniosam sine nomine et illa contra usum matrimonii (onanismus) cum poena censurae, sicut abortum.

24. Extendatur can. 1006 etiam diebus ferialibus.

25. In can. 1038 includantur impedimentum minoris gradus contra virum deflorantem et simul derelinquentem puellam seductam.

26. Extendantur facultates pro aliquibus impedimentis matrimonialibus sine recursu ad S. Sedem.

27. Iurisdictio matrimonialis fiat territorialis pro subditis propriis in territorio proprio et personalis pro subditis iisdem extra territorium.

28. In can. 1108 magis favendum sit desideriis sponsorum pro eligenda ecclesia celebrationis sui matrimonii.

29. In cann. 1334 et 1336 sanciatur illa obligatio independenter ab Ordinario loci.

30. Ne amplius habeantur primae Communiones apud instituta Sororum, quo accedunt filii divitum.

31. Quoad can. 1481 reditus beneficii vacantis sint pro arbitrio Ordinarii salva semper redditione rationis.

32. Praescriptum can. 422 § 1 de iubilatione canonicorum reducatur ad annos triginta quinque post continuum et laudabile servitium chori.

33. Extensio facultatis administrandi sacramenti Confirmationis vicariis cooperatoribus et, in articulo mortis, omnibus sacerdotibus.

34. Concedatur facultas sacra faciendi media nocte festis suppressis.

35. Pro pauperibus petentibus dispensationem impedimenti alicuius matrimonialis mutetur poena pecuniaria in poenas aliquas spirituales.

36. Concedatur sacerdotibus dioecesanis habitus aestivus, excluso nigro colore et mutetur quod v. d. « cappello » in « basco ».
37. Detur personalitas iuridica Delegato episcopali.
38. Concedatur facultas, Parocho, redeundi ad Kalendarium pro Ecclesia Universali in sacris faciendis pro populo.

✠ MARIUS DI LIETO
Episcopus Ausculanus Apul. et Ceriniolensis

27

EXC.MI P. D. IOSEPHI P. M. NICOLINI
Episcopi Assisiensis (Assisi)

Trento, 3 settembre 1959

Eminenza Rev.ma,

Prostrato umilmente al bacio della S. Porpora, in ossequio al Suo gentilissimo invito, ho esposto nei fogli che accludo, alcuni argomenti che penso possano essere studiati in vista del Concilio Ecumenico.

Il lavoro l'ho dovuto fare in fretta perchè assillato in questi ultimi tempi da altri impegni. Ho dovuto anzi assentarmi qualche giorno da Assisi per poter compiere questo mio dovere.

Con profondo ossequio e perfetta osservanza, mi professo

di Vostra Eminenza Rev.ma
dev.mo servitore
✠ GIUSEPPE PLACIDO NICOLINI, O. S. B.
Vescovo di Assisi

Eminentissime Pater et Domine,

Notitia per totum orbem iam late diffusa de Concilio Oecumenico brevi tempore celebrando, summa nos affecit laetitia; persuasum enim habemus, quamplura toti Ecclesiae beneficia inde obventura.

Gratias igitur Deo ex corde fundimus et Summo Pontifici Ioanni XXIII pro hac tam salutari deliberatione gratos animi sensus offerimus.

Quod attinet ad argumenta in eo tractanda, sive de Doctrina sive de Disciplina, consultis etiam aliis utriusque cleri in re pastorali valde peritis, haec humillime, Commissioni a beatissimo Patre ad id electae, subicienda credimus.

I. *Quoad Doctrinam*

1. Quae iam a Concilio Tridentino et Vaticano de inspiratione et interpretatione Sacrorum Librorum definita sunt et a Summis Pontificibus nostrae aetatis declarata et ad scientiarum progressum explicata fuere, iterum examini subiciantur et definiantur, praecipue quae hominis originem spectant.

2. Sectae et systemata Communistarum, Socialistarum et similium quae vitam hominum socialem et oeconomicam respiciunt, examinentur, quae damnanda sunt damnentur et Ecclesiae doctrina clare proponatur.

3. Ius Ecclesiae in rebus et quaestionibus politicis dirimendis, quale et quantum sit, definiatur.

4. Quae sit mediatio B. M. Virginis in gratiarum dispensatione et quomodo Eiusdem influxus intelligi debeat, declaretur.

II. *Quoad Disciplinam*

Presbyterorum coelibatus strenue tuendus et confirmandus est, in Ecclesia saltem latina. Sed, inspectis rerum adiunctis, eorum ordinationem ad provectiorem aetatem protrahendam credimus. Interim Clerici, absoluto studiorum curriculo, ad Diaconatum, sine onere coelibatus, ordinentur eiusque munia docendi in Seminario, verbum Dei praedicandi, negotia Ecclesiarum oeconomica pertractandi, congruo eisdem emolumento assignato, concredantur.

Quum annos circiter triginta attigerint, si fideliter, si laudabiliter, si honeste toto hoc tempore se gesserint, ad sacerdotium promoveantur secus ad statum saecularem reducantur. Iis vero Presbyteris, qui hisce temporibus, bellorum adversitatibus iacti, abiecto habitu clericali, ad saecularia vota transiere et cum muliere copulati sunt, si gratiam dispensationis a coelibatu petierint et humiliter se subiecerint, nacta Concilii Oecumenici occasione, indulgendum et petitam dispensationem concedendam nobis videtur.

2. Non tertio quoque anno sed quotannis exercitiis spiritualibus per aliquot saltem dies, clero adscripti, vacare debent.

3. Diebus Dominicis et Festis de praecepto, Sacerdotes animarum curae addicti, ab onere divini Officii recitandi vel totaliter vel partialiter dispensentur. Idem dicito de coetu Canonicorum in parvis Dioecesibus, ubi deficiente Choro, omnes Canonici validi in auxilium Parochorum adhibendi sunt.

4. Auctoritas Episcoporum residentialium augenda et extendenda videtur tum respectu concursus in conferendis Paroeciis — Paroeciae

minimae sine concursu conferantur — tum respectu translationis Parochorum ab una ad aliam Paroeciam, tum respectu clausurae Monialium. Ubi sunt Basilicae, Papali dignitate auctae, ibi officio suo fungantur tamquam Summi Pontificis delegati.

5. Exemptio Religiosorum ita saltem minuatur ut Ordinarius facilius possit eisdem uti, animarum salute exigente.

6. Cardinales Protectores non amplius adesse sinantur.

7. Pro Dominicis quae sequuntur aliquod Festum de Praecepto in hebdomada celebratum, dispensentur fideles ab onere audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus.

8. Lex ieiunii et abstinentiae a carnibus revisenda est et forte commutanda cum aliis operibus in pauperum vel apostolatus vel Seminarii favorem.

9. Dioecesium fines revisioni subdantur et alicubi immutentur ita ut unaquaeque Dioecesis saltem 100.000 fideles habeat, aliter vitam regularem ducere non potest.

10. In Seminariis plerumque litterarum et scientiarum studiis supra modum iuvenes vacare coguntur, neglectis studiis quae ad veram eorum pietatem formandam ordinata sunt. Curandum est ut quae ad pietatem, scientiam asceticam, liturgicam et S. Scripturam attinent, principem locum teneant.

11. Ritus adhibendus iuxta Pontif. Rom. in consecratione Ecclesiarum et Altarium ad breviorem formam reducatur.

12. Episcopi Pontificalia agentes, non teneantur legere in Missali quae a Subdiacono, Diacono vel a Choro canuntur, iuxta morem pro Hebdomada Maiori recenter instauratum.

13. Preces a Pp. Leone XIII imperatae post Missam ad Altaris pedes dicendae, ut aboleantur praecamur.

14. In collatione Sacramentorum lingua adhibeatur vernacula et forte etiam in parte Missae, quae catechumenorum dicitur.

15. Aetas ad Confirmationis Sacramentum suscipiendum requisita, salvis exceptionibus ab Ordinario adprobatis, sit decem saltem annorum et Confirmatio a prima Comunione puerorum seiungatur.

16. In officio divino, multa Sanctorum festa ad ritum simplicem reducantur et lectiones II Nocturni sive Sanctorum sive aliorum Festorum revisentur et brevientur.

17. Sacerdotes utriusque Cleri, ad normam iuris a singulis Ordinariis ad audiendas confessiones et Verbi Dei praedicationem adprobati, pro tota Regione Conciliari adprobati censeantur, ita ut, sine venia singulorum Ordinariorum, ubique in Regione, haec munera exercere valeant.

In eadem Regione Conciliari, iidem sint casus reservati, eaedem collectae in Missa dicendae.

18. Parochi et quicumque animarum curam gerunt, ab administratione bonorum beneficialium, sint liberi. Eidem Administrationi per aliud Officium Dioecesanum vel per alios viros peritos consulatur, audito semper Parocho in rebus maioris momenti suum Beneficium spectantibus.

19. Lex residentiae pro Parochis, inspectis mediis quibus hodie facile et velociter de uno in alium locum iidem vehi possunt, ita immutetur ut plures sacerdotes vitam communem simul instituere possint eaque valde commendetur.

20. Diariorum Catholicorum argumentum sedulo examini submittendum est et nitendum ut eadem, forte pauciora eoque magis in tuendis Religione et Ecclesia Catholica valida sint. Fideles autem ad ea magis diffundenda et fovenda efficaciter sollicitentur.

21. Coetus illorum qui ad eligendum Summum Pontificem ius habent, si ad paucos alios, licet cardinalitia dignitate careant, extendatur, hoc fidelibus gratissimum foret.

22. Institutum nomine P.O.A. a Pio Pp. XII fel. record. conditum, quod reapse iuvandis pauperibus, puerorum asilis, operariorum associationibus, opem plurimam contulit, aliqua forte innovatione indiget, ne ansam criminationibus praebeat.

✠ Ioseph Placidus Nicolini, O. S. B.
Episcopus Assisiensis

28

Exc.mi P. D. IACOBI CANNONERO

Episcopi Astensis (Asti)

Prot. N. 112/59

Asti, 29 ottobre 1959

Eminenza Reverendissima,

Chiedo perdono se con tanto ritardo rispondo alla ven. lettera, con cui si chiedevano suggerimenti, desiderii, proposte per il progettato Concilio Ecumenico e se mi prendo la libertà di trasmettere,oltre i termini di tempo stabiliti, le mie modeste proposte e l'unito memoriale.

Il ritardo è dovuto al fatto che avevo nominato una Commissione per studiare ed esprimere tutti i suggerimenti ritenuti opportuni: il

lavoro della Commissione, che è espresso nell'unito memoriale, subì notevoli e imprevisti ritardi per cause e difficoltà diverse.

Il lavoro della Commissione riguarda campi e settori diversi; alcuni suggerimenti possono essere utili per il Concilio Ecumenico, altri per il progettato aggiornamento del Codice di Diritto Canonico.

Tutto è proposto con spirito di sincera umiltà e di filiale, amorosa obbedienza alla S. Madre Chiesa.

Bacio la Sacra Porpora con venerazione e devozione profonda, professandomi

di Vostra Eminenza Rev.ma
dev.mo e um.mo

✠ Giacomo Cannonero
Vescovo di Asti

De Re Dogmatica

Definitio sollemnis Mediationis Universalis gratiae Beatae Mariae Virginis.

De Re Morali

Sollemnis adfirmatio perennitatis et validitatis legis moralis christianae, praesertim in materia castitatis, et sollemnis condemnatio praecipuorum errorum et scandalorum, quae hodie passim diffunduntur et pervulgantur ope legum, ephemeridum, radio, televisionis, spectaculorum etc.

De Re Liturgica

Reformatio plurium caeremoniarum, quae in libris liturgicis habentur, ita ut efficiantur breviores et magis aptae ad fovendam pietatem nostris temporibus.

De Iure Publico

Iterata et solemnis condemnatio indifferentismi statalis, cui saepe indulgent etiam viri principiis christianis imbuti. Speciatim quoad publicam moralitatem et educationem puerorum et iuvenum revocentur sollemniter principia christianae doctrinae pro omnibus qui auctoritate publica pollent, praesertim pro viris et factionibus politicis, qui christianos se proclamant.

De Re Disciplinari

1. Creatio organorum *vere efficientium* in rebus et instrumentis, quae efficiunt vulgatam opinionem, nempe cinema, radio, televisione. Insufficiens est opus negativum: requiritur influxus positivus et vere efficiens, quia agitur de rebus implexis et de quaestionibus pastoralibus, quae transcendunt singulas Dioeceses, immo singulas Nationes.

2. Nova ordinatio Sacrarum Congregationum et Officiorum Curiae Romanae, ita ut omnia procedant regulariter, sine notabili mora, quae saepe grave praeiudicium affert.

3. Studium mediorum ad efficiendam validiorem disciplinam ecclesiasticam, ita ut Ordinarius Dioecesanus possit eam efficaciter urgere: speciatim ad hunc finem videtur proponenda abolitio inamovibilitatis Parochorum. Statuantur utique normae prudentiales ad vitandos abusus in hac re ex parte Ordinariorum, sed concedatur Ordinario vera facultas interveniendi et amovendi Parochum, si adsit gravis causa vel moralis vel pastoralis vel disciplinaris.

4. Reordinatio Dioecesium et Paroeciarum iuxta exigentias vitae pastoralis, ita ut Dioeceses et Paroeciae sint vere efficientes pro bono animarum et regimine pastorali.

Speciatim videntur dismembrandae Dioeceses et Paroeciae quae notabiliter superant numerum fidelium determinandum iuxta criteria vere pastoralia.

5. In singulis regionibus vel nationibus creatio Commissionum Episcopalium, potestate legislativa praeditarum, quae statuant normas pro uniformitate disciplinae ecclesiasticae. Nimia varietas et facilis discrepantia redundat in contemptum singulorum Episcoporum vel enervat disciplinam Cleri.

6. Statuantur normae pro coordinatione activitatis Cleri Dioecesani et activitatis Religiosorum: practice hodie saepe habetur ignorantia reciproca.

Activitas Religiosorum et Religiosarum hodie non raro avulsa est a vita Paroeciae et interdum eam perturbat.

7. Desideratur latior et efficientior insertio laicorum in vitam pastoralem, ita ut magis effulgeat veritas Ecclesiae, Corporis Christi Mystici, pro cuius incremento non Clerici tantum adlaborare debent. Si fieri potest, statuantur normae practicae et obligatoriae pro Paroeciis, ita ut Pastor comparticipes habeat problematum pastoralium laicos meliori praeparatione praeditos.

8. Pro Seminariis Dioecesanis et Religiosorum exigatur magis diligens ordinatio studiorum et selectio Superiorum et Docentium. *Sed spe-*

ciatim videtur graviter urgenda magis severa et accurata selectio candidatorum ad Sacerdotium, quoad castitatem, oboedientiam, pietatem etc.: in Clero, iuvenili aetate praedito, non raro deplorantur intolerantia disciplinae, spiritus mundanus, periculosa imprudentia in lecturis, spectaculis etc.

✠ IACOBUS CANNONERO
Episcopus Astensis

* * *

Commissione diocesana di studio

DOTTRINA

I. *Verità di cui si auspica lo studio*

1. *I laici nella Chiesa*: Azione Cattolica; Azione dei Cattolici...
2. *La Beata Vergine Maria Mediatrice di tutte le grazie.*

II. *Errori circa la fede e la morale*

Si avverte la necessità di una analisi completa degli errori circa la Fede e la Morale e di una conseguente presa di posizione che ribadisca e completi le precedenti condanne in una visione organica.

III. *Insegnamento della dottrina cristiana*

1. *Studi Sacri del Clero.*

a) Per assicurare al clero nella sua totalità quel grado di cultura, soprattutto negli studi sacri, che è richiesto dalla attuali contingenze storiche e quel « Sensus Ecclesiae » che garantisca i singoli Sacerdoti da ogni sbandamento, si ravvisa l'opportunità di un approfondito esame della organizzazione attuale dei seminari e degli studentati religiosi, con particolare riferimento al « curriculum » degli studi e relativi programmi e al corpo insegnante.

b) Per garantire al corpo insegnante la necessaria preparazione ed il suddetto « sensus Ecclesiae » si ravvisa l'opportunità di potenziare le Pontificie Facoltà, soprattutto quelle romane e di facilitarne l'accesso con eventuali borse di studio o analoghe provvidenze.

2. *Catechesi.*

Si avverte la necessità di aggiornare i metodi e le forme della catechesi sia ai bambini che agli adulti, con conseguente modifica delle attuali disposizioni legislative.

3. *Stampa e strumenti audiovisivi.*

Constatato che la diffusione degli errori circa la fede e la morale avviene precipuamente attraverso la stampa e gli strumenti audiovisivi (cinema, radio, televisione) — creando un clima, una mentalità e un costume areligiosi e amorali — si avverte la necessità di una presa di posizione, non solo sul campo dottrinale, ma anche sul terreno pratico ed organizzativo, da parte della Chiesa Cattolica, — mediante una maggior funzionalità della sua organizzazione nel medesimo tempo universale e capillare, — in ordine alla difesa della morale e alla diffusione della verità cristiana.

Liturgia

I. *Codice liturgico*

È vivamente sentita la necessità di una codificazione delle leggi liturgiche.

II. *Lingua latina e lingua volgare*

È auspicabile un uso sempre più ampio della lingua volgare nell'amministrazione dei Sacramenti e nella parte didattica della S. Messa, ossia in breve: rituale bilingue.

III. *Breviario*

È desiderabile che sia portata a termine la riforma del Divino Ufficio particolarmente nelle parti storiche, in quelle che risentono dell'origine monastica e corale, e nelle lezioni scritturistiche e dei SS. Padri.

IV. *Pericopi evangeliche della S. Messa*

Si auspica una riforma delle pericopi evangeliche delle Ss. Messe domenicali, con conseguenti omelie.

DIRITTO

I. *Rapporti tra Santa Sede e Diocesi*

1. Perchè rifulga sempre meglio il Primato del Romano Pontefice, sembra opportuna una illuminata decentralizzazione che liberi la Santa Sede dalle minori questioni che non toccano la fede e i costumi.

2. Tenuto presente il principio sopra esposto, sembra necessario addivenire ad una migliore distribuzione e precisazione delle competenze delle Sacre Congregazioni Romane, per assicurare ai singoli settori della vita della Chiesa uniformità di direttive e decisioni, per facilitare — in uno spirito e con una mentalità sollecita, non semplicemente burocratica — la istruzione e definizione delle pratiche.

II. *Leggi universali e leggi particolari*

Nella revisione del *C.I.C.* è auspicabile che vengano eliminate le disposizioni troppo minute e come tali troppo legate alle contingenze del momento e alle particolarità di singoli ambienti e luoghi, per dare più risalto alle norme veramente fondamentali che debbono costituire la guida chiara, precisa, sicura e costante del legislatore inferiore.

III. *Organismi intermedi tra S. Sede e Diocesi*

Constatato che nell'attuale momento storico della evoluzione sociale, molti problemi che incidono profondamente sulla fede e sui costumi del popolo cristiano — (quali per es. la stampa, il cinema, la radio, la televisione, l'istruzione alla gioventù, l'assistenza sociale e caritativa...) — non possono trovare la loro soluzione sul piano diocesano, ma debbono essere affrontati nell'ambito di intiere regioni o gruppi di regioni, di intiere nazioni o gruppi di nazioni, si auspica la creazione di strutture giuridiche adeguate che possano agire con prontezza, sicurezza ed efficacia.

A tal fine sembra opportuno:

1) dare rilevanza giuridica alle suddette circoscrizioni territoriali che secondo le peculiarità locali potranno abbracciare le diocesi e le provincie ecclesiastiche di intiere regioni o gruppi di regioni, di intiere nazioni o gruppi di nazioni;

2) dotare le rispettive assemblee di Vescovi e loro organi di potere giurisdizionale su tutto il territorio delle suddette circoscrizioni territoriali;

3) dotare la figura del Presidente pro tempore di facoltà giuridiche atte a garantire all'organismo dell'assemblea prontezza di iniziativa ed efficacia di coordinazione sull'azione pastorale (le provincie ecclesiastiche e i concili plenari nella loro attuale strutturazione giuridica non sembrano corrispondere alle suddette esigenze).

IV. *Revisione delle Diocesi*

Con riferimento soprattutto all'Italia, sembra opportuna, anzi necessaria la revisione delle diocesi, riducendole di numero e rivedendole nei loro confini, perchè in ognuna di esse sia possibile quella pienezza di vita in tutti i suoi organi quale si addice all'attuale e meraviglioso sviluppo interno della Chiesa.

V. *Clero secolare e clero religioso*

Si constata la necessità di armonizzare e coordinare la vita e l'opera del Clero religioso con quella del Clero secolare sotto l'autorità del Vescovo.

VI. *Parrocchie urbane e parrocchie rurali*

Constatato che la Parrocchia — organismo assolutamente insostituibile nella vita della Chiesa — a causa del fenomeno dell'urbanesimo è minacciata nella sua vitalità, perchè nelle grandi città in troppi casi ha assunto dimensioni sproporzionate alle sue finalità, mentre nei piccoli e numerosi centri rurali a causa dello spopolamento è ridotta a dimensioni così minime da non essere più vitale, si auspica che il problema della parrocchia venga attentamente analizzato ed esaminato.

A tal fine sembra utile:

1) studiare come armonizzare e integrare nella città la vita della parrocchia con l'attività pastorale svolta nelle altre comunità ed esulanti dai confini e dalle strutture parrocchiali, quali gli ambienti di lavoro e le categorie specializzate...;

2) esaminare se sia necessario, consigliabile o almeno permesso — in vista anche di una migliore utilizzazione del Clero sempre più scarso — il raggruppamento di sacerdoti con cura d'anime in comunità organiche di lavoro, con adeguate disposizioni giuridiche, che li rendano strumenti funzionali ed efficaci a servizio di una intiera vicaria foranea o parte di essa;

3) dotare i Vescovi di maggiori e più ampie facoltà — anche in confronto dei religiosi esenti — in ordine alle funzioni religiose soprattutto festive.

VII

Attese le circostanze sopra esposte non sembra inopportuno un riesame dei seguenti punti:

a) *Dovere della residenza.* Tenuto presente la scarsità di clero e l'esistenza dei moderni mezzi di comunicazione, concedere ai Vescovi ampia facoltà di interpretare benignamente il dovere giuridico di residenza, al fine di armonizzare le necessità delle piccole parrocchie con quelle più generali della Diocesi.

b) *Ubbidienza canonica.* Per una distribuzione ed utilizzazione più razionale ed anche più equa del clero diocesano sempre più scarso, rafforzare i vincoli giuridici dell'ubbidienza canonica dei Sacerdoti incardinati verso il loro Vescovo, non solo in ordine alla disciplina ecclesiastica ma anche in ordine all'assunzione di incarichi ed uffici ecclesiastici.

c) *Titulus ordinationis.* Atteso che il « Titulus Patrimonii » — per un complesso di circostanze — non può in molte regioni essere fissato in misura sufficiente a garantire una vita decorosa, per cui troppe volte il chierico è giuridicamente provvisto « Titulo patrimonii » solo nominalmente, vedere l'opportunità di considerare il « Titulus servitii dioecesis » come titolo ordinario dell'ordinazione sacra, dimodochè abbia origine un obbligo di giustizia — giuridicamente rilevante — del chierico incardinato di servire alla diocesi e della diocesi di provvedere al chierico sia nei periodi di abilità al servizio sia nei periodi di inabilità.

d) *Translatio et amotio parochorum.* È vivamente sentita la necessità di estendere di fatto, attraverso una revisione dell'attuale legislazione canonica, la facoltà dei Vescovi di rimuovere e *soprattutto di trasferire* i Parroci nel quadro di una illuminata e generale revisione del concetto stesso di inamovibilità dei benefici ecclesiastici. Tenuto presente quanto sopra, esaminare l'opportunità di stabilire la presunzione giuridica di inabilità a settantanni a ricoprire l'ufficio di Parroco, per cui, senza necessità alcuna di processo amministrativo, il Vescovo — assicurata una congrua pensione — abbia la facoltà, non l'obbligo di dichiarare vacante, per raggiunti limiti di età del titolare, la Parrocchia.

e) *Administratio bonorum.* Considerato che nella vita di una diocesi ci sono importanti incarichi che assorbono tutta l'attività di un sacerdote e che non godono nè possono godere, nell'attuale legislazione, dei frutti di un beneficio; constatato che, nonostante lodevoli sforzi, non si è ancora giunti, per mancanza di adeguate disposizioni legislative, a quella auspicatissima più equa distribuzione dei frutti dei benefici; si sente la necessità di un profondo riesame della legislazione circa l'amministrazione dei beni ecclesiastici.

VIII. *Diaconato*

Perchè i Sacerdoti, finalmente liberi dalle molteplici incombenze di cui si è appesantito il Ministero Pastorale e che non richiedono il sacro carattere del presbiterato, possano far rifulgere innanzi al popolo cristiano la loro sublime missione di dispensatori dei doni di Dio e possano attendere con sufficiente disponibilità e tranquillità alla preghiera, non sembra inopportuno ristabilire il ministero dei Diaconi, i quali come ministri dei Sacerdoti li sollevino dalle suddette incombenze. Si ravvisa l'opportunità che i Diaconi destinati al Sacerdozio prima di ricevere la sacra Ordinazione del Presbiterato esercitino per un congruo numero di anni il Sacro ministero affinchè il Vescovo attraverso questo periodo di prova possa dare un giudizio più completo e più ponderato della formazione e delle attitudini dei candidati al Sacerdozio, anche in vista dell'onere indispensabile del Sacro Celibato.

IX. *Disciplina fidelium*

a) *Impedimenti dirimenti del matrimonio di grado minore.* Si ravvisa l'opportunità della loro abolizione.

b) *Riposo festivo.* È sentita la necessità di un ripensamento del concetto oggi racchiuso sotto la denominazione di opere servili.

c) *Astinenza dalle carni.* È sentita l'opportunità di una esenzione generale basata sul criterio oggettivo della persona che viaggia oppure consuma i pasti in locali pubblici.

d) *Digiuno.* Si ravvisa l'opportunità di rendere definitiva e di diritto comune la riduzione agli attuali quattro giorni.

X. *Binazione e trinazione*

Data la scarsità del Clero e per favorire sempre di più la partecipazione al Divin Sacrificio è opportuno che ai Vescovi sia data:

a) la facoltà di concedere la binazione in tutti i giorni feriali per una ragionevole causa di ministero Pastorale, esclusa quindi tassativamente la semplice devozione sia del Sacerdote celebrante che dei singoli fedeli;

b) la facoltà di concedere la trinazione nei giorni festivi in ordine alla soddisfazione del precetto festivo.

XI. *Potestas iudicialis et potestas administrativa*

Nella revisione del *C.I.C.* è vivamente auspicata una più organica, completa e perfetta elaborazione e codificazione della procedura amministrativa per evitare le numerose e gravi incertezze pratiche.

Commissione Diocesana:

Can. Luigi Stella, Presidente; Sac. Angelo Fasolio; Don Guglielmo Visenti; Sac. Renno Monticone.

Visto

✠ Giacomo Cannonero
Vescovo di Asti

29

Exc.mi P. D. IOACHIM PEDICINI
Episcopi Abellinensis (Avellino)

Avellino, 20 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

In esecuzione di quanto richiesto con la venerata Sua del 18 giugno u. s., incaricai alcuni ecclesiastici della diocesi, che più emergono per scienza e prudenza, di studiare quali temi sembrassero più importanti, degni di essere sottoposti all'esame di un Concilio Ecumenico.

Li ho riuniti e, dopo una laboriosa adunanza fu redatto l'accluso schema, che mi onoro rimettere all'Eminenza Vostra Reverendissima.

Chino al bacio della S. Porpora, mi onoro professarmi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umilissimo servo
✠ Gioacchino Pedicini
Vescovo di Avellino

Doctrina

1. Accuratius expendatur intima constitutio Ecclesiae seu relationes inter Christum et Ecclesiam ad fovendam mutuam caritatem inter fideles, ad augendam eorum reverentiam erga ipsam Ecclesiam et ad Protestantium praeiudicia removenda.

2. Contra errores laicismi et liberalismi, etiam quorumdam catholicorum nostrorum temporum, iterum explanetur vera doctrina de relationibus inter Ecclesiam et Statum; immo, quantum fieri potest, ponantur termini interventui sacerdotum in re politica, melius, in certaminibus suffragiorum.

3. Contra aberrationes existentialismi athei, materialismi, freudismi affirmetur sensus vitae iuxta doctrinam catholicam, dignitas personae humanae, existentia Dei Creatoris et Remuneratoris eiusque ineffabilis Paternitas et Providentia.

4. Confirmetur fortiter et audacter lex veri rectique ut homines nulla alia re nisi honestate ducantur. Ideo denuo reprobanda videntur ausa contra sanctitatem et integritatem domesticae societatis, inverecunda nudandi corporis studia, praesertim per vestis habitus procaces, quos nova induxit aetas, exitiale virus fluens a cinematographicis, et saepe etiam televisificis spectaculis, libris, libellis, diariis, quae multas animas, praecipue adulescentium, ab Ecclesiae tutela abstractas, tenent.

Haec omnia vero ethnicorum errores eorumque ducendae vitae rationem renovant, efferunt, praedicant, iactant.

5. Exprimatur quam apertissime doctrina Ecclesiae de humana ordinanda societate.

Disciplina

1. In Seminariis et Collegiis Religiosorum maxima cura instituantur adulescentes in spem Ecclesiae electi, fingendo eorum mentes et mores ad virtutem et humanitatem.

Ad hoc requiritur ut ad officia moderatorum eligantur sacerdotes non tantum doctrina et virtutibus praestantes, sed etiam vere periti in disciplina de adulescentibus instituendis educandisque.

Idem dicendum, mutatis, de institutione christiana iuventutis utriusque sexus in collegiis catholicis tradita.

2. Sacerdotes novensiles, antequam ad ministerium pastorale designentur, per aliquod tempus in ipso Seminario vel in Collegiis Ecclesiasticis actioni exercitationique pastorali incumbant.

3. Quotannis omnes sacerdotes non legitime impediti, saltem per tres dies, invitentur ad religioni dandam operam sub Magistro pietatis in asceterio ab Episcopo approbato.

4. Convenientibus normis satisdatio offeratur sacerdotibus dioecesanis damni infecti sive per morbum sive per senectutem.

5. Ad meliorem partitionem reducantur fines Dioecesium, praesertim Italiae Meridionalis.

6. Attente investigandas reputo condiciones quarumdam institutio-

num sanctimonialium, quae, pluribus causis concurrentibus, in egestate materiali et spirituali degunt.

7. Christianae doctrinae institutio, cum fundamentum sit totius vitae christianae, primum locum teneat inter alia officia actionis pastoralis.

Liturgia

1. Ad simpliciorem formam reducentur rubricae Librorum Pontificalis et Coerimonialis Episcoporum, et adhibeatur sermo vernaculus in libro liturgico, qui Rituale Romanum inscribitur.

2. Iterum tractentur antiquae lectiones historicae Breviarii Romani et, si id fieri potest, ad Matutinum dicatur unicum Nocturnum cum tribus psalmis et tribus lectionibus, quarum prima scripturalis, altera historica vel ascetica, tertia homiletica.

3. Sacerdotibus italicae regionis concedatur facultas utendi habitu civili in itineribus.

✠ IOACHIM PEDICINI
Episcopus Abellinensis

30

EXC.MI P. D. ANTONII TEUTONICO
Episcopi Aversani (Aversa)

Aversae, 22 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratum acceptumque munus mihi est respondere Tuis litteris, die 18 iunii 1959 mihi transmissis, consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium huius Dioecesis audito, perspicaci examini Eminentiae Tuae Rev.mae atque istius Pontificiae Commissionis humiliter subiiciens ea quae, brevi, in paragraphis sequentibus, expositurus sum.

I. *De Seminariis Regionalibus*

Haec mihi videntur non bene consequi fines pro quibus erecta sunt ob studiorum rationem institutionemque necnon ob alumnorum numerum.

Ratio studiorum atque institutio mihi videntur non satis nec apte ordinari ad Sacerdotale ministerium secundum aetatis nostrae necessitates spirituales.

Itaque institutiones quae, annis Lycei, de numeris, chemia animantium rerumque natura agunt, arctentur velim, cum parum iis, qui sacris initiandi sunt, prosint; pertractentur autem malim profundius latiusque philosophia eiusque historia et praesertim de animo doctrina una cum de arte educandi praeceptis, cum Sacerdos praeceptor sit animarum.

Deinde institutio in curriculo theologico quorundam Seminariorum Regionalium mihi videtur theoretica et cathedraria non pastoralis, cum professores, in disciplinis tradendis, graves doctores Athenaeorum Pontificiorum aemulari conentur.

Iamvero professores oportet, gravitate academica praetermissa, cum alumnis familiariter agant et curent ut iidem studio et amore sciendi imbuantur, de omnibus quaestionibus theologicis ac philosophicis aetatis nostrae certiores fiant et, ne tempus terant, praeter scientiam Dogmatis, Moralis, Iuris Canonici et Sacrae Scripturae, Theologiam Pastoralem perdiscant ut Sacramenta rite administrent, Verbum Dei cultis et edoctis, operariis, adulescentibus puerisque, aptis modis praedicare valeant, Actionis Catholicae Sodalitates aliaque opera paroecialia recte erigant ac regant, et ad recentiores formas et methodos apostolatus expedite, apte alacriterque initientur.

Insuper optandum ut cum memoratis disciplinis humanae societatis doctrina et Iuris Ecclesiastici institutiones, saltem per biennium, tradantur, cum eorum momentum et necessitas in dies magis magisque augeatur.

Quod vere formationem spiritualem attinet, cum in quibusdam Seminariis Regionalibus plurimi (non numquam trecenti et amplius) sint alumni, non video quomodo Rector suum munus obire valeat, nempe iuvenes apte formandos, commoneat, hortetur, ducat, vigilet atque praesertim bene cognoscat.

Cum impar sit ad haec varia munia adimplenda, ipse utitur, usitato more, sacerdote suas vices gerente, et praefectis, qui alumnorum sunt sodales, saepe saepius eiusdem studiorum curriculi.

Ita accidit ut idem indirecte tantum suos alumnos noscat et eorum formationem iuvenibus, et ipsis cura spirituali egentibus fervore aetatis, demandet.

Nec moderator spiritus, etsi bona voluntate praeditus, inter permultos alumnos efficienter suum munus difficile explere poterit.

Qua re, quod sciam, nonnulli Sacerdotes, spirituali formatione expertes, opinionem Superiorum fallunt: commoditatibus Seminarii assueti, haud raro angustiis quorundam vicorum non se accommodant, Vicarii Cooperatoris munia et non numquam ipsa beneficia paroecialia, si lauta desint patrimonia, recusant.

His addendum et Exc.mos Episcopos non bene cognoscere Regionalium alumnos, cum a se absint, et, tempore collationis Sacrorum Ordinum, Rectorum eorumque praeceptorum quasi ministros, ut ita dicam, esse: quae omnia nemo non videt quam dedecori sint Episcopis et rectae Sacerdotum formationi noceant!

Si autem Seminaria interdioecesana, sine caterva alumnorum, instituantur, professores moderatoresque, gratia Dei suffulti, melius impendant et Exc.mi Episcopi iuvenes ad Sacerdotium vocatos bene noscant, recte eligant ac secundum indolem uniuscuiusque in ministerio pastorali eis utantur.

II. *De Clero saeculari*

A) Quod *Sacerdotes* attinet, quam maxime optandum eos coadunari ac vitam communem ducere sub speciali cura proborum virorum ecclesiasticorum, ne, post S. Ordinationem, sibi ipsis relinquantur. Nihil linquendum inausum ut haec vita communis quam citius re instituatur et in Dioecesibus Italiae Meridianae, cum ab ea dependeant Sacerdotum formatio culturalis, spiritualis, apostolica animarumque salus. Et perutilis ipsa erit praesertim Sacerdotibus iuvenibus cum eis praebeat omnia auxilia ne studia omnino relinquant, ne doctrinis novis et temerariis adhaereant, ne vitae spiritualis munimine careant.

Peropportunam quoque duco rationalem partitionem Sacerdotum secundum necessitates et incolarum numerum cuiusque Dioecesis. Non raro, enim, accidit ut in Dioecesi quadam adsint perplures Sacerdotes et in alia desint et qui Sacramenta administrent; sed, quo facilius haec distributio habeatur, omnes sumptus, saltem perdurante curriculo theologico, sustinendos opinor non a parentibus sed a Dioecesibus.

B) De *Parochis* agens, censeo non expedire Christifidelium saluti eorum firmam stabilitatem in Paroeciis. Quamobrem opinor ut iidem amovibiles (et cum quibusdam iuribus statuendis) declarentur ita ut, ad nutum Ordinariorum locorum, facile queant transferri, etsi inviti, de alio in aliud beneficium paroeciale, inconsulta Sancta Sede.

Perutile etiam mihi videtur abrogari omnes concursus speciales et generales, a Sacris Canonibus sancitos, cum, praesertim in Dioecesibus parvis, Sacerdotes ab Episcopis pernoscantur.

C) Quoad *Episcopos* vero, mea sententia est ut iidem:

a Sacris Congregationibus, cum non videantur observari secundum suae dignitatis praestantiam, magis colendi sint;

amplioribus facultatibus ditentur ita ut super impedimentis con-

sanguineitatis tertii gradus et affinitatis secundi gradus lineae collateralis dispensare valeant, certos actus administrationis, emptiones, venditiones permutationesque attinentes ac S. Sedi reservatos, conficere possint et nonnulla negotia odiosa, cum v. g. remotioni vel translationi Parochorum consulendum sit, libere expediant.

Et non dubito quin variae functiones explicationesque rerum expeditiores reddantur atque iactura temporis et fastidia Curiis, Episcopis et Sacris Congregationibus vitentur, si hae facultates uberiores concedantur.

Simul tamen opportunum est designare Episcopos quosdam cum munere Dioeceses adeundi atque inspiciendi quomodo earum directio in re spirituali et temporali gesta fuerit; insuper, optandum ut hae inspectiones certis temporibus, biennio vel triennio, habeantur, ne propter graves defectus vel intestinas perturbationes fieri videantur.

III. *De Religiosis*

A) Quod *Regulares* attinet, plurimum interest ut eorum exemptio quodammodo relaxetur ita ut iidem, quin regularis vitae ratio ac regimen internum quidquam detrimenti patiantur, auctoritati Ordinariorum locorum subdantur atque ab His, eorum Moderatoribus auditis, in variis ministeriis pastoralibus et in Operibus adsistentiae aut institutionis assumantur, etsi inviti, cum saepius, in Dioecesibus, sive numeri sive munerum causa, Sacerdotes saeculares praesto esse non possint. Non raro, enim, accidit ut ecclesiae paroeciales quaedam Sacerdotibus expertes sint ibique Religiosi vitam desidem agant.

Tempora praesentia requirunt ut Sacerdotes omnes, saeculares et regulares, iunctis viribus, grassantibus necessitatibus spiritualibus occurrant, sub regimine Episcoporum qui actionem apostolicam utriusque cleri coordinari atque unificari bene valent.

Quae cum ita sint, iuvat quoque Religiosorum exemptorum ecclesias variaque Opera Episcopis subiicere.

B) Quoad *Moniales* vero, opinor:

ut eae vestem monasticam induant postquam vigesimum annum expleverint et professionem perpetuam sollemnem emittant completo saltem trigesimo anno;

ut ampliores facultates ab earum clausura dispensandi Ordinariis tribuantur;

ut omnium monasteriorum foederationes praecipiantur et sibi mutuo fraternum adiutorium praestent non solum in spiritu religioso fovendo, sed etiam in rebus oeconomicis provehendis;

ut, ex conscientiae officio, variis apostolatus operibus, cum suis

Constitutionibus compatibilibus, alacriter impendant, crescentibus in dies Ecclesiae animarumque necessitatibus;

ut Divinum Officium, quod ab eis non intelligitur, cum aliis precibus mutari possit.

IV. *De variis rebus*

Postremo, subiicere audeo:

ut Officium Divinum valde contrahatur, duos nocturnos, quaedam responsoria et, in ritu duplici, sex lectiones auferendo, et, peculiaribus circumstantiis, aliis precibus commutari possit;

ut Canonici, sive Ecclesiae Cathedralis sive Collegialis, Divina Officia in choro rite persolvant tantum diebus festivis;

ut, inconsulta S. Sede, ab Episcopis dignitates Capitulares conferantur et sine concursibus Canonici Poenitentiarius et Theologus eligantur;

ut Episcopis facultas habitualis prorogandi Rescripta Sanctae Sedis, perdurantibus iisdem causis, tribuatur;

ut in breviorem ac simpliciorem formam redigantur ritus et caeremoniae liturgicae consecrationem ecclesiarum, altarium fixorum vel mobilium, campanarum etc. attinentes;

ut mitiores reddantur sanctiones poenales *C.I.C.*;

ut apostatis utriusque cleri enixe indulgeatur atque omnia experiantur quae apta et utilia ad eos recuperandos videantur;

ut in variis Regionibus Ecclesiasticis domus quietis pro Sacerdotibus senibus atque invalidis instituantur, sumptibus Sanctae Sedis, Episcoporum totiusque cleri;

ut, quam citius, omnes Sacerdotes, beneficiis fruentes vel expertes, et Exc.mi Episcopi condenda lege securitatis et cautionis quoad infirmitatem, senectutem infortuniaque adstringantur, ita ut, quibusdam tributis solutis, iam a sexagesimo anno expleto, congrua pensione, secundum uniuscuiusque dignitatem hierarchicam, perfruantur.

Haec omnia, summatim exposita, supremo ac sapienti iudicio Eminentiae Tuae Rev.mae constitutaeque Pontificiae Commissionis humiliter exhibeo ac subicio, dum me profiteor oboedientissimum

servum

✠ ANTONIUS TEUTONICO
Episcopus Aversanus

31

Exc.mi P. D. ALOYSII ROSA
Episcopi Balneoregiensis (Bagnoregio)

Balneoregii, die 26 septembris 1959

De re dogmatica

1. Si novum dogma obstaculum non sit ad fratrum dissidentium reversionem studeatur an definiendum sit circa *mediationem Mariae Virginis,* de quo argumento sapienter tractavit Doctor Seraphicus S. Bonaventura *Balneoregiensis.*

De re disciplinari

2. In praesenti sacerdotum penuria oportet uberiorem reddere Cleri apostolatum rationabiliori unione Cleri saecularis et regularis sub maiori Ordinarii auctoritate.

3. Prohibere oportet in ecclesia usum vel saltem abusum photographiarum, quae saepe causae sunt irreverentiarum et graviorum dissipationum, praesertim in ritibus sanctioribus et solemnioribus: ut prima Communio, Confirmatio, Sacrorum Ordinum collatio, etc.

4. Vel ampliores facultates Episcopis concedantur in matrimoniorum impedimentis vel impedimenta ipsa adhuc reducantur.

5. Adhuc contrahere ac simpliciorem reddere Divini Officii recitationem conveniens erit; sed, ut attente ac devote revera recitari valeat, opus erit diuturnitatis quantitatem statuere.

6. Edoceatur Clerus ad adhibendam formam praedicationis non solum ortodoxam sed magis intelligibilem.

De re liturgica

7. Excepta Sacramenti formula, maiori cum liberalitate vulgaris lingua adhibeatur in Sacramentorum administratione, et praesertim preces pro moribundis.

✠ Aloysius Rosa
Episcopus Balneoregiensis

32

Exc.mi P. D. HENRICI NICODEMO

Archiepiscopi Barensis (Bari)

Prot. N. 1764/58/AP Barii, die 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Meum officium est responsum dare litteris supracitatis, quibus Eminentia Tua Rev.ma requirit animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Oecumenico Concilio tractari poterunt.

Puta mentem Eminentiae Tuae et Commissionis antepraeparatoriae, cui Eminentia Tua praeest, esse quod tantum argumenta indicentur, quin ipsa enucleentur.

Itaque haec quae sequuntur mihi videntur maioris momenti res et argumenta potiora, quae Concilium utiliter ad Ecclesiae aedificationem tractare poterit.

I. Doctrinae capita

A) *De Mystico Corpore Christi*

Cum hisce novissimis annis magnum incrementum habuerit doctrina de Mystico Corpore Christi et multiplices exstent eiusdem doctrinae applicationes relate ad vitam christianam, Concilium opportune doctrinam ipsam tractabit, quae in Litteris Enciclicis *Mystici Corporis* Pii XII f. r. amplissime exponitur.

Praecipue definiendae essent attributiones sacrae Hierarchiae, Sacerdotii et Laicatus earumque ad invicem relationes. Ad hanc rem quod attinet indicationes habentur in duobus sermonibus Pii XII diei 31 maii 1954 et 2 novembris eiusdem anni. Specialiter tractandum esset *dogmatice* argumentum de Apostolatu laicorum.

B) *De Mariologia*

Nisi rationes prudentiae relate ad fratres separatos, praesertim protestantes, suadeant ut praetermittatur in futuro Concilio doctrina mariologica, opportuna videretur lata explanatio doctrinae de Beata Virgine Maria, Matre Dei et hominum, cum tempus quo vivimus vere appellari possit « hora Mariae ». Optandum quod definiatur dogma de

Mediatione universali Matris Dei vel — si hoc opportunum non videbitur — saltem quod eadem veritas insinuetur, uti in Concilio Tridentino actum est de Immaculata Conceptione.

C) *De interpretatione Sacrae Scripturae*

Urgentes mihi videntur aliquae pronuntiationes hac in re, praesertim circa sensum litteralem et historicum. Examinandae essent relationes inter Sacram Scripturam (V. T.) et scientiarum inventa atque aliqua criteria certa essent statuenda circa interpretationem librorum sacrorum. (Responsiones Pontificiae Comm. de re biblica; Litterae Encyclicae *Hu mani generis*).

D) *De Ecclesiae potestate*

Contra huius temporis laicismum clare indicanda est Ecclesiae potestas, praesertim magisterii ambitus et ius Ecclesiae fideles monendi ac moderandi, relate quoque ad res temporales, si quandoque urgeat principia defendere et bonum Ecclesiae necnon civilis societatis tueri.

Damnanda videtur theoria, uti dicunt, « del doppio piano », quae serpet inter complures qui catholici aperte profitentur quaeque dici potest laicismus domesticus, qui fortasse periculosior evadit ipso laicismo liberalium et anticlericalium.

Item optandum quod Concilium aliqua dicat circa relationes inter Ecclesiam et Statum, praesertim relate ad res pro quibus habetur « competentia mixta » (Litt. Enc. *Immortale Dei,* LEONIS XIII).

E) *De Episcopis*

Sicut in Concilio Vaticano enucleata est doctrina de Romano Pontifice, ita in proximo Concilio enucleari posset doctrina de Episcopis.

Ex doctrina de Episcopis, qui sunt Apostolorum successores quosque « Spiritus Sanctus posuit (episcopos) regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo » (*At.,* XX, 28), consectaria iuridica sequentur, quae uti fundamentum haberi poterunt multarum novarum dispositionum, quae sunt in votis, in re pastorali et disciplinari.

F) *De modernismo, praesertim sociali*

Puto in futuro Oecumenico Concilio explicite damnandum modernismum sive theologicum (Litt. Enc. *Pascendi* - Decr. *Lamentabili,* S. PII X) sive, uti hodie appellari potest, *socialem.* Multa habentur in re sociali pontificia documenta, attamen necessarium hodie videtur quod

clarae dentur indicationes non tantum circa fundamentalia principia, sed et quoad *lineam actionis* pro catholicis, quae quoque modo eorum actionem valeat inspirare et tueri, etiamsi res socialis continuo evolvatur.

Tractandum quoque esset de libertate et auctoritate; de tolerantia; de coexsistentia ita ut certae exhauriantur normae ad catholicorum actionem publicam moderandam secundum varia rerum adiuncta.

Iterum ergo damnandi essent liberalismus et marxismus; naturalismus et rationalismus.

G) *De relativismo sive dogmatico sive morali*

Damnandus videtur in futuro Concilio *relativismus dogmaticus,* de quo late diffuseque tractatur in Litt. Enc. *Humani generis* quique cum exsistentialismo connectitur, et damnandus pariter *relativismus moralis,* id est theoria, uti dicitur, « ethicae circumstantiae » seu « la morale della situazione », a Suprema S. C. S. O. damnata die 2 februarii 1956.

H) *De Ecclesiae unitate*

Nihil dicendum puto circa Ecclesiae unitatem, cum hoc peculiare argumentum explicite a Summo Pontifice propositum sit.

II. De rebus iuridico-pastoralibus

Praemittenda

Cum nuntiatum sit a Summo Pontifice propositum Codicem Iuris Canonici reformandi (aggiornare), pauca tantum indicabo, quae, uti mihi videtur, obiectum tractationis in Concilio constituere poterunt.

A) *De re sacramentaria*

Perutiles ad vitam christianam alendam videntur aliquae innovationes circa tempus et modum administrationis aliquorum Sacramentorum.

Statuendum esset aliquod temporis intervallum (saltem unius anni) inter Primam Communionem et Confirmationem ita ut haberi posset distincta pro duobus sacramentis catechetica institutio. Item melius determinanda esset aetas pro utroque sacramento necnon, aliquomodo, catecheticae institutionis gradus.

Tempus utile ad praeceptum paschale adimplendum extendi posset ad omnes anni partes, si alicubi missiones vel alia verbi Dei praedicatio

ad hunc finem habeantur, facta Episcopis facultate hoc singulis vicibus determinandi.

Ritus, qui comitatur matrimonii celebrationem, posset manifestiorem reddere naturam huius sacramenti, in quo ministri sunt ipsi sponsi, cum naturalis contractus a Christo Domino elevatus sit pro baptizatis ad sacramenti dignitatem.

In genere, administratio sacramentorum ita *animanda* esset vi sacramentariae catechesis ut sacramenta efficiantur — una cum Eucharistico Sacrificio — *centrum* religiosae institutionis et vitae spiritualis populi christiani.

B) *De re liturgica*

Praeter rituum reformationes, quae novissime effectae sunt vel quae proxime efficiendae erunt, Concilium statuere deberet certa generalia principia de re liturgica ad finem imponendum haud paucis absurditatibus, quae hac in re magna cum animi levitate ab aliquibus sustinentur, ut iam in Litteris Encyclicis *Mediator Dei* Pii XII actum est. Potissimum Concilium tractare posset de *concelebratione,* de natura participationis fidelium eucharistico sacrificio, de officio sacerdotis in sacrificio offerendo, de innovationibus in vestibus sacris et in sacra supellectili. Examinandae quoque essent permultae devotiones, quae adhuc popularem pietatem alunt, ad vitandum ne ipsae in nocumentum evadant sive sacrificii sive sacramentorum. Sollemniter insuper proclamandum esset linguam liturgicam pro latina Ecclesia unam esse linguam latinam.

C) *De Clero*

In votis est Sacerdotes omnes, abolita Cleri saecularis et regulari denominatione, sacrum ministerium exercituros sub unius Episcopi auctoritate, id est, salva interna Religiosorum disciplina sive circa singulas religiosas personas sive circa munera unicuique earum adsignanda et ideo salva Religiosorum exemptione ab Episcoporum iurisdictione, cum tamen sacerdotes religiosi officium externum ad bonum animarum ordinatum in aliqua dioecesi exerceant, in hoc ab Episcopo exclusive dependere debeant. Omnes ergo Religiosorum Ecclesiae, etiamsi Regularium, cadere deberent sub unius Episcopi iurisdictione, quin pro illis adhuc exemptio haberetur.

Abolita insuper denominatione *Ordinarii,* non esset amplius distinctio inter *Ordinarios locorum* et *Ordinarios,* sed Episcopi in iure venirent tantum nomine Episcoporum et Superiores maiores Religiosorum tantum nomine Superiorum Maiorum, aequiparando Episcopis Abbates

et Praelatos nullius, Vicarios et Praefectos Apostolicos et facta explicita mentione singulis in casibus Vicariorum Generalium, Administratorum Apostolicorum et Vicariorum Capitularium.

Ad Ordinationes quod attinet Superiores Maiores Religiosorum exemptorum non amplius litteras dimissorias concederent, de quibus in can. 964, nn. 2-3, *C.I.C.*, sed tantummodo litteras *praesentationis* Episcopo, de quo in can. 965.

Omnia *externa opera,* a quocumque vel quomodocumque regerentur, non solum cum Episcopi consensu instituendae essent, sed ab eodem dependere deberent eique de eis ratio reddenda est.

Paroecia *centrum* esse deberet totius actionis pastoralis. Quod non significat paroeciam aptam esse nunc temporis ad quodcumque opus adimplendum, sed quod nulla actio pastoralis ignorare debeat paroeciam, ne regularium quidem.

Ad sacerdotes Cleri regularis quod attinet non pauca dicenda essent, sed hic tantum innuam urgentem postulatum maioris ipsorum aequationis (adeguamento e aggiornamento) praesentis temporis necessitatibus, ad quam necessariam aequationem continendam vel non raro impediendam fortasse agunt traditionis *pondus* et aliquis parum universalis rerum pastoralium *sensus* (respicitur praesertim bonum proprii ordinis vel congregationis: Chiesa nella Chiesa!).

Ad optatam hanc aequationem multum conferent sapientes aliquae innovationes relate ad *formationis* instituta sive quoad studiorum rationes sive quoad formas spiritualis institutionis. Opportunum videretur idem Sacrum Romanum Dicasterium moderaturum studia omnium ad Sacerdotium candidatorum, religiosorum quoque.

D) *De catechetica populi institutione*

Puto maximam pastoralem quaestionem (problema), quae a futuro Concilio obeunda erit, esse catecheticam populi christiani institutionem.

Religiosa institutio, sive puerorum et iuvenum sive adultorum, nostris temporibus in quibus « cultura » universaliter diffusa est, absolute necessaria apparet.

Ceterum, falsae ideologiae, quibus nunc temporis permulti fideles christiani unice laetantur, ope religiosae doctrinae, satis ab omnibus cognitae, praecipue profligantur.

Ideo submisse optarem ut, sicut post Tridentinum Concilium Sacra Congregatio Concilii instituta est ad interpretanda et applicanda decreta Concilii, ita occasione proximi Oecumenici Concilii Sacra Romana Congregatio instituatur religiosae populi christiani institutioni praecipue

praeposita. Sane, verum est hoc praecise esse mandatum Episcoporum, sed Sacrum Romanum Dicasterium, ratione habita huius rei usus (esperienza) ubique terrarum percepti (acquisita), efficax adiutorium praestare posset dioecesibus et officiis catechisticis, moderando quoque « Centra Catechistica », quae in variis nationibus a Conferentiis Episcoporum instituerentur vel iam instituta sunt. Insuper novus catechismus conficiendus esset, praesertim ad parochorum et omnium sacerdotum usum, uti Tridentinum egit.

E) *De Actione Catholica*

Dixi iam de theologicis fundamentis apostolatus laicorum a Concilio indicandis. Sed, cum Concilium de re pastorali aget, oporteret ut de Actione Catholica aperte tractaret. Statuendum summopere esset in quo consistat *differentia specifica* Actionis Catholicae, qua ipsa a ceteris associationibus apostolatus laicorum distinguatur, cum quibus in *genere proximo* convenit. Necessarium videtur consecrare sollemniter in Concilio necessitatem et officialitatem Actionis Catholicae, etiamsi eiusdem forma dissimilis esse possit pro diversis nationibus, itemque stricta et directa Actionis Catholicae ab Episcopatu uniuscuiusque nationis dependentia. Actioni Catholicae in tota Ecclesia praeesse posset eadem Sacra Congregatio, de qua in numero praecedenti.

F) *De Episcoporum facultatibus*

Optandum ut facultates Episcoporum extendantur praesertim in ordine ad : 1) collationem beneficiorum, reducendo reservationes apostolicas, de quibus in can. 396 et in can. 1435 *C.I.C.*; 2) legem concursus specialis, ubi viget, ita ut indici possint concursus generales; 3) parochorum amotionem; 4) titulum canonicum ad subdiaconatum; 5) binationes et trinationes; 6) pia legata etc.

G) *De sacerdotibus lapsis*

Fortasse examinanda essent criteria quibus nunc iudicantur sacerdotes lapsi, praesertim ii qui reductionem ad statum laicalem postulant.

H) *Varia*

1. Nihil dico de Breviario, cum sciam proximas esse innovationes hac in re.

2. A iudicio circa opportunitatem quod sint diaconi, qui ad sacrum presbyteratum non accedant, abstineo.

3. Puto non pauca iuridica instituta esse innovanda, sed hoc pertinebit ad reformationem (aggiornamento) Codicis Iuris Canonici.

Dum ad osculum Sacrae Purpurae me inclino, Eminentiae Tuae Rev.mae magna cum devotione me profiteor

servum addictissimum
✠ Henricus Nicodemo
Archiepiscopus Barensis

33

Exc.mi P. D. AUGUSTINI MANCINELLI
Archiepiscopi Beneventani (Benevento)

Beneventi, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est responsiones requisitae diei 18 iulii c. a. Eminentiae Vestrae mittere et quae, inter alia, mihi a Patribus agenda videntur in futuro Concilio Oecumenico, humiliter exponere.

De doctrina

Quo fratres separati, praesertim schismatici, *communionem cum Sede Apostolica,* plenius intelligant, maxime utile videtur perspicue obiectum *Romani Pontificis infallibilitatis* declarari eiusdemque Summi Pontificis *relationes cum Episcopis* deliberari.

Cum quotidie magis magisque ingravescant mala, producta a *materialismo* quod hodie *marxismo* coniungitur et permultas gentes rerum novitate decipit, quaeritur ut haec doctrina sollemniter condemnetur et aperte reprobentur omnes, laici atque etiam clerici, qui profiteri audeant *principia marxista et evangelica componi posse.*

Apostolatus laicorum (Azione Cattolica) hodiernis temporibus satis crevit adeo ut apud quasdam Nationes certis legibus regatur, idemque ducibus et imperantibus Summo Pontifice et Episcopis ad maturitatem et disciplinam pervenit ut, instar exercitus, extet ad Regnum Christi extendendum atque confirmandum in praesenti societate funditus permutata et adhuc evolvenda, quae persaepe auxilia operamque Cleri scienter negligit.

In futuro Concilio munera et collaboratio laicorum in Ecclesia iure *statuantur.*

De Clero

Perficiatur *Breviarii Romani reformatio* remotis omnibus, quae hodie incommoda atque inania sint, et mole contracta de iudicio iam ab Episcopis enuntiato.

Cum gravis in quibusdam Dioecesibus sacerdotum inopia sit, *de incardinandis* et *excardinandis iisdem sacerdotibus mitigetur lex* quo melius saluti animarum consulatur.

Omnibus constat, sacerdotum saecularium instante penuria, religiosos sacerdotes plures esse et saepe certis muneribus expertes. Optandum est ut, salvis vitae communis Religiosorum regulis, Episcopi eorum opera uti ad curam animarum, urgente necessitate, possint.

Immo lex ipsa exemptionis, propter res praesentes, immutetur eo magis quod interdum causa est dissentionum, quae quidem fidelibus non prosunt.

Maxime utile praeterea videtur cognitis legibus moderari *Instituta saecularia,* quibus faciliter accedunt animae de statu perfectionis in Instituto Regulari assequendo saepe deductae; ut nunc se habet, res tam gravis *externam Ecclesiae auctoritatem eludit.*

De disciplina

Optabile est leges canonicas de *impedimentis matrimonialibus* emendari ut in causis coerceatur ad iudicia nullitatis.

Statuatur igitur temporis restrictio, ad summum *biennium,* ad promovendam causam nullitatis ex capite vis et metus.

Praeterea *matrimonium sub conditione* cuiuslibet generis numquam permittatur; quapropter matrimonium semper absolute celebretur et consensus sine conditione detur.

Quod in can. 1014 est « in dubio standum pro valore matrimonii », videtur congruentius naturae contractus obiectum dubii discernere: *utrum ad consensum an ad determinatum impedimentum iuris spectet.* Ne proponantur causae matrimonii *simulatione totali* vel *partiali* semperque valeat consensus extrinsece datus ante Ecclesiae auctoritatem.

Quae supra dixi mihi videntur Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici tradenda; *omnia Summi Pontificis auctoritati toto et fideli animo subicio.*

Rogo ut grati Tibi sint devoti mei animi sensus et deosculans S. Purpuram me profiteor Eminentiae Tuae studiosissimum et observantissimum.

✠ AUGUSTINUS MANCINELLI
Archiepiscopus Beneventanus

34

EXC.MI P. D. IOSEPHI PIAZZI

Episcopi Bergomensis (Bergamo)

Bergamo, 3 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Mi pregio trasmettere a Vostra Eminenza l'unita lettera per la Commissione Antipreparatoria del Concilio: un po' in ritardo in confronto alla data fissata nella Circolare di V. Em. Il motivo è dovuto al ritardo di alcuni Sacerdoti, interpellati a norma della stessa Circolare, nello spedire le loro note.

Chino al bacio della S. Porpora, mi professo

dell'Eminenza Vostra Rev.ma
dev.mo
✠ GIUSEPPE PIAZZI
Vescovo di Bergamo

Eminentissime Princeps,

Ven. Litteris diei 18 iunii 1959 n. 1 C/59-223 respondens, quibus benigne rogatus sum ut Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico communicarem animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, auditis quibusdam peritis et prudentibus viris huius dioecesis, haec quae sequuntur humili ac sincero animo referre audeo, ratus eadem Ecclesiae et animarum bono profutura:

A) *De Re dogmatica*

1. Caveatur ut scholae theologicae et biblicae magis aequentur spiritui conciliarium definitionum et normis S. Sedis decretorum, ita ut theologiae magistri iisdem penitius haereant in doctrinis suis exponendis;

2. Proscribantur philosophiae et theologiae formae et methodi quae, nostro praesertim tempore, « agnosticismo » nituntur vel eodem afficiuntur

3. Maiorem in lucem proferantur relationes inter fidem et humanam rationem magisque illustretur natura et vis criteriorum credibilitatis in actu fidei eliciendo.

4. In Ecclesiae notione tradenda, penitius investigetur et proferatur eiusdem elementum mysticum.

5. Formulae professionis fidei inserantur tum quae in iureiurando contra modernismi errores continentur tum quae in Litteris Encyclicis *Humani generis* aliisque novis RR. Pontificum decretis vel damnata vel statuta sunt.

6. Unicus catechismus promulgetur, qui ad rationem quidem catechismi S. Pii Pp. X redactus, nostri tamen temporis paedagogicae disciplinae magis congruat.

B) *De Re biblica*

7. Certae normae statuantur ad S. Scripturae verum sensum eruendum et ad litterarias formas seu genera, quae dicuntur, eidem applicanda.

8. Oppugnetur invalescens mos a sensu litterali ad sensum typicum immo et mere « historicum-accommodatitium » deflectendi in prophetiis messianicis explicandis, ita ut vis enervetur argumenti prophetici quod communi doctrina ut miraculum « intellectuale » et ab Ecclesiae Magisterio ut validum signum externum Revelationis habetur.

9. Librorum sacrorum praesertim Novi Testamenti notitia et cognitio latius promoveatur tum inter clericos, ampliora fragmenta Breviario inserendo, tum inter fideles, eosdem libros magis evulgando.

C) *De Re morali*

10. Congruentius aptiusque nostri temporis necessitatibus et usibus definiatur quaenam opera diebus festis vetita habenda sint, quaenam licita.

11. Leges abstinentiae et ieiunii ad nostrorum temporum rationem magis accommodentur.

D) *De Re liturgica*

12. Ad breviorem formam reducantur plures ritus quos, cum diutius protrahantur (uti v. g. in ecclesiarum, altarium, campanarum consecratione ritus, ipsaque Missae pontificalis celebratio etc.) fideles vel facile declinant vel aegre tolerant.

13. In universa Ecclesia latina, unius generis et formae libri precum et cantus edantur, quibus fideles utique iuventur ad ritus penitius intellegendos, sequendos vel agendos; pariter pro singulis populis seu nationibus una sit textuum liturgicorum in vernaculam linguam versio, cum eadem a legitima auctoritate concessa sit.

14. Rituale bilingue, quod iam quibusdam nationibus permissum est, facultas adhibendi omnibus populis aequaliter detur.

15. Missa cum sacerdotis benedictione finiatur, ita ut nulla alia oratio vel lectio eidem addatur.

16. In Breviario Romano emendando, duplex recitationis ratio distinguatur: choralis nempe et singularis; utraque autem brevior sit diebus dominicis et festis de praecepto ut sacerdotes ad sacri ministerii opera expeditiores sint.

17. In administrando Matrimonio ritus et caeremoniae ditentur, ut sponsis Sacramenti momentum, vis et effectus magis illucescant; ideo etiam catechismus de eodem Sacramento componatur, omnibus sponsis matrimonium catholicum celebraturis necessario iniungendus.

E) *In Iure canonico*

18. Principia et normae tum de relationibus inter Ecclesiam et Societatem civilem tum de conscientiae et cultus libertate tum de tolerandis aut admittendis falsis cultibus etc. aptius definiantur et edicantur.

19. Expeditiores reddantur normae de incardinatione et excardinatione clericorum ita ut facilius eos permutare mutuasque sibi operas tradere valeant locorum Ordinarii.

20. Uniformior disciplina statuatur tum de clericorum habitu tum de spectaculis publicis quibus iisdem fas vel nefas sit adesse.

21. Tum in Romana tum in singularum dioecesium Curiis negotiorum gestio expeditior reddatur, ita ut illa agendi ratio quae « burocrazia » vulgo dicitur, temperetur.

22. Legi concursus ad beneficia vacantia lex de examine tantum orali subrogetur; atque imminuantur rationes et causae quibus beneficia Sedi Apostolicae reservantur; pariter parochorum et beneficiariorum inamovibilitas imminuatur.

23. Parochorum onus Missam pro populo applicandi minuatur vel, saltem diebus festis suppressis, penitus tollatur.

24. Religiosorum exemptiones coartentur iique in potestatem loci Ordinarii magis redigantur.

25.Monialium clausura mitioribus normis temperetur; postulatus vero et novitiatus tempus pro omnibus religiosis mulieribus protrahatur.

26. Impedimenta matrimonialia minuantur simulque Ordinariorum potestas ab iisdem dispensandi augeatur.

27. Ad simpliciorem et faciliorem rationem reddantur normae tum de censuris tum de earum et peccatorum reservatione.

28. Metropolitae facultates augeantur ut eidem — potius quam Romanae Curiae — facilior recursus Episcopis suffraganeis pateat.

29. Capitulorum constitutiones nostri temporis necessitatibus tum quoad chori servitium tum quoad internum regimen magis aptentur.

30. Index librorum prohibitorum nova ratione recognoscatur et excutiatur.

31. Beneficialium fructum distributio aequoribus rationibus fiat, ut inter pauperiores et ditiores clericos discrimen auferatur.

32. Magis foveatur vitae communis consuetudo inter clericos; praesertim ubi parvae paroeciae invicem disiunctae sunt.

33. Ut sacerdotes sacris ministeriis diligentius et studiosius vacare possint, diaconi aliive clerici ordinentur, qui, absque sacri coelibatus onere, bonorum administrationi et operibus quae socialia dicuntur, incumbant.

34. Ratio quaedam excogitetur et reperiatur qua omnes pueri, praesertim qui statum clericalem vel religiosum amplecti cupiant, saltem usque ad 14 annum aetatis rite catechismum addiscere cogantur.

35. Ratio quaedam instituatur ut sanari possit misera plurium sacerdotum condicio qui, in matrimonio civili vel in publico concubinatu vitam degentes, maximo fidelibus scandalo sunt.

Haec omnia, qua par est reverentia, sapientissimo Commissionis Antepraeparatoriae examini subicio, cuius erit aestimare qua consideratione digna sint.

Humill.mus et add.mus
✠ Iosephus Piazzi
Episcopus Bergomensis

35

Exc.mi P. D. IOSEPHI BONACINI
Episcopi Brittinoriensis (Bertinoro)

Bertinoro, 1° dicembre 1959

Le invio con tanto ritardo sul tempo suggerito la risposta alla Lettera inviata con Prot. N. 1 C/59-224 della Pontificia Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico.

Non è molto che sono in questa Diocesi, Vescovo: la novità della missione affidatami dalla benevolenza del S. Padre mi ha tenuto molto

occupato nelle necessità immediate della Diocesi; questo il motivo del mio ritardo, che spero vorrà benevolmente scusare.

Prostrato al bacio della S. Porpora, esprimo i sensi più vivi della mia devozione.

dell'E. V. Rev.ma
obbligatissimo servitore
✠ GIUSEPPE BONACINI
Vescovo di Bertinoro

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Postquam ex huius Dioecesis presbyteris eruditissimos prudentissimosque consului et res de quibus in Oecumenico Concilio disceptari optamus rite agitavimus, Pontificiae Commissioni ad eundem Concilium parandum constitutae optimum et utile proponenda iudicavimus haec vota:

De doctrina

1. Doctrina de Corpore Mystico magis magisque confirmetur atque illustretur quo christifideles facilius perspectam colant.

2. Doctrina D. Thomae rursus penitusque perpendatur, ratione prudenter habita de recentioribus philosophorum christianorum sententiis.

3. Dogma definiatur B. V. Mariae omnium gratiarum Mediatricis.

De sacramentorum disciplina

1. Can. 1086. Praesumptio de qua in can. 1086, § 1, postquam coniuges vitam coniugalem per aliquot menses duxerint, habeatur iuris et de iure ut impediatur quominus matrimonii validitas ad normam eiusdem can. § 2 tam facile impugnetur.

Testes enim nimia facilitate favent coniugibus declarationem nullitatis matrimonii petentibus. At communio vitae coniugalis per aliquot menses servata argumentum est satis certum validitatis consensus.

2. Can. 1087. Ad hunc canonem perficiendum decernatur ut pars quae metum subierit, nisi tempore (haud diuturno) praestituto utatur iure suo matrimonium impugnandi, actionem amittat. Tempus utile supputetur a die quo metus evanuerit.

3. Can. 1076. Si impedimentum usque ad tertium gradum in linea collaterali auferri non expedit, detur quidem locorum Ordinariis facultas dispensandi ab impedimento consanguinitatis in secundo et tertio gradu itemque a vinculo affinitatis in linea collaterali.

De Liturgia

De S. Missae Sacrificio: S. Missae Sacrificium ad pristinam simplicitatem reddatur, quo populus id altius intelligere et scienter participari possit. Quam ob rem lingua latina in Missa tantum quae dicitur « fidelium », vel potius in solo Canone servetur.

Praeterea ut Christifideles totum Evangelium cognoscant, in Catechumenorum Missis Liber Sanctus continenter legatur, ut primis saeculis maiores nostri faciebant, nec solum eosdem locos quos nunc in Missale habemus.

Aliquot statuentur cantus toti Italiae communes, quibus populus plenius intersit S. Missae Sacrificio.

Detrahantur extremae preces et caeremoniae quae nunc habentur in Missa post Benedictionem.

De Communione Eucharistica: Omnibus concedatur potestas Eucharistiae post meridiem recipiendae, extra quoque Missae celebrationem.

De caeremoniis liturgicis: Maxime contrahantur preces et caeremoniae, quas nunc praebet Pontificale Romanum ad Olei Catechumenorum benedictionem et ad confectionem S. Chrismatis, necnon ad Ecclesiarum et Altarium consecrationem.

Praeterea efficiatur ut caeremoniae et ritus quae in ritualibus libris praecipiuntur ad ministrandum Baptismum et ad funera persolvenda, facilius a Christifidelibus intelligi possint.

De disciplina

1. Invitentur parochi et omnes qui in munera paroecialia incumbunt ut vitam communem ducant, atque leges ferantur ad hoc melius efficiendum.

2. Cum iuniores sacerdotes — qui omnibus modis iuvandi sunt — in quinquennium perduci studia S. Theologiae non possint, curent Ordinarii locorum ut primis vitae sacerdotalis annis Cursus S. Theologiae et vitae pastoralis sequantur velut adhuc Spiritualibus Exercitiis assidue vacant per quadriennium post Sacram Ordinationem.

3. Ordinentur necessitudinis rationes inter Clericos Saeculares et Regulares; quapropter concedatur locorum Ordinariis maior potestas in Clericos Regulares.

4. Moneantur sacerdotes saeculares ut praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servent per vota oboedientiae, castitatis et paupertatis.

5. Abrogetur inamovibilitas parochorum.

6. Requiratur etiam Clericis Italicis habitus clericalis temporibus aptior.

7. In *Seminariorum* alumnis erudiendis caveant Moderatores ne studiis maximarum disciplinarum noceatur nimis indulgendo disciplinis mediocris momenti. Quarum numerus multiplicandus non est, sed potius studiorum Cursus instituendi, quos libere adire possint alumni.

Denique ad alumnos disciplina instituendos leges condantur opportunae atque idoneae huius temporis vitae necessitatibus, quas alumni tolerare vel ipsi postulare possint.

Interim nactus occasionem impensos devotionis meae sensus Eminentiae Tuae Reverendissimae obtestor permanens.

Eminentiae Tuae Rev.mae
Addictissimus in Christo servus

✠ IOSEPHUS BONACINI
Episcopus Brittinoriensis

36

EXC.MI P. D. CAROLI ROSSI
Episcopi Bugellensis (Biella)

Pr. N. 53/59 P. Bugellae, die 29 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Summa cum veneratione litteras accepi, quas Eminentia Tua Reverendissima ad me transmisit die 18 iunii 1959, sub N. 1 C/59-277; et fidenti animo humiliter responsum Benignitati Tuae submitto, quasdam numerans quaestiones, quae mihi videntur utiliter esse proponendae examini Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico.

Interim maxima cum reverentia Eminentiae Tuae Reverendissimae me addictissimum in Domino profiteor.

✠ CAROLUS ROSSI
Episcopus Bugellensis

I. *De Re Biblica*

1. Quid sentiendum circa Auctores, compositionem et exegesim quorumdam Sacrae Scripturae Librorum (cum quaedam sententiae et interpretationes nimis libere accipi et doceri videantur, etiam in scholis theologicis).

2. De relatione inter scientiae inventa et progressus, et Sacrarum Scripturarum enunciationes (iuxta Encycl. *Humani generis*).

3. De lectione Sacrarum Scripturarum laicis suadenda, opportunis adhibitis cautelis.

II. *De Re Dogmatica*

1. Declaratio vel definitio doctrinae *de Mystico Corpore* Iesu Christi, et theologicis consectariis.

2. Declaratio vel definitio doctrinae *de universali mediatione B. M. Virginis*.

3. Explicita damnatio errorum huius temporis periculosius doctrinam catholicam adversantium, praesertim materialismi, naturalismi et laicismi.

4. Declaratio legitimae et orthodoxae partis laicorum in Ecclesia Christi.

5. Declaratio de sensu theologico Sacrae Liturgiae.

6. Definitio de natura et essentia Sacrificii Eucharistici.

7. Definitio vel declaratio de potestate Ecclesiae quoad materiam, formam et ministrum Sacramentorum.

III. *De Re Morali*

1. Damnatio relativismi moralis (morale della contingenza...).

2. Declaratio principiorum moralium, quibus suffulcitur vita ordinata societatis humanae.

3. Principia doctrinae socialis catholicae et declaratio de functione sociali proprietatis.

IV. *De disciplina ecclesiastica*

1. Revisio Codicis Canonici quoad amovibilitatem parochorum et collationem beneficiorum. Reformatio totius disciplinae beneficiariae.

2. Restauratio auctoritatis Episcoporum in propria dioecesi.

3. De auctoritate Episcoporum in Religiosos — De eorumdem cooperationis principiis definiendis.

4. De lege ieiunii et abstinentiae ad claram et definitam normam reducenda.

5. De laicorum opera in auxilium muneris pastoralis, ac praesertim de Actione Catholica — Principia doctrinae statuenda.

V. *De Re Liturgica*

1. Revisio et opportuna reformatio rituum et librorum liturgicorum.
2. Quaestio de lingua liturgica — ratione habita tum necessitatis servandae unitatis et romanitatis — tum exigentiae fidelium ad faciliorem intelligentiam liturgiae.
3. De disciplina concelebrationis.

✠ CAROLUS ROSSI
Episcopus Bugellensis

37

EXC.MI P. D. PETRI ZUCCARINO
Episcopi Bobiensis (Bobbio)

A. d. X Kal. sept. A. D. 1959

Eminentissime Domine,

Magnum mihi gaudium vel primus nuntius ab Ipsomet Summo Pontifice prolatus de Concilio Oecumenico celebrando; magis equidem gaudeo cum sciverim iam esse constitutam commissionem antepraeparatoriam huius plenariae synodi Teque, Eminentissime Princeps, Praesidem illi datum fuisse. Quamvis enim, infallibilitate Romani Praesulis definita, Ecclesia Christi per Petrum quae credenda et observanda sunt irreformabili oraculo decernat, decet tamen identidem universum Coetum docentem convocare quo plenius quae utilia vel necessaria sunt, tot adstantibus luminaribus, investigentur, veritas fulgore auctoritatis fulciatur, atque facilius executioni mandentur ea omnia quae collatis viribus una sunt decreta. Itaque cum parvulas meas preces cotidie effuderim ad frugiferum exitum tanto operi impetrandum, precatiunculam composui ante benedictionem eucharisticam in omnibus ecclesiis bobiensibus recitandam ut copiosa effusio Spiritus Sancti unitatem faciat in caritate.

Liceant nunc pusillitati meae pandere quae cordi sunt.

De Dogmate definiendo

Qui canones iam in eo erant ut definirentur a Concilio Oecumenico Vaticano, iniuria temporum suspenso, videntur utiliter definiendi in proximo Concilio.

Item doctrina de Corpore mystico tam aperte ab Evangelio Iohannis,

a Gentium Apostolo, a SS. Patribus et a f. r. Papa Pio XII copiose illustrata, si definita fuerit, videtur non parum profutura ad unitatem instaurandam membrorum vel haeresi, vel schismate, vel alia gravi culpa a Christi Corpore misere seiunctorum.

Veritas de mediatione universali Deiparae Virginis deque eius regalitate, cum doctrina de Corpore Mystico et cum Christi potestate tam arcte connexa, definibilis videtur eo vel magis quia hisce novissimis temporibus magis magisque experitur Ecclesia quam verum sit illud S. Bernardi: sic est voluntas Eius qui totum nos habere voluit per Mariam.

Cum naturale et revelatum verum ac divinae leges simul impugnentur a neomodernismo, naturalismi patre, laicismi, existentialismi, communismi, mechanicismi autonomi atque id genus errorum, omnium conspirantium ad negationem Dei et cuiusvis supernaturalis ordinis, vehementer exopto ut monstra illa iterum iterumque luce veritatis confodiantur.

De moribus norunt omnes quot mala impraesentiarum irrepserint praesertim inter adulescentulos, compage familiarum saepe dissoluta, ac societate a Deo avulsa. Quae ex. gr. perditi iuvenes vel impuberes (teddy boys; pionieri A.N.P.I.) effreni libidine moliuntur, causam remotam habere videntur errores ante recensitos, causam vero proximam libercul os pictis imaginibus copiose refertos, spectacula vel graphica vel televisa sive domi, sive publice, crebras et omnigenas exercitationes corporales quae omnia vel sensibus temere blandiuntur vel exercitationes spiritus impediunt. Ut tot malis mederi possit normas videtur tradendas circa spectacula cinematographica ac televisa necnon circa exercitationes corporales quae periculum inducant praesertim cum agitur de iuvenibus.

De re sociali

Peropportunum videtur tradere doctrinam socialem Ecclesiae satis diserte omnibus alumnis theologis seminariorum. Pariter edocendi laici de officiis et iuribus quae syndacatus vocant.

De disciplina ecclesiastica

Lex de inamovibilitate parochorum nimium rigida videtur: bona non pauca videntur obtinenda et malis quibusdam obviandum si statutum can. 454 aliquantisper emolliatur. Item translatio clerici ad alteram dioecesim facilior, mea quidem sententia, reddi posset ad commune bonum.

Ne nimia disparitas in bonis temporalibus perpetuetur ita ut multi sacerdotes in egestate rerum vel necessariarum versentur, quidam vero

abundent superfluis, normae statuantur, vim legis habentes, quibus locorum Ordinariis (de consensu vel audito Capitulo) expedite, salvis iustitia et caritate, beneficiorum proventus aequa lance dispertiri fas sit.

De piis Legatis quibus satis fieri non potest ob fructuum exiguitatem, ne in perpetuum reductiones sint impetrandae, facultas videtur Ordinariis tribuenda, certis sub clausulis adhibenda, quae reductio onerum, unio legatorum, bonum ecclesiarum vel sacerdotum obtineri possit in saeculum.

Lex ieiunii et abstinentiae, uti nunc iacet in Codice, relaxanda videtur ut per legem fiat quod nunc fit per dispensationem.

De re liturgica

In votis est reformatio librorum pontificalis et caeremonialis episcoporum necnon et ritualis romani per multiplicem simplificationem.

In Catechesi tradenda textus « nationalis » catechismi desideratur.

Saltem in Italia fines Dioeceseon tam innaturales et irrationales sunt ut exercitium officiorum pastoralium et regimen dioecesis saepe difficilia evadant. Peto igitur ut tandem aliquando Ecclesia provideat vel per ipsum Concilium, vel extra per probatos viros ad aequandos terminos, uno praehabito fine bono animarum.

Liceat denique ultimum pandere votum: tam in praeparatione quam in ipsa Synodi celebratione, ne quis impediatur ob imperitiam in usu latinae linguae quominus exponat quae sentit, fas sit singulis sermonem proprium adhibere ut appareat non Babel confusionis sed universalitas veritatis, cauto tamen ut interpretes praesto sint ut omnia vel proposita, vel illustrata vel probata vel praesertim definita uno latino sermone decenter vestiantur.

Haec candide exposita, Eminentissime Domine, benigne excipe: omnia submitto prudentiae ac sapientiae Commissionis, iam nunc corrigens quae corrigenda, retractans si quid retractandum, summae Auctoritati Ecclesiae me subiiciens et Amplitudini Tuae obsequium humillimum deferens.

✠ PETRUS ZUCCARINO
Episcopus Bobiensis

38

Ecx.mi P. D. ALBERTI CARINCI

Episcopi Boianensis-Campobassensis (Boiano-Campobasso)

Campobassi, die 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris istius Pontificiae Commissionis antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, datis die 18 iunii 1959, haec, quae sequuntur, respondenda putavi.

Fateor quaedam enucleatius, quaedam brevius, quaedam tantum generice proposita esse ob temporis brevitatem negotiorumque episcopalium varietatem et veniam peto.

De doctrina

Generatim schemata Concilii Vaticani studiose perspicienda et necessitatibus nostrorum temporum opportune aptanda; quaestiones post idem Concilium usque adhuc maxime disceptatas, de quibus Ecclesia multoties sermonem habuerit quin suis praeceptis vim dederit maximae notae theologicae, diligenter solvendas censeo.

Singillatim censeo:

1) quaestiones a Modernismo ortas, de quibus Pius XII in Encyclica *Humani generis* verba fecit, disputandas;

2) quaestiones de Sacra Scriptura, praecipue quoad relationem Libri Divini cum progressibus modernarum scientiarum, physicae nempe, geologiae, archeologiae, criticae textualis, historiae, sermonum antiquorum, disceptandas;

3) quaestiones de historia primaeva et de Pentateucho, post bicentenariam oppugnationem criticae adversae, solvendas;

4) universam scientiam biblicam, inde a Concilio Vaticano disputatam, organice proponendam, quo clariora evidentioraque fiant puncta doctrinalia,

5) doctrinam de Christi corpore mystico, de sacra Liturgia, de relationibus inter Ecclesiam et Rempublicam clare exponendam;

6) errores Communismi, Naturalismi, Laicismi, Existentialismi athei, Relativismi moralis, moralis doctrinae de « situatione », quam dicunt, sollemniter damnandos;

7) quaestiones morales de familia, de professione, de hominum consuetudine sociali exponendas et solvendas;

8) pericula contra publicos mores obvenientia ex rebus cinematographicis, radio-televisificis, ex gymnicis exercitationibus, quas sportivas vocant, fortiter crebroque significanda et remedia proponenda;

9) summam doctrinae socialis Ecclesiae clare exponendam;

10) de rebus socialibus, syndacalibus, politicis enucleate disserendum; quos intra limites sacerdotum esse rebus iisdem favere, quos intra modos defendere ac fulcire exigentias temporalis progressus plebis, quin haec obscurent finem essentialem, spiritualem nempe, transcendentem, aeternum eorum sacri muneris, clare exponendum;

11) doctrinae moralis christianae verum ac asceticum aspectum firmiter affirmandum;

12) definitiones de muneribus B. Mariae Virginis, his temporibus contingentiisque, parum opportunas opinor.

De disciplina cleri et populi christiani

Humiliter puto:

1) amovibilitatem parochorum sanciendam;, translationem sacerdotum saecularium in alias dioeceses expediendam, titulum ordinationis immutando;

2) relationes inter Clerum saecularem et regularem expediendas, huius exemptionem valde coarctando, episcopalem potestatem amplificando;

3) administrationem beneficiorum emendandam; leges de ieiunio et abstinentia studiose perspiciendas;

4) Instituta Saecularia huius temporis in auxilium Cleri pro rebus temporalibus et actuositatibus apostolicis levioris momenti maxime adhibenda, eorum constitutiones ad hoc aptando;

5) de Concilii Tridentini et Summorum Pontificum praescriptis Clerum admonendum; efficacitatem orationis, ieiunii, meditationis, praedicationis verbi divini maxime urgendam veluti remedium contra mala huius temporis;

6) quaestionem de auxiliis spiritualibus iunioribus sacerdotibus praestandis, enucleate disceptandam et solvendam;

7) quaestionem de honesta sustentatione pro Clero valido et de pensione pro Clero invalido sive aetate provecto funditus disceptandam et solvendam;

8) ampliorem deminutionem Breviarii sanciendam, ita ut adsit quaedam compensatio brevi adoratione diurna coram Sanctissimo vel oratione expiatoria et compassiva coram Imagine Crucifixi a Sacerdotibus sub gravi facienda;

9) arctiores et compagine praestantiores leges ferendas de Ordinibus Mendicantibus et Congregationibus Religiosis affinibus, ad abusus multiplices vitandos in urbibus, oppidis, pagis, viis atque plateis, ubi fideles frequenti stipis petitione molestia afficiuntur; religiosos ad spiritum fundatorum revocandos in vitae ratione, in apostolica actuositate, iuxta eorum constitutiones;

10) utrumque Clerum impellendum ad bellum contra materialismum crudum vitae huius temporis, fide fervida, efficaci gravique praeparatione, sancto intrepidoque animo;

11) asseverandam necessitatem vitandi exaggerationes in cultu Sanctorum et particularibus devotionibus Ordinum Congregationumque religiosarum, ad praecavendum cultui SS. Eucharistiae;

12) asseverandam praesentem virtutem optimarum formarum apostolatus Ecclesiae, videlicet catechismi, liturgiae, operum misericordiae; librum nationalem de catechismo conficiendum;

13) statum laicorum in Ecclesia eorumque apostolatus modum clare exponendos;

14) leges compagine praestantiores ferendas de associationibus laicorum ecclesiasticae hierarchiae subiectis; iam probatas associationes aptiori compositione et simpliciori forma ordinandas, novas eiusdem fere naturae vitandas; omnes sub potestatem aut saltem vigilantiam Episcopi redigendas;

15) libros liturgicos, videlicet Pontificale, Caeremoniale Episcoporum, Breviarium, Missale, Rituale sedulo emendandos et in simpliciorem formam redigendos.

In sacramentorum administratione sermone vulgari, forma excepta, utendum opinor.

De hodierna actuositate Ecclesiae

Cum labor humanus magis magisque nostris temporibus simul constituatur, ab Ecclesia sedulo exquirendum opportuniorem modum opinor, ut ipsa constanter adsit verbis atque operibus ubicumque homo laboret, patiatur, occasiones peccandi inveniat, ad mala pellenda ut ad novos mores novaque tempora in Christo vivificanda.

Singillatim: multiplicem actuositatem associationum vulgo A.C.L.I., C.I.F. aliarumque affinium augendam et commendandam, eamque magis magisque spiritu supernaturali, sociorum christiana formatione, vivificandam opinor.

De Negotiis quae videntur maioris momenti

1) cum plerique novissimis temporibus locum mutaverint alioque migraverint, ob mutatas rerum conditiones, emendandos fines dioecesium et paroeciarum opinor;

2) motibus oecumenicis ecclesiarum dissidentium sedulo vacandum opinor, quo facilius habeantur consensus, vel intelligentiae, vel tantum benevola iudicia benevolaeque disceptationes;

3) in exhortatione ad unitatem fratribus dissidentibus orientalis orbis maximas concessiones circa consuetudines ac traditiones maternamque sine fine teneritatem ab Ecclesia praebendas opinor, quo facilius ipsi disponantur ad Primatum Romanum accipiendum;

4) cum, sine Dei miraculo, consensus in doctrina cum protestantibus non sit possibilis, Ecclesiam in quibusdam induciis consentire posse opinor, ad bellum simul ducendum contra magnam apostasiam huius saeculi, nempe communismum, ea tantum doctrina quae utrimque communiter accipitur.

Haec omnia ad Dei gloriam et ad Ecclesiae bonum magna cum sinceritate et humilitate proponenda putavi.

Interim Tibi, Eminentissime Princeps, fausta quaeque a Domino adprecor et Sacram Purpuram deosculor meque profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimum famulum
✠ ALBERTUS CARINCI
Episcopus Boianensis-Campobassensis

39

EM.MI P. D. IACOBI CARD. LERCARO
Archiepiscopi Bononiensis (Bologna)

Bologna, 10 ottobre 1959

Em.mo e Rev.mo Signor mio Oss.mo,

Voglia l'Eminenza Vostra Reverendissima scusare se con notevole ritardo presento gli appunti relativi alla materia del futuro Concilio Ecumenico.

In realtà ho pensato e ripensato, aggiunto e corretto queste note,

che avrei voluto meditare anche maggiormente e sentendo ed accogliendo l'eco molteplice di preoccupazioni ed aspirazioni.

Mentre bacio con devozione le Sacre Mani mi riconfermo dell'Eminenza Vostra Illustrissima e Reverendissima

Umil.mo, dev.mo obbl.mo servitor vero
✠ GIACOMO Card. LERCARO
Arcivescovo di Bologna

IN PRAEPARATIONE CONCILII

Utile videtur si subsidium adhibeatur *Sociologicarum Inquisitionum,* quae vocantur; ut rerum status, prouti reipsa est, cognosci melius valeat eique aptiora remedia possint.

IN CELEBRATIONE CONCILII

Animadversio

I. Proximum Concilium Oecumenicum, secus ac quae praecesserunt Concilia, causam non videtur habere exagitatam novam theologicam quaestionem nec haereseos alicuius in Ecclesiam actualem diffusionem.

Est quidem nostro tempore doctrina marxistarum longe lateque dominans; at, non tantum condemnata iam evasit per Encyclicas Litteras Pii Pp. XI, f. r., ac S. Officii decretum, sed, cum atheismum explicite profiteatur, palam et omnino Doctrinae catholicae opponitur.

Huius autem Concilii finis indigitari videtur a Summo Pontifice Ioanne XXIII, cum per illud unionem Christianorum sollicitari sperat.

Quem ad finem assequendum minus aptum videtur si ad aliquam novam definitionem dogmaticam procedatur; facile est enim ut definitiones magis divisioni faveant, eamque exacerbent, potius quam viam ad pacificationem sternant.

II. *a*) Hisce tamen diebus quaedam doctrinae capita enucleare utile videtur; praesertim quae sunt de habitu Ecclesiae ad societatem civilem quemadmodum societas civilis hodie re ipsa prorsus universaliter concipitur et regitur; democratice nempe et laice; proinde et quae de religiosa tolerantia enucleanda videntur item et de re sociali; multa documenta enim S. Sedis iam circa caput utrumque adsunt, quin tamen doctrinae catholicae synthesis sit auctoritative collecta ac definita, et complementis opportunis ditata.

b) Videtur etiam de bibliorum critica et exegesi quaedam doctrinae

capita definiri, quae contra rationalismi et naturalismi venenosas infiltrationes Biblia Sacra defendant; Clero vero universo maior meliorque usus Sacrorum bibliorum, praesertim ad pastorale et catecheticum ministerium, in theologicis scholis ut tradatur curandum videtur.

c) Ad unionem fovendam videtur si Concilium, prout iam fuit in traditione Conciliorum, summam veritatum catholicarum conficiat, quae, seclusis discussionibus ac controversiis theologicarum scholarum ac sententiis, ab omnibus credendae sunt ad salutem.

III. At ad unionem Christianorum fovendam opportuna videntur ea omnia quae internae vitae catholicae Ecclesiae ac sanctitati eiusdem membrorum melius provident; e quibus haec suggeruntur:

A) Evidentior ac practica explicatio muneris Episcopatus, « in quo charisma veritatis fuit, est et semper erit inde ab Apostolis successione »;

B) Revisio instituti « *Beneficiorum Ecclesiasticorum* », ita ut evidentius appareat et revera constet bona oeconomica media tantum esse ad salutem animarum, supremam in Ecclesia evadere legem;

— Revisio instituti *exemptionis* Religiosorum, ita ut eorum actio pastoralis in fideles ab uno Ordinario dioecesano pendat et vere monarchico Episcopo animarum omnium sit commissa cura; « nihil sine Episcopo », saltem in iis quae ad gregis curam pertinet;

— Abolitio instituti *inamovibilitatis* parochorum;

— *Limites aetatis,* uti aiunt, omnibus praefiniantur, quibus cura Dioeceseos aut Paroeciarum commissa est, congrua iisdem sustentatione, per evulgata media securitatis socialis provisa; ne, ut saepius contigit, nimis senescente Pastore, grex incustoditus aut non satis curatus evadat;

— Revisio instituti *incardinationis,* ita ut aequior operariorum distributio in vinea Domini habeatur, dum facillimae communicationes hodie hominum transmigrationes frequentiores faciunt;

— Revisio *distributionis territorialis* Dioeceseos, ita ut provideri possit eorum organizationi et vitae; ne nimis pateant; praesertim vero ne nimis parvae evadant; quod impossibilem reddit utilem ac efficacem vitae dioecesanae organizationem.

C) Cura Sanctificationis membrorum utriusque Cleri augeatur:

a) Sacra et veneranda lex coelibatus, gloria et ratio apostolicae foecundidatis Cleri latini, opportunis praesidiis magis ac magis defendatur a frequentibus insidiosis impugnationibus; magis adhuc, si oportere videtur, libertati et responsabilitati uniuscuiusque candidati faveatur, v. g. vinculo coelibatus ordinationi sacerdotali, potius quam subdiaconatui, adnexo.

Diaconatum proinde legi coelibatus non teneri, ideoque etiam coniugato viro, qui requisitis pollere appareat, conferri posse.

Presbyteratum vero non infra XXV aetatis annum, nulla dispensatione concessa, conferendum; idque post exactum saltem unum annum extra Seminarii claustra.

b) Vita communis Cleri dioecesani promoveatur; itemque Instituta saecularia sacerdotum, at cum oboedientiae voto Ordinario proprio, non vero, saltem, uni moderatori Instituti.

c) Ratio studiorum in Seminariis revisioni subiiciatur, ita ut inquisitioni scientificae (ricerca) et personali activitati sub magistri directione faveatur et consequenter studiorum amor in animum sacerdotis accendatur eumque sequatur per totam vitam, etiamsi curis pastoralibus oberatam.

d) Seminariorum moderatores ac spiritus magistri peculiari institutioni ac formationi provideatur, perinde ac Tridentinum providit institutioni alumnorum.

D) Religiosorum Ordines, Congregationes etc. suam peculiarem finalitatem ac « spiritualitatem », uti aiunt, magis retinere, colere et explicare bonum esse videtur; idque favere eorumdem sanctificationi ac fidelium animarum bono.

E) Reformatio liturgica, iam a Pio Papa XII valide promota, prosequenda videtur et complenda; iisdem pastoralibus praeoccupationibus ducta simulque solidis innixa historicis studiis. In particulari:

a) Lectionarii tum Missalis quam Breviarii reformatio urgeatur, ut Sacrarum Scripturarum frequens ac utilis lectio praebeatur tum clericis, tum fidelibus.

b) Sacra Liturgia intelligibilior reddenda videtur ut a fidelibus participari possit: non est enim in hodiernae mentis habitu accipere quod non intelligitur, dum intelligibile evadere potest: de intelligibili cultu etiam S. Paulus loquitur dum « rationabile obsequium » inculcat.

c) Iuxta principium enunciatum a Pio Papa XII f. r. in Encyclica *Mediator Dei* de non dogmatica natura quaestionis circa linguam liturgicam, utile videtur si usui magis faveatur linguae vernaculae in iis sacrae Liturgiae partibus quae populum immediate respiciunt. Nec enim latet quemquam latinae linguae studium in omnibus fere regionibus, in ipsisque humanisticis studiis magis ac magis in diem decrevisse, ita ut ipsi cultiores homines latinam linguam ignorent aut illa satis non calleant.

Quae omnia, si vera sunt in nationibus neolatinis, magis magisque verificantur in regionibus Asiae, Africae, Nord-Americae et Oceaniae.

Videtur etiam curandum ne quasi traditio authentica adsumatur quae reapse est superstructura posterior vel corruptio traditionis: ita videtur dici posse de usu linguae vulgaris, v. g. in parte didactica Missae, quae proprie ad instructionem fidelium pertinet.

d) Sacramentorum in administratione recepti ritus aliqua reformatione indigere videntur, praesertim Baptisma et Matrimonium; in altero, enim, nonnisi in lecturis — iisque latinis — Missae pro sponsis (saepe impeditae) unitas ac indissolubilitas matrimoni proclamatur, nihilque dicitur de fine; item quae de officiis viri et uxoris; ita ut alicubi, e. g. in Italia, notae christiani matrimonii et consequentia officia a sacerdote annuntiantur per Codicis Civilis articula.

F) Ad christiani populi vero sanctiorem vitam promovendam:

a) Scholarum catholicarum, ubi aliquomodo fieri potest, promoveatur institutio ut summi momenti negotium; non enim sufficiunt elementa doctrinae christianae in Catechesi tradita, quando omnis institutio scholastica principiis aberrantibus sit imbuta: praesertim si addatur societatis vita, quae « laica » evadit ubique, in suis manifestationibus.

b) Leges quae fideles respiciunt magis maiorique severitate ac disciplina urgendae videntur ne laxismus practicus promoveatur in catholica communitate.

Praecepta Ecclesiae proinde revisioni subiiciantur ac actualibus condicionibus aptentur ne inefficacia prorsus per frequentiores ac latiores dispensationes fiant; quod laxitudinem inducit in vitam communitatis.

✠ IACOBUS Card. LERCARO
Archiepiscopus Bononiensis

40

EXC.MI P. D. FRANCISCI SPANEDDA
Episcopi Bosanensis (Bosa)

Bosa, 1 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Petitioni libenter adhaerens quam Eminentia Vestra mihi sub N. 1 C/59-240 misit de argumentis pro futuro Concilio Oecumenico apparandis, haec vota sincero animo duco exponenda.

I. *De Doctrina Fidei.*

1. Contra grassantem relativismum ex una parte validitas rationis humanae in ordine ad veritatem cum certitudine possidendam in tuto collocanda videtur, ex altera vero parte in necessitate sive absoluta sive relativa revelationis divinae insistendum erit.

2. Revocanda quoque videntur quae attinent ad fontes Revelationis

sc. S. Scripturam et S. Traditionem, et praesertim ad normam proximam fidei, quod est magisterium ecclesiasticum.

3. Quod ipsum obiectum materiale fidei in primis confirmanda videntur contra naturalismum cuiusque generis hodie tam late vigentem quae Revelatio docet de elevatione hominis ad ordinem supernaturalem; de natura et gratia, de peccato et redemptione.

Nec praetereunda videtur veritas de creatione hominis necnon de monogenismo contra evolutionismum materialisticum et poligenismum.

II. *De morum disciplina* confirmanda praesertim videntur quae doctrina Ecclesiae habet de indissolubilitate matrimonii, de foecudatione artificiali, de educatione quam sexualem appellant.

III. *De doctrina sociali* revocare opportunum videtur ea quae in Romanorum Pontificum Encyclicis et aliis documentis continentur de iustitia sociali, de laicismo, de communismo.

IV. *De disciplina ecclesiastica* hae proponuntur tractanda: 1) Ad Episcoporum auctoritatem firmandam desideratur ut in negotiis quae nunc exigunt consensum Capituli satis sit « audire » consilium. Item leges de inamovibilitate parochorum et de concursu ad paroecias obtinendas immutandae videntur in favorem auctoritatis Episcopi.

V. Statuendae videntur normae ad maiorem cooperationem efficiendam inter religiosos et clerum dioecesanum quoad curam animarum.

VI. Utile videtur statuere quae sit natura et fines apostolatus laicorum atque aliquam inducere coordinationem in tanta institutorum varietate, ut efficacior evadat actio apostolica.

VII. Desideratur reformatio Breviarii.

Hisce humiliter expositis, gratum mihi est S. Purpuram qua par est reverentia deosculari.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus

✠ FRANCISCUS SPANEDDA
Episcopus Bosanensis

41

EXC.MI P. D. INNOCENTII A. RUSSO
Episcopi Bovinensis (Bovino)

Bovini, 21 augusti 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Venerandis litteris tuis, quibus a me quaerebas opiniones, vota et consilia circa res tractandas in futuro Concilio Oecumenico, respondeo, invocato Spiritu Sancto, exquisita virorum ecclesiasticorum prudentium sententia, spem habens ex tam magno eventu gloriam Dei cum bono Ecclesiae et animarum profuturam.

1. *Circa doctrinam Fidei et Morum*

1. Opportunum videtur ut tanquam dogma Fidei definiatur doctrina Mediationis Universalis B. Mariae Virginis, et etiam doctrina Eiusdem Regalitatis.

2. Opportunum videtur renovare in Concilio damnationem Communismi Athei, Nationalismi exagerati aliorumque errorum qui societatem respiciunt et communitates Nationales.

3. Opportunum videtur renovare damnationem contra Errores antiquos reviviscentes, scilicet, Materialismum, Modernismum, Laicismum, Euthanasiam, Limitationem prolis, etc.

4. In Concilio tractari potest:

a) de Ecclesiae libertate, de eius iuribus, praesertim circa relationes inter Ecclesiam et Potestatem civilem, circa religiosam institutionem iuvenum;

b) de unitate Ecclesiae sive erga Orientales Ecclesias, sive erga conatus schismaticos recentioris aetatis.

5. Condemnandi sunt errores, qui omnia sub specie utilitatis vident, propugnantes « moralem situationis », et non esse hodie necessarium, pro christiana perfectione, spiritum mortificationis.

6. Necessarium puto in Concilio agi de doctrina sociali Ecclesiae, de quaestione sociali et de actione sindacali et politica.

2. *Circa disciplinam ecclesiasticam*

In Concilio Oecumenico tractari poterunt haec argumenta.

1. De Clero.

a) Fovenda inter Clericos vita communis, ad normam can. 134 *Codicis Iuris Canonici.*

b) Suadenda est institutio Clericorum Dioecesanorum, ad instar Religiosorum, ad nutum Episcopi.

c) Parochi sint omnes amovibiles ad normam in Novo Codice exarandam.

d) Normae et dispositiones dandae sunt quomodo provideri honesto sustentamento Clericorum.

e) Desideratur revisio et simplificatio Pontificalis Romani, Missalis et Breviarii.

f) Introducendus videtur usus linguae vulgaris in administratione Sacramentorum et Sacramentalium, saltem in partibus non essentialibus.

2. De Religiosis.

a) In tuto ponatur principium « Nil sine Episcopo » in omnibus quae respiciunt ministerium sacrum externum, et curam animarum.

b) Mulieribus religiosis interdicatur eleemosynam quaerere per domos et per vias.

Haec, Em.me Domine, meo iudicio, sunt capita vel argumenta agenda in futuro Concilio. Ex argumentis propositis ab omnibus Episcopis, tractatio completa evadet. Spiritus Sanctus lumen praestabit ut ea quae vera et realiter ad honorem Dei Omnipotentis, ad profectum Sanctae Matris Ecclesiae, ad incrementum vitae spiritualis inserviunt, seligantur pro examine et definitione.

Sensus meae profundae venerationis Tibi obtestor et, deosculans S. Purpuram, me profiteor

Eminentiae tuae Rev.mae
add.mus

✠ INNOCENTIUS ALAPHRIDUS RUSSO, O. F. M.
Episcopus Bovinensis

42

EXC.MI P. D. HYACINTHI TREDICI
Archiepiscopi Episcopi Brixiensis (Brescia)

Brixiae, septembris 1959

Eminentissime Domine,

Respondeo litteris Pontificiae Commissionis antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico diei 18 iunii, circa consilia et vota proponenda de tractandis in Concilio.

Peto veniam quia sero respondeo et humillime expono quae mihi videntur utiliter agenda.

A) *Circa doctrinam*

1. Forsan utile esset breviter, ad modum canonum, exponere principalia puncta damnationum quae continentur in Encyclica *Pascendi* contra modernismum, prae oculis habendo eventuales evolutiones quas decursu temporis doctrina modernismi habere potuerit.

2. Expositio clara et distincta doctrinae circa relationes inter Ecclesiam et Statum.

B) *Circa errores reprobandos*

1. Reprobatio Communismi athei, iuxta Enciclicam Pii XI, bene distinguendo errores qui sunt contra fidem et doctrinam Ecclesiae et ea quae solum sunt opiniones, utique disputabiles, circa constitutionem societatis et relationes inter proprietatem et laborem.

2. Reprobatio errorum qui veniunt sub nomine « laicismi ».

C) *Circa disciplinam ecclesiasticam*

1. Opportuna limitatio independentiae Religiosorum utriusque sexus ab Episcopo Ordinario in eius territorio, ita ut religiosi sint dependentes a suis Praelatis et suis constitutionibus in iis quae pertinent ad suam vitam religiosam, sed ipsi et eorum Ecclesiae in omnibus dependeant ab Episcopo ordinario loci circa ea quae pertinent ad cultum et actionem pastoralem.

2. Temperare immobilitatem parochorum, indicando casus in quibus possint ab Episcopo amoveri, inter quos, praeter vitam malam, etiam valetudinem quae illos reddat minus idoneos ad rectam vitam pastoralem, probatum defectum circa illam, magnam discordiam, reiteratam inoboedientiam erga Episcopum, etc.

3. Affirmatio veri conceptus doctrinae moralis contra modernas quasdam doctrinas.

4. Accurata expositio doctrinae socialis Ecclesiae in principiis generalibus, praescindendo ab eorum practicis applicationibus, quae variari possunt secundum diversas rerum conditiones et diversas locorum consuetudines.

5. Ad solvendam infelicem conditionem sacerdotum apostatarum, velit Suprema Ecclesiae Auctoritas statuere possibilitatem eos dispensandi a lege coelibatus, ceterum, integre servata lege.

✠ HYACINTHUS TREDICI
Archiepiscopus Episcopus Brixiensis

43

EXC.MI P. D. IOSEPHI GARGITTER

Episcopi Brixinensis (Bressanone)

Brixinae, die 26 augusti 1959

Infrascriptus Episcopus Brixinensis sequentes animadversiones et vota proponere audet circa argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt:

I. *De Doctrina*

Haereses magnae nostri temporis, ut existentialismus et materialismus, in diversis earum formis et gradibus in futuro Concilio profundum examen et refutationem requirunt. Hi errores philosophici magnum et profundum influxum habent in totam mentem, activitatem et vitam hodierni hominis et ut venenum penetrant etiam in doctrinam catholicam, praesertim apud doctores philosophiae et theologiae qui formatione scholastica carent. Encyclica *Humani generis,* Papae Pii XII sit fundamentum pro studio profundiore periculorum et errorum, qui hodie etiam apud catholicos inveniri possunt et ab iis etiam defenduntur. Concilium his temporibus speciatim se periculo obscurationis finium inter veritatem et errorem in diversis materiis opponere debet.

II. *De Liturgia*

Ultimis decenniis per sic dictum « movimentum liturgicum » studium et praxis liturgiae celebrandae non pauca incrementa habuerunt. Uti in omni novo experimento sic etiam in re liturgica per excessum peccaverunt et formas etiam minus rectas protulerunt. Saepius Summi Pontifices de hac quaestione liturgiae locuti sunt et ultimis annis perplura decreta S. Sedis emanata sunt. Aliquibus nationibus S. Sedes diversa privilegia concessit. Etiam hodie desideria et proposita pro nova efformatione liturgiae non desunt. Ob dictas causas optandum est, ut Concilium problemati liturgiae tribuat specialem curam. Quamvis evolutio sana etiam in liturgia optanda sit, tamen hodie magis ac magis sentitur desiderium evitandi nova experimenta et dandi modo celebrationis liturgiae maiorem stabilitatem. Frequentes innovationes contra curae animarum interesse sunt et apud populum certam diffidentiam adversus omnem activitatem pastoralem et doctrinalem Ecclesiae producunt.

Praeprimis optandum est, ut reguletur usus linguae vulgaris in liturgia; ut permittatur usus linguae vulgaris in administratione sacramentorum, in benedictionibus Ecclesiae et etiam in S. Missa in parte prima quae offertorium praecedit. Episcopis dentur infra certos limites maiores facultates in celebratione liturgiae, ut localium circumstantiarum et consuetudinum ratio haberi possit. Necessarium videtur, ut decreta et normae S. Sedis ultimis annis emanatae resumantur et quaestiones incertae solvantur.

III. *De educatione et formatione candidatorum ad sacerdotium*

Non raro etiam iuvenes, qui seminaria nostra frequentant, favent tendentiae periculosae ad libertatem effrenatam, ad usus immoderatos bonorum materialium ideoque magis magisque timent praecepta de virtute christiana exercenda. In hoc malum specificum habetur nostri temporis. Aliquando etiam educatores huic tendentiae nimis obviam veniunt et statuta seminarii laxant, ad non perdendum — uti dicunt — vocationes sacerdotales. Haec quaestio pro bono sacerdotii nostri, ideoque pro bono Ecclesiae, habet momentum maximum. Optandum est, ut Concilium etiam de formatione candidatorum ad sacerdotium agat et instructiones et decreta S. Sedis at Summorum Pontificum emanatas ultimis decenniis resumat et denuo inculcet. Maxime attendenda videntur sequentia:

1. In formatione futuri cleri ab antiquis probatisque principiis asceseos christianae, specie a postulatis oboedientiae, exercitationum spiritualium, spiritus sacrificii et mortificationis recedendum non est. Sacerdotes hodie, tendentiae hedonisticae et materialisticae nostri temporis causa, plus quam aliis temporibus indigent formatione ascetica profunda. Imprimis valor, pulchritudo et necessitas virginitatis sacerdotalis et legis coelibatus pro bono sacerdotis et Ecclesiae denuo illustretur, commendetur et praescribatur.

2. Educatio in seminariis non tantum ad ultimos duos annos ante ordinationem sacerdotalem se protrahere sed totum tempus formationis philosophicae-teologicae comprehendi debet. Ad formationem asceticam genuinam impossibile perveniri potest, si candidatus sacerdotii uti discipulus « vagus » in variis universitatibus scientiis theologicis vacat et tantum ultimis duobus annis ante ordinationem sacerdotalem seminarium maiorem theologicum ingreditur.

3. In instructione futuri cleri, specie in instructione philosophica et dogmatica, conservetur methodus scholastica. Sacerdotes formatione scholastica carentes ad errores nostri temporis confutandos, ad ideas distin-

guenda, ad veritatem congrue defendendam aptos non esse vita docet. Non est in bonum Ecclesiae et futuri cleri si in seminariis theologicis libris utuntur, qui quidem a professoribus doctis scripti sunt et qui materiam in forma splendida et ingeniosa praebent, sed carent claritate conceptuum, praecisione expressionis, methodoque scholasticae distinctionis. Proculdubio non raro causae theseorum periculosarum et errorum prolatorum a professoribus doctis philosophiae et theologiae in ipsorum carenti formatione scholastica quaeri debent.

4. Ad cleri futuri genuinam educationem et formationem in materia philosophica, theologica et in aliis materiis necesse videtur, ut tota materia, quae in cursu Theologico docenda est, examinetur, studeatur, ut programma aptum et obligatorium quod ab omnibus professoribus observari debet praescribi possit. In hoc programma deesse non deberent scientiae requisitae a nostro tempore uti e. g. scientia christiana rerum socialium. Magis attendendum etiam est in formatione futuri cleri in nostris seminariis ad disciplinas practicas, e. g. ad sic dictam actionem catholicam, ad curam iuvenum, ad problema spectaculi cinematografici et televisionis.

5. Methodus proponendi theologiam moralem in nostris seminariis examine indiget. In hac disciplina theologica non tam attendendum esset ad methodum casuisticam sed magis ad spiritum et normas Evangeliorum.

IV. *De vita et apostolatu sacerdotali*

Sacerdotes, praesertim pastores animarum in urbibus et in locis maioribus, hodie labore tam onerati sunt, ut cura vitae spiritualis, orationis ordinatae, meditationis et studii non raro serio periculo exponantur. Consequentiae huius cumulationis laboris vario modo se produnt a certa negligentia in cura vitae spiritualis usque ad defectionem a vita vere sacerdotali. Ad talia pericula evitanda imprimis necesse videtur:

1. Ut in vita sacerdotali curae vitae spiritualis praestantia absoluta prae omni cura apostolatus detur et ut haec prioritas vitae spirituali denuo inculcetur et apto modo in opere diurno sacerdotis officia pietatis (cum breviario exigentiis hodiernis adaptato) distribuantur.

2. Ut perveniatur ad simplificationem et concentrationem totius laboris pastoralis. Illae tantum organizationes catholicae in paroecia sint, quae sunt necessariae et quae habent momentum vere positivum pro cura animarum; nimiae divisiones fidelium in varias organizationes et coetus evitari debent; sacerdos vires suas non exhauriat in diversitate et varietate coetuum et organisationum: sacerdos tempus sufficiens habere debet pro cura animarum ordinaria, pro catechesi, pro praedicatione, pro

digna celebratione liturgiae, pro administratione sacramentorum. In cura coetuum et organizationum fidelium sacerdos praeprimis ad formationem nuclei fidelium activorum attenuat.

3. Problema collaborationis cleri regularis et saecularis speciali examini subiciatur et praesertim ius Ordinarii loci in omnibus initiativis curam animarum spectantibus etiam in relatione ad religiosos in Dioecesi sustentetur et amplietur competentia.

4. Non raro labor fructiferus in cura animarum difficilis est ob nimiam inamovibilitatem cleri beneficiati, praesertim parochorum. Curatores animarum non raro per plures annos locum tenent, cui non aut iam non pares sunt. Optandum est, ut quaestio inamovibilitatis parochorum examinetur et modo apto ordinetur.

5. Examini speciali Concilii dignum est totum problema vitae sacerdotalis quoad conditiones hodiernas mutatas: spectaculum cinematographicum, auto, currus ferreus, televisio, vestitus clericorum, tempus feriarum. Sacerdotes propter circumstantias mutatas nostri temporis periculis maioribus expositos esse experientia docet. Multa cum ansia constatari debemus pericula quae feriae in locis mundanis pro moralitate et pro toto spiritu sacerdotali secum portant, eo magis quia aliquot sacerdotes pericula non evitant, immo se iis exponunt cum se conferunt in societate indecenti, in locis nimis mundanis etc.

V. *De iure canonico*

1. Examinetur et reformetur quaestio reservationum beneficiorum (can. 1435). Vacatio beneficiorum curatorum per tot tempus curae animarum nocet, eo plus quia hodie propter deficientiam cleri provisiones provisoriae paroeciarum saepe vere difficiles evadunt.

2. In iure matrimoniali abrogentur vel immutentur diversa impedimenta dirimentia uti: impedimentum criminis primae, ut aiunt, figurae (can. 1075 § 1), impedimentum consanguinitatis in linea collaterali ultra primum gradum, impedimentum affinitatis in linea collaterali, impedimentum publicae honestatis, impedimentum cognationis spiritualis. Haec impedimenta non videntur esse tanti momenti ut sustinere debeant ut impedimenta dirimentia.

3. Simplificatio et reformatio iuris poenalis (libri quinti *C.I.C.*) (reservationes, interdicta...) optanda est.

Ecclesia se semper plus diffundit in orbe terrarum; omnes populi autem in Ecclesia uti membra plena et aequiparata esse et tractari desiderant; quare maior internationalizatio, uti dicunt, Curiae Romanae optanda esset.

Quia praeparatio competens Concilii difficilis est et magni momenti, optandum est ut tempus sat longum detur pro praeparatione et studio materiae tractandae; quapropter Concilium non iam mox sed post aliquot tantum annos celebretur.

✠ IOSEPHUS GARGITTER
Episcopus Brixiensis

44

EXC.MI P. D. NICOLAI MARGIOTTA
Archiepiscopi Brundusini (Brindisi)

Prot. N. 466/1/11

Brundusii, 12 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Epistulae Eminentiae Vestrae Rev.mae die 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-257, petitum responsum, ad Concilium Oecumenicum parandum, mitto.

I. *De Ecclesiae doctrina*

a) Danda est opera ut dogma Mariae Sanctissimae una cum filio Redemptricis et omnium gratiarum Mediatricis definiatur. Putamus, dogmate Assumptionis iam definito, haec temporis momenta maxime idonea esse ad fidei catholicae veritatem declarandam Matris Domini intercessionem universalem.

b) In *Humani generis* litteris encyclicis fundata, Ecclesiae sententia de scientiae cogitatis opinionibusque, quae ad fidei materiam pertinent, explicanda est. Documentum *Humani generis* maximi ponderis est, sed ulterior explicatio necessaria videtur, ut Ecclesiae magisterium principiis praeceptisque manifestis definiatur, cum scientia, historia et ea quae ad historiam pertinent, tam valde in dies progrediantur ut penitus metaphisicam infitiantia et fidei rationes et theologiae principia negent atque repudient.

c) Praeterea christianae doctrinae elementa contra principia theoriae marxisticae (vulgo Communismo) divulganda sunt, ut ea in catechismo puerorum et maiorum natu inserantur. Hoc propter diffusam ignorantiam ipsius theoriae et propter huius discrepantiam erga catholicam doctrinam. Necesse est usque a pueritia christianos illius theoriae impietatem cognoscere, nam nimis periculosa est, non solum doctis sed etiam et praesertim indoctis, ita ut notabilis pars fidelium a doctrina Christi arceatur. Haec

quaestio quidem de doctrina simulque disciplina est, et maxime in regionibus catholicis gravissima facta est. Nam in multis regionibus (sicut in Apulia, Umbria, Liguria) ubi factioni communisticae adscripti eiusque amatores tamen Sacro adsistunt, ipsi de convenientia inter doctrinam catholicam atque theoriam marxisticam iudicare videntur, quandoquidem sacerdotibus onera liturgica tantumque moralia tribuunt, adfirmantes Ecclesiam reipublicae administrandae operam dare, cum ea, quacumque ratione, theoriae marxisticae studet. Nunc necesse est aliquid maius in dies facimus.

Metuendum non est in parentes, qui ad praeceptores christianae doctrinae filios nunc mittere solent, eos in posterum mittere nolint. Nam theoriam marxisticam satis cognoscere nemini detrimento esse constat.

d) *Quis neget* doctrinam socialem Ecclesiae amplificando nos tantum profuturos esse catholicorum unitati consequendae ut motuum vel factionum divisiones, quae sibi veritatem eiusdem doctrinae vindicent, impedire possimus? De ha re, quod praeterito tempore accidit de aliis christianae doctrinae principiis, nunc id fit. Quam multi, Sacris Libris temere usi, in haeresim inciderunt!..., quam multi hodie, sociales encyclicas temere invocantes, exitus periculosos consequuntur!...

Anno 1931 Summus Pontifex Pius XI illuminate christianeque aestimavit quam valde sociales doctrinae progressae essent, ex quo Litterae Encyclicae *Rerum Novarum* editae erant; nunc hac aetate extrema, quia opiniones celeriores peragrant, et societatis problemata eadem sunt ac vitae populorum, studia socialia (vulgo sociologia) progressa sunt.

Catholicis non solum communia sed etiam singularia principia opus sunt ut vitemus, saltem partem maxime idoneam eorum fundamentis rationibusque marxisticis credituram esse, sicut contentioni ordinis atque rei publicae detinenti bona omnium civium.

Si veritatibus haud ambiguis in proximo Concilio Oecumenico socialem Ecclesiae doctrinam valere demonstrare poterimus, facile quoque Ecclesiae magisterium perpetuum atque praesens esse demonstrabimus. Cum multum in docendo Pius XII valuerit, eo magis praecepta illius, a Summo Catholicorum Concilio renovata, unam esse Ecclesiam, praesertim cum doceat, demonstrent, quod de re sociali nondum factum esse in historia Ecclesiae dici potest.

II. *De cleri populique disciplina*

a) Curae animarum clericorum novis consiliis providendum est. Multis dioecesibus auctoribus, praeseminaria orta sunt. Hoc dignum est laude; si autem in dioecesibus pauperibus Italiae inferioris seminaria

et praeseminaria esse non possunt. seminaria minora interdioecesana auspicamur (sicut Potentiae in Lucania), cum singulis dioecesibus praeseminarium concedi possit. Quod ad maiora seminaria regionalia vel dioecesana attinet, nobis perutile quintum studiis theologiae annum addere videtur pro studiis exercitiisque asceticis (tamquam tirocinium) ut etiam clerici scripta Patrum, quae mentem animumque conforment, discant. In studiis asceticis et in scriptis Patrum nunc solum vim ac historiae rationem sequimur, quare haud satis ea sunt.

b) Liceat nobis can. 126 *C.I.C.* de saecularis cleri exercitiis spiritualibus corrigere, quae altero quoque anno facienda sunt, quod non solum necessaria sunt animis clericorum iuvandis, sed etiam ne illis, qui plurimi in Actione Catholica versentur et in eisdem rebus quotannis se exerceant, ipsi cedant. Quin etiam ipsi sacerdotes, ut quotannis exercitia colant, excitandi sunt.

c) Quo episcopi facilius suis clericis uti possint, putamus eius facultatem parochos amovendi tribuendam esse, contra *C.I.C.* can. 454. Nam parochi scientes se amoveri non posse, sua condicione contenti erunt, praesertim cum magna beneficia consequantur, quod certe nihil eis fovet ut vitam vivant asceticam. Concilium Oecumenicum autem declaret quando episcopis parochos facultas amovendi, quandoque Sanctae Sedi sit.

d) Oportet statuere ut sacerdotes religiosi suis officiis incumbant sub auctoritate Episcopi ne, cum iuvenes magis magisque sacerdotii studium deficiat, suis immunitatibus in fidelibus gubernandis difficultatem episcopis afferre possint.

e) Videmus iam plurimos fideles ex hierarchia disiunctos propter ignorantiam (maxime in Gallia et in Italia).

Propterea in fidelium animis excolendus est ecclesiae sensus ex doctrina mystici Corporis Christi deductus.

Oportet fideles intelligere omnia, quae pertinent ad vitam Ecclesiae, ad singulos etiam spectare.

f) Ioannes XXIII mores propter ingenium plurimorum fidelium paganum in omnibus regionibus catholicis corruptiores in dies fieri professus est. Facultas audiendi vel videndi spectacula, scripta autem actorum diurnorum, quorum flagitium eis favet, causa huius ingenii sunt. Cum leges aetatis nostrae mitiores sint, Ecclesia nihil aliud facere nisi animos religione conformare potest.

Necesse est igitur Concilium Oecumenicum grave documentum proponere ut argumentis praeceptisque demonstret Ecclesiam universam mores et doctrinas, quae Evangelium Domini negent, refellere posse atque debere. Utilius est imperare ut in honorem divini cordis Iesu

prima feria VI mensis et Immaculati cordis Mariae Virginis primo sabbato ubique Sacrum litatur ad nostra mala corrigenda.

Dum Concilium Domino spero gloriae magnaeque Ecclesiae utilitati esse futurum, me profiteor, ad osculum Purpurae Eminentiae Vestrae Rev.mae prostratum

deditissimum

✠ Nicolaus Margiotta
Archiepiscopus Brundusinus

45

Exc.mi P. D. RAPHAELIS CAMPELLI
Episcopi Calliensis et Pergulani (Cagli e Pergola)

Cagli, 31 luglio 1959

Eminentissimo Principe,

In risposta alla Sua venerata richiesta del 18 giugno 1959 N. 1 C/59-275 invio un elenco delle cose che si potrebbero trattare nel Concilio Ecumenico.

Ho accennato semplicemente agli argomenti nella certezza che altri li svilupperanno nella migliore maniera.

Colgo l'occasione per umiliare a V. Eminenza i migliori auguri per il Suo prossimo onomastico e le preghiere più fervide perchè il Signore voglio ricolmarLa di ogni Sua grazia e benedizione.

Baciando la S. Porpora ed ossequiando vivamente me Le professo

Obbl.mo in Cristo Signore

✠ Raffaele Campelli
Vescovo di Cagli e Pergola

Doctrina

Dogma:

1. Expositio de doctrina Mystici Corporis Christi et de eius unitate.
2. Definitio dogmatica de Mediatione Universali Mariae.
3. Definitio dogmatica de Regalitate Christi et Mariae.
4. Expositio doctrinae de Liturgia (*Mediator Dei*).
5. Expositio doctrinae de, inter Ecclesiam et Statum, relationibus.

Errores damnandi:

1. Communismus materialista et atheus.
2. Neo modernismus idest naturalismus, laicismus et existentialismus atheus.

De re morali:

1. Relativismus moralis et de moralitate momenti.
2. De moralitate Sociali.
3. De moralitate Professionali.
4. De moralitate Familiae.
5. Pericula hodierna a cinema, radio, arte libraria, televisione, etc. ut sport, derivantia.
6. Moralitas Christiana in suo aspectu positivo et ascetico.

Doctrina de re sociali:

1. Sociales, sindacales, politici motus.
2. De doctrina sociali Ecclesiae synopsis.

DISCIPLINA

1. Parochi sine inamovibilitate sint.
2. Sacerdotes etiam in aliam dioecesim faciliter transferri possint. Titulus ordinationis mutandus.
3. Relationes inter Episcopos et S. Romanas Congregationes.
4. Relationes inter saecularem et regularem Clerum.
5. De assistentia Novensilibus Sacerdotibus.
6. In temporibus rebus et in secundariis laboribus circa apostolatum auxiliares cleri possunt adhiberi.
7. Sacerdotes apostatae.
8. Legata renovandi.
9. Administratio beneficiaria renovanda vel reformanda.
10. Provisio ad honestam cleri substentationem.
11. De abstinentia et ieiunio.
12. De variis ecclesiastibus vestibus.

LITURGIA

Libri:

1. Caeremoniale Episcoporum: Pontificale Romanum: Rituale R.: Missale R. et Breviarium semplificanda sunt.
2. S. Confirmatio ad pueros retardanda post communionem in provec-

tiorem aetatem et unius anno intervallo a prima Communione separanda ita ut secundo instructio catechetica habeatur.

3. Matrimonia regulariter non in die festo habenda.

4. In administratione sacramentorum lingua vulgaris adhiberi potest maxime cum fideles respondere debent.

T. PASTORALIS

1. Ad catecheticam instructionem unificandam textus nationalis adhibendus.

2. De Actione Catholica.

3. De laicorum apostolatu et de eorum positione in Ecclesia.

✠ RAPHAËL CAMPELLI
Episcopus Calliensis et Pergulanus

46

EXC.MI P. D. PAULI BOTTO
Archiepiscopi Calaritani (Cagliari)

Karali, 25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

In futuro Concilio Oecumenico, salvo meliori iudicio, etiam haec argumenta videntur tractanda:

1. Consuetudo vitae communis inter clericos;
2. Inamovibilitas parochorum;
3. Relationes inter Clerum saecularem et religiosos;
4. Conditio Sacerdotum qui miserabiliter lapsi sunt.

Ad osculum S. Purpurae humillime me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
Servus in Christo
✠ PAULUS BOTTO
Archiepiscopus Calaritanus

47

Exc mi P. D. NICOLAI M. DI GIROLAMO

Episcopi Caiacensis (Caiazzo)

Caiaciae, die 29 aprilis 1960

Beatissime Pater,

Nicolaus Maria Di Girolamo, Episcopus Caiacensis, ad pedes Sanctitatis Tuae humillime provolutus, haec vota in futuro Concilio Oecumenico tractanda, exponit:

1.ut nomen Sancti Ioseph, Sponsi B. Mariae Virginis, in *Confiteor* inque S. Missae Canone includatur, scilicet post B. Mariae V. ipsum nomen;

2. ut in Litaniis omnium Sanctorum et commendationis animae ordine nomen Ioseph nominibus Angelorum et aliorum omnium Sanctorum praeponatur;

3. ut Officium et Missa Desponsationis B. Mariae Virginis cum B. Ioseph ad totam Ecclesiam extendatur.

Quae commendans vota, opinatur S. Ioseph, uti Sponsum B. Mariae V. et Patrem virginalem et matrimonialem Iesu, ad ipsum Unionis hypostaticae ordinem, quamvis extrinsece, pertinere; nam ut Suarez, vir doctissimus scribit, S. Ioseph « Unionem hypostaticam attingit ».

Qua de causa ipsum considerandum esse putat atque in quendam ordinem conferendum, per se stantem, ideoque Superiorem quam Omnium Sanctorum ordinem, ipsius S. Ioannis Baptistae, qui merito Iesu praecursor, non pater sicut B. Ioseph dictus fuit.

Si vero B. Maria V. qua summa est dignitate, a Summo Pontifice Leone XIII (in illa Epist. Enc. *Quamquam pluries* edita A. D. 1889 die 15 augusti) omnibus rebus creatis superior dicta est, tantidem haberi potest, iusta etiam convenientia, S. Ioseph eius sponsus, idest superior omnibus rebus creatis, ideoque iisdem Angelis, qui quidem creati ipsi fuere et « omnes administratorii Dei » appellati, non igitur Pater Iesu, uti B. Ioseph tantum est appellatus. Quare B. Ioseph *summa dulia* cultu dignum esse putat.

Vero in eadem sententia videntur esse Summi Pontifices nostrorum temporum, quibus incliti Patriarchae cultus vel maxime crevit et omnibus ultro consentientibus apud universos christianos diffusus est.

Nam Summus P. Pius IX, anno D. 1870, S. Ioseph universae Ecclesiae Patronum promulgavit.

Summus P. Leo XIII in eadem Epistula Encyclica anno 1889 edita docuit: Cum Deus B. Ioseph sponsum esse B. Mariae V. constituisset, non modo ipsum esse comitem, sed etiam, ipsa coniugali fide, participem eius excelsae dignitatis voluit.

Praeterea Summus P. Pius XI, in acclamationibus, quae fieri solent in Vaticana Basilica, voluit S. Ioseph nomen statim post B. Mariae V. immo ante ipsarum Angelicarum militiarum invocari, quarum S. Michael est dux.

4. Ad Concilium Oecumenicum, uti spectatores et auditores, invitentur qui Summi Macometanorum religioni praesunt, cum sectatores isti, uti praestantissimi catholici scriptores opinantur, catholicae fidei sint multo propiores quam vulgo creditur. Praeterea est credentium, qui iam in possessionem Evangelicae lucis vivarumque aquarum divinae gratiae venerunt, vehemens desiderium, ut tot quoque longinqui fratres ad catholicam fidem accedere possint.

5. Consentientibus civilium nationum magistratibus, leviter corrigatur Kalendarium ut tempora dierum ad singulos annos, quae nunc pertinent, in eundem semper diem hebdomadis incidant. Nostra vero aetate haec est abnormis ratio dierum, ut unius diei singulis annis, duorum autem anno bisextili sit discrimen. Hoc ut vitetur Kalendae ianuariae (Capodanno) quae nunc incipientis cuiusque anni primus dies vocatur, quasi dies nova ac distincta consideranda et dies posterus sit primus dierum mensis ianuarii. Cum vero annus sit bisextilis diei trigesimo primo decembris alter dies addatur qui sit ipse ultimus anni dierum vocandus.

Itaque omnia uno ordine rata tempora et constituta, dies Paschae quotannis fieri potest immobilis. Quo modo multa expediuntur: ceteri dies festi qui nunc sunt mobiles; numerus dominicarum post Epiphaniam et Pentecosten; selectio, dispositio et distributio lectionum Scripturae occurrentis in Breviario; dies festi illorum Ecclesiae Universalis Sanctorum, qui maximae sollemnitatis inciderint, ad alia tempora, quibus celebrari possint, traslati nova quadam ratione disponantur.

6. In Romano Breviario eripiantur, vel saltem emendentur illae de Sanctorum vita, vel de Patrum homiliis lectiones, quae iam iudicio doctissimorum scriptorum admitti nequeunt.

7. In Missa celebranda Praefatium Adventus temporis introducatur.

Praeterea invitentur Religiosorum Ordines, vel viri sacrarum scientiarum periti ut subtemina novarum Missarum propria componant tot iis Sanctis, tam insignibus operibus, doctrinaque praeclarissimis, quorum diebus festis, adhuc tantum legitur S. Missa de Communi, quasi

nihil novi ac singulare sit de iis memoria dignum, cum Christifideles eorum animas secuti vehementer erudiri possint.

Hac opera, hoc labore et studio, praesertim precibus freti, pietatis gemmas habere possumus, quae iudicantibus ac probantibus Episcopis et Patribus Sacrae Liturgiae haud dubie inserendae sint atque cooptandae.

Sanctitatis Vestrae humillimus filius

✠ NICOLAUS M. DI GIROLAMO
Episcopus Caiacensis

48

EXC.MI P. D. PETRI CAPIZZI
Episcopi Calatayeronensis (Caltagirone)

Caltagirone, 24 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

In esecuzione della venerata circolare Prot. N. 1 C/59-290, compio il dovere di sottoporre alla Pontificia Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico, alcune proposte per quel conto che vorrà farne tra gli argomenti da trattare nel futuro Concilio.

La prego intanto di gradire i sensi del mio profondo ossequio, mentre prostrato al bacio della Sacra Porpora, mi onoro confermarmi

Dell'Eminenza Vostra Reverendissima

Devotissimo Servitore

✠ PIETRO CAPIZZI
Vescovo di Caltagirone

I. *De periculosa accusatione matrimonii*

Constat matrimonia, re vera valida, non raro accusari quasi invalida ob oppositas conditiones contractum invalidantes (v. g. conditio contra bonum prolis): quae conditiones minime appositae fuerunt.

Tamen, nonnulla istorum matrimoniorum nulla declarata fuerunt, quia falsa testimonia, appositionem talis conditionis comprobantia, ab actoribus facile colligi et adduci in processu canonico potuerunt.

Quod scelus, praeter scandalum et pessimas insinuationes contra sacra Ecclesiae Tribunalia, ausum temerarium ex hoc capite matrimonium accusandi magis ac magis in dies succrescere fecit.

Unde, ad haec gravissima mala praecavenda, seu ad bonum commune tuendum (etsi in paucissimis casibus bonum privatum et singulare

aliter exigere videretur), *proponitur* ut statuatur ne amplius in posterum matrimonia ex tali capite accusari fas sit, et conditiones huiusmodi pro non adiectae habeantur.

II. *De novis officiis dioecesanis iuridice instituendis et de capitulo canonicorum reformando*

A) Huiusce temporis ministerii pastoralis contingentia fecit ut, ipsa Sancta Sede multifarie urgente, apud quemlibet Episcopum quidam exstarent sacerdotes, optimis notis prae ceteris commendati, de quibus *Codex Iuris Canonici* ne verbum quidem habet: hi vero Episcopo utpote auxiliarii plena dependentia inserviunt, praesertim in negotiis, quae pro temporum necessitate nova sunt et tamen maximae utilitatis universae Dioecesi evaserunt. Horum Sacerdotum praecipui sunt qui Actioni Catholicae moderandae adlaborant, necnon qui aliis Officiis Dioecesanis recentioris institutionis praeponuntur (v. g. Praeses Officii Catechistici, Praeses P.O.A., Adsistens C.C.Z., etc.).

Immo sollecitudo pastoralis suggerit ut nova instituantur Officia, tum ad oppugnanda pericula contra fidem et mores insurgentia, tum ad adaequandam pastoralem actionem exigentiis praesentis temporis, tempora ipsa pro viribus praeveniendo.

Experientia teste compertum est quantum haec officia, rite ac alacriter impleta, universae vitae religiosae dioeceseos atque singularum paroeciarum profuerint, tum sacerdotum sollertiam opportune excitando, tum illae ministeriorum unitati magnopere inserviendo, quae maxime est in votis.

Rebus sic stantibus, *proponitur* ut horum officiorum necessitas auctoritative agnoscatur, eorum finis et munera pressius definiatur, atque tandem eorum institutio in omnibus dioecesibus imponatur.

Sacerdotes his officiis praepositi complexive spectati, quatenus aliquod efformant collegium, nomine collectivo indicari possent; et, attentis quae infra dicentur, adhuc « Capitulum Canonicorum » nuncupari poterunt, retento utique nomine, immutata autem re.

B) Ut vero sacerdotes, ad ista officia deputati, sua munera plene obire possint, necesse est ut ad haec unice vel saltem praecipue totis viribus incumbant, quin ad alia officia, item magni ponderis et momenti, divertantur. Ad praesens vero quaedam cumulatio officiorum in una persona — proh dolor! — haberi insoluit; quod factum est, plus quam ob penuriam sacerdotum, praesertim ob defectum beneficiorum: nam, ut supra diximus, plura numerantur officia, quae, etsi magni momenti et difficultatis sint, tamen beneficio omnino carent.

Hac de causa, ut singulis huiusmodi officiis instituendis beneficium provideatur atque adsignetur, *proponitur* ut unicuique beneficio canonicali iam existenti unum ex istis officiis iure adnectatur, ita ut beneficium capitulare amodo tale officium ut proprium et praecipuum habeat.

Hac innovatione beneficia canonicalia plene activa seu pastoralia redduntur. Consequenter capitulares, cum Episcopo in regimine dioeceseos adiutricem operam actuose navent, vere « brachium » Episcopi dici possent et competenter Eius senatum esse poterunt; et insuper omnis suspicio de canonicorum otiositate, ex parte potestatis laicalis (saltem in Italia) non semel insinuata, fundamento destituetur.

Reformatio proposita, praeter alia importat et exigit:

a) opportunam servitii choralis imminutionem et reductionem ad dies festos tantum, ita ut praxis canonicalis plene compossibilis cum istis servitiis evadat, quin fructus beneficii amitti debeant faltis ceterisque huiusmodi;

b) plenam Episcopi libertatem quoad collationem talium beneficiorum capitularium, omnibus vinculis « iuris civitatis » — ut aiunt — aut similium prorsus ablatis;

c) quod ista beneficia hoc modo reformata omnino mobilia reddantur, ita ut ab his recedi possit, sive elapso tempore officii, sive nutu Episcopi.

Quod proponimus, exequi poterit novis collationibus.

III. *De cura paroeciali religiosis extendenda*

Non raro fit, praesertim in parvis civitatibus, ut in ecclesiis religiosorum abundet cura animarum, quia ibi saltem tres adsunt sacerdotes religiosi, dum in ecclesia paroeciali saepe saepius unicus sacerdos insudat, parochus.

Quae discrepantia magis stridet et radix iurgiorum apparet, his spectatis:

a) cum parochus activitatem improbam et diuturnam explere ex officio tenetur, quam plurimas curando operas sociales (v. g. Actio Catholica, adsistentia caritativa etc.) de quibus referre tenetur Ordinario vel Eius delegatis; religiosi e contra ministeria libera agunt et fere ad nutum suum electa; quare quandoque fit ut activitatem, etsi in se laudabilem, tamen a paroeciali et dioecesana alienam immo aliquando (saltem materialiter) oppositam habent, rationabili parochi et aliorum cum quaestu;

b) praeterea evenire solet quod fideles, qui promptiores et aptiores parochi adiutores in illis onerosis operibus esse deberent, cum in ecclesia religiosorum animae suae curam inveniant, quin ex alia parte onera apo-

stolatus laicalis sustinere teneantur, ad religiosos confugiunt, parocho absque auxilio relicto.

Ad haec vitanda, *proponitur* ut omnes religiosorum ecclesiae, aut paroeciales quoad omnia reddantur, nempe cum suis territorio, beneficio, iuribus et officiis; aut, si hoc fieri nequit, istae ecclesiae, opportunis dispositionibus, curae paroecialis vere participes fiant, ita ut omnes religiosi, qui ecclesiae istas officiant, vicarii paroeciales de iure declarentur et sint, sub plena dependentia Ordinarii loci quoad ministeria pastoralia, firma manente oboedientia propriis superioribus quoad religiosam vitam.

Hoc modo, mansiones ministerii sacerdotalis aeque inter omnes sacerdotes utriusque cleri distributae invenirentur, et floreret illa exoptata apostolicarum virium unitas, duce uno eodemque Episcopo.

IV. *De institutione alicuius ordinis fere diaconalis*

Non pauca nostris temporibus inveniuntur ministeria a sacerdotibus passim expleta, quae tamen non sacerdotibus opportunius ac utilius demandanda videntur (v. g. cura oeconomica institutorum ab auctoritate ecclesiastica dependentium, directio P.O.A., adsistentia puerorum in oratoriis, cura archivi paroecialis etc.).

Sacerdotis enim est praecipue cultum Dei una cum spirituali cura animarum agere, iuxta illud Apostolorum: « nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus ». E contra, praesertim ob penuriam sacerdotum, factum est ut istae mansiones olim diaconales fere habitualiter a sacerdotibus explicentur, notabili cum spiritus sacerdotalis detrimento ac curae spiritualis animarum neglectu.

Hac de causa, munera ista peropportunum est viris non sacerdotibus concredere.

Attamen, cum agatur de officiis ministerio ecclesiastico intime et proxime connexis, fere necessarium est ut absolvantur a viris Ordini Sacerdotali aliquo modo addictis, ideoque sufficienti vita interiori praeditis, voto castitatis saltem durante tempore sui officii Deo ligatis, et ad supradictas mansiones rite absolvendas expresse instructis.

Quare *proponitur* institutio alicuius ordinis *fere diaconalis,* cuius asseclae, in quodam seminario ad hoc instituto saltem per triennium sufficienter edocti, atque statum iuridicum alicuius Instituti Saecularis ad normam Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia* adepti, ad opera quondam diaconalia, pro temporum ac locorum varietate et necessitate, incumbant, sacerdotibus orationi et ministerio verbi provvide restitutis.

✠ PETRUS CAPIZZI
Episcopus Calatayeronensis

49

Exc.mi P. D. FRANCISCI MONACO
Episcopi Calatanisiadensis (Caltanissetta)

N. 939/59 p.p. 21 agosto 1959

Eminenza,

Sarebbe stato mio desiderio rispondere subito alla Ven. Circolare del 18 giugno u. s. N. 1 C/59-291 qui giunta il 7 luglio, quando ero uscito dalla diocesi per prendere un po' di riposo dopo tanto lavoro fatto e per il Congresso Eucaristico Diocesano di Sommatino (20-24 maggio) e ancor più per le elezioni regionali che mi hanno spossato.

La detta circolare non mi è stata fatta avere nel luogo delle mie ferie e l'ho trovata al mio ritorno. Dal 16 agosto ad oggi ho avuto due Corsi di SS. Esercizi per tutto il Clero della mia Diocesi e quindi non mi è rimasto il tempo per rispondere adeguatamente. Mi rimetto a quanto gli altri miei Confratelli potranno, dopo matura riflessione, riferire intorno all'argomento.

Baciando la S. Porpora La riverisco

della Eminenza V. Rev.ma
um.mo servitore
✠ Francesco Monaco
Vescovo di Caltanissetta

1. *Pars disciplinaris Cleri*

Iura Patronatus, praesertim laicalis, sunt residua potentiae Principum in negotiis Ecclesiae; quae intelligi non possunt cum libertate qua Ordinarii loci gaudere debent.

Sunt enim Sacerdotes, non disciplina instituti, non bonis moribus ornati, qui enixe propriam praesentationem postulant a Patrono, magnis cum obsequiis, dum forsitan desunt reverentiae et oboedientiae Ordinarii sui. Ordinarius non potest ergo providere beneficio cum electione Sacerdotis quem magis in Domino idoneum iudicaverit.

Si praesentationem repellat, Patronus et Sacerdos praesentatus, contra Ordinarium murmurant et forsitan, aut fere semper, calumnias divulgant.

Si Respublica Italica in Pactis Lateranentibus Compatronatum deposuit se obligans supplemento Congruae et aliis expensis, cur pati debet Ecclesia ius praesentationis quod libertatem Ordinarii laedit?

2. *De Parochis*

Proponitur quod Parochi sint omnes amovibiles. Facilior in hoc casu erit modus procedendi in remotione aut in translatione eorum qui indigni vel minus digni evaserunt.

✠ Franciscus Monaco
Episcopus Calatanisiadensis

50

Exc.mi P. D. MATTHEI G. SPERANDEO
Episcopi Calvensis et Theanensis (Calvi e Teano)

Eminentissime Domine,

Dum enixas preces Deo O. M. adhibemus, ut prosper exitus Concilio Oecumenico contingat atque Summo Pontifici Ioanni XXIII fel. reg. maximas gratias pro tanto beneficio agimus, vota nostra Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae, humillime committimus.

A) Quod ad doctrinam attinet optamus:

1. Ut doctrina de Universali B. M. Virginis Mediatione definiatur.

2. Doctrina de Corpore Christi Mystico definiatur atque officia fidelibus inde obvenientia limitesque apostolatus laicorum declarentur.

3. Ius Ecclesiae in quaestionibus politicis cum theologia morali connexis definiantur.

4. Doctrina Caroli Marx atque errores communistarum sollemniter dannentur.

5. Quaedam capita de usu matrimonii e. g. methodus Ogino-Knaus, illustrentur ac definiantur.

B) Quod ad disciplinam Cleri attinet, enixe rogamus:

1. Caelibatus lex confirmetur; presbyteratus vero ordo et votum castitatis perpetuae ad trigesimum annum remittantur, quo diaconus onus suscipiendum maturius perpendet, dum, studiorum curriculo peracto, per aliquot annos, munere ab Ordinario assignato fungi potest;

sacerdotibus vero lapsis, qui matrimonio civili ligantur, benigne caveatur.

2. Parochorum inamovibilitas abrogetur.

3. Ius exemptionis Religiosorum coarctetur, atque Ordinariis, intra fines dioeceseos, pro animarum salute, eorum opera utendi facultas concedatur.

4. Denique sacerdotum incardinatio vel excardinatio atque cleri rationalis distributio expediantur.

Dum impensos animi sensus exprimimus, fausta quaeque Eminentiae Vestrae exoptamus.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
add.mus
✠ MATTHAEUS G. SPERANDEO
Episcopus Calvensis et Theanensis

51

EXC.MI P. D. IOSEPHI D'AVACK
Archiepiscopi Camerinensis (Camerino)

Camerini, die 9 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Profundo animi gaudio ac trepidatione affectus ob ea quae, per venerandam epistolam sub die 18 iunii, Eminentia Tua Reverendissima dignata est mihi significare, audeo nunc eidem Eminentiae Tuae, per annexa folia, mittere ea quae, post maturam considerationem et diuturnam precationem, mihi visa sunt submisse suggerenda pro futuro Concilio Oecumenico.

Humillime oro Eminentiam Tuam necnon et Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam, ut benigne ignoscatur mihi — inter cetera — et retardatio et pessima dactylographica editio: in angustia temporis, et adiutorum, et opum — ipse meiipsius dactylographus... — neque citius neque emendatius scribere valui.

Interea, profunde pronus ad osculum Sacrae Purpurae, devotissimos animi sensus Eminentiae Tuae ex corde profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus
✠ IOSEPHUS D'AVACK
Archiepiscopus Camerinensis

PROTESTATIO

Profiteor plenum et filiale obsequium erga supremam maternam Sanctae Romanae Ecclesiae auctoritatem.

Propter Dei caritatem et Ecclesiae et animarum, oro atque obsecro omnes excussuros has litteras, ne ita consistere velint in locutionibus, animadversionibus, ideis, minus aptis seu accuratis, immo vel aliquatenus erroneis, ut non percipiant sollicitudines, ideas, suggestiones praecipuas; quatenus saltem aliquid veri praeseferant ac boni.

Vel priusquam respuamus voces sollicitudinis forsan incompositas vel importunas, caeteroquin emendabiles, reor nobis curam et anxietudinem habendam de gravi Ecclesiae humanique generis statu, necnon de remedio potissimo cuius Ecclesia depositaria est et magistra et largitrix, cuius Episcopi sunt Ministri rationem Deo reddituri.

Nonnullas quaestiones, nonnulla argumenta vix innui: v. gr. de Sacerdotio Christi et nostro, de vita christiana, consecrata, sacerdotali, de caritate et cruce, de germano sensu consiliorum evangelicorum, praesertim vero de Beata Maria Virgine. Si vero ven. Commissio Antepraeparatoria id optaverit, perlibenter mentem meam fusius — si valeat! — pandere contendam.

✠ IOSEPHUS D'AVACK
Archiepiscopus Camerinensis

I

QUAE RECOLENDA, ELUCIDANDA AD EFFECTUM ADDUCENDA A CONCILIO

Prae mente habitis propositis Conciliorum generatim, mentionibus circa futurum Concilium a Summo Pontifice iterum iterumque prolatis, statu actuali Ecclesiae et humani generis, videtur munus praecipuum huius proximi Concilii esse: revocatio valida et aperta, doctrinalis et practica, ad veritates fundamentales:

1. Timorem Domini « initium sapientiae »: Deum, Ens infinitum, Summum, Creatorem; omnes omniaque omnino Deo obnoxia, etiam bona temporalia.

2. Peccatum, quatenus offensionem Dei, radicem omnium malorum.

3. Ordinem supernaturalem; divinam adoptionem in filios; caritatem; Corpus mysticum; peccati originalis consequentias; Gratiam; « Novissima »; Infernum et Gloriam aeternam.

4. Redemptionem per Sacrificium Christi Sacerdotis Summi (« Exinanivit se... oboediens... *Philipp.* II, 7, 8). Sacerdotium et Sacrificium Christi, a nobis, gratia praeventis, quid exigant: accedere ad Patrem per Christum, Eiusque « oboedientiam » prosequi redemptricem (« Non potest dicere Caput pedibus: ... non estis mihi necessarii » — *I Cor.* XII, 21, in *Myst. Corp.;* « ... accedentes ... obtemperantibus Sibi ... » — *Hebr.* VII, 25; V, 9; « Adimpleo in carne mea ... pro corpore Eius quod est Ecclesia » *Coloss.* I, 24).

Ut pressius dicam, censeo Concilii munus revocare elementa potissima Christianae Religionis: Caritatem scl. et Crucem.

Caritatem: amare Deum; non solum Eum non offendere; amare « ex toto » (*Matth.* XXII, 37).

Diligere proximum, qua filios Dei; non tantum non nocere.

Crucem: abnegare semetipsum; relinquere, saltem cordis affectu, res temporales bonas in se qua media ad initium cognitionis et servitii Dei (« Crescite, multiplicamini, replete... » *Gen.* I, 28), sed periculosas nobis proclivibus ad consistendum in eis usque ad contemptum Dei: « Qui vult venire post me ... qui non renuntiat omnibus... qui non odit... », sunt praecepta quae omnibus et non solis vocatis ad statum perfectionis Christus imposuit (cf. *I Cor.* VII, 29 ss.). « Vocatis » vero ad prefectionem recolendum perfectionis essentiam Caritatem esse: unde necessitatem Consiliorum: ut trascendamus omnia bona, voluptates et amorem humanum (Paupertas et Castitas), et aperiamur ad Caritatis perfectionem, quae efficitur in exsequenda plene et positive Dei voluntate (Oboedientia). Et consequenter:

a) Pretium omnis vitae christianae ut talis, vel simplicissimae et humillimae, ad implenda ea quae desunt passionis Christi pro Ecclesia; praesertim vero pretium vitae consecrationis, quae imitatio et quasi prosecutio est operis Mariae Corredemptricis.

b) Sacerdotium nostrum: eius finis et munus efficere scl. ut homines accedant rectius et efficentius ad Patrem per Christum (Missa); docere et ducere homines in oboedientiam Christi (Magisterium et Regimen); in statutis adiunctis conferre profecto Gratiam (Sacramenta).

c) Perfectionem Sacerdotibus esse maxime consentaneam immo necessariam.

II

QUAS OB CAUSAS OPORTEAT HAEC A CONCILIO REVOCARI

A) Generatim

Tandem aliquando in praedictis omnibus agitur de relatione hominum erga Deum, et de ordine supernaturali. Humanitas creata est a Deo, et ab Eo ad ordinem supernaturalem evecta. Potest ergo bene se habere tantum si vivat in plena servitute Dei, in ordine supernaturali: in Gratia, secundum Caritatis legem, per Crucem.

Ultra humanas vires hoc est; at Deus dat ad hoc potestatem per infinita Christi merita.

Ordo naturalis, lex naturalis, sufficere non possunt; nec omnino possunt in effectum adduci (non potest « diu » perseverari in operibus iustitiae naturalis sine Gratia).

Ecclesia est depositaria unica Veritatis, Vitae, Legis supernaturalis.

Ergo Ipsa sola potest hominibus praebere quae omnino necessaria sunt.

Hoc est Ecclesiae officium potissimum et proprium. Huic instare debet « opportune, importune » (*II Tim.* IV, 2), quia homines propter peccatum originale propensi sunt ad Dei oblivionem immo contemptum, ordine supernaturali omnino reiecto. Eo magis instandum, eo evidentius urgendum si forte oportuerit Ecclesiae Magisterium vel Regimen instare etiam circa ceteras veritates ceterasque quaestiones: cf. *I Cor.* I, 22 ss., II, 2: « ... Iudaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt: nos autem praedicamus Christum crucifixum... ». « Non autem iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc Crucifixum ».

B) Praesertim attento praesenti momento Ecclesiae et humani generis

a) Quamvis longiori usu et frequentiori notitia obsolefactus, peracute attendendus est hodiernus status magis in diem periculosus et tremendus, neque humanis viribus sanabilis: « uno tantum gradu » genus humanum et immane bellum et totale exitium dividuntur.

Ecclesiae (v. supra) depositariae unicae remedii potissimi, hoc remedio hodie utendum est ad salutem humani generis, summa vi, summa evidentia, summa instantia.

(Revera fatendum videtur et sapientissimas prudentissimasque admo-

nitiones de iure naturali, quas praesertim Pius XII fel. rec. perabunde protulit, omnino inefficaces usque modo evasisse).

b) Hodie non agitur, ut olim, de singulis erroribus aut de declinationibus in determinatis veritatibus Fidei. Populi hodie non sedictionem movent, non « bella sancta » agunt contra Arianesimum aut pro Iustificatione vel Transubstantiatione. Hodie potius adest negatio vel saltem oblivio plena relationum erga Deum, ordinis supernaturalis, Redemptionis; et ut permaneant in hac oblivione vel negatione, saltem practica, resistunt homines potentia passiva humanis viribus prorsus invincibili.

Si superiora Concilia singulos suorum temporum appugnarunt errores, Concilium nostrum hanc fundamentalem debet oppugnare apostasiam.

C) Singillatim, videntur animadvertendae quaedam praesentis momenti notae

1. Ingens progressus « tecnico »; mirus prospectus futurarum utilitatum et ruinarum ingentium; incrementum opulentiae; spes in solis adiumentis « tecnici » reposita, et oblivio Dei; progrediens consumptio et concitatio nervorum.

2. Libertas: non amplius coactio ad bonam religiosamque vitam ex parte civilium potestatum; ergo necessitas firmioris et operosioris Fidei personalis.

3. Libertas verbi, typi aliorum instrumentorum propagationis efficacissimorum et captiosissimorum (effemerides, « radio », « televisione » etc.); propagationis possibilitas suarum idearum, sensuum etc. patens et libera etiam immo maxime iis qui minus recte et profunde parati et edocti sunt: eo magis efficaces ad movendos animos et sensus quo minus sapientes.

4. Provida actuositas apostolica iam patens laicis, ad nova ingentia problemata moralia, socialia, oeconomica et pubblica; qui tamen laici non raro carent solida praeparatione philosophica, theologica, spirituali; qua carentia aliquando non immunes evadunt etiam complures sacerdotes, qui fere rapti urgentibus problematibus hodiernis (necnon frequentioribus conventibus, « settimane, quattro o tre giorni » etc. ad hoc statutis), et amplitudine cognitionum immoderate aucta et aptiori ad alliciendos animos, avertuntur a principiis praecipuis.

Exinde sequitur:

a) materialismum « orientis et occidentis » (Pius XII);

b) naturalismum;

c) immoderata fiducia in adiumentis humanis naturalibus, etiam pro actione apostolica, et oblivio eorum quae vere Redemptionis instru-

menta sunt. Congeries idearum, doctrinarum, scholarum spiritualium, carentium certis fundamentis et etiam aberrantium. Itaque, locutiones immo et ideae minus illuminatae, et declinantes, vel aberrantes, in theologia — ut dicitur — laicorum, rerum temporalium, historiae, laboris; circa « umanesimo », incrementum (« rispetto ») personae humanae, « democrazia »; circa Sacerdotium eiusque munera et officia;

d) diligentissima et acuta studia et inquisitiones, in Theologia Pastorali, in « sociologia religiosa », de statu religionis in singulis categoriis fidelium, de instrumentis apostolatus, etc., ita tamen ut videatur magis quaeri *quomodo* predicandum potius quam *quid* praedicandum, « Iesum Christum scl. et Hunc Crucifixum »;

e) salva omnimodo humillima reverentia in divinae Providentiae arcana consilia, fatenda videtur quaedam imminutio in vi vitali Ecclesiae; quae quidem saepe vix bellum suum defendit in partibus fidelium, cum inter acatholicos et infideles non videtur progredi ne pro incremento quidem « demografica » populorum.

Interea populi et singuli qui doctrinam Marx sequuntur, omnino impenetrabiles sunt.

Et haec omnia eveniunt, non obstante usu in dies latiori, sapientiori, instrumentorum humanorum: « organizzazione », pecuniae, adiutoriorum tecnicorum, instrumentorum propagationis, etc.

* * *

His omnibus serio perpensis, quibus constat hodie non oppugnari altera vel altera veritas Fidei, sed tota veritas supernaturalis immo fundamentum ipsum naturalis veritatis a Revelatione confirmatae (Deus, et relationes hominis ad Deum), et, consequenter, minas tremendas praegravare in genus humanum et Ecclesiam, iterum iterumque censeo Ecclesiam, Fidei depositariam et Magistram, elicere debere magnum Fidei actum, ad mentem omnium et ad effectum revocando veritates potissimas, potissimaque salutis remedia.

D) Lourdes et Fatima

Videntur haec omnia iuxta esse nuntios seu « messaggio » qui dicuntur, Lourdes et Fatima prolatos.

E) Iuxta historiae Ecclesiae sensum

Videtur etiam huiusmodi esse sensus eruendus ex historicis plurium saeculorum eventibus, exitum hodie habentibus sive in hodiernas durissimas persecutiones sive in hodiernam imbecillitatem — de qua supra

innuimus (cf. pag. 8 e) — in Ecclesiae vi vitali, eo maiorem quo latior et ardens et acutus est usus instrumentorum humanorum.

Eventus isti historici, per undeviginti saecula vitae Ecclesiae, fere videntur ad hoc permissi a Deo:

1) ut eius Ecclesia mundetur magis magisque;

2) ut corrigantur errores et declinationes Ecclesiae ministrorum;

3) auderemus dicere: ut corrigantur effectus promanantes ex duobus sequentibus capitibus:

a) Ecclesiae moderationem generatim in manibus esse illius partis Cleri quae non amplectit perfectionis statum (unde facilius oritur amor inordinatus erga imperium, divitias, splendorem exteriorem, familiam etc.: cf. « secoli di ferro », « rinascenza », « nepotismo » etc.);

b) ipsos qui perfectionem profitentur, saepe illam exercere sat minus fideliter;

4) ut recordemur utique per inopiam bonorum et instrumentorum temporalium, efficacius diffundi gratia. Quam, revera, Christus nobis meruit non per bona temporalia, vel non obstante ipsorum inopia, sed certo per bonorum et instrumentorum temporalium inopiam (cf. *Phil.* II, 6 ss.).[1]

III

QUI FELICES EVENTUS HUIUSMODI CONCILII OPERE SPERANDI

A) Quoad Catholicos

Videtur tantum ex huiusmodi reditu ad veritates et remedia supernaturalia (Deum, Gratiam, Caritatem, Crucem), oriri posse solutio omnium problematum, secus non dissolubilium. Nam:

[1] Licet immo oportet uti sapienter pecunia, instrumentis tecnicis etc., quoties iis frui possumus, ne tentetur Deus ad miracula patranda sine necessitate; et etiam petere et mendicare; oportet praesertim recordari, possibilitatem habentibus, officium adiuvandi Ecclesiam et opera eius.

Sed efficacitas supernaturalis, possibilitas intelligendi et accipiendi et exercendi veritates revelatas, habetur tantum per Gratiam; alias, licet omnibus instrumentis humanis utamur, ita fiet ut si quis velit exponere lucem et colores coeco nato, si quis loquatur surdo, immo mortuo. Gratia adest, autem, et quidem superabundans, in Capite Christo; sed per explicitam voluntatem Dei, descendere debet in membra longinquiora et mortua immo separata, per membra propinquiora et magis socia oboedientiae redemptricis Christi. Opum humanarum defectus, earumdemque insufficientia pro necessatibus operis apostolici, haec nobis esse debent quasi portio Crucis redemptricis Christi, quae in nobis prosequitur.

1. Necesse utique est recordari Nationum Rectoribus, etiam acatholicis, legem naturalem, tanquam primum gradum et initium consensionis. Sed verum et efficacax adiumentum verae pacis — scl. cum iustitia, cum solutione ingentium problematum connexorum, incipiendo ex inordinato amore suae nationis usque ad aequam divisionem gentium, finium, materiarum primarum, ad firmam et actuosam fiduciam in instrumentis pacificis potiusquam in armis — tantum consequi poterimus, et eo magis, quo Catholici, gratia facultatem praebente, valuerint conformare continuo rei publicae ordinamenta legibus Caritatis: per suum opus, et praecipue per suam vitam christianam, Christi Passionis adimpletionem, impetraturam a Domino Gratiam: quae obsistendo immo remedium supernum afferendo erroribus Rectorum populorum « etiam rebelles compellat propitia voluntates » (cf. Coll. Dom. IV post Pentec.).

2. Operariis licet immo oportet consociari ut christiane defendant iura sua et familiarum; sed questio socialis solvitur tantum si homines, Gratia facultatem praebente, diligant inter se ut veri filii Dei; per christianam « mortificationem » parce utantur bonis temporalibus; maius lucrum et divitias habeant non velut finem et causam potissimam vel unicam sed tantum ut incitamentum et adiutorium ad operandum et lucrandum « in talentis ».

3. Oportet efficere ut coniuges adiuventur ad vitam coniugalem minus difficilem ducendam (nam constituti saepe sunt in « occasione proxima necessaria »); sed problemata moralis coniugalis solvuntur tantum si, Gratia facultatem praebente, amor coniugalis habeatur inferior et caducus (« In Resurrectione neque nubent etc. *Matth.* XXII, 30), et solum qua talis a Deo constitus et benedictus et ab Eo statutus pro plurimis hominibus, ceteroquin factus periculosus ob peccatum originale (« Qui cum uxore est divisus est » *I Cor.* VII, 33; VII, 29).

4. Necesse adiuvare solutionem problematum parvulorum et iuvenum per scholas, collegia, « oratoria », « colonias » etc. (ut italice dicuntur). Sed haec omnia supplere nequeunt muneri familiae, quae est, voluntate Dei, praecipua educatrix, et quae hodie quidem plerumque omnino negligit suam missionem. Familia autem redibit ad explendam missionem suam tantum si, Gratia facultatem praebente, redibit ad principia christiana, ad cognoscendos et efficiendos fines sibi a Deo Creatore et Redemptore traditos.

5. Oportet parare oblectationes moraliter sanas (munus parentum et educatorum, necessitas et munus omnium praesertim iuvenum); sed quaestio de spectaculis cinematographicis, televisivis, ludi corporibus exercendis (sport), etc., solvitur tantum si, Gratia facultatem praebente, ludus habeatur non velut finis sed medium ad recreandam spem beatitu-

dinis aeternae et ad libentius reamplectendam crucem vitae christianae, et si hae oblectationes adhibeantur cum temperantia, non a christiana castigatione et « mortificatione » seiunctim.

6. Oportet uti omni ope ut intelligibilis omnibus et maximi momenti fiat Missa et universa Liturgia Sacra; sed quaestio non solvitur nisi excitetur in hominibus, Gratia facultatem praebente, idea peccati et necessitatis Redemptionis.

Viribus humanis haec munera videntur omnino superiora, remedia quae designantur — Caritas, Crux — videntur absurda. Sed haec est « stultitia Crucis » (*I Cor.* I, 18).

Per Crucem vitae christianae, praesertim vitae perfectionis, adimplentur « ea quae desunt passionis Christi », impetratur Gratia, qua haec omnia possibilia immo facilia et fecunda redduntur.

Haec via unica ad salutem humani generis.

Has veritates docere, his insistere oportet.

Necessaria est Fides ad accipienda haec omnia.

Sed audemus dicere: Ecclesia, depositaria et magistra Fidei — ut iam innuimus — magis magisque peragere debet magnum Fidei actum, hoc est solemniter admonere omnes de hac veritate, plena cum fiducia his opibus uti.

B) Quoad fratres separatos

Videtur multo facilius convenire cum Acatholicis (immo quandoque et cum infidelibus) in his veritatibus praecipuis (Deus, peccatum, Redemptio, Caritas et Crux, etc.).

Ipsa oboedientia Romano Pontifici poterit accipi multo facilius ab eo qui noverit necessitatem oboedientiae Deo, ac proinde ordini a Deo statuto, et viderit hanc oboedientiam velut actum Caritatis (« Si quis diligit Me sermonem meum servabit », « Qui vos audit Me audit »; *Io.* XIV, 23; *Luc.* X, 16), et noverit exiguitatem humanae naturae quae provide corrigitur et adiuvatur, quin coarctetur, et perficitur per societatem ierarchicam divinitus ordinatam quae est Ecclesia.

C) Quoad Communistas et Infideles

Videtur in praedictis constare verum potissimumque remedium contra Communismum, quod adhuc prorsus invincibile evasit.

Communismum enim est consectarium extremum et necessarium liberalismi: cui profecto opponitur radicitus tantummodo plena et consequenter actuosa professio integrae Fidei Christianae: aut huiusmodi

plena et actuosa professione Fidei vincitur, aut subire necesse est suum consectarium, Communismum scilicet.

Ceteroquin, cum Catholici firmissime ad Caritatem et Crucem redierint et melius impleverint passionem Christi, Gratia efficacius fluet ad vivificanda membra seiuncta et mortua et mortifera: et ita Communistae valeunt oboedire Ecclesiae, et postoponere utilitates temporales spiritualibus (actus scl. supernaturales, qui sine Gratia perfici nequeunt).

Quae eadem prope dici possunt de infidelibus.

IV

DE QUIBUSDAM PECULIARITER IN ACTUM ADDUCENDIS

A) 1. In studio Theologiae Dogmaticae

Una cum erroribus antiquis eorumque refutatione, oportet accurate inquirere, usque ad practica consectaria, doctrinam de peccato, de Redemptione, de Sacerdotio et Sacrificio Christi (quid Sacerdotium et Sacrificium Christi exigat a Christianis), de Corpore Mystico; in mentes et in actum revocare perfectionem consistere in Caritate, ad quam necessarium est Consilia evangelica exercere (differentiam inter perfectionem status et statum perfectionis); consiliorum fundamentale et genuinum sensum (praeter ea quae peculiariter Religiosi vel alii agunt); necessitatem pro omnibus et singulis Christianis, et pretium mortificationis, abnegationis sui, temperantiae circa bona et voluptates et cupiditates humanas.

Enixe inde urgere in omnibus oportet veram actuosam aestimationem cuiusque vitae christianae, vel simplicioris et humilioris, quatenus est oboedientia Deo, prosecutio oboedientiae redemptricis Christi.

2. In studio Theologiae Moralis

Una cum doctrina usque modo tradita, necessaria ad rectam administrationem Sacramenti Poenitentiae, oportet potissime et instanter elucidare duplex Caritatis praeceptum, in quo « universa lex pendet »; Caritas non est habenda quasi meta ad quam plus minusve remote oporteat tendere ne incidamus in infernum, sed est substantia vitae christianae: Diligere, et non tantum non offendere, non nocere; diligere Deum « ex toto », diligere proximum qua filios Dei.

Exinde collustrare oportet questiones et solutiones moralis socialis, coniugalis etc.; singillatim et accurate definire et secernere principia

doctrinae christianae ex opinabilibus solutionibus quae adhibentur a scholis et a partibus politicis quae doctrinam christianam profitentur.

Tantum ex his principiis et circa ipsa, indici potest in studiosos et in homines actionis catholicae necessaria unitas et concordia non tantum disciplinari sed etiam interioris persuasionis.

3. In praedicatione et in catechesi

Perspicue et accurate haec omnia edocenda et declaranda sunt, enixe fideles compellendo ut omnia in actum adducant.

4. De lingua latina

Necessarium videtur veritates fundamentales — naturales et supernaturales — enuntiari, cognosci, percipi lingua universali et firma — « lingua mortua » — et ideo significationibus certis et immutabilibus (secus ac in vigenti sermone — « lingua viva » — cuius verborum vis evolvitur in dies).

Itemque necessarium videtur ut Sacerdotes valeant intelligere et exprimere et docere veritates, problemata, solutiones, per sermonem vigentem, ita ut ab omnibus recte intelligantur.

B) Pro populo christiano in genere

Praeter ea quae iam innuimus (v. supra et pag. 147 ss.) videtur pernecessarium revocare christianos ad poenitentiam et ad veram quietem diei festi.

Instaurare oportet convenienti modo et ratione praescriptum de ieiunio et abstinentia. Quod plures hodie violent hanc legem, est argumentum ut magis necessaria habeatur poenitentia, elementum essentiale in christiana religione.

Per quietem diei festi hodie videtur prohiberi labor operariorum, qui scl. magis indigent, dum licitus habetur labor eorum qui arte liberales exercent — « professionisti » — exinde ingentia lucra trahentes. Non praetereundum est quod evolutio in re oeconomica omnino immutavit ideas circa opera servilia, liberalia etc.; hoc bene attendendum est, ut sacrosanta lex de festiva requie recte elucidetur et imponatur.

Pertenuis quidem est hodie sensus de necessitate poenitentiae, de sanctitate diei festi. Nonne haec causa potior tot ingruentium malorum? Magis igitur necessaria pergravis actuosa admonitio. (Non obliviscendum hoc maxime iussum et severissime quaesitum a Deo in Veteri Testamento).

E contra videtur fortasse innovanda disciplina de reservatione peccatorum et censuris, saltem quoad laicos.

Poterant haec elaxis temporibus arcere e peccatis, quando validior erat Fides, profundior et actuosior institutio religiosa saltem traditionalis, sensus catholicus diffusior, evidentior vis disciplinae ecclesiasticae etiam in mores et ordinationes pubblicas.

Hodie, vero, omnino his omnibus imminutis immo prope deletis, timendum videtur ne reservatio peccatorum et censurae potius arceant a Sacramentis suscipiendis.

Qui, gravibus oneratus peccatis, tandem aliquando confessarium adit, difficile intelligit cur sibi, ceteroquin satis disposito, absolutio denegetur, difficilius rediturus est, vel confessarium facultatibus instructum aditurus.

C) Quoad Clerum, Actionem Catholicam, Religiosos

1. *De caelibatu ecclesiastico*

Attenta re quomodo se habeat in Italia et, gravius, in America Latina (de ceteris Nationibus, nescio), quidam quaerunt an possit remedium afferri per relaxationem legis: v. gr. attenta extrema carentia sacerdotum in America Latina, concedendo quaedam urgentiora munera sacerdotalia (Missae celebrationem, Extremam Unctionem administrare, immo vel et Confessionem in extremis, et cathechizare) Sacerdotibus matrimonio iunctis.

Nonne autem timendum ne haec relaxatio legis inducat in ruinam circa castitatem plures alios Sacerdotes, et scandalum excitet quasi regressus et disciplinae Ecclesiae retractatio, et gratiae augendae obstet?

Ceteroquin, cum agatur de Sacerdotibus et de gentibus rudioris religionis et fortasse constitutionis phisicae infirmioris, nonne fiet ut qui uxorem ducere permittantur, una uxore — ut ita dicam — contenti non sint?

Prae oculis potius habendum est complures laicos valere castitatem perfectam servare; recolendum quo arctissimo indissolubili vinculo perfecta caritas cum castitate perfecta coniungatur (cf. Enc. *Sacra Virginitas*) et quam multum deceant immo necessaria sint haec Sacerdotibus (cf. Enc. *Ad sacerdotii nostri primordia*).

In hac peculiari quaestione, videtur potissime necessarium inquirere et declarare doctrinam de castitate et cruce, ut supra innuimus, et spiritum Fidei augere.

Alia rei facies, sed mere contingens, est condicio plurium novatorum

« Pastorum », qui uxorem habent, iidemque vero sacerdotali sensu praediti, qui in Catholicam Ecclesiam intrantes munera sua sacerdotalia derelinquere nollent, neque familiam deserere possunt; quod est etiam gravis de re oeconomica sollicitudo. (Hoc tamen in casu, satis essent « dispositiones transitoriae » quae dicuntur).

2. *Quaedam de vita sacerdotali et C. I. C.*

In gravibus huius temporis angustiis, et iuxta principia supernaturalia iam revocata, emendanda et novanda videtur disciplina sacerdotum quatenus *Codice I. C.* regitur, et re vera in actum perficitur, scl. oboedientia, paupertas, et usus bonorum; parochorum inamovibilitas, concursus in collatione paroeciae etc.

Videtur enim plures saepius adhibere « litteram » *C.I.C.* et subtiliores Theologiae moralis distinctiones, ut se eripiant ex eo quod Sacerdotium exigit; iuridica Beneficii ratio videtur pluries vincere exigentias spirituales populi et ipsius Cleri, efficiendo in Sacerdotibus mentis habitum sensu christiano prope carentem et minime sacerdotalem, et difficultates et nocumenta in ministerio sacerdotale inducendo.

Admonendum esse praeterea videtur, claris expressis verbis, doctrinam et legem Ecclesiae non perfici in solo iure et Codice (necessaria ceteroquin ad normas definiendas, ad abusus vitandos); lex Ecclesiae est Caritas, quae ex natura sua ad maximum tendit. Sacerdos qui sola Codicis observantia contentus esset aeque muniretur fere contra voluntatem Ordinarii et exigentias boni animarum, profecto substantiam christianae doctrinae et praesertim sacerdotalis reiceret.

3. *De munere sacerdotum et de munere laicorum*

Definire oportet et maioris momenti facere munus vere sacerdotale, distinguendo opus proprium laicorum: qui, Sacerdote magistro duce et gratiam praebente, debent principia christianae doctrinae in omnibus humanae vitae rationes perficere.

Ideo definire oportet et, intra suos fines, magis magisque promovere apostolatum laicorum, servando sacerdotibus munus sibi proprium. Corrigenda enim videtur frequens hodierna confusio inter officia, ita ut Sacerdotes, quin laicos ad munus ipsorum efforment, directe incumbunt operibus laicorum propriis — opera scl. socialia, oeconomica, « sindacalia », recreativa etc; — munere sacerdotali pene relicto vel saltem neglecto; et e contra laici, indigentes ope spirituali, quam in sacerdotibus ita distractis invenire non valent, suscipiunt munera fere sacerdotalia (velut quamdam directionem spiritualem etc.).

Cum nonnunquam Sacerdotium vix aut ne vix quidem Religiosis vitae contemplativae concedi voluerit (forsan non satis animadvertendo contemplativos, si fideles suae verae vocationi, participes fieri ratione quadam mystica et extraordinaria Passionis Christi et ideo maxime de S. Missa haurire) nonne e contra minus conveniens est Sacerdotium iis qui institutioni puerorum (praeter religiosam) vel studio litterarum aut scientiarum, vel aliis laicalibus operibus solum et exclusive aut saltem praesertim incumbant? (cf. exemplum S. Ioannis B. de la Salle). Talibus operibus optime convenit consecratio ad perfectionem, non autem Sacerdotium.

4. *De vita consecrationis ad perfectionem*

Pluris facienda videtur vita Deo consecrata; quatenus magis vacat operae apostolatus (v. supra), potissimum autem quia melius et efficacius oboedientiam Christi Redemptoris prosequitur.

Iuxta exemplum B. Mariae V., huiusmodi vita fluxum Gratiae auget, efficacius reddendo opus nostrum sacerdotale. Hac enim deficiente, animae, etsi copia sacerdotum abundaret, non valerent venire aut non dociles et capaces venirent ad Sacramenta suscipienda, ad audiendum Verbum Dei; et multo parcius merita Christi ex S. Missa haurirentur.

Praeterea, talis melior cognitio et aestimatio vitae consecrationis, una cum meliori cognitione vocationis vere sacerdotalis de qua infra (n. 5) (cf. et n. 3), remedium potissimum erit contra ingravescentem defectum vocationum « fratrum laicorum » quo laborant plerumque Ordines et Congregationes magno cum detrimento verae religiosae observantiae et rectae executionis suae cuiusque missionis in propria sanctificatione et in apostolatu.

5. *De vera sacerdotali vocatione*

Videtur oportere clara definitio vocationis sacerdotalis; quae saltem non est perfecta si Ordinarii appellatio desit, ad opus sacerdotale.

Potest revera quidam Christianus affirmare se ad perfectionem caritatis vocari; immo ipsas capacitates quas se habere existimat ad opus sacerdotale, humiliter ostendere. Solus autem Episcopus potest illi aut cuivis alii dicere: Veni ut Sacerdotio te augeam.

Re quidem vera hoc ferme evenit in Seminario, implicite tamen vel inscienter. Necessarium videtur ut scienter et ex professo ex parte Episcopi et populi eveniat.

6. *De relationibus inter Clerum saecularem et regularem*

Prae oculis habendo declarationem Pii XII f. r., esse scl. etiam Sacerdotes Religiosos subiectos cuidam Episcopo, hoc est Summo Pontifici,

qui Ordinarius est in omnibus dioecesibus, et eorum officium et munus ad totius Ecclesiae peculiares exigentias pertinere (cf. Allocutionem 8 dec. '50), videtur necessaria:

a) admonitio firma et explicita de pretio et efficentia immo necessitate Religiosorum in bonum universae Ecclesiae;

b) admonitio firma et explicita ad SS. Votorum positivam observantiam; pluries enim circa paupertatem vel oboedientiam quidam videntur subtiliter tenaciter niti eam observantiam ad minimum contrahere, vel prorsus sibi videri non violare;

c) serena et clara inquisitio de singulorum Ordinum et Congregationum spiritu et fine.

Sunt enim, inter illa, quaedam revera a Spiritu Sancto excitatae scholae peculiaris de vita spirituali doctrinae, quibus Ecclesia indiget, cum ibi sanctitatis suae multiplex et clarum argumentum et exemplar inveniat, cum via pandatur animabus peculiaribus vocationibus signatis.

Sunt aliae praesertim Congregationes quae particularibus ministeriis incumbunt ad quae specialis informatio et habitus et « organizzazione » requiritur.

In utriusque his casibus, videtur tribuenda esse Religiosis plena libertas et immunitas immo tuitio a sollicitationibus quae ex urgente necessitate vitae paroecialis oriuntur aut aliis huiusmodi. (Nisi forte S. Ecclesia non amplius nostro tempori aptam existimet quandam vitae spiritualis doctrinam aut speciem ministerii, vel si forte religiosi vocationi suae non amplius respondeant).

In aliis casibus agitur, in genere et si paucas accidentales formas exceperis, de sacerdotibus qui vitam communem amplectuntur sub quadam Regula ad maiorem perfectionis amorem; sed omnino ministeriis sacerdotalibus vacare valent. Ex istis videtur augenda esse cum Clero saeculari positiva cooperatio, ipso Ordinario moderante servato tantum quod iure exigit de singulorum Ordinum et Congregationum vita.

Sub hoc velut lumine considerari potest quod Religiosi tot ob causas saepe multo plures Vocationes inveniant quam Clerus saecularis; cuius rei remedium immo felix usus invenietur in ista fraterna et positiva cooperatione.

Circa vero illos Ordines qui peculiarem doctrinam spiritualem exhibent, diligentissime videtur inquirendum an singuli religiosi sint vere vocati, apte conformati, et fideliter vocationi suae respondeant. Poterit forsan exquiri an liceat vel prorsus deceat per istos Ordines, praeter quosdam plenae observantiae Religiosos, etiam Sacerdotes comparari qui lato sensu illa doctrina instructi valeant velut fratres Clero saeculari mutuum adiutorium conferre.

Hoc autem non praetermittendum, nostris temporibus plurimos Religiosos, pro ratione quam Ordines et Congregationes adhibent ad adulescentulos alliciendos immo dicerem fere captandos, vera sui Ordinis vocatione carere vel tenuem ac debilem habere, nec quidquam valere maius facere in quemdam Ordinem vel Congregationem, enim, ingressi sunt solum quia ab illo aut illa allecti et delecti, nisi forte aliquando ad minorem pecuniam impendendam quam in Seminario. Huic difficultati cavendo, uti diximus, poterit Ecclesia consequi ut vere vita religiosorum vigeat magis magisque, et provide auxilium ministerio dioecesano et paroeciali comparetur.

d) Exemptio Religiosorum omnino necessaria videtur (cf. quae supra diximus). Coram Clero saeculari videtur explicite affirmanda necessitas Religiosorum eorumque exemptionis; itemque et urgentius necessaria videtur plenior ac in dies melior perfectio vitae religiosae, quae omnibus huiusmodi necessitatem suadeat.

Nihilominus ad mutuum bonum quaedam iuris praescripta videntur nonnulla correctione ac immutatione indigere, quatenus saltem nostris temporibus immoderata habentur et ipsis Religiosis damno vertuntur. Quod, ex. gr., Ordinarius loci potest quidem prohibere domum religiosam aperiri, sed aperta cum sit neque mutatis circumstatiis aut aequa indemnitate tributa potest efficere ut claudatur vel transferatur, inducit Ordinarios ut vix et aegre veniam huiusmodi concedant et domum religiosam habeant velut impedimentum vel periculum immo prorsus rei pastoralis obstaculum et adversarium: (eo magis, vero, propter systemata captandi vocationes de qua supra innuimus).

e) Item per serenam et claram inquisitionem de essentia et efficentia supernaturali vitae consecratae qua talis (cf. pag. 154), necnon de singulorum Ordinum et Congregationum spiritu et fine, et actuali efficentia quoad vitam Ecclesiae et quoad fidelem observantiam suorum subditorum (cf. pag. 154), videtur examinanda problemata de Monialibus claustralibus.

Inducta est nuper quaedam disciplina, cuius capita inter cetera sunt: 1) constitutio Foederationum ad mutuum adiutorium; 2) suasio indiscriminata ad suscipienda quaedam opera apostolatus activi qui dicitur, eousque ut saepe expresse denegata sint subsidia Sanctae Sedis his Monasteriis quae nullis incumbunt operibus huiusmodi.

Disciplina haec, forsan utilis qua transitoria, si vero definitiva timendum videtur ne huc evadat:

1) ut in vita et in suo statu actuali serventur perplura illa Monasteria (saltem in Italia; de exteris nescio) quae vero spiritu claustrali (contemplativo) omnino carent nec capaces sunt eum acquirendi, et

clausuram volunt tantummodo propter — ut ita dicam — superbiam et inanem cupiditatem spiritualem, et vitam degunt valde inferiorem et laxiorem ac Sorores vitae activae;

2) minuatur immo extinguatur spiritus claustralis (contemplativo) in his Monasteriis et Monialibus quae revera eo informantur: perpauca procul dubio, sed necessaria in vita supernaturali Ecclesiae.

Videtur potius, post diligens et acutum examen, necessarium:

1) asservare et tueri in plena clausura Monasteria illa quae clausuram habent et colunt tamquam elementum essentiale suae vitae spiritualis, v. gr. Carmelitae Excalceatae); agitur enim de vocatione extraordinaria, sed vera et reali, et summe utili S. Ecclesiae (cf. Const. Apost. *Umbratilem,* Pii XI f. r., circa Carthusianos), et quae inducit vitam poenitentiae, orationis, laboris intimi spiritualis, gratia duce et agente primaria, valde duriorem ac vitam activam;

2) per gradus, reducere cetera Monasteria ad vitam activam seu mixtam, ita tamen ut Religiosae aptae revera se reddant ad opera apostolatus per convenientia studia, efformationem spiritualem etc.

Examinandum praeterea videretur num possibile sit concedere vota sollemnia etiam seorsum a clausura papali pro mulieribus, sicut iam fit pro viris. Si hoc possibile haberetur, plures difficultates prorsus solverentur.

V

DE OPERIBUS CIRCA REM OECONOMICAM

Sub claro hoc lumine veritatum circa Redemptionem, et instrumenta Redemptionis, circa Caritatem et Crucem, videtur quam serio examinanda universa actio « attività » de re oeconomica Sanctae Sedis et circa Sanctam Sedem: praesertim « Amministrazione speciale della Santa Sede » et « Istituto per le Opere di Religione ».

Fatendum est non solum garrulas ephemerides, sed et viros graves et de re oeconomica serio peritos — ipse non semel audivi — habere Sanctam Sedem tamquam valde pollentem in re oeconomica et argentaria: « è una grande potenza finanziaria ».

Procul dubio non respondet fama rei veritati. Hanc famam multi, oppositas ob causas, libenter exaggerant.

Nobis tamen prae mente habenda est humana debilitas, et proclivitas ad gloriam licet vanam et commenticiam; prae mente habenda est forma mentis illorum qui negotiis oeconomicis et argentariis incumbunt, quippe qui necessarium sibi suaeque arti rentur inducere in omnes ma-

gnam aestimationem circa suam vim, per praeconem immo per iactationem (« reclame » etc.); itaque etiam catholici minus ferventes, immo et acatholici gaudent in iactando immo exaggerando suas relationes nummariorum negotiorum cum Sancta Sede.

In primis annis suae vitae, regnante Pio XI f. r., « Administratio specialis S. Sedis » tegebatur omnino et omnibus pergravi impenetrabili secreto; quod tamen postea in dies imminutum est, v. gr. per notoriam praesentiam virorum stricte coniunctorum Apostolicae Sedi in Consiliis administrationis magnarum societatum industrialium nel nummariarum; qua ex praesentia facile aliis est arguere aliis facile est ceteris suadere « cointeressentiam » quam dicunt, et quidem ingentem, ipsius Sanctae Sedis, etiam valde ultra rei veritatem, de qua nuper conquerebamur.

Permagna sunt promerita Instituti « Opere di Religione ». Durante bello, perplures catholicae Missiones ei debent suam vitam; continuo autem per illud quamplurima bona Ordinum et Congregationum et operum Religionis caritatisque servantur et recte augentur; Sacerdotes et Religiosi arcentur a negotiationibus et negotiatoribus periculosis immo illicitis, a quibus secus, studio boni animarum incauto, et immemori genuinorum instrumentorum Redemptionis et Gratiae, candide non abhorrerent.

Optandum videtur magis magisque opera Instituti his principiis christianis excitari et dirigi, consequentibus cautionibus saepiri.

In dies autem magis effulget magna sapientia et prudentia, qua Summi Pontifices nunquam voluerunt agnosci Institutum ut organum seu Dicasterum Sanctae Sedis.

Immo optandum fortasse videtur si Actio Catholica, recte evoluta tandem aliquando explicite assumat sibi hanc providam et bene optimis convenientem laicis operam, pecunias caritatis religionisque operum tutandi, attamen sub attenta vigilantia Sanctae Sedis.

Videntur adhuc quaedam in generali animadvertenda.

Ingentibus expensis procul dubio S. Sedes gravatur pro Dicasteriis Ecclesiasticis, pro Legatis et Delegatis Apostolicis, pro Pontificia Domo, pro Apostolicorum palatiorum custodia, pro Civitate Vaticana, etc.

Licet summa cum reverentia et prudentia, Concilium examinare posset num saltem hodie vere necessariae et quidem tali mensura, universae haec expensae sint.

Videtur magna pars laboris SS. Dicasteriorum vertere circa negotia religiosa Italiae; nonne impossibile religiosis Italiae negotiis eadem simplicitate consulere ac negotiis ceterarum Nationum?

Quaedam iura et privilegia S. Sedis, pro quibus opera Dicasteriorum

exigitur, videntur quasi reliquiae temporum actorum (v. gr. reservatio Beneficiorum per Datariam Apostolicam) quin fortasse dent S. Sedi efficaces reditus ut olim.

Nonne quaedam et fortasse ingens et diuturna pars laboris in SS. Dicasteriis (« Lavori d'ordine ») potiusquam a Sacerdotibus, qui quidem ingenti stipendio pro sua substentatione egent, posset vel melius expleri a Religiosis Laicis, valde minoribus expensis?

Expensae pro decore ac splendore circa Summum Pontificem, eiusque Legatos et Delegatos Apostolicos, pro Domo Pontificia, pro Civitate Vaticana, saepe Summi Pontifices nisi sunt imminuere, quasi onerosam haereditatem superiorum temporum. Forsan Concilium occasio propitia est pro radicali revisione et immutatione.

Haec omnia, si recte considerentur, si valide in actum adducantur, ingens afferant levamen in necessitatibus oeconomicis, in curis oeconomicis Sanctae Sedis et circa Sanctam Sedem.

Et — quod valde maioris momenti est — maximum in bonum verterent animarum: plurisaecularis Ecclesiae historia docet. Quod autem dicitur de S. Sede, evidenter aequiter et consequenter dicendum et in actum adducendum est circa Episcopos et universos animarum Pastores.

Nam omnino, quolibet sacrificio posthabito, nitendum est ne forte contingat quod mediis et instrumentis minus Cruci Christi consentaneis, comparetur pecunia pro habitibus minus consentaneis Christi pauperis et crucifixi Ministris, christianae paupertatis et mortificationis Magistris.

VI

DE BEATA MARIA VIRGINE

Clarius ac plenius Christi Sacerdotio aestimato et quoad illud cuiusque animae participatione perpensa, videtur, cum christiana religiosa et sacerdotalis vita magis perspicua micare immo et augeri, tum verus sensus, vera excellentia « universalis Mediationis » et « Corredemptionis » in Beata Virgine Maria mirabiliter constare.

Attenta enim, iuxta divinam ordinationem, necessitudine B. Mariae V. ad Sacerdotium et Sacrificium Christi, plenius conspicitur, Revelatione Magistra, Maria nova Eva, vera verorum viventium Mater. Plura de hoc ineffabili argumento — vere ininterpretabili ad dicendum — disserenda. Si oportuerit, perlibenter quae sentiam pandere contendam.

Ex hoc videtur augenda praesentia B. Mariae V., in Divino Officio: non sufficit enim facta licentia saepius recitandi Officium de B. M. V. in Sabbato; agitur de vera praesentia B. M. V. in tota Liturgica Oratione, ut iam est in Canone Missae (cf. *Communicantes*).

Et utinam — supremo hoc animi voto concludo — utinam Concilium perficeretur per dogmaticam Definitionem « universalis Mediationis » et « Corredemptionis » in Maria! quae coronam Capitis Eius suprema gemma ornando, aetatem novam inauguraret qua plenius ac verius vita christiana, religiosa, sacerdotalis vigeret, et, populo et Clero misericorditer amara et periculosa purificatione per novas instantes persecutiones ereptis, Sancta Ecclesia triumphaliter renovaretur in sua vi ac vigore pro Regni Dei pleno adventu in pace Christi, in uno Ovili sub uno Pastore.

✠ Iosephus D'Avack
Archiepiscopus Camerinensis

52

Exc.mi P. D. IOSEPHI M. PALATUCCI

Episcopi Campaniensis (Campagna)

N. 30248 22 maii 1959

Eminentissime Pater,

Litteras Eminentiae Tuae sub die 18 iunii datas — n. 1 C/58-297 — recepi, et libenter vota, quae suggerenda mihi videntur circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, in adnexis foliis humiliter significo.

Enixe Beatissimam Virginem Immaculatam, Ecclesiae Catholicae Matrem et Magistram, rogo, ut Spiritus Sancti gratiam et dona Patribus Concilii Oecumenici obtineat quibus innixi et roborati, ea tractanda videant quae sunt ad confirmandum in domo Patris acatholicos, et ad conversionem omnium fidelium, ita ut fiat quam citius «unum ovile et unus Pastor » in Christo Domino.

Interim Beatissimo Patri Nostro Ioanni XXIII gratiam a Deo postulamus ut ei fructus uberrimos e Concilio Oecumenico in bonum totius mundi conferat.

Tibi autem, Eminentissime Pater, meae devotionis animi sensus profiteor, etiam totius huius Dioecesis nomine.

addictissimus in Christo et B. V. M. Immaculata
Eminentiae Tuae Rev.mae

✠ Ioseph Maria Palatucci
Ord. Min. Conv.
Episcopus Campaniensis

I - Doctrina

1, *Doctrina de Corpore Mystico* — Opportuna tractatio fiat ut pateat necessitas doctrinae quae tenet ut omnes Christifideles in unam conveniant Ecclesiam viventem et operantem quae sit « unum Corpus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et in omnibus nobis » (*Eph.* IV, 4 et ss.), adeo ut omnes Christianae animae unicum Corpus Mysticum vivens et operans efforment.

2. *Doctrina de unitate fidei et morum* — logice ex praecedenti doctrina de Corpore Mystico deducitur, iuxta illud Pauli: « Sed licet nos, aut Angelus de Coelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit » (*Gal.* 1, 8).

3. *Doctrina de Mediatione Universali Beatissimae Virginis Mariae* — Quum ex fundamento dogmatico de Corpore Mystico, Beatissima Virgo consideranda sit tamquam Collum quod totum Corpus Capiti coniungit definiri posset dogma de Mediatione Universali B. V. Mariae. Attamen iudicent Patres Concilii de opportunitate tractandi et proclamandi huiusmodi dogma in primo hoc Oecumenico conventu cum fratribus omnibus separatis.

4. *Doctrina Regalitatis Iesu Christi et B. V. Mariae* — Ex definitione doctrinae de Corpore Mystico facile consequitur opportunitas definitionis dogmaticae de Regalitate Iesu Christi et Beatissimae Virginis. Et de huius dogmatis proclamationis opportunitate, item Patres Concilii iudicent.

5. *De modo docendi Dogmaticam Theologiam his nostris diebus* — Ex doctrina de Corpore Mystico logice sequitur quod nulla humana activitas Christianae legi de fide et de moribus se subtrahere potest, ita ut sit « Omnia et in omnibus Christus » (*Col.* III, 1). Proinde sequitur in Theologia Dogmatica tractandos esse hodiernos errores de communismo materialista atheo, et neo-modernismo, de naturalismo, laicismo et existentialismo etc. Nostris igitur aptata diebus Theologia Dogmatica tradatur, dum e contra nunc iuxta elapsi saeculi methodum traditur, et quasi ignorantur novissimi errores.

Veteres errores ergo in historia theologiae esponantur, sicut fit de elapsis philosophicis erroribus; at e contra hodierni theologici errores in Dogmatica Theologia sufficienter espositi, recte confutentur, verbi gratia communismus materialista et atheus, neo-modernismus, qui a naturalismo, laicismo et existentialismo traditur.

6. *In latinis et graecis litteris tradendis,* maxime existimari solent pagani scriptores qui « classici » dicuntur, dum Christiani scriptores penitus ignorantur, quasi ipsi classicas litteras nesciverint. Opportunum

ducimus ut saltem Clerici litteras illas ab auctoribus nostris traditas discant, paganos auctores autem tantum consulant quantum opportune videatur, ne eorum animus paganismo infarciatur et scriptores nostros parvipendant, praesertim ea aetate, in qua facilius erroribus et passionibus animus imbuitur.

7. *Doctrina de relationibus inter Ecclesiam et Statum* — Ex doctrina de Corpore Mystico logice sequitur quod in Catholico Statu rei publicae rectores actionem suam supernaturalibus Ecclesiae principiis conformare debent, ita ut Status leges nullo modo Ecclesiae legibus contradicant, immo harmonice conveniant ad maiorem Dei gloriam et rei publicae prosperitatem.

8. *Theologia Moralis* — Hodierni errores, sicut in re dogmatica, ut supra innuimus, sic et in re morali, oppugnandi sunt, praesertim quoad ea quae individui, familiae et societatis vitam respiciunt. Doctrina, ergo, Ecclesiae activitates omnes respiciat in re sociali, syndacali — quam dicunt — et politica, praesertim quae vulgo « cinema, radio-televisione, sport e stampa » dicuntur.

II - Disciplina ecclesiastica

1. Ut Clerici melius et fructuosius proprii oppidi necessitatibus efformentur, Seminaria Interdioecesana aptiora et efficaciora ducimus quam ipsa Regionalia Seminaria. Dissita sunt etenim loco et particulari spiritu regionis oppida, ut saepe non facile alumni coutantur; accidit imo quod dissitorum locorum defectus et vitia magis quam bona alumni accipiant.

2. In Ecclesiasticis beneficiis conferendis amplior detur Episcopis facultas a lege concursus dispensandi.

3. Parochi, sicut Sacerdotes, sint ad nutum Ordinarii, idest sint amovibiles.

4. Quum autem in non paucis Dioecesibus praesertim in pauperrimis regionibus, Sacerdotes non sufficiant, detur Episcopis amplior facultas; qui maiorem numerum Sacerdotum habent, ut hos cedant Episcopis, qui eis quam maxime indigent.

5. Facilior reddatur Ordinariis Dioecesis gubernatio, ita ut recursus ad S. Sedem in potioribus tantum rebus fiat, ab ipsis Episcopis.

6. Sic autem relationes inter saecularem Clerum et regularem moderentur, ut, privilegio esemptionis servato, religiosi obligari possint ad regimen Paroeciarum assumendum.

7. Opportunum est, immo necessarium, ut in quolibet oppido vita

communis Sacerdotum instituatur, ut sanctius et fructuosius paroeciae regimen fiat, sicut, verbi gratia, ex S. Caroli temporibus fit in Archidioecesi Mediolanensi. Communis haec Sacerdotum vita maxime novos Sacerdotes iuvaret.

Et quantum fieri, longe a natali oppido, ad ministerium adimplendum, Sacerdotes mittantur, iusta illud: « Nemo propheta acceptus est in patria sua » (*Luc.* IV, 24).

8. Ecclesiasticus talaris habitus, quo nunc utimur, expedit, immo necessarium ducimus ut intactus servetur, praesertim in iis regionibus, v. g. in Italia, ubi eius usum sanctum reddiderunt viri sanctissimi.

9. Sacerdotum apostatarum problema particulari studio subiiciendum ducimus, ut eorum miserando statui subveniatur, ut facilior eorum reditus ad Ecclesiam fiat, servatis tamen Ecclesiastica disciplina et sacro coelibatu.

10. Ecclesiastica disciplina de ieiunio et abstinentia, nuper innovata, aptior hodiernis vitae necessitatibus aptetur.

11. Dioecesium fines, qui nunc irrationabiliter intersecantur, rationali revisioni subiiciantur ut aptius et fructuosius earum regimen fiat.

III - Liturgia

1. Opportunum est ad simpliciorem formam reducere:

a) sollemnis Missae Pontificalis et Episcoporum caeremonialis functiones, praesertim in Ecclesiae consecratione;

b) item Rituale Romanum;

c) Missale;

d) Breviarium.

2. Necessarium ducimus vulgaris linguae usum, ex toto vel ex parte, in Sacramentorum et Sacramentalium administratione. Caeterum, nostra latina lingua, sicut et graeca, in Ecclesiae originibus, communis et popularis erat.

3. Maneat tamen linguae latinae usus in S. Missae celebratione, in signum Ecclesiae unitatis in universo mundo. Ut fideles autem Missam fructuose sequantur, sit qui eam lingua vernacula legat, et quantum fieri potest, brevissimo commentario explicet.

4. Enixe rogamus Concilii Patres ut decernatur nomen S. Ioseph B. Mariae Virginis Sponsi in Canone, sicut et in Litaniis Sanctorum ponatur statim post eiusdem B. Mariae nomen.

5. Sancti Evangelii lectio communis evadat inter Christifideles ita ut Christianae familiae in domibus suis evangelica lectione nutriantur.

IV - Pastoralia

1. Pastores animarum quam maxime curent ut Christifideles ad Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta frequentius et fructuosius accedant, ut vera christiana vita quam maxime floreat, ut omnes videant opera illorum bona et glorificent Patrem nostrum qui in coelis est.

2. Ad hoc praesertim, in omnibus paroeciis, Actio Catholica, quam dicunt, potissime virorum, quam maxime floreat, ut animarum pastores fructuosius in regimine animarum adiuventur.

Conclusio

Haec nobis digna videntur quae in proximo Oecumenico Concilio tractentur ad maiorem Dei et Sanctae Romanae Ecclesiae gloriam et ad maius animarum bonum, ut sit omnia et in omnibus Christus, ac tandem ad B. Mariae Virginis Immaculatae triumphum, sicut in oppido, vulgo, Fatima, abhinc quadraginta et duobus annis, Ipsa nuntiavit: « Tandem Immaculatum Cor meum triumphabit, Russia (omnium peccatorum turba) convertetur, et longa pacis pausa universo mundo dabitur ».

✠ Ioseph Maria Palatucci
Ord. Min. Conv.
Episcopus Campaniensis

53

Exc.mi *P.* D. SALVATORIS BACCARINI
Archiepiscopi Capuani (Capua)

Capuae, 29 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris P. Commissionis Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico diei 18-7-1959, N. 1 C/59-308, sic respondeo:

Quaedam doctrinae capita

Doctrinae capita quibus homo medius adhuc firmiter imbuitur essentialia, sed pauca sunt: Deus, Creator, Provvidus, Iesus Christus Mediator plusquam Redemptor, Maria Virgo gratiarum Mediatrix et, generatim loquendo, utilitas Sacramentorum.

Duo e contra sunt doctrinae capita quibus et ignorantia et praesertim naturalismus nostrorum temporum quam maxime favent:

1) doctrina de peccato;
2) doctrina de Ecclesiae auctoritate.

1. Populo nostro peccatum est quaedam vaga transgressio legis divinae per conscientiam manifestatae, non per ecclesiam. Et quod conscientia prohibet nihil aliud est quam perturbatio ordinis socialis. Unde peccata sunt homicidia, furta, falsa testimonia, abortus, sed nullo modo sunt peccata onanismus, masturbatio, sexualitas inter solutos, nisi ordinem socialem perturbent (proles defectuosa, caeca, etc.) quinimmo plures sunt qui hac peccati labe habitudinaliter infecti, S. Communioni etiam quotidianae intersint. Notandum amplius est fere ignotum esse peccatum internum.

2. Ecclesiae auctoritas fere nulla est apud sic dictum hominem medium. Praecipua ratio est favor quem, occasione pubblicorum suffragiorum, Episcopi et Sacerdotes qui puritatem doctrinae semper auditi sunt praedicare, coacti sunt dare hominibus nomine tantum Christiano pollentibus sed revera inhonestis et quandoque divitiarum percupidis sine ullo pudore nec cura erga mandatum sibi commissum. Immo saepius isti Sacerdotes, nimio zelo coacti, visi sunt mediatores suffragiorum plusquam Dei et Ecclesiae ministri.

Inde sequitur.

Disciplina populi

1. Scandala istorum hodie Ecclesiae imputantur.

2. Sunt plures qui Christiano nomine gloriantur, qui Ecclesiam de rebus politicis loquentem nec audire volunt. Et hi sunt praesertim multi, in reliquis Christiani practicantes, qui nomen dederint factionibus politicis M. S. I., P. D. I. etc. nuncupatis et plurimi etiam demochristiani qui, etsi obtorto collo agnoscant necessitatem ut Ecclesia se defendat, cupiunt tamen ut ecclesia sibi reservet iudicium de probitate virorum qui nomen christianum significent et, data occasione, facultatem eos denunciandi tamquam inhonestos sicut audacter accidit in factionibus adversis (P.C.I., P.S.I. etc.).

3. Praesertim virorum, in urbibus quam maxime, plusquam medietas missam dominicalem deserit et haud pauci sunt qui, si possint, carnem diebus prohibitis edant, qui onanismi praxim exercent, qui divortium in dies auspicantur, praesertim inter viros.

Ratio est quia haec praecepta mere ecclesiastica retinent et ecclesiasticam auctoritatem nulli vel pauci faciunt.

Ad disciplinam cleri quod attinet

Est in votis quaedam peraequatio utilium pro Sacerdotibus facienda sin ad normam iuris faciendi, saltem intellegenter et discrete per Episcopum qui amplioribus facultatibus pollens penset necessitatem et laborem et distribuat pro suo iudicio et pro uniuscuiusque et necessitate et labore. Inadaequatio adhuc vigens in plurimis paroeciis vel beneficiis reddit fere nullam auctoritatem Episcopi in amovendis parochis, introducit patentem naturalismum in Sacerdotes, inimicitias ponit et, quod peius, amorem novitatum.

Vita spiritualis enim et opportuna praeparatio in Seminariis habita non semper sufficiens evadit ut Sacerdos fiat (o utinam!) « perinde ac cadaver » in manu Episcopi.

Haec rerum conditio una cum querelis, murmurationibus, fundatis vel non, creat in populo mentem acquisitam de clero contra quotidianas necessitates amare luctantem et haec est una ex rationibus cur parentes pavidi filios in Seminarium non dirigant.

Quaedam vota

1. Instructionem religiosam intensiorem reddere, opportunis collationibus etiam peculiaribus v. g. pro coniugatis, pro iuvenibus utriusque sexus separatim, illuminando in confessionibus, casto sed claro modo.

2. Seminaria operam dent ut Clerici oboedientes summopere evadant et ut naturalismus qui omnia et omnes invasit, saltem Sacerdotes immunes relinquat. Adprecor ut praxis Exercitiorum Spiritualium pro Sacerdotibus annua sanciatur. Item ut quondoque Exercitationes ad novitates seu sociales seu culturales cognoscendas (Corsi di aggiornamento) fiant.

3. Nihil omittendum ut populus in dies agnoscat Ecclesiam rem politicam aggredi ad hoc ut fidem, mores, sacras traditiones defendat. Ne videantur Sacerdotes nimio zelo suffulti erga nomina et viros qui si non inhonesti, saltem defectibiles sunt et quando deficiunt damnum cadit in veritates indefectibiles et in divinum patrimonium Ecclesiae et Sacerdotibus commissum.

4. Est in votis immissio in C. I. C. legislationis pro Societatibus Catholicis novorum temporum (ACI, ACLI, etc.).

Interim, dum devote manum osculo, omnia fausta Eminentiae Tuae a D.no adprecor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ SALVATOR BACCARINI
Archiepiscopus Capuanus

54

Exc.mi P. D. HORATII SEMERARO
Episcopi Cariatensis (Cariati)

7 settembre 1959

Eminenza,

Rimetto i miei voti relativi agli argomenti da trattare nel Concilio Ecumenico.

La prego di scusare il breve ritardo.

Con profonda devozione

✠ Orazio Semeraro

Eminentissime Domine,

Haec mea vota sunt, quae humiliter istae Pontificiae Commissioni examinanda propono pro Concilii Oecumenici argumentis apparandis:

A) Ad doctrinae capita quod attinet illustranda vel definienda, mihi videtur doctrinae et praxis Communismi athei condemnatio esse sollemniter renovanda et adamussim determinanda.

B) Plura argumenta audeo proponere, quae maioris momenti negotia vel disciplinam respiciunt, prae oculis conditiones huius Regionis Meridianae potissimum habens:

a) Cum quaedam Dioeceses propter rerum vel personarum inopiam prospere vivere non possint, necessaria vel opportuna videtur Dioecesium revisio, ut aliae dilatentur, aliae minuantur, aliae denique omnino supprimantur, attentis locorum et personarum adiunctis.

b) In aliquibus Dioecesibus Sacerdotum penuria ita gravis est ut tertia Paroeciarum pars sit vacans, cum e contra in aliis Dioecesibus Clerus abundet. Quid faciendum? Nescio quid dicam; sed salus animarum suprema lex. Audeam proponere quoddam iuridicum instrumentum apud Congregationem Religiosorum vel Concilii, quod de Religiosis Missionariis vel Sacerdotibus Dioecesanis ad nutum disponere possit.

c) Disciplina Capitulorum et exemptio Religiosorum fortasse moderandae sunt, ad curam animarum quam maxime fovendam.

d) Inamobilitas Parochorum potestne abrogari? Est in votis.

e) Communio Eucharistica vespertina desideratur, horis statutis, etiamsi Missa non celebretur.

f) Leges liturgicae, quae nunc complicatae et in innumeris decretis

dispersae inveniuntur, ad simpliciorem formam cuiusdam Codicis redigendae erunt.

g) Definitiva emendatio et editio Breviarii Romani desiderantur.

C) Ad Apostolatum quod attinet, haec opera promovenda aut moderanda videntur:

a) Sacerdotes quam maxime ad Religionis Opera incumbant, praesertim Orationem, Verbi Dei praedicationem, Sacramentorum administrationem, laicis catholicis coetera negotia saecularia relinquentes, quae speciem Apostolatus habent.

b) Actio catholica imponatur ut grave munus Ministerii Pastoralis.

c) Factiones politicae cum Religione ne confundantur, firmis iuribus et officiis catholicorum ut Regnum Christi in re publica constituatur.

Quod est in votis.

Omne donum perfectum a Deo precans et devota referens obsequia, me profiteor.

add.mum
✠ Horatius Semeraro
Episcopus Cariatensis

55

Exc.mi P. D. ARTEMII PRATI
Episcopi Carpensis (Carpi)

Carpi, 5 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Honorificum est infrascripto Episcopo Carpensi respondere Tuae Veneratissimae n. 1 C/59-314, diei 18 iunii 1959.

Die 4 mensis currentis omnes Ordinarii Provinciae Ecclesiasticae Aemilianae in unum collecti exararunt communem responsionem Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Oecumenico Concilio mittendam.[1]

Mens mea igitur communi supradicto documento expressa invenitur.

Interim fausta quaeque adprecans Eminentiae Tuae Reverendissimae, deosculor Sacram Purpuram ac me profiteor

Addictissimum in Domino
✠ Artemius Prati
Episcopus Carpensis

---

[1] Cf. pag. 383 ss.

56

EXC.MI P. D. IOSEPHI ANGRISANI
Episcopi Casalensis (Casale Monferrato)

Casali, die 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Veneratis Litteris, quibus Eminentia Tua dignata est expetere opinionem meam super praecipua negotia quae in proximo Concilio Oecumenico tractanda sunt, haec humillime et sincero corde respondere desidero:

1. Cum Episcopi sint de iure divino successores Apostolorum — nam « Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei » (Act. 20, 28) — mihi videtur necessarium clare exponere et recognoscere iura ipsis Episcopis inhaerentia in exercitio iurisdictionis in propria Dioecesi, utique sub dependentia Summi Pontificis.

2. In particulari, quo expeditius Episcopi possint procedere in administrandis negotiis sive spiritualibus sive materialibus propriae Dioeceseos, optandum est ut Ordinariis loci concedantur:

a) facultas dispensandi ab omnibus impedimentis dirimentibus iuris ecclesiastici;

b) facultas reducendi, ob redituum deminutionem et expensarum augmentum, onera Missarum, Beneficia gravantium;

c) facultas imponendi, in commodum Dioeceseos, pensiones quibuslibet Beneficiis, in ipso collationis actu exprimenda, salva congrua portione beneficiarii;

d) maiores facultates in remotione Parochorum;

e) facultas conferendi omnia beneficia, praeter dignitates Ecclesiae Cathedralis.

3. Circa causas declarationis nullitatis Matrimonii, cum compertum sit multos testes, mala fide, promptos esse quaecumque falsa iurare ut vera, optandum ut multo severius et efficacius agantur hae causae, ne de facto favor addatur detestabili negotio divortii.

4. Optandum ut modus inveniatur readfirmandi vim inderogabilem legis Coelibatus, ut via praecludatur cuicumque spei vel occasioni eam impetendi.

5. Quo efficacius damnetur doctrina Materialismi athei, et quo absolutius poenis spiritualibus puniantur qui eidem adhaerent vel favent, optandum ut aequa lance damnentur omnes doctrinae quae Religionem,

morum honestatem et reverentiam erga humanam personam aut negent aut infirment.

Nam — hac agendi ratione — Ecclesia clarius demonstrat se non habere « personarum acceptionem ».

6. Quo facilius adimpleatur votum S. Pontificis Ioannis XXIII — qui, in Homilia Pentecostes a. 1959 (ni fallor) auspicabat « unionem Ecclesiae Orientalis et Ecclesiae Occidentalis sub regimine unius Pastoris i. e. Summi Pontificis, et unionem Cleri Dioecesani et regularis sub regimine Episcoporum — optandum ut Religiosi et Religiosae, non tantum verbis sed factis multo intimius legentur vitae et activitati Dioeceseos ubi morantur, sub regimine Episcopi Dioecesani.

Item optandum ut iidem et eaedem multo fidelius et pressius adhaereant normis liturgicis Ecclesiae, speciatim quoad S. Missam, nam adhuc extant domus Religiosae ubi in Missae Sacrificio recitatur Marialis oratio Rosarii, eo quod, aiunt, ita cautum fuit a Venerabili Fundatore aut Fundatrici!

Haec pauca iudicavi exponere, ex parte mea et virorum magis peritorum in animarum regimine, quae magis videntur Ecclesiae et animarum bono profutura.

Interim, pronus ad deosculationem S. Purpurae, impensos animi sensus profiteor Eminentiae Tuae, dum me profiteor.

Eminentiae Tuae
add.mus, obseq.mus in Domino

✠ IOSEPHUS ANGRISANI
Episcopus Casalensis

57

EXC.MI P. D. RAPHAELIS BARBIERI
Episcopi Cassanensis (Cassano all'Ionio)

Prot. N. 880-59 31 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Accludo i miei voti per il prossimo Concilio Ecumenico, giusta richiesta dell'Eminenza Vostra Reverendissima.

Che il Signore conceda alla Sua Chiesa il raggiungimento di tutte le mete che si prefigge con la grandissima iniziativa.

Chino al bacio della S. P. umilio all'E. V. Rev.ma i sensi della mia più profonda venerazione.

dell'E. V. Rev.ma Dev.mo Servitore
✠ RAFFAELE BARBIERI
Vescovo di Cassano Jonio

Beatissime Pater,

Ad Sanctitatis Tuae Pedes provolutus, gratias Tibi quam plurimas ago, quia necessitatibus Ecclesiae praecavens, Concilium Oecumenicum indicere Tibi in animo esse mundo revelasti.

At sane Tibi Spiritus Sanctus propositum hoc inspiravit, cum ingravescentium malorum aucta congeries bonos perplexos ac pavidos, malos autem proterviores reddat.

Ad Dei Summi iura per atheistas prodita vindicanda et Ecclesiae Sanctae unitatem et supernaturalem prosperitatem promovendas, ut mihi videtur, propositum Tuum esse maxime accomodatum.

Toto orbe per discordiam ruente, maximi momenti erit Ecclesiam Sancti Spiritus opera congregatam videre nullis turbationibus concuti, hostes infensissimos profligare, orbem materna charitate amplecti et filios vel perditos vel dissitos ad unitatem revocare.

Quoniam animum Tibi adaperire, Tu Pater Beatissime, sollicitasti, haec quae sequuntur, mihi videntur, in proximo Concilio, inter cetera tractanda:

1. Patruum ac Teologorum testimonia, in Sacris Scripturis exponendis et interpetrandis; fidelium consensus et Ecclesiae sensus omnino mihi probare videntur temporum plenitudinem advenisse ad universa-

lem gratiarum B. M. V. Mediationem tamquam Ecclesiae dogma definiendam et proclamandam. Ideoque, Cleri, populique mihi commissi nomine ac meo, ardentia vota promo ut veritas haec tamquam a Deo revelata fidelibus christianis proponatur.

2. Cultum liturgicum solemne in Capitulis Cathedralibus et Collegialibus Deo reddendum in vigorem revocet et ripristinet Concilium, amotis vero superfluis, ut in recentioribus rubricarum reductionibus. E contra, Templa Christianitatis tam magnificentia sine voce manerent et Dei debitus honor detrimentum caperet.

3. Octava SS. Corporis Christi, utpote quam maxime apta ad Cultum Eucharisticum fovendum et promovendum, ripristinetur, monito orbe de SS. Corporis Christi mira efficacia ad vitam christianam rite peragendam.

4. Cum per tecnica inventa edonismus ad maximum creverit ita ut homines pronos atque oboedientes ventri fecerit, moneantur fideles de valore et virtute poenitentiae ita ut eis persuasum sit hanc virtutem, per recentes dispensationes, non abolitam sed necessariam omnino esse ad implenda « ea quae desunt passionibus Christi in carne nostra ».

Concilii vox fidelium ad aures intonet ad tantum officium in mentem revocandum, pro salute mundi.

5. Cum Ecclesia sit ut castrorum acies ordinata, quam maxime iuvat disciplinae ecclesiasticae uniformitas in cultu externo peragendo, ita ut in territoriis finitimis disciplinae discrepantia non permittantur.

6. In Seminariorum regimine et disciplina nimis ne indulgeatur mundanis blanditiis, quae in locis sacris irruere possunt per nova cinematographi, Radii et televisionis inventa. Iuvenes in sortem Domini vocati, in mundi spretu educentur, ut mundum caveant et cavere doceant.

7. Quartum vero annum studiis lycealibus additum, ut verum et proprium novitiatum alumni agant, ita ut, in scientiam Sanctorum proficientes, practicam asceticam, Scripturarum sensum et dulcedinem, una cum Liturgiae amore discant ac pergustent, amoto quovis mundano commercio, ut Dei homines ipsi se sentiant et ad Dei hominumque ministerium mancipari discant.

Quantum vero fieri poterit, dioecesibus proprium seminarium completum facultas habendi cognoscatur, ad Sacrosancti Concilii Tridentini mentem, quando media habeantur ad eiusdem sacri Instituti rectum regimen promovendum.

8. Videat Sacrosanctum Concilium num Parochorum inamovibilitas, hodie, ecclesiasticam disciplinam et animarum bonum iuvet in tanta sacerdotum penuria et tantis fidelium necessitatibus.

Pro Ecclesiae bono, Pastores quam maxime expediti esse debent in Eiusdem regimine ita ut milites ibi sint ubi agmen discrimen patiatur.

9. Religiosorum exemptionis tota materia cum omni cautela, sed cum prudenti ac intelligenti examine ac iudicio ponderetur.

Ut mihi minimo videtur, Religiosorum exemptio ut nunc est, magis nocere quam iuvare eorum disciplinam dicendum puto, praesertim in Religionibus quae Provincialem Praesulem unoquoque triennio renovant, cum perdifficile sit iis cum vigore praeesse, e quibus votum mendicare humana fragilitas tentatur.

10. In Sacramentorum disciplina Episcoporum facultates extendantur, particulari ratione habita pro re matrimoniali.

Haec, pro meo humili iudicio, Sacrosancto Oecumenico Concilio tractanda propono, inter cetera quae huius veneranda Consessio ad Dei gloriam, Ecclesiae honorem animarumque bonum statuere crediderit quibusque me omnino obligatum ligatumque promitto.

Septiformem Spiritum supra turbidas commotasque huius miserrimi mundi aquas noviter latum et Immaculatam Eius Sponsam humiliter rogo, ut Tua nostraque vota, Pater Beatissime, suscipiant et Ecclesiam renovatam, radiantemque in tam caliginoso mundo faciant et servent.

Haec dum humiliter expono ominaque prospera ex animo promens, me addictissimum profiteor.

✠ RAPHAËL BARBIERI
Episcopus Cassanensis

58

EXC.MI P. D. AUGUSTINI D'ARCO
Episcopi Castri Maris (Castellammare di Stabia)

Die 26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Libenter postulationem Tuam excipiens, paucis mentem meam aperiam.

Depositum fidei perfectum et satis declaratum puto per definitiones aliorum Conciliorum et per Litteras Enciclicas Summorum Pontificum.

1. Punctum maioris momenti his temporibus videtur mihi esse maximus conatus unionis omnium, qui christiano nomine honorantur, sive hortodoxi, sive reformati, ita ut omnes, sub unico Christi vexillo mili-

tantes, modernum anti-Christum seu atheismum marxistam oppugnare valeant.

Conventus mixti, a Summis Pontificibus Pio XI et Pio XII v. m. promoti ac trepido animo a catholicis accepti, spem intulerunt fore ut proxime omnium christianorum reconciliationis dies appareret. Faxat Deus ut omnium bonorum votum in proximo Oecumenico Concilio adimpleatur.

2. Atheismi marxisti continuus progressus, praesertim in Italiae plagis, peculiarem regulam postulat in pastorali ministerio Episcoporum et Parochorum, quae non sit nimis dura, ita ut asseclae bonae fidei illius doctrinae periculo aeternae damnationis non exponantur. Consequenter Clerus assiduus sit in operibus charitatis seu socialibus et in agone politico non manifeste partem unicam foveat, ut omnes subditorum animas curare et ad aeternam salutem ducere valeat.

3. Maximi conatus sunt necessarii ut vita et praxis mandatorum Dei et Ecclesiae sit plena in omnibus familiis. Multae familiae enim, adhuc christiano nomine ornatae, vitam edonisticam et paganam ducunt, fere numquam communes preces noscunt, solis bonis materialibus inhiant ac praecipua bona Sacramenti matrimonii parvipendunt.

4. Vires et duces atheismi quotidie crescunt, e contra Clerus in dies decrescit. Unde opus vocationum valde promovendum ac providendum esse puto. Vocationes pauperum, hodie praevalentes, subsidiis indigent et Episcopi, Superiores Regulares ac Praepositi Missionibus mediis praemuniantur, ut his necessitatibus provideant.

5. Sanctitas Cleri maxime promovenda est ut populus sanctus existat, attamen necessarium quoque puto omnem Sacerdotem bene provisum esse etiam in temporalibus ut praesto sit necessitatibus populi. Melior ac magis aequa bonorum distributio inter Clericos vehementer exquiritur.

Interim pergratos animi sensus libenter profiteor Eminentiae Tuae, Sacram Purpuram osculans.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ Augustinus D'Arco
Episcopus Castri Maris

59

EXC.MI P. D. NICOLAI RIEZZO
Episcopi Castellanetensis (Castellaneta)

Castellaneti, 8 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Gratias tibi ago ob litteras tuas (N. 1 C/59-323).

En meae animadversiones circa argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt:

1. Definitio dogmatica contra Communismum atheum.
2. Definitio dogmatica contra Neo-Modernismum. (Cf. enc. *Humani generis*).
3. Definitio dogmatica de Christi regia potestate.
4. Definitio dogmatica de Christo Mystico, et de Communione Sanctorum.
5. Definitio dogmatica de Maternitate Spirituali B. M. V.
6. Pontificale et Caeremoniale Episcoporum sint sobria.

Multa cum veneratione, fausta a Domino tibi adprecor ex corde.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ NICOLAUS RIEZZO
Episcopus Castellanetensis

60

EXC.MI P. D. GUIDONIS A. BENTIVOGLIO
Archiepiscopi Catanensis (Catania)

Catanae, 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Laetitiae et auspicio mihi est Eminentiam Vestram Reverendissimam praeesse Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico a D.no Pp. Nostro Ioanne XXIII fel. regn. institutae.

Ut oboediam desiderio Augusti Pontificis ita Epistolae Eminentiae Vestrae diei 18 iunii 1959, prot. N. 1 C/59-326, mihi videtur respondendum:

1. In primis mihi liceat exprimere humillimum votum pro definitione dogmatica B. V. M. Mediatricis omnium gratiarum. Nullum remedium aptius ad haereses et pericula autosufficientiae, technicismi et exsistentialismi saeculi nostri debellanda inveniri potest.

2. Circa disciplinam cleri censeo promissioni oboedientiae, quae emittitur in s. ordinatione sacerdotali, vim voti adnectendam esse.

3. Animarum bono prodesse puto mitigationem inamovibilitatis parochorum. Ita vitari quoque poterunt processus de quibus in *C.I.C.*, qui saepe saepius non sine scandalo vel saltem admiratione fidelium celebrantur.

4. Puto insuper legem incardinationis ita esse mitigandam ut facilius bono animarum provideri possit.

5. Aequa distributio beneficiorum curetur oportet: ita ut recens instructio S. C. Concilii in actum ubique ducatur.

6. Cum salus animarum suprema lex sit, Concilium Oecumenicum determinet ampliorem rationem qua religiosi et regulares quoque subdantur locorum Ordinariis in sacro ministerio exercendo.

Una cum clero et populo mihi commissis enixe preces D. O. M. effundam per intercessionem Immaculati Cordis B. V. M. ut ex celebrando Concilio magnum incrementum Ecclesia, Corpus Christi mysticum, habeat.

Interim humillimos animis sensus ex corde profiteor ac sacram Purpuram reverenter deosculor.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
humillimus servus

✠ Guido Aloysius Bentivoglio, S. O. Cist.
Archiepiscopus Catanensis

61

EXC.MI P. D. ARMANDI FARES

Archiepiscopi Catacensis, Ep. Squillacensis
(Catanzaro e Squillace)

Catanzaro, 6 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Qua par est reverentia, transmitto Eminentiae Tuae, Praesidi Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, animadversiones, consilia et vota quae paravi, iuxta ea quae habentur in litteris Eminentiae Tuae die 18 iuniii datis.

Devote Sacram Purpuram deosculans, me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimum

✠ ARMANDUS FARES
Archiepiscopus Catacensis et Episcopus Squillacensis

1. Munus Concilii Oecumenici nullum aliud erit nisi praesentare mundo Ecclesiam catholicam tamquam veram *ministram salutis Christi omnibus hominibus,* praesertim modernis temporibus; et ita iis qui foris sunt Ecclesia erit « civitas supra montem posita », omnes vocans ad salutem; filiis autem suis apparebit in splendore veritatis et caritatis uti « columna et firmamentum veritatis », vera magistra salutis et mater caritatis.

Ad hoc sancta mater Ecclesia in Concilio Oecumenico in Spiritu adunata sub auctoritate Summi Pontificis, Cui concreditum est pascere totum gregem Christi, oves videlicet et agnos, finem praestitutum consequi valeat, inter alia quae ab aliis Episcopis proferentur, etiam sequentia humiliter submittere Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico desidero, iuxta Epistolam Prot. n. 1 C/59-327, puncta ibi indicata secutus, idest quaedam doctrinae capita, disciplina Cleri et populi christiani, actuositas multiplicis generis Ecclesiae, negotia maioris momenti, et quaedam alia.

I. Quaedam doctrinae capita

A) *Sub ratione pressius apologetica.*

2. Ecclesia edicat, ut altius in mentibus omnium infigantur, veritates quae maxime obscurantur modernis temporibus in mentibus.

Potiores quae sequuntur mihi videntur:

3. Christus, Filius Dei, salutem omnibus affert per Ecclesiam suam, in qua naufragium vitatur universalis perditionis.

4. Contra omnes errores modernos qui dubia movent circa ipsam Dei existentiam (ob materialismum, scientismum, progressum in scientiis physicis etc.) Ecclesia iterum omnibus veritates proclamet de Deo omnium Patre amantissimo, qui omnia creavit; hominem creavit atque per Filium suum redemit; et hominem creatum et redemptum a Filio per Spiritum suum Sanctum sanctificat et ad futuram gloriam parat per Ecclesiam, corpus mysticum Christi Redemptoris.

5. In lucem iterum ponat characterem supernaturalem et supranationalem Ecclesiae, ita ut omnes populi ipsam ingredi valeant. Contra errores currentes, praesertim falsi nationalismi et communismi, alte edicatur nullam confusionem ingerendam esse inter Ecclesiam atque « civilitatem occidentalem », cum Ecclesia semper bona et consuetudines bonas populorum qui ad fidem convertuntur et retinuerit et defenderit: v. g. in cultura, in arte etc.

6. Ius ad libertatem quam sibi Ecclesia vindicat ex iure divino praedicandi omnibus evangelium Christi, sive praedicatione stricte dicta, sive scholis institutionis christianae.

7. Iterum inculcari debet doctrina de relationibus inter Ecclesiam et Statum in unoquoque Stato, necnon inter Ecclesiam consideratam in suo supremo Capite seu Romano Pontifice cum omnibus Statibus, sive singulatim sive collective sumptis (v. g. O.N.U. etc.): et edicatur Summus Pontifex semper uti Christi Vicarius et Pater omnium agnosci et venerari debere, qui bonum salutis aeternae per mandatum Christi Domini omninibus procurat.

8. Iterum edicere — et saltem in lineis essentialibus edicere — quaenam sit et esse debeant iura et officia catholicorum in promovendo bono spirituali et morali, necnon etiam bono politico, sociali et oeconomico in singulis nationibus, attento progressu in ordine democratico qui hodie in dies vigorem maiorem accipit: et de obligatione edoceantur quam omnes habent promovendi bonum temporale per exercitium iurium civilium ad hoc ut pax in ordine et exercitio virtutum in populo

conservari et promoveri possit, reddendo « Caesari quae Caesaris sunt, et Deo quae Dei sunt ».

9. Conclusiones eruantur ex praedicta doctrina praecipue circa dignitatem hominis christiani a Christo redempti: et huiusmodi conclusiones respiciant veritates quae hodie fortius impetuntur:

10. *a*) De dignitate personae humanae contra quascumque formas *razzismi, servitutis* proprie dictae, *servitutis* fucatae quae exercetur sive a privatis qui mercedem legitimam fraudant operariis sive in quibusdam statibus per laborem impositum (lavoro forzato) et tempore belli et tempore pacis.

11. *b*) Ex ipsa dignitate hominis clare eruantur saltem principia quaedam de conservatione membrorum corporis, de officio conservandi vitam, de hygiene, de « sport » etc.; et de cura animae et de iure ad veritatem assequendam etc.

12. *c*) De dignitate personae humanae in Christum per baptismum renovatae: contra quamcumque formam naturalismi, naturismi, nudismi etc. quae templum Spiritus Sancti in christiano foede offendunt.

13. *d*) In ordine sociali: altius proponatur et vindicetur a Concilio doctrina de matrimonio uno et indissolubili, fundamento familiae, quod nulla humana auctoritate subverti poterit quin omnia mala in societate proveniant. Concilium damnet rigoroso modo « il controllo delle nascite » qui legalem faceret praxim quae est contra ipsam naturam et ipsum primarium matrimonii finem. Contra divortium quod plures inficit nationes, Ecclesia denuo altam levet vocem suam.

14. *e*) In ordine sociali Ecclesiae, Concilium quotquot fervent amore Dei et proximi auctoritative et ex animo hortetur *ad laborem pro Ecclesia,* sive firmanda ubi est, sive propaganda ubi non est fundata. Fides sine operibus mortua est: et omnes fideles adlaborent pro Ecclesia, praesertim — et sint multi per gratiam Dei — qui vocationem apostolicam persentiunt ut laborent in Sacerdotio vel vita religiosa, vel in missionibus apud paganos, vel aliis modis intra fines populorum catholicorum per Actionem catholicam laicorum etc.

B) *In ordine theologico pressius sumpto speciatim quaedam determinentur a Concilio, inter quae sequentia*:

15. *a*) Circa Sacram Scripturam:

Principia enucleentur de generibus litterariis sacrorum librorum, ita ut precaveantur abusus in hac materia.

Foveantur studia biblica, quae inservire debent ad fidem *tuendam, minime enervandam,* sive in ipsis personis studio deditis, sive in aliis.

Circa quaestiones maxime disputatas hodie, v. g. de origine hominis, Concilium suum exprimat auctoritativum iudicium.

Iterum declaretur *sub ductu Ecclesiae* divulgandos esse textus Sacrae Scripturae in populo, qui adnotationibus non minimis, sed sufficientibus adiuvari debet in fructuosa lectione spirituali.

16. *b*) Circa doctrinam theologicam:

Declarationes edantur, sicut iam paratum fuerat in praecedenti Concilio Vaticano, de Christi Domini munere redemptivo, ad vitandum minimismum theologicum in hac fundamentali quaestione et ad viam parandam qua profundius intelligatur mediatio secundaria sanctorum, et praesertim B. Virginis Mariae in suo munere mediationis universalis.

17. *c*) Circa doctrinam moralem:

Praesertim, uti iam dixi, de matrimonio, declarationes edantur quaestionum quae hic illinc sunt dispersae in documentis Sanctae Sedis (v. g. de amplexu reservato etc.), ut omnibus pateat, praesertim confessariis, quid firmiter retinendum in quaestionibus tanti momenti.

Deterreantur fideles a matrimoniis contrahendis cum consanguineis, cum plura mala derivent proli.

His connecti debent quae in ordine medicali et educativo Ecclesia iam edidit et in mentem omnium renovari debent per Concilium: ut medici, sacerdotes, institutores iuventutis tuto itinere morali laborare valeant.

18. *d*) Circa doctrinam socialem:

Cum adhuc, plurimis in locis, conditiones sociales vitae hominum non respondeant dignitati naturae humanae et gratiae divinae, Ecclesia in Concilio potiora de morali sociali proclamet ad inculcanda simul principia amoris fraterni una cum iustitia, iterum damnando pestiferas communismi doctrinas necnon alia systemata quae saltem de facto dignitatem hominis operarii parvipendunt vel ad fere nihil reducunt.

II. Disciplina Cleri et populi christiani

19. Quaedam propono, uti mihi videntur, utilia ad tractationem in Concilio.

1) Unitas Ecclesiae maxime refulget in Petro: ubi Petrus, ibi Ecclesia: unitas fidei, sanctificationis et regiminis. Haec eadem unitas, praesertim in regimine, refulgere debet etiam in singulis Ecclesiis. Hinc in Concilio quaedam tractari vel indicari deberent quae ad hanc unitatem regiminis maxime conferunt in singulis dioecesibus. « Nil sine Episcopo », de iure et *de facto*.

20. 2) Examinentur ergo quaestiones:

De capitulis cathedralibus ut respondeant fini iuridico Ecclesiae, sive sede plena, sive sede vacante.

21. De parochorum inamovibilitate: prae oculis semper habito bono fidelium quibus praesunt et salvis semper iuribus personalibus, non erit inopportunum hanc materiam revisioni supponere.

22. De Seminariis clericorum, praesertim — uti est apud nos in Italia — ubi erecti sunt ab Apostolica Sede seminaria regionalia: providere dignetur Apostolica Sedes — per auxilia semper conferenda ubi necesse est — ut singulae dioeceses suum habeant proprium Seminarium completum in omni ordine studiorum, Philosophiae simul et Theologiae.

23. Reformetur, si ad praedicta consequenda necesse sit, etiam fines dioecesium, cum organizatio iuridica, quae sufficientem vitam tribuat dioecesi, multum conferat bono totius familiae dioecesanae.

24. De paroeciis: conserventur paroeciae iuxta institutum Concilii Tridentini; sed dentur principia generalia ut revera paroeciae evadant centrum activitatis religiosae in loco; et in parvis oppidis vel civitatibus detur possibilitas (iuridica) ut sit semper unum centrum paroeciale *primarium,* cum aliis ecclesiis, paroecialibus quidem, *sed coadiutorialibus* ecclesiae principali. Hoc modo videtur posse removeri periculum in quo multoties paroeciae parvae inveniuntur, ut sint videlicet ens iuridicum, sed non centrum vivum activitatis religiosae et charitativae in loco.

25. Examinentur et proponantur media ad unitatem fovendam in dioecesi inter clerum dioecesanum et clerum regularem, et in genere cum religiosis. Salvis iuribus interni regiminis cuiuscumque familiae religiosae, in exercitio munerum sacerdotalium, in ipsis ecclesiis religiosorum, omnes subdantur Ordinario loci. Ubi persentitur defectus numericus Cleri saecularis, liceat Ordinario religiosis viris concredere regimen paroeciarum etc.: in his casibus norma iuridica, saltem lata, edatur in Concilio.

3) Ad disciplinam populi christiani fovendam duo sunt maxime necessaria: doctrina christiana et participatio liturgica populi.

Votum promere mihi iucundum est:

a) Ut in felicem realitatem vertatur desiderium plurimorum: habendi, uti emanatum de mandato Concilii sub auctoritate Summi Pontificis, *Catechismum Catholicum officialem* pro tota Ecclesia.

b) Ut ipsa Apostolica Sedes curet ut edatur *Codex legum liturgicarum,* quo omnes, sive sacerdotes sive fideles, recte et sine haesitatione edoceantur theoretice et practice de cultu Deo O. M. reddendo

per Christum, speciatim de sacrificio Missae et in officio divino publico, necnon in aliis formis devotionalibus ab Ecclesia probatis.

26. Circa ea quae respiciunt disciplinam Cleri et populi christiani aliud adiungendum puto: idest de religiosis et de formis vitae religiosae praesertim ad normam Constitutionis Apostolicae Pii PP. XII *Provida Mater Ecclesia* circa Instituta Saecularia.

Nullum dubium quin omnia quae religiosos respiciunt in *Codice Iuris Canonici* locum aptum invenient iuxta propositum a Summo Pontifice expressum addendi leges novas in ipso textu Codicis Iuris Canonici.

Sed — si possibile erit — iuxta experientiam his annis acquisitam, modus aptus inveniatur ad praecavendum *falsum mysticismum* et ad *subiectionem* melius ostendendam Auctoritati Ecclesiasticae in singulis locis ex parte membrorum horum Institutionum.

Concilium hortetur fideles qui digni efficiuntur gratia vocationis religiosae, etiam in monasteriis severioris disciplinae, ut fidenter sequi velint vocationem illam, ex qua multa bona proveniunt societati christianae ex vita poenitentiae, orationis et studii vocatorum.

III. Actuositas multiplicis generis qua hodie Ecclesia tenetur

27. Tota actuositas Ecclesiae in eo est ut vita divina seu fides christiana conservetur, praeservetur et propagetur. Nunc vero:

a) Ad fidem conservandam necesse est ut ante omnia fideles formationem christianam acquirant.

b) Ad fidem praeservandam, praesertim in locis in quibus Protestantes adlaborant ad perversionem catholicorum — uti in nostris regionibus italicis — necesse est ut fides operibus praesertim charitatis ferveat et fideles accurate praemuniantur contra errores.

c) Ad fidem propagandam necesse est ut fideles catholice sentiant et adlaborent pro christiano nomine dilatando.

28. Hinc — ut mea opinio est — in Concilio Ecclesia edicat:

1) Officium fidelium adlaborandi in organizationibus religiosis et praesertim Actionis catholicae, cum subordinatione ad hierarchiam ecclesiasticam. Si opus sit, Concilium edicat principia quibus inniti debet Actio Catholica praesertim *in organizationibus,* quae apprime pateat unio et dependentia ipsarum organizationum ab Ecclesia.

29. 2) Officium, ex ipsa conditione baptizatorum derivans, auxilium praestandi Ecclesiae in opere conversionis fratrum separatorum ab Ecclesiae, et in opere propagationis fidei apud infideles.

Rogatur ergo Apostolica Sedes ut mediis aptioribus incrementum

adaugeat operibus omnibus quibus auxilium feratur Missionibus catholicis.

Nullum tempus, quam praesens tempus, maxime propitium ad extendendam actionem Ecclesiae in locis infidelium, praesertim in Africa, in Asia aliisque locis connexis. Impulsum qui veniet ex parte Concilii certe efficiet ut omnes catholici fideles pro infidelibus laborent, ad regnum Dei seu Ecclesiam extendendam et amplificandam.

30. 3) Votum promere audeo: ut *Codex iuris missionarii* conficiatur et promulgetur ut omnibus pateant normae ad opera missionaria recte organizanda in locis catholicis et ad fidem propagandam in locis missionum, prae oculis habitis experientiis laboris tot saeculorum sive in fideliter edendo Evangelium Christi, sive in conservandis quae sunt propria in moribus populorum, dummodo fidei et rectae rationi non contradicant.

Ad subveniendum missionariis numero minime sufficientibus in locis missionum, quaeritur an opportunum iudicari possit ut concredantur catechistis recte formatis iisdem in locis quaedam ampliores facultates in adiuvandis missionariis: v. g. habitualiter ministrandi aegrotis et sanis sacram communionem, etsi ipsi laici sint.

31. 4) In Concilio clare promulgentur principia, iam ab Apostolica Sede probata et manifestata, de usu mediorum ad propagationem culturae hodie aptissimorum: idest radio-televisionis, spectaculorum per cinematographa, notitiarum per impressionem ephemeridum etc. Atque animus adiciatur omnibus qui in bonum veritatis et bonitatis huiusmodi mediis uti poterunt, per organizationem quae sufficienter opponi possit mediis quibus « filii huius saeculi » utuntur et abutuntur.

IV. Negotia maioris momenti

32. Meo quidem iudicio, omnia negotia maiora quae praesertim hodie alte persentiuntur in ambitu ipsius Ecclesiae, respiciunt: formationem Cleri in Seminariis clericorum et in religionibus clericalibus; sanctificationem Cleri in ministerio pastorali; culturam ecclesiasticam et civilem temporibus praesentibus idoneam; activitatem religiosam Cleri, cum auxilio etiam fidelium laicorum.

Sine sacerdote nil fieri potest in Ecclesia; sed multa forsan hodie Sacerdotes faciunt quae ipsi laici per se facere possent.

Hinc in Concilio opportunum esset ponderare quomodo *et* numerus sacerdotum augeri possit, *et* ipsi sacerdotes in muneribus pastoralibus obeundis recte ab aliis iuvari possint, *et* sacerdotes qui numerosiores

inveniuntur in una dioecesi possint ministerium sacerdotale exercere in aliis dioecesibus.

33. Hortationes conciliares in hac materia magni auxilii esse poterunt:

Promovendo magis magisque Opus Vocationum tantopere ab Apostolica Sede inculcatum; et statuendo diem in quo in tota Ecclesia celebretur *Dies vocationum*.

34. Ubi erit possibile, insistendo saltem in quadam forma vitae communis in Clero quae impulsum det operi sanctificationis personalis sacerdotum, salvis normis vigentibus de recessu mensili etc.

35. Reformando rationem appretiationis studiorum eo sensu ut omnibus clericis qui sint capaces pateat accessus ad titulos academicos consequendos, v. gr. doctoratus, quibus sacerdotes pares considerari possint laicis cultis nostrorum temporum; hoc dicitur salvis legibus specialibus et titulis academicis qui erunt proprii illorum qui doctrinae aliis tradendae uti professores vel periti constitui desiderant sive in Seminariis maioribus sive in Universitatibus.

36. Normas statuendo de valore et extensione incardinationis clericorum: extensio enim videtur modificanda ita ut amplitudinem habeat non amplius dioecesanam, sed sit provincialis vel regionalis in unaquaque provincia vel regione ecclesiastica: et sic, praesertim in nostris locis ubi est defectus numericus sacerdotum, erit possibile providere bono populi fidelium per sacerdotes qui sine ullo impedimento iuridico de uno in alium locum transferri valeant de consilio ipsorum Ordinariorum.

37. Hoc etiam loco votum exprimere cupio: ut Sedes Apostolica *presbyteris lapsis* qui dereliquerunt habitum ecclesiasticum et etiam, proh dolor!, nuptias attentaverunt, subvenire velit, saltem modo extraordinario occasione Concilii, ut ipsorum conscientiae consulatur et, si possibile, bono filiorum provideatur.

38. Demum, negotium maximum Concilii non erit certe subvertere legislationem et organizationem ecclesiasticam: leges enim et organizatio sunt simpliciter *media* ad finem, non ipse finis; sed erit vehementer omnes hortari et a Deo suppliciter impetrare ut Pastores, sacerdotes, religiosi, fideles omnes, totis viribus, ad sanctificationem personalem tendant, et ut praepositi Ecclesiae ad sanctificationem Cleri et populi procurandam maxime laborent, facti forma gregis: hoc est enim illud *unum necessarium* ad quod tendere et omnia impendere omnes tenentur. Ecclesia hoc modo erit fermentum aptum ad hoc ut massa generis humani fermentetur tota.

39. Alia negotia maioris momenti considerari possunt in ordine ad reditum ad unitatem Ecclesiae Catholicae:

1) Ecclesiarum orientalium quae « Orthodoxae » nominantur.

2) Haereticorum protestantium ex pseudo-reformatione saeculi XVI.

Concilium examinare poterit criteria sequenda ad hoc ut, multiplicata et aucta cognitione fraterna ac mutua comprehensione inter varias confessiones christianas quas dicunt, salvis semper — uti patet — principiis fidei, obstacula ordinis psycologici et historici removeantur ad reditum horum fratrum ad Sanctam Catholicam Apostolicam Ecclesiam Romanam.

40. Votum mihi efformare liceat, ut *Octavarium precum* quae in Ecclesia funduntur a die 18 ad diem 25 ianuarii — inter festum Cathedrae S. Petri et Conversionis S. Pauli — *in ipsa liturgia introducatur:* nunc ad impetrandam unionem in populo christiano, et, unione peracta, ad Deo gratias agendas pro immenso beneficio Ecclesiae concesso.

41. Alia negotia maioris momenti quae tractari poterunt in Concilio:

42. *a*) Examinare et media determinare ad vivificandum spiritu christiano *laborem humanum,* respectu habito ad automatismum.

43. *b*) Altius edicere principia naturalia et caritatis christianae de migratione populorum et de auxilio ferendo populis qui iuxta legem Dei viventes magna prole ditantur: terra enim omnibus data est ut vivant, et frenum imponi debet egotismo nationum quae ut abundantius bonis terrenis perfruantur impediunt liberam et ordinatam migrationem.

44. *c*) Omnibus intimare, moderatoribus supremis nationum et omnibus populis, principia ad fovendam pacem inter populos, ad reductionem armorum exhortando, ad tutelam pauperum — sive singulorum sive populorum — invitando, sub ductu mirabilis Notae diplomaticae quam Benedictus XV, f. r., emisit die 1 augusti 1917, et actorum sequentium Pontificum, praecipue Pii XII.

45. Tali modo Ecclesia Catholica, in Concilio Oecumenico adunata, omnibus apparebit uti revera est, *mediatrix pacificationis universalis,* veritates naturales et supernaturales de dignitate hominis intimando et per gratiam Dei, Cuius est ministra, animos singulorum et populorum plasmando ad veritatem, iustitiam et caritatem.

V. De quibusdam aliis rebus

46. Iam supra dixi de quibusdam votis:

De « cathechismo catholico officiali » pro tota Ecclesia (cf. n. 25).

De « Codice legum liturgicarum » (pro Ecclesia latina) (cf. n. 30).

De « Die Vocationum » celebrando in tota Ecclesia (cf. n. 33).

De quibusdam rebus reformandis in Constitutione « Deus scientiarum Dominus » (cf. n. 35).

De octavario liturgico pro unitate Ecclesiae (cf. n. 40).

47. Mihi addere liceat sequentia:

Reformetur et novis temporum exigentiis aptetur *systema beneficiarium* Ecclesiae: illud enim quod nunc habetur in Ecclesia — saltem in nostris regionibus meridionalibus Italiae — potius obest quam prodest ministerio sacro, attentis conditionibus populi, paupertate et miseria in qua multi vitam agunt, et etiam quandoque non sufficienti idoneitate sacerdotum in administrandis rebus temporalibus Ecclesiae et nimietate taxarum civilium quibus onerantur beneficia ecclesiastica.

48. Item, sicut iam ab Apostolica Sede coeptum est, perficiatur et ad felicem exitum perducatur *reformatio Breviarii Romani* et *Missalis Romani.*

Examinentur etiam ritus Pontificalis Romani; et saltem quaedam ad simpliciorem formam adducantur, ita ut, firma manente maiestate rituum pontificalium, expeditior evadat concatenatio caeremoniarum.

49. Item examinetur a Concilio quaestio an sit conveniens anticipare ad vesperas sabbati — et in genere ad vesperas festi de praecepto — *tempus utile* ad implendum praeceptum festivum assistendi Sacrosancto Missae Sacrificio per Missas postmeridianas seu vespertinas: hoc sive ad multitudinem populi attendendo, sive ad dissita loca in quibus celebrandum est, sive prae oculis habendo defectum numericum Cleri: melius binare die sabbato et dominico, quam trinare die dominico.

50. Item, firmo manente usu linguae latinae in Sacra Liturgia, an conveniat ut extendatur usus, iam ab Apostolica Sede permissus in aliquibus nationibus, de *Rituali bilingue* etiam quoad praecipua sacramentalia.

Conclusio

Animadversiones, consilia et vota his foliis expressa, humiliter communico et submitto sapienti consilio Eminentissimi Praesidis et Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, me felicem reputans si aliquo modo concurrere possim ad illud magnum bonum quod

profuturum erit Ecclesiae Dei per Concilium, ad quod celebrandum inspirationem specialem habuit a Deo Summus Pontifex Ioannes XXIII, quem Dominus diutissime sospitet.

✠ ARMANDUS FARES
Archiepiscopus Catacensis
et Episcopus Squillacensis

62

EXC.MI P. D. ALAPHRIDI VOZZI
Episcopi Cavensis et Sarnensis (Cava e Sarno)

Cavae Thyrrenorum, 20-8-1959

Eminentissime Domine,

Augusti Pontificis voto obsequens, quae mihi videntur tractabilia in futuro Concilio Oecumenico argumenta, ad gloriam Dei et Ecclesiae bonum maxima cum demissione ac modestia hic propono.

Perutile puto:

1. Serpentes errores, communismum scilicet, laicismum et existentialismum damnare.

2. Christianam moralem strenue defendere et inculcare.

3. Principia doctrinae socialis catholicae clare et summatim exponere.

4. Vitam alumnorum in Seminariis minoribus degentium simpliciorem ac magis spontaneam reddere, pietatis exercitia quibus cotidie nunc obligantur minuere atque aetati accomodare.

5. Curriculum studiorum in Seminariis ordinare, praecisione facta a ratione studiorum scholarum Status, quo plenius et facilius ecclesiasticae institutionis finis attingi possit.

In Seminariis autem maioribus non academicis, cursum theologicum disciplinis non stricte futurum ministerium pastorale iuvantibus expedire (uti sunt hebraica et graeco-biblica lingua, liturgia scientifica, exegesis nimis rationalistarum vestigia sequens, introductoriae notae ipercriticae, archeologia diffuse exposita, quaestiones disputatae et pure theoreticae) ita ut tempus melius atque utilius ad addiscendas disciplinas vere pastorales insumatur.

Theologiam moralem vero docere evangelicam simplicitatem atque claritatem sequendo, quin in pelagus distinctionum et subtilitatum delabatur more Pharisaeorum et cum detrimento animarum.

6. Cum sacerdos angelus non sit sed homo, curare maiorem eius spiritualem materialemque adsistentiam, et mercedem qua operarium dignum esse ipse Christus dixit illi reddere, dignitati ac labori respondentem, ita ut necessitates urgentiores non valentem explere non poeniteat sacerdotalem secutum esse vocationem.

7. Vigentem beneficiorum administrationis formam recognoscere ita ut quaedam habeatur aequitas in retribuendis diversis officiis.

8. Distributioni Sacerdotum melius consulere ita ut abundantia unius Dioecesis inopiae alterius sit supplementum.

9. Parochos amovibiles reddere.

10. Sacerdotibus maxime attendendum orationi, doctrinae, praedicationi et Sacramentorum administrationi, quam vocant *haeresim actionis* devitando.

11. Obligationes canonicorum commutare et ad vitae pastoralis munia canonicos adducere.

12. Exemptionem religiosorum temperare eorumque privilegia abolere.

13. Ephebeorum ad educandos pueros institutionem non permittere nisi habeantur in promptu et domus apta et magistri callidi et animarum cultores periti: vigilantiam autem attentam exercere ne a ratione studiorum et a disciplinae defectu dedecus in Ecclesiam oboriatur.

14. Pontificalis et caeremonialis episcoporum, ritualis romani, missalis et breviarii recognitionem et ad simpliciorem formam reductionem exsequi.

Pergratum mihi est impensos animi sensus Eminentiae tuae aperire et sacram purpuram tuam deosculari.

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimus in Domino
✠ ALAPHRIDUS VOZZI
Episcopus Cavensis et Sarnensis

63

EXC.MI P. D. AUGUSTI GIANFRANCESCHI
Episcopi Caesenatensis (Cesena)

Cesena, li 30 settembre 1959

La mia umile risposta alla ven.ma Lettera Preconciliare inviatami dall'Em.za Vostra Rev.ma, riporta osservazioni e voti non soltanto miei ma anche di qualche sacerdote diocesano e regolare, da me interrogato secondo il suggerimento datomi nella Lettera succitata.

Circa la parte puramente dottrinale penso che il Concilio dovrà prendere in esame:

1. Gli sviluppi della Teologia circa l'Ecclesiologia, la Mariologia, la Iosefologia.

2. La posizione dei laici nella Chiesa.

3. Gli studi recenti intorno all'interpretazione e all'uso della Sacra Scrittura.

4. La dottrina sociale cristiana.

Non so quali siano i criteri di distinzione tra materia di Concilio e materia di studio per l'aggiornamento del *C.I.C.*; nel sottoporre a giudizio queste mie osservazioni, seguo per lo più l'ordine dei canoni del Codice.

Accompagno con la mia umile preghiera e con quella dei miei diocesani, dei quali spesso richiamo l'interesse intorno al Concilio, l'ardua impresa della Commissione da Vostra Eminenza presieduta.

Lo Spirito Santo rinnovi i prodigi della Pentecoste affinchè non il mondo si infiltri nella Chiesa ma la Chiesa conquisti e santifichi il mondo di oggi; con la sua divina vitalità unisca tutte le membra divise al Corpo mistico di Gesù e vi attragga tutti gli uomini che sono fuori del Regno di Dio così che si avvii alla perfezione il Corpo di Cristo. I fratelli separati non trovino nel prossimo Concilio pretesto per confermarsi nella separazione ma una apertura luminosa al ritorno all'unico ovile.

La Madonna sia la potente Mediatrice di questa nuova missione del Divino Paracleto.

Chino al bacio della S. Porpora prego l'Eminenza Vostra Rev.ma di gradire l'omaggio della mia venerazione ed il mio devotissimo saluto, mentre mi professo

dell'Eminenza V. Rev.ma
umilis.mo obblig.mo servo

✠ AUGUSTO GIANFRANCESCHI
Vescovo di Cesena

Nota bene: Per lo più si segue l'ordine dei canoni *C.I.C.*

Calendario e computo del tempo

A) Si auspica una semplificazione del calendario (purchè non si crei un'altra difficoltà all'unione con le Chiese « Ortodosse »). Possibilmente la Pasqua venga fissata alla seconda domenica dopo l'equinozio di primavera senza tener conto della luna.

B) Nel computo delle ore si segua solo l'usualis loci temporis supputatio.

Can. 63 segg. — *a*) Si auspica l'abolizione o la limitazione di quei privilegi che sono piuttosto un favore fatto alla persona fisica o morale che una reale esigenza del bene della Chiesa e delle anime; *b*) l'abolizione della comunicazione dei privilegi; *c*) l'abrogazione di quelle prescrizioni o impedimenti dai quali di fatto si concede abitualmente la dispensa.

Can. 108. — Si domanda: *a*) Se non sia opportuno che gli ordini minori cessino di essere un ricordo storico per diventare costitutivi di un reale ufficio e significativi ed operativi di una grazia richiesta per il pratico esercizio dell'Ufficio stesso; *b*) se il suddiaconato non possa diventare il rito della professione dello stato clericale con il voto di castità perfetta vincolante fintantochè il soggetto resta in quello stato, e con le attribuzioni liturgiche clericali. Non si vede, almeno qui in Italia l'utilità della stabilità nell'ordine diaconale dal momento che, eccettuate le azioni liturgiche, tutte le altre tradizionalmente attribuite al diacono, possono essere esercitate anche dai laici.

Can. 111 segg. — Si riterrebbe opportuno: *a*) Far uscire certi sacerdoti da quell'ambiguità in cui vengono a trovarsi quando sono incardinati ad una diocesi e per anni ed anni ne restano fuori e prestano servizio in altra, conservando il diritto di ritornare nella propria quando lo vogliono; *b*) rendere più facile, ed anche obbligatorio il passaggio da una diocesi in cui il Clero è sovrabbondante ad un'altra in cui è scarso.

Can. 126. — Singulis annis invece che tertio quoque anno.

Cann. 126-128. — Conviene rafforzare nerbum disciplinae.

Can. 125. — Sia più precisamente specificato l'obbligo delle pratiche quotidiane (tenentur).

Cann. 130-131. — *a*) L'obbligo degli esami sia esteso « *ad integrum sexennium* »; vengano distribuite le materie in due esami annuali; *b*) le « *collationes de re morali et liturgica* » diventino almeno tre ore di studio serio su materie che interessino la formazione dei Sacerdoti e la pratica pastorale (aggiornamento) proposte ogni anno da una Commissione diocesana « *per la cultura del Clero* »; Si svolgano sotto la guida di un maestro competente una volta al mese (per nove mesi all'anno) da tutti i Sacerdoti radunati nei singoli Vicariati; *c*) Anche il ritiro mensile, di almeno due ore, sia reso obbligatorio per nove mesi ogni anno.

Can. 132. — La riduzione allo stato laicale, sia come pena sia come provvedimento, venga prevista per casi meno rari di quelli con-

templati nell'attuale legislazione (nessuno deve avvalersi della stabilità intangibile per fare quello che vuole), ed abbia sempre come effetto anche la cessazione dell'obbligo del celibato perpetuo; l'ex chierico si stabilisca in luogo dove sia ignota la sua precedente appartenenza all'ordine sacerdotale.

N. B. - Non si vuole sottovalutare la massima convenienza che alla indelebilità del carattere sacerdotale corrisponda la perpetuità dell'esercizio del sacerdozio, ma piuttosto che questo venga esercitato molto male ...

Can. 134. — Si ritorni ad insistere, ed in forma più determinata, sulla vita comune dei Sacerdoti e si aiutino i Vescovi a realizzarla.

Can. 136. — È attesa la completa riforma del calendario liturgico e del breviario.

È il caso di mantenere l'obbligo, oggi generalmente trascurato, di portare la tonsura? Si decida intorno alla forma dell'abito ecclesiastico.

Can. 138. — Data la scarsità dei Sacerdoti, siano essi impegnati quasi esclusivamente in funzioni propriamente sacerdotali e siano affidate a laici, scelti con ogni cura, tutte quelle che possono esercitare (compresi molti uffici della Curia romana).

Can. 147. — Nessun chierico, sia diocesano che regolare anche esente, intraprenda costruzioni, faccia questue, organizzi festeggiamenti straordinari, pellegrinaggi, grandi riunioni, senza il previo consenso scritto dell'Ordinario locale.

Can. 199. — Nella delegazione generale data dall'Ordinario sia compresa la potestà di subdelegare all'assistenza a matrimoni determinati caso per caso.

Can. 211. — Anche per il Sacerdote come per il chierico minore il Vescovo possa ridurre allo stato laicale coloro che gravemente offendono il decoro dell'ordine sacerdotale.

Can. 215. — Nei territori dove è costituita la Gerarchia vengano abolite le Abbazie e Prelature nullius unite ad un Monastero, che non hanno più motivo di esistere. Nelle terre di missione siano equiparate alle prefetture apostoliche.

Can. 222. — Il Concilio Ecumenico, sia pure per rappresentanze (per es. i rappresentanti dell'Episcopato eletti dalle Conferenze Episcopali Nazionali o regionali) sia convocato più frequentemente, per es. ogni 15 anni o quando il Sommo Pontefice lo ritiene opportuno.

Can. 242 segg. — Sarebbe opportuna una ulteriore revisione delle competenze delle Sacre Congregazioni, dare a qualcuna di esse un nome più corrispondente alla rispettiva competenza.

Istituire una Congregazione *per i mezzi di diffusione*: catechesi, stampa, radio-televisione, cinematografo ecc.; e un'altra *per l'amministrazione,* separando questa materia dalla S. C. del Concilio; e un'altra ancora per l'*apostolato dei laici.* Ridurre al rango di semplici commissioni la Congregazione del cerimoniale e la rev.da Fabbrica di S. Pietro che non hanno rapporti con la Chiesa Universale. Pare che la Cancelleria possa diventare un ufficio della Sacra Congregazione Concistoriale e il titolo di Cancelliere di S. R. C. venire attribuito al Card. Segretario di Stato della cui denominazione oggi non si capisce il senso. La Dataria Apostolica, lasciando da parte la sua denominazione, verrebbe a cadere qualora si abolissero le riserve (quod est in votis). A osservare di lontano, pare che anche la Camera Apostolica oggi sia superata dalla Commissione per l'Amministrazione dei Beni della Santa Sede e dall'Istituto per le opere di religione. Non pare che l'attuale Segreteria di Stato abbia un eccessivo accentramento?

Si potrebbe evitare dal Concistoro tutto ciò che oggi non ha più ragione di essere e che è ridotto a pura formalità e cerimonia.

Can. 271 segg. — È conforme alla mentalità moderna che i nomi corrispondano a delle realtà e perciò che Patriarchi, Primati, Arcivescovi si chiamino soltanto quelli che realmente lo sono. Come sono stati aboliti tutti i titoli feudali che non avevano più ragione, così si potrebbero rivedere anche questi titoli (arduum sane munus).

Can. 281. — Non si introduca sistematicamente la liturgia romana in tutte le terre di missione, ma si studino le forme più adatte ai singoli popoli, civiltà e lingua; e si ricorra con larghezza alle liturgie orientali quando le missioni siano fra popoli culturalmente affini ad esse. Nelle missioni si cerchi di giungere al più presto a sviluppare tutte le possibilità della vita e pietà cristiana sull'analogia dei paesi di antica evangelizzazione, senza però copiarli servilmente.

Sembra opportuno raccogliere in apposito codice tutta la legislazione delle missioni, nonchè delle situazioni eccezionali in cui può trovarsi la S. Chiesa per il fatto di guerre o persecuzioni, cominciando dal Conclave per l'elezione del Sommo Pontefice.

— I comuni Abati di regime non abbiano nessun privilegio pontificale. Solo quelli che governano comunità numerose (almeno 24 Sacerdoti) in Basiliche o Santuari di grande importanza, possano dalla Santa Sede ricevere il permesso di celebrare pontificalmente la S. Messa, solo nelle massime solennità, nella loro chiesa abbaziale, quando non sia fatto dall'Ordinario locale.

Can. 329 segg. — È desideratissimo un ridimensionamento delle

diocesi. Come hanno la facoltà di predicare, così i Vescovi abbiano la potestà di assolvere dai peccati in tutto il mondo.

Can. 337. — Non si capisce perchè, mentre il Vescovo diocesano può dare licenza ad altro Vescovo di celebrare i pontificali con l'uso del trono col baldacchino, non lo possa un Vescovo che sia Cardinale, e che, come tale è molto differenziato dai semplici Vescovi e perciò vi è meno pericolo che questo torni di pregiudizio della sua dignità (eccettuato il trono della Cattedrale).

Can. 344. — Alla visita del Vescovo siano soggetti anche le chiese pubbliche dei regolari esenti affinchè nel modo di tenerle siano conformi a quelle del Clero non esente.

Can. 350 segg. — I Vescovi titolari non abbiano titoli di diocesi orientali.

Nella nomina di ogni Vescovo ausiliare o coadiutore sia precisata l'estensione o la limitazione delle sue facoltà, ad evitare eventuali situazioni incresciose.

Can. 356. — I Sinodi diocesani siano celebrati con la dovuta frequenza ma riducendo al minimo le solennità esteriori. La materia ne sia prima vagliata da commissioni ampie e competenti.

Can. 366. — Si ritiene opportuno che vengano determinate, accanto alla figura del Vicario generale, quelle del Delegato per le religiose e del Delegato per le Associazioni ed Opere dei laici dipendenti dalle Autorità Ecclesiastiche (quoties rectum dioecesis regimen id exigat).

Can. 395 segg. — Sembrerebbe ragionevole scindere in due le mansioni attuali dei Capitoli Cattedrali: i *Consiglieri del Vescovo* « in spiritualibus » (come esistono i Consiglieri « in temporalibus »: membri del consiglio d'amministrazione) senza ufficio corale e nominati « ad triennium » col consenso del Clero come gli esaminatori e i giudici sinodali — e il *Clero Cattedrale* addetto alla degna celebrazione dell'« opus Dei » assicurata ogni giorno.

Can. 402. — I Capitoli vengano esonerati dalla parrocchialità abituale, quando alla cattedrale sia annessa la parrocchia, e il Parroco sia nominato come tutti gli altri Parroci, *auditu Capitulo,* quando sia anche Canonico.

Can. 409. — È desiderabile una seria semplificazione degli indumenti canonicali ed uniformità di cappa e di mozzetta, almeno nella forma, per tutti i Capitoli.

Can. 415. — Il Capitolo sia esonerato dalla responsabilità collegiale della cura della chiesa-cattedrale (che così finisce per non essere curata da nessuno) e questa sia riservata al Vescovo il quale la eserciti per

mezzo di un Canonico delegato nominato col Consiglio del Capitolo.

Can. 454. — I Parroci siano *stabiles* ma non *inamovibiles*. Cessino dall'ufficio per limite di età a 65 anni così però che possano venire confermati *ad triennium* e alla scadenza riconfermati, e si faccia in modo che, dopo i 65 anni, qualora debbano lasciare la parrocchia senza che siano investiti di un beneficio di sufficiente reddito, godano la pensione. A *fortiori* siano *amovibiles* i *Vicarii cooperatores* anche se la Vicaria è *beneficialis*.

Can. 462. — Fra i doveri del Parroco si comprenda anche quello di promuovere e di assistere le Associazioni parrocchiali di apostolato dei laici secondo gli statuti approvati.

Can. 476. — I *Vicarii Cooperatores* facciano vita comune col Parroco e il loro stipendio sia determinato dall'Ordinario.

Can. 479 e segg. — Tutte le chiese pubbliche, comprese quelle dei Religiosi esenti, per quanto riguarda la loro tenuta e le funzioni cui sono ammessi i fedeli, dipendano dall'Ordinario.

L'ordine e l'orario delle funzioni venga stabilito dai Rettori delle chiese non parrocchiali, anche in accordo col Parroco del territorio in cui esistono. In caso di disaccordo si ricorra al giudizio dell'Ordinario.

Can. 487 e segg. — (*riporto le osservazioni fatte da un Monaco della mia diocesi da tutti stimato e venerato*).

Can. 500. — L'Ordinario locale abbia la sorveglianza disciplinare su tutti i regolari quando sono fuori della loro casa religiosa.

Can. 505. — Tutti i Superiori siano temporanei: quelli minori e locali fino a sei anni, i maggiori e supremi fino a 12, i maggiori e locali (Abati e Priori conventuali) fino a 9. E non possano essere rieletti per il periodo immediatamente successivo.

Quando i Superiori sono eletti direttamente dai religiosi, la sola maggioranza dei voti non renda automatica l'elezione, ma sia sempre solo una postulazione che, dopo accurato esame, dovrà venire ratificata dal Superiore di categoria immediatamente più elevata col suo Consiglio. E l'elezione del Superiore supremo dovrà essere ratificata dalla Santa Sede.

Can. 511. — La visita canonica non sia mai reciproca (Tizio visita Caio, Caio visita Tizio). Almeno ogni 12 anni tutti i religiosi, compreso il Superiore supremo, siano visitati da un Visitatore Apostolico, non appartenente all'Ordine o Istituto visitato.

Can. 512. — L'Ordinario nella visita canonica ai Monasteri femminili sia accompagnato da un religioso del rispettivo ordine maschile o almeno di ordine affine.

Can. 515. — Siano proibiti tutti i titoli solo onorifici, anche se

di uffici già esercitati. Al cessare dell'ufficio il religioso sia in tutto equiparato ai religiosi comuni almeno per un intero anno.

Can. 516. — I Superiori non possano eleggere da sè i propri consiglieri, ma o li ricevano dal Capitolo, o siano approvati dalla Comunità. Lo stesso valga per l'economo e per il maestro dei novizi.

Can. 520. — Si propone di studiare il caso dei confessori per comunità di Suore distaccate in luoghi poco abitati e che dentro un raggio di dieci, venti chilometri a fatica trovano un confessore decente. Forse si potrebbe provvedere inviando ogni mese, od ogni due mesi, un confessore idoneo.

Can. 526. — Il confessore resti in carica solo tre anni, salvo l'assoluta impossibilità di sostituirlo. Non pare buon segno che un confessore si renda insostituibile; anche se la Superiora e molte religiose ne sono entusiaste, ci può essere chi ne riceve più danno che vantaggio.

Can. 539. — Per il reclutamento dei religiosi va studiato il caso degli « apostolini » d'ambo i sessi, presi da bambini quasi a caso, ed educati per farne dei religiosi; i quali spesso automaticamente vanno in noviziato come se avessero vera vocazione soprannaturale, mentre il più delle volte hanno solo un certo attaccamento e simpatia per il luogo e le persone ma nessuna idea adeguata dell'essenza della vita religiosa, degli obblighi, delle virtù ecc. e diventano spesso un elemento di decadenza. Sembra che il noviziato non dovrebbe cominciare prima dei 18 anni compiuti. Sia vietato ricevere nipoti nella stessa casa religiosa dello zio o zia.

Can. 559 e segg. — Il Superiore locale, anche se Abate, non possa intervenire nella disciplina del noviziato. La votazione per la professione perpetua sia sempre deliberativa.

Tutti gli studi, tanto degli « apostolini » o « alunni » o « probandi » o già chierici professi, si compiano in Istituti approvati dalla Santa Sede, e solo con insegnanti laureati o licenziati o almeno riconosciuti idonei. Siano severamente proibite le scuole fatte con insegnanti improvvisati o di scarsa competenza. Sia prescritto dalla S. Sede ed obbligatorio il programma degli studi, il piano delle esercitazioni, l'orario. Si stabilisca un numero minimo di studenti sotto del quale non possa funzionare la scuola, ma sia obbligato inviare altrove gli alunni. Quando non sia possibile ottemperare a quelle norme gli alunni compiano gli studi presso i Seminari diocesani.

Can. 589. — Si ritiene opportuno il divieto di fare intervenire gli studenti al coro notturno quando ciò importi interruzioni del sonno. Per tutti, studenti, novizi, religiosi, siano vietate le pratiche ascetiche antigieniche; così pure penitenze umilianti o nauseanti, rimproveri e

punizioni esagerate e ingiuste. Non è ascesi cristiana quella che offende la verità o la carità. Si sia estremamente cauti nel concedere l'uso di strumenti afflittivi; la disciplina non possa essere imposta più di una volta la settimana e mai oltre 40 colpi. Si consulti il Medico per la durata del riposo, specialmente dei giovani; il vitto, anche se poverissimo, abbia sempre almeno il minimo richiesto di calorie e vitamine.

Can. 591. — Oltre le conferenze che il Superiore tiene per regola alla comunità sulla vita e osservanza regolare, siano prescritte almeno due volte al mese, lezioni sulle varie scienze sacre, da tenersi o da qualcuno dei religiosi particolarmente competente o da estranei.

Can. 594. — Sia vietato a tutti i religiosi di tenere presso di sè denaro anche in piccolissima quantità per proprio uso abituale, di tenere oggetti, libri e qualsiasi altra cosa non necessaria, di ricevere, dare, usare o anche amministrare o disporre di denaro o cose di altri, sia pure a scopo caritativo, senza espressa licenza del Superiore.

Can. 595. — Venga assicurato ad ogni religioso tempo sufficiente per l'orazione mentale lasciando che ognuno, debitamente istruito, goda la massima libertà nel modo di praticarla.

Si eviti di creare nelle comunità, specialmente femminili, e negli Istituti di educazione la mentalità che la Comunione quotidiana sia quasi obbligatoria, e che il non farla sia quasi una prova di essere in stato di peccato. Sarebbe altamente desiderabile che il confessore ordinario potesse, oltre la confessione settimanale, presentarsi almeno un'altra volta, senza esserne richiesto.

Can. 591. — Siano ragionevolmente riformati gli abiti dei religiosi, specialmente quelli femminili, istituendo un vestiario tipico per le infermiere, le insegnanti, le operaie ecc.

Si crei un tipo di preghiera liturgica uguale per tutte quelle religiose che non sono tenute al coro (un piccolo breviario in lingua nazionale).

Can. 601. — Si stabilisca per diritto comune quando le Monache di clausura possano uscire; così si preveda il caso che una donna, come impiegata governativa ecc., possa entrare per motivo del suo impiego in clausura maschile. Sembra desiderabile che i genitori possano visitare il figlio o la figlia gravemente malati dentro la clausura.

Can. 625. — Quando la Santa Sede concede ad un Abate l'uso dei pontificali, la benedizione abbaziale consista in un rito semplicissimo e non in quello attuale che plagia la consacrazione episcopale. Quando un Abate cessa dall'ufficio, perda *ipso facto* tutti i privilegi pontificali e abbaziali.

Can. 630. — Date le molteplici cure e doveri che oggi ha il Parroco,

il religioso Parroco « durante munere » sia totalmente esente dall'osservanza regolare e dall'obbedienza del Superiore locale (ma soggetto alla sua sorveglianza); viva nella casa religiosa e alla mensa comune alla quale contribuisca col denaro del beneficio parrocchiale nella misura stabilita dai Superiori maggiori. Pratichi la povertà personale. In tutto il resto ubbidisca all'Ordinario anche « vi voti ».

Can. 632 e segg. — Sia abolito ogni passaggio ad altra religione.

Can. 654 e segg. — Di fatto è assai difficile dimettere un professo di voti perpetui, col risultato che restano nelle comunità degli individui di poco o nessuno spirito che sono di grave danno alla buona osservanza e di cattivo esempio. In questi casi si dovrebbe provvedere più efficacemente.

Can. 700. I viventi negli stati di perfezione nel secolo, come possono fare a praticare veri voti di obbedienza e di povertà?

Sembrerebbero opportune norme per la vita spirituale delle associazioni di A. C. e, in genere, per tutte le associazioni che si propongono fini religiosi e apostolici.

— Sia ben chiaro che i terzi ordini ed ogni altra associazione dipendente od aggregata ad ordini od istituti religiosi per qualunque attività esterna da svolgersi nell'ambito della Diocesi sono soggetti all'Ordinario il quale esercita la propria giurisdizione con approvazione preventiva e con la vigilanza. Siano coordinate queste associazioni nella consulta diocesana dell'apostolato dei laici.

— È desiderata la formulazione di canoni fondamentali che regolino la vita di associazione di A. C., l'ammissione e la formazione dei soci, le competenze, i rapporti con le altre associazioni, i rapporti con la gerarchia. Non si moltiplichino associazioni senza vera necessità. Non se ne fondino di nuove dove ne preesistono altre di affini. Le attività siano tutte coordinate nella consulta diocesana di apostolato dei laici.

Si ritiene opportuno che, sottratto al Vicario generale l'esercizio della giurisdizione sulle associazioni, opere ed attività dei laici, venga delegata ad un Sacerdote « delegato dal Vescovo per le associazioni ed opere dei laici » che per semplificazione potrebbe essere lo stesso Delegato dell'Azione Cattolica.

— Parrebbe opportuno che anche in Italia come all'estero, i movimenti apostolici (apostolato dei laici — opere di assistenza — movimento liturgico — musica sacra ecc.) di estensione nazionale, facessero capo ad altrettante commissioni episcopali dipendenti direttamente dalla Conferenza Episcopale Nazionale e, per mezzo di essa, dalla Santa Sede.

De rebus: Siano date norme di pastorale sacramentaria. Si insista

sul valore che hanno i Sacramenti nella vita cristiana. Si proponga il modo di educare i fedeli affinchè i Sacramenti non siano più ritenuti una pura formalità. Si favorisca la maggiore intelligenza dei riti che cessano di avere la loro essenziale funzione pastorale quando non sono capiti.

Can. 734. — Sia ben chiara la preferenza da dare per l'amministrazione del Battesimo alla propria Chiesa Parrocchiale. Sia abolito ogni *ius cumulativum,* fuori che per la Chiesa Cattedrale. Per amministrare il Battesimo fuori del Fonte della propria chiesa parrocchiale si richieda sempre la licenza dell'Ordinario, salvo il § 2 del Can. 774.

Can. 782. — Pare opportuno definire più chiaramente la dottrina circa il Ministro della Cresima. Perchè il Sacerdote « latini ritus » cui, « vi indulti competit facultas confirmandi » agisce « invalide » se conferisce la Cresima ai fedeli di altro rito (§ 4) mentre per i sacerdoti di rito orientale « nefas est » ma non agiscono « invalide » se la conferiscono agli infanti di rito latino?

— Quale differenza c'è fra il cristiano non cresimato e quello cresimato?

— Converrebbe proibire il conferimento della Cresima ai fanciulli nel giorno in cui ricevono la Prima Comunione e ritardarlo all'età di 11 o 12 anni, quando cioè il giovanetto ha completato il corso elementare di catechismo e può entrare nella vita attiva della Chiesa.

Can. 787. — L'espressione sembra troppo debole: la Cresima è presentata come cosa facoltativa da ricevere quando se ne presenta l'occasione. Non so se erro pensando che questo non sia il pensiero tradizionale della Chiesa.

Can. 793. — Bisognerebbe trovare il modo di restituire la sua piena funzione all'ufficio di padrino del sacramento del Battesimo e della Cresima, o, se non lo si ritiene possibile, sopprimerlo.

Can. 803. — Ci sono circostanze in cui sarebbe pratico e ragionevole concedere la concelebrazione anche nella chiesa latina (congressi ecc.), si eviterebbero tante messe celebrate in fretta, sotterfugi per avere gli altari, ecc. Sarebbe pure desiderabile che, di regola, nella stessa chiesa non si celebrino due o più messe contemporaneamente, e che i fedeli prendano parte collettivamente alla celebrazione a norma della « instructio de sacra liturgia et de musica sacra ». La partecipazione collettiva e attiva alla S. Messa si svolga secondo quelle norme codificate o rubricate, o sia omessa. Bisogna proibire che ciascuno guidi la partecipazione come gli pare. Per nessun motivo la Messa venga soverchiata. La Messa dei catecumeni diventi veramente didattica: in essa si faccia lettura seguita del nuovo Testamento, una pericope degli Atti, o Epistole, o

Apocalisse, o un'altra dei Vangeli, riservando alle domeniche « per annum » i passi più espressivi per la vita cristiana.

Siano pure semplificati e diminuti gli indumenti liturgici, specialmente nel rito pontificale, ed abbiano forma più estetica.

Can. 808. — Si aggiorni la legge del digiuno anche nel codice, in modo che tutto sia di diritto comune e non indulto. E si provveda per quelle regioni dove non ci fosse possibilità di consultare l'orologio.

— Messa e Comunione possano aver luogo a tutte le ore a giudizio dell'Ordinario.

Can. 822. — Si stabiliscano le misure della Pietra Sacra al di sotto delle quali non sia lecito ad un Vescovo di consacrarla.

Can. 845. — Il Diacono, con licenza del Parroco, possa sempre distribuire l'Eucaristia, dare la Benedizione con la Pisside, amministrare il Battesimo; predicare, se approvato.

Can. 854. — Sia detto più chiaramente che i fanciulli che hanno compiuti i 7 anni, avendo raggiunto l'uso di ragione, sono tenuti a soddisfare il precetto pasquale e perciò i genitori e il parroco hanno l'obbligo « sub gravi » di prepararli al compimento di questo atto, eccettuato il caso dei *tardiores* per i quali bisogna attendere che giungano all'uso di ragione.

Can. 859. — La pratica del precetto pasquale per molti cristiani è ancora puramente tradizionale e formalistica: la pastorale studi e usi il modo di renderla vitale. La Quaresima tenda a questo fine.

Can. 873. — Perchè non potrebbe essere estesa « pro universa ecclesia » anche la giurisdizione dei vescovi « ad confessiones excipiendas» , come l'hanno i Cardinali?

Can. 891. — Il fatto che il Direttore Spirituale delle comunità e confessore (per es. dei seminari) sia anche conferenziere ordinario pare possa dar luogo ad inconvenienti.

— Il maestro dei novizi e il Superiore locale (anche nei seminari) non possano mai ascoltare le confessioni sacramentali dei loro sudditi, nè validamente assolverli salvo in *mortis periculo.*

— Il confessore ordinario del noviziato non possa mai dare il voto per la accettazione dei novizi alla professione.

Can. 940. — Si abolisca la dicitura « estrema unzione » e si dica « olio santo » o « olio dei malati ». Il sacramento si amministri prima del Viatico, ogni volta che la malattia ha qualche probabilità di esito mortale, oppure riesce particolarmente dolorosa (cf. *Scuola Cattolica,* 1959 pag. 213 ss.).

Can. 945. — A vincere la ripugnanza che i cristiani hanno per questo Sacramento parrebbe conveniente ridurre l'unzione a quella della

fronte. Converrebbe recitare tutte le preghiere in lingua volgare e tanto più quelle della raccomandazione dell'anima.

Can. 972. — Sembra conveniente estendere anche ai seminaristi la norma vigente presso alcuni Istituti religiosi e convalidata da buona esperienza che cioè, completato il corso filosofico, i giovani vengano collocati per un biennio presso qualche ottimo parroco per un tirocinio. Durante tale biennio potrebbero esercitare l'Ufficio di catechisti, assistere i giovani, le associazioni maschili giovanili di A. C., aver cura della chiesa, insegnare il canto sacro, fare la scuola ecc.; e al tempo stesso svolgere un programma di studio e trimestralmente presentarsi ad un esame. Una volta al mese dovrebbero presentarsi al Direttore Spirituale del Seminario. Il quarto anno di liceo potrebbe essere assorbito in questo biennio.

Can. 979. — Pare ormai superato: tutti vengono ordinati « ad titulum servitii Dioecesis ».

Can. 996. — Il Vescovo non ordini gli esenti se non ha la certezza morale della vocazione, dell'idoneità morale e culturale; e per tale certezza non sempre bastano le lettere dimissoriali del Superiore religioso.

Can. 1019 ss. — Fra le cose « quae matrimonii celebrationem praemitti debent » si inserisca il dovere del parroco di preparare spiritualmente gli sposi con opportuni corsi di istruzione ecc. da tenersi ogni anno per fidanzati e particolarmente per quelli che sono prossimi al matrimonio.

Quanti sono gli sposi che sanno e riflettono che il Sacramento del Matrimonio è ordinato alla loro santificazione?

Can. 1042. — Gli impedimenti minori, o siano aboliti o, se si ritiene opportuno di conservarne alcuni, ne sia concessa la facoltà di dispensare « ipso iure » all'Ordinario.

Can. 1120. — Qualche biblista nega che il « privilegio paolino », possa fondarsi sul testo di *I Cor.* 7, 15. La questione merita un profondo esame ed una definizione. Lo stesso si dica per la questione se il matrimonio di un battezzato con uno non battezzato sia sacramento.

Can. 1142. — Sia fortemente inculcato che la castità perfetta e la vedovanza casta sono superiori al matrimonio e più benefiche alla Chiesa.

Can. 1154. — Sembra opportuna una specie di codificazione di tutto ciò che riguarda le arti a servizio del culto, per reprimere le deviazioni dogmatiche, le assurdità, le stranezze ripugnanti al genuino senso cristiano, alle esigenze pratiche della liturgia, alla vera pietà; pur lascian-

do ragionevole campo al genio artistico, alla tradizione nazionale, alla sana modernità, alla tecnica nuova.

Can. 1166. — Siano profondamente semplificati i riti per la consacrazione delle chiese e degli altari. Lo svolgimento del rito non richieda più di un'ora.

Can. 1182. — « Ad Episcopum cum Capitulo »: e in caso di conflitto di criteri devono prevalere quelli del Vescovo o quelli del Capitolo? si richiede per ogni spesa, ogni modifica anche piccola il voto del Capitolo? deliberativo o consultivo?

Can. 1197. — Gli altari da erigersi in avvenire siano, quanto più è possibile, semplici mense, e si eviti l'accumularsi di candelieri e vasi da fiori. Tutto ciò che deve essere capito dal popolo pare dover essere letto o cantato di fronte al popolo.

Can. 1247. — Pare conveniente sopprimere la festa liturgica di S. Giuseppe al 19 marzo (che non è affatto il « dies natalis » del Santo) e il precetto, e fissare la festa di precetto al 1° maggio. Rimettere invece il precetto alla festa dell'Annunciazione valutando maggiormente il suo carattere cristologico in quanto commemorazione del più grande e fondamentale « mistero »: l'incarnazione del Verbo.

Fissando la Pasqua alla prima o alla seconda domenica di aprile la festa dell'Annunciazione non andrebbe più soggetta a spostamenti.

— Si riveda il santorale e si celebrino dalla Chiesa Universale soltanto le feste di quei Santi che hanno esercitato una influenza su tutta la Chiesa o che sono universalmente venerati; gli altri vengano celebrati soltanto dalle Diocesi o dagli Istituti religiosi che con essi hanno avuto ed hanno speciali rapporti.

Can. 1250. — Sia riformata tutta la legislazione sull'astinenza e il digiuno anche in considerazione dell'inversione delle stagioni nell'emisfero australe. Sembrerebbe opportuno fissare alcune poche norme generali, indicare a titolo di consiglio certe pratiche penitenziali (non fumare, non bere alcoolici, non vedere il cinema ecc.) e lasciare ai concilii nazionali una maggiore precisazione.

Can. 1252. — Si dia alla sacrosanta Quaresima il massimo rilievo liturgico e pastorale.

Can. 1259. — Si applichi con più rigore il can. sui pii esercizi, e i concilii locali e sinodi procedano a controllo severo.

È desiderabile che la chiesa latina abbia un « breviario dei fedeli » ufficialmente, da usarsi pure dalla suore che non hanno obbligo corale. Questo potrebbe avere ogni giorno un'ufficiatura mattutina ed una vespertina composte di alcuni salmi, un inno, una lettura dell'Antico Te-

stamento, una del Nuovo commentata dai Padri, e formulari di orazioni.

Can. 1262. — Conviene ormai conservare la prescrizione: « mulieres capite cooperto ... ? ».

Can. 1264. — Siano canonizzate le norme contenute nella instructio de musica sacra et de sacra Liturgia.

Can. 1274. — Si richiami l'osservanza del can. per la parte che riguarda l'esposizione pubblica « seu cum ostensorio » e si dichiari sconveniente l'esposizione e la benedizione che succede immediatamente la Messa come se questa avesse bisogno di un complemento: non giova alla giusta estimazione della Messa e si presta a deviazioni della pietà e ad abusi.

Can. 1275. — Non si permettano le XL Ore se non dove si possono tenere con solennità ed è certa l'affluenza e la devozione dei fedeli; nè l'Adorazione perpetua dove non ci siano in permanenza almeno alcuni adoratori oltre i religiosi o le religiose dediti a questa pratica. L'esposizione pubblica infatti pare non debba essere per essi un necessario richiamo all'adorazione.

Can. 1276. — In una stessa chiesa non venga posta in venerazione più di una immagine della Beata Vergine e dello stesso Santo.

Can. 1285. — Si veda di essere più esigenti sulla autenticità delle reliquie e, di regola, le ossa non siano visibili al pubblico.

In mancanza di reliquie sicure di martiri, si possa consacrare un altare anche solo con reliquie di non martiri, debitamente canonizzati.

Can. 1295. — Si omettano le processioni se non si possono fare con il dovuto decoro e con devozione.

Can. 1296. — Sia prescritto di acquistare soltanto quella suppellettile sacra che porti l'approvazione della Commissione d'Arte Sacra in qualche modo dichiarata. La Commissione si regoli su norme impartite dalla Commissione Centrale. Si tenga conto della povertà di molte chiese.

Can. 1332. — Bisogna tener conto delle mutate abitudini dei fedeli e suggerire i corsi di catechismo per adulti da tenersi di giorno feriale nel tempo più opportuno dell'anno, in locale apposito dove si possono usare i moderni sussidi.

Can. 1334. — Praticamente i religiosi trovano sempre o quasi sempre motivo per sottrarsi.

Can. 1348. — Sembra che oggi la predicazione sia insufficiente ed inadeguata. Bisogna migliorarla in tutti i sensi. Le scuole teologiche devono formare predicatori e catechisti competenti ed esercitati. E poi

bisogna creare e moltiplicare forme nuove di apostolato: conferenze, lezioni, conversazioni, stampa, radio, cinema, televisione e, soprattutto, istruzione capillare dovunque.

Can. 1349. — Parrebbe opportuno tenere la missione ogni cinque anni e seguire forme adatte ai tempi nostri e ad attrarre anche i lontani.

Can. 1374. — Per le prime classi (quelle che in Italia costituiscono la scuola media) si seguano i programmi scolastici, delle scuole statali e, finito questo corso, tutti gli alunni vengano presentati all'esame necessario per ottenere il valido diploma. Per i corsi successivi si ritiene più opportuna una « ratio studiorum » che sia più direttamente formativa in ordine alla vita sacerdotale. Gli alunni che avranno bisogno di conseguire i titoli dello Stato potranno prepararsi a parte agli esami richiesti.

— Conviene realizzare nel periodo del Seminario l'acquisto di qualche abilità artigiana.

— Sia esaminato a fondo il problema delle vocazioni tardive che, scoperte e coltivate, potrebbero essere molto più frequenti.

— Si moltiplichino i seminari per aspiranti disposti a prestare servizio nelle Diocesi più bisognose di clero.

Can. 1445 § 2: Mi pare superato.

— Sarebbe giunto il tempo per esonerare i beneficiati dall'amministrazione del beneficio che tante volte li mette in occasione di fare sotterfugi o addirittura crea difficoltà di rapporti con i parrocchiani, per costituire un'amministrazione centrale?

Can. 2201. — Si dovrà tener conto del problema della responsabilità creato dai metodi moderni di tortura che, a quanto pare, rendono gli individui degli automi incoscienti.

Can. 2257 ss. — Non pare soddisfacente la situazione dello scomunicato che non è ancora stato oggetto di sentenza declaratoria. Si osa proporre che chi per la prima volta commette reato colpito da censura « latae sententiae » non incorra nella censura e possa essere assolto da ogni confessore, naturalmente « iniunctis de iure iniungendis » (salvo le « specialissimo modo reservatae »); nel caso di recidiva, o di non adempimento delle opere prescritte, cada nella censura con tutte le sue conseguenze, anche prima della sentenza declaratoria.

Can. 2306. — I chierici gravemente colpevoli o pericolanti non siano inviati in una casa religiosa dove di solito è molto discutibile l'assistenza e la vigilanza. È desiderabile si costituiscano apposite case di ritiro dirette da personale specializzato, che, con severa vigilanza, zelante assistenza e soprannaturale carità, procuri l'emendamento o la bonifica di

detti chierici, o, riuscite vane le cure, riferisca alla competente Autorità per gli estremi provvedimenti.

— Le censure riservate alla Santa Sede, ma che per indulto di solito sono concesse ai Vescovi, diventino censure riservate all'Ordinario.

✠ Augusto Gianfranceschi
Vescovo di Cesena

64

Exc.mi P. D. FRANCISCI MARCHESANI
Episcopi Clavarensis (Chiavari)

Epistulae rogatoriae « Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico » diei 18 iunii 1959 N. 1 C/59-349, infrascriptus Episcopus Dioecesis Clavarensis, sive proprio iudicio sive audito consilio quorundam virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium, haec respondendum censuit:

1. Cum numerus sacerdotum de die in diem semper minuatur et cum contra augeantur necessitates apostolatus et difficultates evangelizandi atque erudiendi in fide et vita christiana homines huius saeculi, videtur omnibus necessaria enucleatio et declaratio principiorum theologiae quibus laicorum in Ecclesia fundatur cooperatio ad apostolatum hierarchicum.

Pro praxi etiam declaretur utrum laici aliquo teneantur modo pro sua quisque conditione ad suam cooperationem praestandam ut in societate Christi Regnum adveniat et triumphet finesque atque modalitates talis cooperationis indicentur (cf. Orat. Pii P. XII die 3 octobris 1957 ad II Concilium Apostolatus laicorum universale).

In Codice autem I. C. reformando clare dicatur utrum clerus debeat an non cooperatione laicorum idest Actione Catholica uti quo sua actio ad animas salvandas efficacior sit et ad omnes fidelium coetus pervenire possit.

Necessarium quoque pluribus videtur explicare qua ratione variae laicorum Associationes inter se, hierarchia moderante, coordinari possint.

2. Oportet explicare sollemniter et pro omnibus populis temporibusque officia civium erga patriam et bonum commune quae ex 4° Decalogi praecepto promanant, ut omnes semper sciant Ecclesiam lege naturali et divina uti cum cives hortatur ad suffragia bene ferenda et

munera sua obeunda in re publica secundum christianam doctrinam et bonam conscientiam.

3. Cum magis ac magis ingravescat publica manifestatio et diffusio immoralitatis et neo-paganorum vita perversa, requiritur et exoptatur a bonis sollemnis harum rerum condemnatio quia animae hodie videntur maxime ad perditionem impelli, iuventus misere pessumdari, lex Domini irrideri. Rationes etiam et modus inquirantur quibus efficacius haec vitiorum colluvies vincatur et praesertim iuventus ab ea incolumis in fide et bonis moribus servetur.

4. Quoad catechesim puerorum: quantum fieri potest, aedes adhibeantur ab ecclesia distinctae, quae praeditae sint omnibus instrumentis et adiumentis quae pertinent ad efficaciam catechismi.

Scholae promoveantur ab Officio Catechetico Dioecesano vel Regionali circa puerorum institutionem, sive pro Clero, sive pro Magistris Scholae quae dicitur Elementaris, sive pro membris Actioni Catholicae adscriptis. Religiosi, etiam exempti, qui in territorio paroeciae degunt, stricte teneantur catechesim pueris tradere, iuxta tamen dispositiones loci Ordinarii (cf. can. 1334).

Parochi, onerata eorum conscientia, teneantur facere, in schola Elementari, XX lectiones annuales quae dicuntur integrativae (pro Italia); insuper providere, praesertim per auxilium Actionis Catholicae, ut pueri qui iam Primam Communionem et Confirmationem receperunt, uberiorem institutionem catecheticam non derelinquant.

5. Quoad catechesim pro adultis: quaelibet concio in ecclesia habenda, etiam explanatio dominicalis Evangelii, semper sit simplex et catechetica, elementa fidei explanans iuxta exigentias nostrae aetatis.

Omnibus festis de praecepto, in singulis Missis, semper fiat lectio et brevis catechetica explanatio evangelii.

Quoniam maxima pars Christifidelium, praesertim in paroeciis urbanis, ordinariam praedicationem parum frequentant, sed ad Missam festivam numerosi conveniunt, optandum videtur ut in reformatione textus variabilis Missalis Romani, pro diebus festis, ponatur lectio evangelica ex factis, miraculis et parabolis Christi quae aptari possit ad instructionem catecheticam populi christiani. Insuper:

a) Parochus maximi momenti faciat novendialia vel tridua (cum sacra praedicatione) quae instituuntur in praeparatione Sollemnitatum cuiuscumque paroeciae;

b) Maxime curentur conciones in mensibus maii et iunii etc.

c) Sacrae missiones ad populum saepius habeantur, non decimo quoque anno tantum.

d) Multiplicentur conferentiae vel conversationes per categoriam, maxime per auxilium Actionis Catholicae.

e) Ubi autem explanatio catechetica adultis adhuc fit, perficiatur, praesertim per paradigma a peritis praeparatum et ab Episcopo dispositum, ita ut eadem argumenta ubique in dioecesi evolvantur.

6. Quoad formationem moralem et spiritualem clericorum, prae oculis habeatur periculum naturalismi et necessitas frequentis conventus inter sacerdotes, praesertim in paroeciis ruralibus.

7. Optandum est ut in reformatione Pontificalis, Caeremonialis et Ritualis quidem ritus (ut Baptismus adultorum, Consecratio Ecclesiae et Altaris, aeneae campanae etc.) ad formam breviorem reducantur.

8. Quoad *Codicem I. C.* praecipue:

a) Quoad ritus et caeremonias liturgicas desideratur codex qui rubricas varias in unum colligat.

b) Detur facultas Ordinariis infra Romanum Pontificem dispensandi a generalibus Ecclesiae legibus in casibus peculiaribus.

c) Videtur necessitas adaequandi consuetudinibus nostrae aetatis habitum ecclesiasticum, firma manente praescriptione adhibendi vestem talarem pro cultus exercitiis.

d) Minuatur numerus beneficiorum reservatorum Sedi Apostolicae; aboleantur capitula canonicorum, excepto capitulo cathedrali.

e) Loci Ordinariis concedatur facultas dispensandi ab impedimentis matrimonialibus, firma manente obligatione correspondendi S. Sedi taxam pro singulis dispensationibus.

f) Item loci Ordinariis concedatur facultas permittendi ut sacerdotes Sacrum litari possint bis et etiam ter, in casu verae necessitatis, etiam in feriis per annum, in regionibus ubi habetur penuria cleri; facultas detur non per modum actus tantum, sed habitualis et delegabilis Vicariis foraneis.

g) Casus qui antehac reservabantur S. Sedi, reserventur Ordinariis, manente tamen reservatione S. Sedi pro censuris specialissimo modo reservatis.

h) Privilegium exeptionis religiosorum ad minimum reducatur, ita ut religiosi adhiberi possint sive pro institutione catechetica fidelium, sive pro adsistentia infirmarum, sive pro sacra praedicatione, ad nutum loci Ordinarii, firmo privilegio exemptionis circa vitam communem et statuta communitatis.

Proponitur ut in domibus monialium, etiam strictae clausurae, admittantur opera apostolatus et caritatis pro puellis, vulgo « oratoria puellarum », praesertim diebus festis, iuxta consilia Pii XII, in Const. Ap. *Sponsa Christi.* Item proponitur ut in iisdem domibus anticipari liceat

recitatio Divini Officii horis vespertinis. Insuper proponitur ut religiosae mulieres legi clausurae non obnoxiae, uti valeant vestibus formae simplicioris, quantum sufficit ut a saecularibus distinguantur, iuxta monitum praedicti Papae Pii XII. Domus religiosa mulierum habeat Directorem seu Moderatorem in foro externo, ab Ordinario nominatum.

i) Bona confraternitatum gradatim fiant paroecialia et Oratoria Confraternitatum potius quam loca sacra pro Divino Cultu, adhibeantur ut aedes pro institutione catechetica.

l) Hospitalia, brephotrophia et clinicae prohibeantur absolute ne transumpta authentica originalis actus Baptismi concedant, sed competentes sint concedendi tantum parochi territorii in quo baptismum administratum sit.

m) Iura paroecialia pro matrimoniis, quae celebrentur extra paroeciam contrahentium, reducantur ad minimum compensationis pro ipsis documentis matrimonialibus.

n) Pro ieiunio eucharistico spatium sit tantum unius horae.

o) Pro absolutione a censura in casu urgentiori data non imponatur onus recurrendi nec poenitenti nec confessario.

p) Augeatur competentia Ordinarii in actibus administrationem ordinariam excedentibus usque ad summam Lit. 3.000.000 vel 20.000.000 cum Episcopus solus decernit vel cum consensu Capituli Cathedralis. Proponatur Italico Gubernio ut omnibus Oeconomis, in paroeciis quae non habent proprium rectorem, congruum emolumentum assignetur, independenter a reditibus paroeciae.

q) In iure processuali revisioni subiiciantur normae pro causis Beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum, ut ad processum simpliciorem reducantur et numerus iudicum in relativis rogatoriis minuatur.

9. Auspicatur ut nihil praetermittatur ad constituendam ephemeridem politico-religiosam nationalem (Giornale Cattolico Nazionale).

Incrementum detur radio et teletrasmissionibus de re religiosa vel cum religione attinenti.

✠ FRANCISCUS MARCHESANI
Episcopus Clavarensis

65

Exc.mi P. D. IOANNIS B. BOSIO

Archiepiscopi Theatini, Adm. Perp. Vastensis (Chieti e Vasto)

Quoad Disciplinam

1. Parochorum inamovibilitas iam amplius non confert ad hodiernam vitam pastoralem, quae exigit ut Ordinarii facilius de suis sacerdotibus disponere valeant ad maius religionis incrementum.

2. Ecclesiastica administratio laborat malo sic dictae « burocratiae ». Optatur ut Ordinariorum facultates ita augeantur, ut multa negotia facilius expediantur, quin sit necessarius ad S. R. E. Congregationes recursus.

3. Quoad relationes inter Clerum saecularem et regularem, maxime circa munus pastorale, desiderantur normae magis expolitae, ut mutua cooperatio felicior evadat.

4. Plures sunt sacerdotes, praesertim ad iuventutis curam addicti, qui de rebus temporalibus utique ad curam pastoralem pertinentibus nimis occupantur, et proinde negligunt vitam pietatis, studia, praeparationem ad verbi Dei praedicationem etc. Optandum est ut sacerdotibus prohibeatur directa de hisce rebus occupatio, quae sub eorum vigilantia etiam a laicis exerceri possunt.

5. Quoad sacerdotes apostatas, firma omnino caelibatus lege et ducendae uxoris prohibitione, aliqua mitigatio desideratur pro illis, qui iam vinculo civili teneantur, vel saltem pro illis qui filios ex matrimonio civili susceperint, ut eorum animae et filiorum legitimationi consulatur.

6. Optimum si administratio beneficiaria ita reformetur, ut sacerdotes beneficiarii non cogantur personaliter agere cum laicis in bonis beneficialibus adlaborantibus. Quod enim difficiliter sine pastoralis officii damno evenit.

7. Etiam canonica disciplina circa ieiunium et abstinentiam et circa operum servilium in diebus festis prohibitionem revisione indiget, ut quod minimum statutum fuerit facilius exigi possit.

Quoad rem liturgicam desiderantur

1. Libri Pontificalis et Caerimonialis Episcoporum revisio et quorumdam rituum, v. gr. circa ecclesiarum et altarium consecrationem, simplificatio.

2. Revisio Missalis et Breviarii, ut saltem per notabile tempus variationes vitentur.

3. Usus linguae vulgaris saltem in administratione Sacramentorum et Sacramentalium.

Quoad Doctrinam Dogmaticam desiderantur

1. Expolitior doctrinae de Mystico Christi Corpore expositio, ita ut declaretur unitas perfecta eiusdem Mystici Corporis in connexione organica membrorum cum Capite et sive pro sacerdotibus, sive pro laicis, clare consectaria pateant.
2. Dogmatica definitio de universali B. Mariae V. mediatione.
3. Summarium doctrinae catholicae de relationibus inter Ecclesiam Christi et Civilem Societatem sive nationalem, sive internationalem.
4. Sollemnis condemnatio materialismi athei, sub quavis forma proponatur, et cuiusvis cum eodem cooperationis;
5. Condemnatio sic dicti « neomodernismi » iuxta *Humani generis* mentem.

Quoad Doctrinam Moralem

1. Angimur de crescente amoralitate gentis nostrae, quae sive ob divinae legis ignorantiam, sive ob errores et falsa principia quibus hodie regitur mundus, pro nihilo habet peccatum, quinimmo sensum peccati amisit. Bene fecerit Concilium, si fundamenta moralitatis breviter, sed fortiter, declarabit et confirmabit, errores subiectivismi et relativismi circa actus humani moralitatem damnando.
2. Moralis restauratio principium habeat a familia fundata super petram matrimonii christiani, cuius indissolubilitas vindicetur, et quidem fortiter, contra malum divortii, quo plures regiones infestantur, et quod a multis tamquam unicum remedium saltem in aliquibus casibus indicatur.

3. Vindicetur ius naturale parentum circa liberorum educationem, quam in nonnullis regionibus status sibi omnino reservat. Et pariter hortandi sunt parentes ad christianam filiorum educationem, quae una poterit filios recte dirigere inter mundanas varietates et eos a mala vita tueri.

4. Quoad iustitiam commutativam lamentamur de immani corruptione, quae societatem infestat ab imo usque ad summum. Etiam inter clericos iustitiae sensus haud raro deminutus est, non amoto fidelium scandalo. Bene fecerit Concilium, fortiter fundamentalia et rigida iustitiae commutativae principia confirmando, quorum oblivio etiam inter fideles cum praxi religiosa male conciliatur.

5. Quod attinet ad castitatem, fortiter est improbanda nimia libertas, seu potius licentia, quae conceditur ut libri, periodica, ephemerides ad vitium edantur sollicitantia. Quod etiam de cinematographo, de radio televisioneque dicendum. Pariter opportunum erit aliquid innuere sive de educatione sexuali, sive de castitate coniugali, maxime quoad adulterium et onanismum, quae ubique grassantur.

6. Concilium hortamur, ut publicationem curet codicis moralis quoad professiones saltem frequentiores, de quibus in textibus theologiae moralis vel nihil, vel nimis parum habetur. Sermones Pii XII f. m. et tractationes monographicae quorumdam auctorum materiam praebere possunt.

7. Pariter magnae utilitati fore indicamus, si breviarium edatur de doctrina sociali Ecclesiae, hodierni progressus ratione habita.

✠ IOANNES B. BOSIO
Archiepiscopus Theatinus

66

EXC.MI P. D. IOANNIS B. PIASENTINI
Episcopi Clodiensis (Chioggia)

Clodiae, die 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Honori mihi duco sequentia vota humiliter significare circa ea quae Eminentia Vestra in Ven. Litteris Prot. N. 1 C/59-358 die 18 iunii anni currentis postulavit, et ad agenda in futuro Concilio Oecumenico spectant.

1. Optandum ut strenue asseveretur oboedientia quam sacerdotes suo Episcopo praestare tenentur, quae oboedientia innitatur supernaturali ratione, scil. fide in Eum qui in sua dioecesi Deum repraesentat.

2. Contra hodiernas mundi insidias, immo violentos impetus, virtutem sacerdotum tutari necesse est: ad hoc plurimum conferre videtur si obligatio sacris exercitationibus per statos dies vacandi sacerdotibus praescribatur singulis annis, et insuper si urgeatur cleri participatio piis recollectionibus dioecesanis singulis mensibus.

3. Asseverandum optamus sequens effatum: sacerdotes, vi tam arctae unionis cum Summo Aeternoque Sacerdote, de Iesu Christi spiritu paupertatis participare oportet, arcentes quidquid luxum sapiat, quidquid superfluum noscitur, quidquid miserae conditioni adversatur tot

fidelium qui administrorum Domini magis a vitae ratione quam a verbis se aedificare optant.

4. Actualis parochorum inamovibilitas revisenda videtur, et ita moderanda ut Episcopo, equidem de consensu cuiusdam commissionis, fas sit animarum curatores, maiori facilitate, nedum ad aliam paroeciam, sed et ad aliud officium transferre, si vera necessitas id postulet.

5. Perutile insuper foret si universalis evaderet dispositio, in nonnullis dioecesibus de venia Sanctae Sedis iam actu vigens, scil. concursus non specialis sed generalis ad beneficia paroecialia cotannis indicatur, et Episcopo facultas sit pro suo iudicio singulis paroeciis sacerdotes ex ita approbatis designandi.

6. Quaedam exemptionis privilegia Ordinibus et Congregationibus religiosis hucusque concessa vel agnita, immodica videntur. Mea sententia, ita ea circumscribenda erunt, ut in quavis dioecesi directionis unitas — duce Episcopo — servetur, nec tantum in rebus ad fidem spectantibus sed etiam in ecclesiastica disciplina, in pastorali actione, in communi denique nisu ad animas salvandas.

7. Inspecto, prout nunc viget, *Codice I. C.*, adfirmari nequit clericos ad evangelica consilia capessenda teneri, adeo ut sacerdotes illis inhiantes, per inscriptionem in Institutis saecularibus id faciant oportet. Negari tamen nequit necessitatem, qua sacerdos versatur obsistendi ne mundano spiritu submergatur, et hodierni apostolatus exigentias valde postulare ut Domini administri ceteros antecellant in amplexandis consiliis quae Dominus Iesus Christus amicis suis sectanda exhibuit. Hoc igitur in votis nobis est: futurae legislationis hortatu, sacrorum alumnis, qui huiusmodi flagrant desiderio, inde a sua in Seminariis commoratione, via pateat ad consilia evangelica sectanda, de Episcopi consensu et ductu.

Dum futuro Concilio Oecumenico omnia fausta a Domino adprecor in Ecclesiae animarumque bonum, Sacram Purpuram deosculans, eo quo par est obsequio me profiteor

Eminentiae Vestrae Rev.mae
addictissimum

✠ IOANNES B. PIASENTINI
Episcopus Clodiensis

67

Exc.mi P. D. CAROLI BALDINI

Episcopi Clusini et Pientini (Chiusi e Pienza)

Pientiae, 14 iulii 1959

Eminentissime Domine,

Concilii Oecumenici nuncium pergratum in Christifidelium cordibus erga D. N. Ioannem XXIII, feliciter regnantem, excitavit sensum; ac grati animi novum addidit argumentum Eminentiae Tuae commissum munus, praeesse, scilicet, eius Commissioni Antepraeparatoriae; quippe qui tot per annos vitam in fideli S. Sedis servitio impendisti, oculos infigens in universum mundum, cuius malorum causas et remedia bene nosti, ita ut recto iudicio Tuo et consummata experientia sperare licebit, et propositas quaestiones, quaeque erunt, recte solvi posse, et efficaciora in conclusionibus evasura praescripta.

Hac de re, humile meum iudicium, etsi prudentium virorum mearum dioecesium sententia suffultum, parvi pendet; at cum a Te, Em. D.ne, enixe exquiratur, benevolentiae Tuae libenter supponam.

Quoad Doctrinam in Concilio pertractandam

1. Errores perplures vagantur in mundo; et Magisterium Ordinarium Summorum Pontificum pervigilantissime eos persequitur, cum Encíclicis Litteris, tum vivae vocis oraculo; ab hisque doctrina Ecclesiae ita in dies illustratur, ut quid retinendum fidelibus christianis, quidque respuendum sit in omnibus quaestionibus nostrae aetati propositis bene effulgeat.

Optimum putarem opus, ea quae prolata sunt his ultimis temporibus a Summis Pontificibus, ordinata synopsi in unum colligi a Concilio Oecumenico.

2. Proprium huius Concilii Oecumenici, et veluti eius nota fundamentalis, *optaretur evulgatio doctrinae Corporis Mystici, non tantum sub aspectu ascetico ac liturgico, sed etiam sociali ac practico.*

Valde in mundo, his nostris temporibus, socialis sensus sese evolvit, ac pluribus in conscientiis locum religionis obtinuit, per diversa corda hominum obliterans. Est insuper expectatio incensa ex parte hominum erga Ecclesiam. Huic expectationi, ut mihi videtur, Ecclesia respondere

potest ad mentem revocans omnium doctrinam Corporis Mystici, eamque in praxim ut deducatur commendans.

Christi doctrina a quibusdam philosophis definita est veluti individualismi triumphum, eo quod dignitatis personae conscientiam dedit servis ac dominis, graecis ac barbaris, hebraeis ac romanis. Protestantes hanc individualitatem exasperaverunt; liberales omnino corruperunt, eam suis cupiditatibus referentes.

Doctrina Christi, una cum vera dignitate personae, qua Dei creatura, a Sanguine Christi redempta, finem habens proprium consequendum, verum ac plenum sensum socialem fundat, non solum in amoris fundamentali praecepto, sed praesertim in communi divina Paternitate, quam consequuntur fideles per Redemptionem Christi, cui ita coniuguntur, ut unum mysticum efficiant corpus.

Quae fortior socialitas desiderari potest? Communis Pater, qui nos amat et iubet mutuum amorem; omnes in Christo vivificati, per Redemptionem eius elevamus ad dignitatem filiorum Dei; Sanguinis Christi divitias possidentes, Christum, sicuti Paulus, in membris nostris portamus, Christo in fratribus servimus, sic adimplentes omnem legem ac prophetas. Familiam Dei in terris efficimus; et sicuti in naturali familia amoris lege vincimur, similiter et in Dei familia, mutuo amore, omnia nova luce fulgent.

Haec doctrina magis ac magis vulganda est; in ea enim facile invenient homines fundamentum et basim expectationum socialium.

Ioannes XXIII, feliciter regnans, hanc veritatem innuere videtur suo exemplo ac dictis, cum opera misericordiae novo fervore adimplenda proponit.

3. *In errata conscientia sociali inseritur error saeculi, communismus, nempe, quem nullo modo ignorare poterit Concilium Oecumenicum.*

Nefastissimus error et omnium errorum summa, qui sensum socialem propugnat, et Deum, omnis socialis vitae fundamentum, negat; pauperum defensorem se proponit, et in angustias adducit populos, in quibus obtinuit rem; homines fallit, dum verba pacis loquitur et odium seminat, iustitiam praedicat iniuste agens; omnia promittit bona temporalia, quasi terrestrem paradisum, et laboris interim infestam servitutem instaurat.

At populos suis falsis promissionibus decipiens, eorumque sollicitans passionibus cum odii tum invidiae, tantam obtinuit in mundo potestatem, ut veram in praesens constituat calamitatem, verumque periculum totius civilis ac religiosae vitae.

Media aetate Pontifices constituerunt murum et antemurale contra Maometanos, qui Europae et civitati christianae insidiabantur. At maius,

mihi videtur, communismi extare periculum, cum sequaces adnumeret inter cives cuiusque nationis, et praesertim floreat atque in diem virescat in Patria nostra, Pontificatus sede.

Revera pastorale cor non latuit Pontificum communismi periculum; errorem damnaverunt pluribus in documentis; et cum communismus inter pauperes et simplices, Christo valde caros, amplam metat messem, ad operariorum mundum salvandum, positivam proposuerunt quaestionis socialis solutionem, christianis principiis innixam.

Ne desit in Concilio Communismi damnatio; necesse est enim christianos illuminare de erroribus; etsi permulti Ecclesiam, veluti matrem admonentem; nolint amplius audire, et sensim sine sensu ab eo elongentur. At actio precipua erit amoris signare viam, ex divitiis doctrinae Ecclesiae de Corpore Mystico attingentes principia; quae si in praxim deducantur, et bonum operariorum efficient, et solutionem omni sociali quaestioni praebebunt.

Exemplo enim edocemus, ad quaestionem socialem christiano sensu solvendam, Encyclicas cum *Rerum novarum,* tum *Quadragesimo anno,* magis profuisse quam S. Officii damnationes.

Quoad Cleri populique christiani disciplinam

Nunciatum est Concilii Oecumenici propositum novam iuris canonicis codicis editionem vulgandi.

Huic muneri adimplendo praeerunt Commissiones, quae monumentum iuridicum illud novis experientiis ita component, ut nullius indigeant auxilio; attamen et hac de re quaedam innuam argumenta.

1. Emendationes a Pio XII f. r., cum de novo maioris hebdomadae ordine et ieiunio Eucharistico; tum de Missa vespertina, omnino servandae sunt, cum optime respondeant exigentiis vitae hodiernae.

2. Canon 788 aetatem requirit in subiecto Confirmationis septem annorum; aetas 12 annorum videretur magis opportuna.

Ecclesia suis sacramentis sequitur ac comitatur aetatem hominum; attamen ab anno VIII ad XXV (qui repraesentat aetatem mediam matrimoniorum) nullum habetur sacramentum; dum e contra passiones insurgunt in vita naturali propter pubertatem, et pericula in fide multiplicantur cum studiis et otiis illius aetatis propriis.

Hodie permulti christiani sunt potius traditione, quam confirmata opinione; dum e contra errores passim diffusi firmum requirunt in fide iudicium, quod efficacius quis acquiret et custodiet, quo maiore ingenii vi et doni Dei aestimatione tenetur.

Nonne aetas XII-XIV annorum, quam Vico heroicam vocat, vide-

retur magis apta ad militiam Christi aggrediendam, dummodo fuerit opportuna instructio parata?

3. Reformatio breviarii, si examini Concilii subicietur, ita fiet, ut in eo persolvendo opere, Sacerdotes et lectionem spiritualem et meditationis argumentum facile inveniant.

4. Maior desideraretur cooperatio clerum saecularem inter et regularem, et communio inter clerum plurium dioecesium.

Interim, Sacram deosculans purpuram, sensus grati animi ex corde profiteor

in Domino addictissimus

✠ CAROLUS BALDINI

Episcopus Clusinus ac Pientinus

68

EXC.MI P. D. AETII BARBIERI

Episcopi Civitatis Plebis (Città della Pieve)

E Civitate Plebis, 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Accepi litteras 1 C/59-368 e Civitate Vaticana datas die 18 iunii 1959 quibus respondeo nullam mihi esse particularem quaestionem Pontificiae Commissioni « Pro Concilio Oecumenico » proponendam.

Cordi vero est mihi, Clero, Christifidelibus ut Concilium Oecumenicum fauste, secunde evadat atque Ecclesia Populusque christianus uberrimos ex eo fructus percipiant. Ideoque ut Spiritus Sanctus mentes illustret cordaque caritate divina omnium participantium inflammet oramus et orabimus.

Iterim Sacram Purpuram deosculor, a Domino Eminentiae Tuae omnia bona et prospera adprecor atque me profiteor

humillimum Servum

✠ AETIUS BARBIERI

Episcopus Civitatis Plebis

69

EXC.MI P. D. ALOYSII CICUTTINI

Episcopi Civitatis Castelli (Città di Castello)

E Civitate Castelli, die 26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ad Tuam diei 18 iunii c. a., Prot. N. 1 C/59-369.

Pro futuro Concilio Oecumenico haec, maxima cum humilitate, proponenda censeo:

1. Quoad materiam dogmaticam, optabile mihi videtur studium, et definitionem, de corredemptione B.M.V., tamquam praemissa pro eiusdem mediatione gratiae et maternitate universali erga homines.

2. Quoad rem moralem et socialem, hodie maximi momenti, puto hanc desumendam esse ex Litteris Encyclicis proximorum Pontificum.

3. Censeo tandem esse reformandam disciplinam iuridicam circa inamovibilitatem parochorum et exemptionem Religiosorum respectu Ordinariorum.

Ex corde profiteor Eminentiae Tuae Rev.mae impensos animi sensus.

Add.mus

✠ ALOYSIUS CICUTTINI
Episcopus Civitatis Castelli

70

Exc.mi P. D. ROBERTI MASSIMILIANI

Episcopi Civitatis Castellanae, Hortani et Gallesini
(Civita Castellana, Orte e Gallese)

Prot. N. 187/59

Civita C., 26 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Mitto, iuxta Litteram diei 18 iunii 1959 Em. Tuae, heic adnexa folia *decem,* ubi ea quae mihi visa sunt posse tractari utiliter in Concilio, scripsi.

Omnia subiicio iudicio, Pont. Commissionis.

Ea qua par est reverentia, Sacram Purpuram osculor:

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus

✠ Robertus Massimiliani
Episcopus Civitatis Castellanae
Hortanus et Gallesinus

Principium generale

Ex Concilio, mea humili sententia, primum et principaliter inveniri debent modi, media et viae ad hunc finem absolute assequendum: *cognitio nostrae S. Religionis cum omnibus veritatibus quas Ecclesia docet, augeri debet et plena fieri penes fideles utriusque sexus, cuiusque aetatis et gradus.*

Circa Doctrinam Catholicam

Mea humili sententia, Concilium sententiam dare deberet:

a) Circa methodum hodiernam interpretationis S. Scripturae.

b) Circa sic dictam modernam Theologiam: subiectivismum, relativismum et modernismum in veritatibus Fidei et etiam in philosophia: circa existentialismum; circa irenismum; circa sacerdotium fidelium: sacerdotium Presbiterorum et Episcoporum.

c) Damnandi Socialismus et Communismus et materialismus cuiusque speciei.

d) Damnandi Liberalismus, Laicismus et indifferentismus religiosus: Statolatria.

e) Exponenda doctrina catholica circa notionem Status, eius iura et limites; circa notionem christianae libertatis; circa dignitatem humanae personae; circa iura familiae in Statu: circa scholas et iuvenum educationem: circa privatam proprietatem et iura laboris humani.

f) Exponenda catholica doctrina circa relationes inter Ecclesiam et Status: circa iurisidictionem Ecclesiae in res civiles.

g) Contra Orthodoxos exponenda doctrina catholica circa unitatem Ecclesiae.

h) Exponenda doctrina circa proprietates, fines et iura christiani matrimonii.

Circa Cleri disciplinam

a) *Studia* ad Clerum efformandum, tum saecularem tum regularem: Minuantur studia disciplinarum profanarum; augeantur studia sacra, praesertim S. Scripturae, Iuris Publ. Eccl:; Sociologiae christianae, Asceticae, Pastoralis.

b) Inveniri debent media vere apta ne studia interrumpantur post Ordinationem.

c) *Coelibatus* Cleri firmus maneat ut in hodierna disciplina.

d) *Officium Divinum* servetur, immo addendae lectiones ex Patribus, Scriptoribus Eccl., scriptis Summ. Pontif., tum ad spiritualem aedificationem, tum ad instructionem mentis.

e) *Vita communis* imponenda clericis in Civit. Episcop. et alibi: maiores et severiores restrictiones circa familiares Clericorum.

Circa actuositatem Cleri

a) Uterque Clerus, totus incumbat in rebus sacris augendis et doctrina docenda: « orationi et Verbo Dei » (*Act.* VI).

b) Nullus Sacerdos doceat doctrinas profanas, ne quidem in Seminariis; nullus Sacerdos curet administrationem rerum temporalium: in paroeciis, seminariis, curiis et etiam in Curia Romana.

c) Haec fieri debent a Diaconibus vel Minoristis.

d) Nullus ordinetur Sacerdos statim ac studia theologiae expleta sunt; aliqui anni expectandi ut fungatur muneribus pastoralibus diaconatus: eo modo subiicitur probationi circa aptitudinem ad Sacerdotium et castitatem.

e) Praeter Diaconos qui Sacerdotes fiunt, aliqui optant diaconos qui semper tales remaneant, qui tum in muneribus pastoralibus tum in aliis muneribus Sacerdotibus et Episcopis sint in adiutorium: praeterea sua munia supradicta exerceant: ipsi possent baptizare, praedicare, co-

municare etiam per Viaticum, sacras aliquas functiones dirigere, etiam (si Ecclesia vellet) matrimonia iungere.

Pro istis aliqui optant dispensationem e coelibatu. Res plena tum utilitatibus tum difficultatibus: Concilio relinquenda.

Adhuc circa Clerum

a) Optarem maiores facultates pro Episcopis.

b) Optarem ut auferatur inamovibilitas Parochorum et ipse Concursus Parochorum.

c) Facilior fiat transitus de una in aliam Dioecesim: in eadem Provincia Ecclesiastica, vel Regione, Episcopi possint faciliter suos Sacerdotes inter se mutuo commutare ad labores difficiliores praestandos, qui specialem competentiam postulant.

d) Item esset valde utile (audio quod iam fit aliquando) quod Sacerdotes ex Dioecesibus nostris, adeant per aliquot annos, Missiones et ibi laborent in variis ministeriis.

e) Optarem maiorem simplicitatem in vestibus et functionibus pontificalibus: item in titulis honorificis Cleri, privilegiis et similibus.

Circa Religiosos et Religiosas

a) Exemptio servanda pro eorum vita et disciplina interna: pro ministerio erga fideles, pro locis fidelibus apertis etc. nulla sit exemptio.

b) Optarem ut Episcopus habeat *ius* petendi a Superiore Domus clericalis in Dioecesi existentis, ut unus (et alter in domibus ubi plures sunt) religiosus, talis manendo, applicetur totus in servitium Dioecesis, dum necessitas vel utilitas exigit: hoc fit hodie plus minusve in Missionibus.

c) Optarem ut Concilium ponat magnos limites in acquisitione, possessione, usu divitiarum penes religiosos et religiosas.

Simplicitas in omnibus et pro omnibus: in domibus, vestibus, mediis itinerum, suppellectile etc.

Paupertas effectiva in iis qui et quae votum voverunt, apparere debet et revera adesse.

Scandalum magnum quod domus religiosorum et religiosarum aliquando immoderatis commodis abundent, et Dioeceses carent mediis pro operibus ad iuvenum educationem, ad caritatem fovendam, ad Seminaria, actionem catholicam, praelum catholicum, novas paroecias et alia similia opera fovenda ad bonum fidelium.

Ecclesia potest, summo iure, haec bona exigere et distribuere, vel taxas imponere aut quid simile pro bono animarum.

Circa populi disciplinam

a) Religiosa institutio et instructio maximum problema.

b) Necessaria maior diffusio et cognitio S. Scripturae penes fideles.

c) Fiat textus unicus universalis pro catechismo ad pueros.

d) Optarem ut optimus *cathechismus ad parochos* Con. Trid. denuo edatur, sed hac methodo: fiat verum *Manuale Catholicum* (nihil adest huius generis in tota Ecclesia) aptum et idem tum pro Clero qui docet tum pro fidelibus qui addiscunt, ubi omnia scitu necessaria et utilia inveniantur: dogma, principia moralis, S. Scripturae notiones et veritates, sociologia, historia etc.: variis linguis editum erit liber communis (libro di testo) pro instructione fidelium adultorum, in Ecclesiis, in Actione Catholica, in scholis etc.

Res est, mea humili sententia urgens, et utillima omnibus.

e) Liturgia sit denuo magistra populi christiani: in Missa legantur, lingua vulgari, partes S. Scripturae multo maiores numero quam hodie: item scripta Patrum, Scriptor. Eccl., Summ. Pont.

Hoc fieri posset cyclicis periodibus trium vel quatuor annorum, ita ut tota doctrina Ecclesiae eo modo et medio exponatur: haec est solutio catechismi ad adultos et usus Ecclesiae talis fuit plus quam mille annis.

f) Lingua latina omnino servanda in Liturgia et usu Ecclesiae.

g) Servandus et augendus usus cantus gregoriani.

h) Ars sacra sit simplex, ut fideles doceat.

Adhuc circa populi disciplinam

a) Restituatur disciplina bis millenaria ieiunii et abstinentiae, pro Quadragesima, quattuor temporibus etc., uti erat ante ultimum bellum, pro universo populo christiano.

b) Clericis et religiosis utriusque sexus, imponantur, praeter supradictas, aliae poenitentiae: ex. gr. tempore Adventus.

c) Actio Catholica, ut labor laicorum, sub Summo Pontifice et Episcopis, habeat maximum impulsum: in ea relinquatur laicis eorum pars.

Circa hodiernam Ecclesiae actuositatem

a) *Proelum*: Aliquod Institutum Internationale Catholicum (Ente o società) fundandum; vel iam existentia unienda; multa ad hunc finem bona oeconomica invenienda, ut

1) emantur folia iam existentia, et nova fundentur;

2) « Agenzie di stampa » fundentur.

b) *Radio et TV*:

1) Maior diffusio Verbi Dei fiat per haec media;

2) Novae et liberae fundentur *stationes* ad hunc eundem finem, uti factum est in aliquibus Nationibus.

CIRCA FRATRES SEPARATOS AB ECCLESIA

a) Optarem ut magna praeparatio Concilii fiat:

1) res historicas in foliis et aliis mediis exponendo ea methodo, ut bona fides supponatur, merita ipsorum non taceantur nec demerita catholicorum;

2) privatis colloquiis.

b) Orthodoxi invitandi et methodus adhibenda uti fuit in Concilio Florentino.

✠ ROBERTUS MASSIMILIANI
Episcopus Civitatis Castellanae
Hortanus et Gallesinus

71

EXC.MI P. D. FRANCISCI NICCOLI
Episcopi Collensis (Colle di Val d'Elsa)

Colle ad Fontem Elsae, 23 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Qua par est sollicitudine pro re tanti momenti, respondeo litteris ab Eminentia Vestra sub die 18 iunii currenti annis (Prot. N. 1 C/59-385) missis, nomine Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico a Summo Pontifice Ioanne XXIII fel. regn. indicto.

Inter argumenta a Concilii Patribus pertractanda digna quidem consideratione mihi videntur ea quae heic adnumerantur.

I. *Quoad res Fidei* iterum commendanda pro rerum adiuctis apparent:

1. Doctrina de Christi ac Immaculatae Virginis Matris regia potestate, necnon de excellentia eiusdem Virginis qua Mediatricis Universalis apud Deum, fortasse dogmatice definiendae.

2. Doctrina denuo ac magis magisque revocanda de Corpore Mystico Christi eiusque unitate ad normam Encycl. *Mystici Corporis.*

3. Expositio doctrinae de Re Liturgica ad normam Encycl. *Mediator Dei.*

4. Doctrina circa relationes inter Ecclesiam et Statum Civilem.

5. Item denuo videtur sollemniter damnandus error de Communismo atheo, tum dialectico, tum hystorico, continuo novas ingentesque Ecclesiae populisque ruinas afferente, necnon alter error late diffusus de Neo-Modernismo in suo duplici adspectu, Naturalismi, nempe, ac Existentialismi athei, de quo in Encycl. *Humani Generis*.

II. *Quoad res morum* magis magisque in dies maximam curam expostulant problemata, quae modo recensentur, scilicet:

1. Reiterata errorum damnatio circa ethicam, quae vulgo « Relativismo morale » et « Morale della situazione » nuncupantur. Item:

2. Problemata quae vitam moralem familiae respiciunt.

3) Problemata pertinentia ad eam quae vulgo « Morale professionale » appellatur.

4. Relationes morales inter varias societatis classes.

5. Pericula quae magis magisque in dies publicae moralitati ex abusu obveniunt cinematographici, radiophoniae, televisionis, ludorum gymnicorum vulgo « Sport » ac ex editione et diffusione librorum ac ephemeridum contra fidem et mores. Itidem opportuna quae revocetur:

6. Doctrina socialis Ecclesiae circa ea quae « rapporti tra capitale e lavoro » necnon « moti sociali, sindacali, e politici » vulgo appellantur.

III. *Quoad disciplinam Cleri* populique christiani maxima consideratione digna, pro rerum conditione admodum immutata, videntur:

1. Amovibilitas parochorum.

2. Facilis translatio parochi ad aliam dioecesim, ordinationis titulo tantummodo immutato.

3. Relationes inter Episcopos Sacrasque Romanas Congregationes.

4. Relationes inter Clerum saecularem et regularem.

5. Problemata, tanta pietate ac sollicitudine dignum, quod conditionem sacerdotum apostatarum respicit.

6. Specialis assistentia spiritualis procuranda sacerdotibus in primis sacri ministerii temporibus.

7. Auxilium a bonis christifidelibus praestandum sacerdotibus in administratione rerum temporalium, necnon in iis, quae eorum conditio permittit, quoad activitatem spiritualem.

8. Reformatio in beneficiorum administratione.

9. Normae practicae pro honesta Cleri sustentatione rite procuranda.

10. Normae circa ieiunium et abstinentiam.

11. Novae dispositiones circa Legata Missarum renovanda.

IV. *Quoad rem liturgicam,* quae magnopere ad Ecclesiae bonum confert, opportuna videntur, quae mox indicantur, nempe:

1. Nonnullae normae ad expeditius exercitium cultus afferendae in

libris liturgicis, scilicet in Pontificali et Caerimoniali Episcoporum, in Rituali, Missali et Breviario. Aliud problema quidem, consideratione dignum, videtur:

2. Usus linguae vulgaris in Sacramentorum administratione. Denique:

V. *Quoad rem pastoralem,* pertractanda videntur:

1. Status iuridicus laicorum in Ecclesia, praesertim relate ad ea quae cum eorum apostolatu sunt connexa.

2. Quae ad Actionem Catholicam referuntur.

3. Instructio catechetica, pro qua impertienda textus nationalis commendandus videtur.

Haec summa rerum quas, omnibus perpensis, dignas, quae pro conciliari tractatione commendentur, censeo. Maximo quidem animi obsequio Eminentiae Vestrae Ill.mae ac Rev.mae

me addictissimum in Christo profiteor

✠ FRANCISCUS NICCOLI
Episcopus Collensis

72

EXC.MI P. D. IOANNIS MOCELLINI
Episcopi Comaclensis (Comacchio)

20 iulii 1959

Eminentissime Domine,

Ad Epistulam Eminentiae Tuae Reverendissimae sub die 18 iunii p. p. me referens, qua opiniones seu sententias, necnon consilia et vota Exc.morum Episcoporum atque Praelatorum petisti, maxime autem eorum qui futuri Concilii Patres erunt, haec argumenta pertractanda et — si opus fuerit — definienda Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae praesento:

A) DOCTRINA

1. *De S. Scriptura: explanare Ecclesiastici Magisterii mentem relate ad S. Scripturam, sive quoad inventiones biblicas recentissimas et quotidie progredientes, sive quoad magnos progressus scientiarum,* ita ut appareant firma magisterii immutatio et nulla dogmatis incisura etiam in hodierno scientifico progressu.

2) *De Ecclesia: Doctrinam de Mystico Christi Corpore excolendo, illustrare et definire sub aspectu doctrinali relationem laicorum* — qui in

societates ab Ecclestiastica Autoritate ordinatas coniunguntur (ut sunt A.C.I., G.I.O.C. etc.) — sive quod attinet ad Ecclesiasticum Ordinem et Iurisdictionem, sive quod attinet ad eorum accessionem ad Ecclesiam tanquam membra operantia activa.

Illustrare notionem « De Sacerdotio », sive sensu ministeriali activo sive sensu mystico et participato, ita ut mentis confusio evitetur et etiam aliqua vis noxia circa sacerdotii naturam, finem et munera.

3. *De Mariologia*: Propter progressum theologicum in doctrina mariologica, satis iam opportunam putarem definitionem aliquorum privilegiorum B. Mariae Virginis defluentium a veritatibus iam definitis, ut sunt *Mediatio B. M. V.*, Eius cooperatio in Redemptione mundi; etiam eo quod haec videntur rationem habere cum sensu communi fidelium.

B) Disciplina

1. *De Episcopo*: cum iam omnis navitas religiosa dioecesana coordinationem exquirat, Episcopis maior agnoscatur efficientia actionis pastoralis relate ad curam dioecesis, praesertim:

a) circa *inamovibilitatem Parochorum,* institutum iuridicum quod ceterum potest tardam efficere Episcopi actionem;

b) circa *religiosos « exemptos » ita ut ex factorum natura appareat eos esse constitutos in verum auxilium Ecclesiae per strictiorem et fortiorem cooperationem cum Episcopo.*

2. *De Clero*:

a) opportuna videtur centralis disciplina ad rationabilem et efficientem *partitionem cleri in singulis dioecesibus cum verae catholicitatis iudicio*;

b) spectatis particularibus clericorum difficultatibus nummariis quae negative influere possunt etiam in futuris vocationibus, necessarium habetur: *constitutionem autosufficientem oeconomicam illis provvidere etiam per aequabilitatem bonorum ex ordine centrali vel dioecesano* quod certe non erit contrarium spiritui paupertatis evangelicae; Sacerdotes omnes — beneficio provisos vel non — tutos reddere formulis, ut aiunt, mutualisticis et cautionis;

c) *traditionalis habitus ecclesiasticus* — etsi sub nonnullis speciebus superatus — *gloriosus et protectivus habetur et hinc videtur conservari,* etiam si in quibusdam casibus forsitan actio sacerdotalis habitu minus intricante expeditior evaderet.

3. *De populo christiano*: Ad populum christianum tuendum contra nefarios et turtuosos errores, occasio agnoscitur *illustrandi positionem di-*

sciplinam fidelium relate ad factiones atheas et antichristianas ex institutionibus S. Officii.

Revisere — si opportunum appareat — *modalitatem ad praeceptum paschale satisfaciendum.*

C) De Actione Catholica

1. Maxime opportunum videretur actiones componere in suas partes: Apostolatus, Charitatis, Actionis Catholicae etc. ita *ut maior virium concursio habeatur*;

2. Favere — etiam per apparatus centrales et dioecesanos — actionem ad efficientem redhibitionem eorum qui evaserunt ab Ecclesia, sive disponendo homines et subsidia, sive concipiendo rationes prudentes actionis, praesertim ad adiuvandos illas regiones quae circumstantiis historiae et societatis sunt spiritualiter maxime depressae.

Ex animo Eminentiae Tuae Reverendissimae me profiteor humilem servum.

✠ Ioannes Mocellini
Episcopus Comaclensis

73

Exc.mi P. D. FELICIS BONOMINI
Episcopi Comensis (Como)

Comi, die 18 augusti a. d. 1959

Eminentissime Domine,

Ad epistolam 1 C/59-389 die 18 iunii 1959 quod attinet, humiliter exponere audeo quod mihi opportunum videretur subiicere studio Exc.morum Episcoporum atque Praelatorum qui Concilio Oecumenico proxime celebrando intererunt:

a) ut Religiosi omnes cuiusvis Ordinis vel Congregationis sive iuris pontificii sive iuris dioecesani, subsint omnibus dispositionibus Ordinarii loci quando agitur de ministerio pastorali vel de regulis liturgicis in Ecclesiis vel Oratoriis pro quibus ius est omnibus fidelibus, ex iure vel ex consuetudine adire;

b) ut facilior reddatur remotio parochorum quando bonum animarum id exigat, absque processu canonico qui non semper difficultates dirimit, immo saepe saepius eas auget et in tempus protrahit cum damno animarum;

c) ut redigantur regulae practicae et novissimis temporibus adap-

tatae circa sanctificationem festorum, maxime in quod attinet ad explicationem homileticam et catechisticam;

d) ut revisa sit lex abstinentiae et ieiunii quae, quamvis a benignitate Ecclesiae relaxata, tamen secumfert difficultates pro operariis qui mane de domo portant cibum pro refectione diurna;

e) ut non facile admittantur ad Ordinationem Sacram alumni qui ex aliquo Seminario dimittuntur ex iudicio regulari Commissionis « de admittendis ad Ordines » cui praeest Episcopus.

Divina Charismata, auxiliante Deipara Immaculata, pro omnibus enixe adprecatus, in osculo pacis, Eminentiae Tuae devotissime me profiteor

addictissimum in Christo Iesu
✠ Felix Bonomini
Episcopus Comensis

74

Exc.mi P. D. VICTORIS DE ZANCHE
Episcopi Concordiensis (Concordia)

Portogruaro, 7 settembre 1959

Eminenza,

In riferimento alla ven. Lettera circolare n. 1 C/59-394 del 18 giugno mi permetto umilmente di suggerire alcune proposte che — meo quidem iudicio — potrebbero essere trattate nel prossimo Concilio Ecumenico.

1. Definire e condannare gli errori moderni contro la fede e la morale, sia nel campo strettamente religioso, che in quello politico e sociale.

2. Riaffermare solennemente, non soltanto in ordine alle Chiese separate, ma anche per i cattolici stessi, clero e fedeli, il concetto fondamentale della unità e universalità della Chiesa, che spesso praticamente viene ristretto alla Chiesa particolare, alle Diocesi, alle Parrocchie e Congregazioni Religiose.

3. Abolire i vari titoli di Ordinazione e sostituire con quello di « titulo servitii ecclesiae universalis ».

4. Rafforzare l'autorità del Vescovo, sia concedendo maggiore autonomia di fronte alle Congregazioni Romane e più ampie facoltà, sia limitando le esenzioni degli Ordini Religiosi e i privilegi di Congregazioni e persone particolari che limitano l'autorità del Vescovo.

5. Studiare una sistemazione della condizione dolorosissima degli ex-

preti di fronte alla Chiesa e alla loro coscienza, tenendo fermo il principio del celibato ecclesiastico.

6. Richiedere ai Diaconi, prima di ammetterli alla Ordinazione Sacerdotale, una ulteriore prova fuori del Seminario, più o meno lunga, assegnandoli in aiuto a Parroci idonei, non solo per le attività proprie dell'Ordine, ma anche per tutte le opere parrocchiali, religiose, organizzative, sociali ecc., in cui hanno maggiori occasioni di dimostrare la saldezza della loro formazione spirituale e morale.

7. Compilare un Catechismo per fanciulli unico, possibilmente per tutta la Chiesa o almeno nazionale.

8. Fissare nuove norme adatte per un'efficace istruzione religiosa ai fedeli, oggi resa difficile o anche impossibile per le mutate mentalità, condizioni e abitudini del mondo moderno.

9. Stabilire norme precise e obbligatorie per l'assistenza degli emigranti dovunque si trovino, tali per cui essi sentano che la Chiesa è una e universale anche per la assistenza diretta che ricevono non solo dai Missionari e Cappellani degli emigranti, ma specialmente dai Vescovi e Parroci del territorio d'immigrazione.

10. Si aboliscano i concorsi a benefici parrocchiali lasciando ai Vescovi, colle dovute cautele, e dopo la prova generale nella scienza, la libertà di scelta e nomina.

11. Semplificare il sistema delle pene canoniche e, ridurre quelle « latae sententiae ».

12. Allargare le facoltà dei Vescovi circa le dispense dagli impedimenti matrimoniali « quae solent dispensari ».

13. Stabilire che i matrimonii « nulli » per difetto di forma o per impedimenti » « quae solent dispensari », dopo un determinato periodo di tempo « sanentur ipso iure ». E ciò per ridurre il numero delle cause matrimoniali che vengono introdotte solo quando c'è dissidio fra i coniugi, e soprattutto per non privare della grazia sacramentale i buoni coniugi che spesso vivono « pacifice » in matrimoni nulli.

14. Dettare norme atte ad impedire il moltiplicarsi delle iniziative di Congregazioni o di altri che sollecitano lettere postulatorie al S. Padre per la introduzione di cause di beatificazione, di definizioni di nuovi dogmi, di nuove feste liturgiche ecc.

Chino al bacio della Sacra Porpora, coi sensi di profonda stima e venerazione mi professo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
devotissimo
✠ VITTORIO DE ZANCHE
Vescovo di Concordia

75

Exc.mi P. D. CHRISTOPHORI D. CARULLO

Archiepiscopi Compsani, Ep. S. Angeli de Lombardis et Bisaciensis
(Conza, S. Angelo dei Lombardi e Bisaccia)

13 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Libenter sequens vota et desideria Summi Pontificis, hisce litteris ad Te, adnexo folio, remitto argumenta quae mihi videntur tractanda in futuro Concilio Oecumenico.

Interim praeces obsecrationesque Deo Omnipotenti offero ut futurum Concilium pacem det Christi Ecclesiae, revocando infideles et omnes errantes ad fidei veritatem, ita ut fiat ovile unum et Pastor unus.

✠ Christophorus Carullo
Archiepiscopus Compsanus
Episcopus S. Angeli de Lombardis et Bisaciensis

Doctrina:

1. Definitiones dogmaticae Mediationis universalis Mariae et Regalitatis Christi et Mariae.
2. Expositio doctrinae: Mystici corporis; Sacrae Liturgiae (Mediator Dei), Relationum inter Ecclesiam et Statum.
3. Revocatio Ecclesiae Orientalis et dissidentium ad unitatem Ecclesiae.

Errores damnandi:

Materialismus: Modernismus (cf. *Humani Generis*).

Theologia moralis:

1. Relativismus moralis, id est aptata exigentiis modernis.
2. Problema morale familiae.
3. Scientia moralis professionalis.
4. Moralis socialis scientia.
5. Pericula publica moralitatis a « cinema, radio, TV, sport, stampa ».
6. Expositio aspectus positivi et ascetici scientiae moralis christianae.

Doctrina socialis:

1. Synthesis doctrinae socialis Ecclesiae.
2. Movimenta socialia, sindacalia, politica.

Disciplina:

1. Vita communis Cleri.
2. Amovibilitas Parochorum.
3. Relationes inter Episcopos et SS. Congregationes Romanas.
4. Relationes inter Clerum saecularem et regularem.
5. De Sacerdotibus apostatis.
6. De adsistentia iuveni Clero.
7. Reformatio administrationis beneficiorum, legatorum.
8. Provisio honesta Sacerdotum.
9. Ieiunium et abstinentia: revisio et reductio.
10. Revisio celebrationis festorum.

Liturgia:

1. Revisio et simplificatio Pontificalis et caeremonialis Episcoporum.
2. Revisio et simplificatio Missalis, Breviarii, Ritualis.
3. Usus linguae vulgaris, praesertim in administratione sacramentorum.

Pastoralis:

1. Catechetica; usus textus nationalis; praedicatio dogmatica.
2. Actio catholica: inspiratio dioecesana quoad diversa.
3. Revisio Confraternitatum.
4. Immissio in paroecias, Religiosorum, praesertim ubi desunt Sacerdotes.
5. Dependentia, quoad res paroeciales, a Parocho circa Religiosas.

✠ CHRISTOPHORUS CARULLO
Archiepiscopus Compsanus
Episcopus S. Angeli de Lombardis et Bisaciensis

76

EXC.MI P. D. IOSEPHI FRANCIOLINI
Episcopi Cortonensis (Cortona)

Cortona, 31 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Compio il gradito dovere di indicare nell'accluso foglio, in ossequio alla venerata lettera n. 1 C/59-406, dell'Eminenza Vostra Reverendissima, alcuni argomenti che, secondo il mio modesto avviso e di miei Sacerdoti, potrebbero essere motivo di studio per il Concilio Ecumenico.

Penso si possano aggiungere e chiarire anche successivamente altri punti da studiare allo scopo.

Unendomi nell'invocare tutte le necessarie benedizioni del Signore sull'opera immensa che la S. Chiesa, sotto l'impulso e la guida dell'Augusto Pontefice Giovanni XXIII, coll'ausilio primo dell'Eminenza Vostra, sta preparando, a gloria di Dio e a bene dell'intera società cristiana, bacio devotamente la S. Porpora, e con profondo ossequio mi confermo

umil.mo in Domino
di V. Em. Rev.ma

✠ GIUSEPPE FRANCIOLINI
Vescovo di Cortona

1. Opportunitas definiendi, ut dogma, universalem Mariae Virginis mediationem.

2. Doctrina de Mystico Christi Corpore, ad mentem enc. *Mystici Corporis* Pii XII, accurate exponatur.

3. Relationes inter Ecclesiam et Statum apte exponantur et explanentur.

4. Errores maioris momenti hoc nostro tempore serpentes, tum quoad fidem tum quoad mores, confutentur et damnentur, videlicet: *a*) Communismus materialisticus atheus; *b*) neomodernismus; *c*) laicismus; *d*) existentialismus atheus; *e*) relativismus in re morali et moralis quam « situationis » vocant.

5. Aspectus praecipue positivus et asceticus praeceptorum moralium in plena luce ponatur; et praesertim principia moralia circa familiam, coniugum iura et officia, matrimonii natura, singulorum activitas et in ordinem ad societatem, accurate pertractentur; et pericula cinematographi, radiophoniae, televisionis, ludorum, librorum et ephemeridum iterum ac iterum indicentur et damnentur.

6. Doctrina socialis Ecclesiae in syntesim accurate redigatur, et de motibus socialibus, syndacalibus et politicis satis dicatur.

7. Ad Cleri et fidelium disciplinam magis fovendam Paroeciae natura et vita, ut spiritualis familiae, commendetur, et Parochorum inamovibilitati ita provideatur quo facilius Sacerdotes ex una in aliam Paroeciam, et etiam Dioecesim, transferri possint.

8. Clericorum et Religiosorum institutio, tum in Seminariis tum in domibus religiosis, quas « formationis » dicunt, accuratissima sit. Sacerdotibus, praesertim iuvenibus, sedulo subveniatur, ut vocationi fideliores permaneant.

Cleri substentationi, praesertim adsistentiae in senectute et in infirmitatibus, accurate provideatur.

Sacerdotum apostatarum infelicissimae conditioni benignissima Ecclesia mater consulere studeat.

Inter Clerum saecularem et regularem relationes in fraternitatis spiritu semper, quantum fieri potest, serventur, quo facilior sit in apostolatu concordia et uberiores referantur fructus.

Lex ieiunii et abstinentiae mitior fiat pro populo christiano, strictior vero maneat pro personis Deo consecratis.

9. Pastoralia officia circa Actionem Catholicam, et principia circa laicorum in apostolatu cooperatione in mentem revocentur et opportuna sanctione firmentur.

Catechetica institutio, tum puerorum tum adultorum, maximi semper habeatur momenti, et officialis textus pro unaquaque natione exaretur, quo arctior sit unio totius Ecclesiae.

10. Circa aetatem pro Confirmatione administranda dentur normae quae faveant, post communionem eucharisticam cito et saepe susceptam, ampliorem catecheticam institutionem.

11. Quaedam prolixiores partes Pontificalis Romani, ut in consecratione Ecclesiae, Altaris, et campanae, ad breviorem et expeditiorem textum redigantur.

12. Missa in honorem SS. Eucharistiae praefatione propria donetur.

13. Ecclesiae praeceptum circa annuam confessionis et communionis obligationem, ita reformandum videtur: « Confessio et communio saltem semel in anno, praecipue tempore paschali, fiant ».

14. In matrimonii celebratione, quando Missa pro sponsis non celebratur, nuptialis benedictio quae in Missali invenitur, expletis quae sunt in Rituali, impertiri possit.

15. In Baptismi administratione, quando urgente causa Sacramentum confertur, sacris precibus ac caeremoniis praetermissis, ritus supplendi omissa ad breviorem et aptiorem formam redigatur.

16. In Baptismo, Confirmatione, Matrimonio et Viatico administrandis, lingua patria uti liceat.

✠ IOSEPH FRANCIOLINI
Episcopus Cortonensis

77

EXC.MI P. D. AGNELLI CALCARA

Archiepiscopi Consentini (Cosenza)

Cosenza, 3 ottobre 1959

Eminenza Rev.ma,

In riscontro alla venerata lettera dell'Eminenza Vostra in data 18 giugno c. a., N. 1 C/59-408, invio nell'unito fascicolo le proposte che a me sembrano le più opportune nella attuale condizione della Chiesa, perchè siano sottoposte alla discussione e alla eventuale approvazione del futuro Concilio Ecumenico, con tanta perspicace sapienza voluto dal Sommo Pontefice Giovanni XXIII felicemente regnante.

Non ho mancato di chiedere il parere degli ecclesiastici più illuminati di questa Arcidiocesi.

Ho tardato un poco a rispondere nel desiderio d'inviare le proposte formulate con la necessaria brevità e precisione, senza mancare i riferimenti a precedenti disposizioni.

Chinato al bacio della Sacra Porpora, profondamente ossequio, mentre godo confermarmi

di Vostra Eminenza Rev.ma

✠ AGNELLO CALCARA
Arcivescovo di Cosenza

Ad doctrinae capita quod attinet

Perniciosi errores hodie grassantes, quos PIUS XII imm. m. in litteris encycl. *Humani Generis* diei 12 augusti 1950 tractaverit, fusius retractentur ac solemniter damnentur.

Ad unitatem in veritate confirmandam et augendam, iuxta quae SS. D. N. Ioannes PP. XXIII in litteris encycl. diei 29 iunii huius vertentis anni docet, doctrina *Mystici Christi Corporis* (Cf. litt. encycl. PII XII diei 29 iunii 1943) tamquam integrum corpus operis Filii Dei (Cf. S. IREN., *Adv. Haer.* 1. I, cap. 9, n. 4) sollemniter definiatur ita ut et Fidei veritates ac Theologica scientia et vita ac mores tum singulorum fidelium tum christianarum societatum, maxime vero Ecclesiae opus apostolicum, ad perfectam ac fructuosam unitatem redigantur.

Universalis in ordine supernaturali Mediatio B. Mariae Virginis

Divini Capitis et humani Corporis Christi sanctissimae Matris solemniter definiatur.

Formale discrimen inter sacerdotium late sumptum clarius statuatur; distinctio vero inter missionem sacerdotum ac laicorum earumque in Ecclesia consona compositio illustretur.

Distinctio inter ordinem ecclesiasticum atque civilem confirmetur limitesque definiantur, in quibus Ecclesia ius exerceat in rebus civilibus.

Relativismus moralis « Ethica situationis » — qua dicitur — (cf. *Istr. S. Off.* diei 2 febr. 1956) damnetur.

Doctrina de matrimonii finibus (cf. *Decr. S. Off.* diei 1 apr. 1944) fusius illustretur; quaestiones, quae eugeneticam, fecundationem artificialem, usum matrimonii, iuvenum initiationem sexualem, coëducationem respiciunt, tractentur.

Connexio inter quaestiones oeconomicas, politicas, iuridicas tum nationales tum internationales, et christianum ordinem moralem adfirmetur.

Quae RR. PP. — praesertim Leo XIII, Pius XI, Pius XII — docuerint circa quaestionem, quam socialem appellant, enucleatius exponantur: quid sibi quaestionem, quam socialem appellant, enucleatius exponantur: quid sibi velint ius privatae proprietatis eiusque limites, quid ius laboris, quid iura hac in re singulorum civium vel privatarum societatum, quid iura auctoritatis Status, Communismi commento damnato, definiantur.

Catholica doctrina de pace ac de iure belli illustretur.

In cultu Sacrarum Reliquiarum ac Breviarii Romani lectionibus reformandis ad historicam veritatem diligentius attendatur.

Quoad disciplinam cleri dioecesani et religiosi

Cum officiorum omnium, quae apostolico muneri inhaereant, maximum sit Ecclesiam de sufficienti numero bonorum sacerdotum providere (cf. Litt. Ap. diei 1 aug. 1922) maximi momenti habeatur quaestio de vocationibus sacerdotalibus tum dioecesanis tum religiosis.

Error — qui etiam in catholicis adsociationibus quandoque serpit — quo iuvenes non tantum ad sacerdotium non sollicitentur, sed etiam ab eo amplectendo arceantur, quod — ut aiunt — Religionis causae melius serviatur a laicis coniugatis actionem apostolicam exercentibus, quam a clericis a mundo segregatis (cf. Litt. Encycl. *Sacra Virginitas* » diei 25 mart. 1954), fortiter reiciatur.

Educationis methodus Seminariorum diligenti examini subiiciatur et, quatenus opus sit, innovetur ut alumnorum educatio efficacior evadat

ad Sacerdotem iuxta Cor Christi « hominem Dei » ad omne opus bonum instructum » (2 *Tim.* 3, 17), attentis peculiaribus huius temporis animarum necessitatibus, efformandum.

Quamvis clerici ad sectanda consilia evangelica iure divino non teneantur, ad sanctitatem tamen consequendam, quae in sacerdotibus expostulatur, regalis via (cf. *Sac. Nostri Primor.* diei 1 aug. 1959) est horum consiliorum cultus, quae inter se ita cohaerent ut castitas perfecta et perpetua iure meritoque imperata, « ordinis sacerdotalis insigne ornamentum », maxime iuvetur ac servetur in reliquorum consiliorum exercitio. Quare sacerdotes dioecesanos quamdam religiosae vitae formam instituere, necessitatibus pastoralibus accomodatam, peropportunum videtur.

Clericorum, igitur, vita communis, Praelatis praeeuntibus, non solum laudanda ac suadenda (can. 134 *C.I.C.*), sed, obstaculis fortiter superatis, quantum fieri potest, instauranda est.

Sacerdotes vero religiosos, salva regulari disciplina spiritualibus tamen huius temporis necessitatibus accomodata, cum sacerdotibus dioecesanis mutua fraterna caritate, Episcopis regentibus, iuxta ordinem praestitutum collaborare omnino necesse est.

Sacerdotes regulares contemplativi, quorum incrementum negligendum non est, profundam colant spiritualitatem hoc etiam consilio, ut confratres in sacerdotio in via christianae perfectionis sapienter dirigere valeant; eorum domus religiosae, quantum fieri potest, praesto sint spiritualibus sacerdotum conventibus recipiendis.

Ad fovendam mutuam caritatem actionemque pastoralem sapienter ordinandam conventus sacerdotales, praelatis fraterne intervenientibus, in nationibus, in dioecesibus, in vicariatibus, iuxta praestitum ordinem crebriores fiant.

Relationes inter sacerdotes et hierarchicam auctoritatem his regulis temperentur: officium sacerdotale nec sanctum, nec fructuosum, nec honestum esse nisi exerceatur sub Episcoporum magisterio (cf. Litt. Encycl. *Nob. Gall. Gens* diei 10 febr. 1884); auctoritatem autem pastoralem, iuxta Domini exemplum et praeceptum (cf. *Lc.* 22, 25 ss.) non dominium esse sed aliorum supernaturale servitium.

Divisiones territoriales dioecesium ac paroeciarum, distributio sacerdotum, canonica incardinatio ita temperari debent ut unitati Ecclesiae catholicae eiusque urgentioribus spiritualibus necessitatibus efficaciter consulatur.

Beneficiorum institutum immutandum esse videtur, ita ut fructus cuiuscumque beneficii ac ceteri ecclesiastici reditus non a singulis beneficiariis sed a clericorum collegiis sapienter ordinatis, sua cuique in prae-

sens ac in futurum decora sustentatione aeque cauta, administrentur.

Hierarchicae auctoritati, auditis qui audiendi sint, unice competat iuxta uniuscuiusque facultates et fidelium necessitates officia tribuere.

In dioecesibus domus sacerdotales instituantur ad sacerdotes, praesertim invalidos, apte et decore recipiendos. Quaelibet, praeterea, domus ecclesiastica, vetita ad quemcumque laicalem usum locatione, unice ad clerum et ad catholica opera destinetur.

Quoad disciplinam religiosarum

Religiosas esse providas sacerdotum adiutrices in pastorali ministerio omnibus constat.

Promoveantur, igitur, vocationes ad vitam contemplativam, monialibusque orantibus committantur apostolica proposita.

Religiosarum, quae operibus incumbant, adaequatae formationi morali, religiosae, culturali, sociali, professionali maxima cura consulatur.

Multiplicitati congregationum, quae eundem finem persequantur, ne nimis indulgeatur.

Foederatio (internationalis, nationalis, interdioecesana ac dioecesana) multiplicium congregationum religiosarum ad earum opera ordinanda confirmetur vel instauretur.

Habitus religiosus operum necessitatibus, temporum adiunctis, tuendae valetudinis arti congruat.

De populi christiani disciplina deque actuositate multiplicis generis qua hodie Ecclesia tenetur

Opus Ecclesiae primum ac maximum est omnibus, quantum fieri potest, Evangelium fructuose nuntiare; catechetica, igitur, institutio omnium hominum cuiuscumque populi, coetus ac aetatis, maxime vero puerorum, tamquam vera ac totalis novi hominis in Christo renati educatio, methodis ac subsidiis his temporibus consonis adhibitis, sit clericis, religiosis, adsociationum actionis catholicae sociis primum ac maximum apostolicum officium.

Christianae educationis opera (infantium asyla, scholae cuiusvis generis et gradus etc.) iuxta ordinem praestitutum maxima cura promoveantur. Ad haec condenda et sustentanda fideles ne omittant adiutricem operam pro viribus conferre (can. 1979, § 3). De recta et adaequata preparatione eorum qui his operibus praesint vel incumbant, sapienter et tempestive provideatur.

Cum, Baptismo infantibus collato, conscia initiatio vitae christia-

nae sacramentis primae Confessionis, primae Communionis ac Confirmationis habeatur, praeparatio ad Sacramenta adaequata definitis regulis statuatur, quae sancte observentur.

Fidelium conscia et activa Sacrae Liturgiae participatio magis magisque urgeatur.

Ad unitatem spiritus in vinculo pacis (*Eph.* 4, 3) confirmandam inter multiplices laicorum adsociationes, quae finem stricte apostolicum persequantur, salva uniuscuiusque natura ac aequa libertate, sapiens ordinatio sub hierarchica Episcoporum auctoritate instauretur, quae, nefasto individualismo reiecto, in mutua caritate doctrinam Mystici Christi Corporis practice exhibeat.

Maximi momenti habeatur sociorum catholicarum adsociationum solida ac constans institutio religiosa (culturalis, moralis, ascetica, socialis).

Regimen adsociationum ac quaelibet operositas, quae directe finem temporalem iuxta christianam legem assequendum respiciunt, laicis committantur, ad quorum conscientias recte religioseque formandas sacerdotes adlaborent.

Ut christianus mos inducatur in ephemerides, radio-auditiones, spectacula cinematographica vel televisiva, quae plurimum communi existimationi conferunt, sapienter constanterque nitendum est.

De negotiis maioris momenti
quae Ecclesia obire hodiernis debet temporibus

Ut infideles ad Evangelii lumen perveniant, copiosum promoveatur incrementum vocationum ad Missiones et valida ac constans urgeatur fidelium cooperatio.

Incepta ad fratres separatos in unitatem Ecclesiae revocandos sedulo promoveantur; hebdomada pro Unitate imperetur ac diligentius celebretur.

Clerici latini et orientales ad mutuam utriusque ritus Liturgiarum cognitionem et intelligentiam sollicitentur et instituantur.

Christiani perniciosis Communismi erroribus irretiti, maxima cura recuperentur.

Methodus ad errantes in viam veritatis reducendos ne asperis nitatur contentionibus, sed, qualibet seclusa irenismi forma, fraterna caritate refulgeat.

Cum mutua caritas sit practica discipulorum Christi nota (*Io.* 13, 35), pro viribus nitendum est ut catholicus populus, cupiditatibus coercitis, animis, operibus, moribus, inter diversos coetus relationibus socialibusque ordinationibus mutuam caritatem revera compleat.

Universa Ecclesiae actio pastoralis in nationibus, in provinciis, in dioecesibus, in vicariatibus, in paroeciis est, statutis propositis et peculiaribus loci ac temporis attentis adiunctis, sapienter ordinanda et gradatim complenda.

Sincera pax in gentibus christiana caritate promoveatur et confirmetur.

Faxit Deus, Immaculata Deipara intercedente, ut omnia in Christo instaurentur.

✠ Agnellus Calcara
Archiepiscopus Consentinus

78

Exc.mi P. D. PLACIDI M. CAMBIAGHI
Episcopi Cremensis (Crema)

Cremae, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ad venerabiles litteras Eminentiae Tuae N. 1 C/59-512, pergratum mihi est rescribere, et argumenta quae consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium mihi visum est enucleare pro futuro Concilio Oecumenico, Tibi patefacere.

Confirmo impensas preces meas, sacerdotum et fidelium huius Cremensis Dioeceseos, ut Concilium Oecumenicum — ad mentem Summi Pontificis — uberibus fructibus cumuletur, pro Dei gloria, Sanctae Ecclesiae honore animarumque sanctificatione.

Ad osculum S. Purpurae pronus, addictissima obsequia offero, et maxima cum existimatione me profiteor

Eminentiae Tuae
add.mum in Christo
✠ Placidus M. Cambiaghi
Episcopus Cremensis

De re dogmatica

Haec exoptarentur:

1. Definitio dogmatica doctrinae *Mystici Corporis* de qua in Concilio Vaticano schema definitionis iam paratum erat (cf. *Collectio Lacensis,* VII, pp. 567 et pp. 578-79).

E tali definitione haec commoda sequerentur: maior comprehensio

totius cohaesionis Christi Redemptoris; visio accurata Ecclesiae ut « Societas » essentialisque « socialitatis » eius operae salvificae; definitiva sententia de apostolatus fundamento dogmatico et laicorum situ in Ecclesia.

2. Definitio dogmatica « Mediationis Mariae » ad uberius definiendam positionem « structuralem » B. M. Virginis in oeconomia Redemptionis, et presertim eius « officium » pro christianorum salute, ex quibus fluit, ut patet, maius incrementum pietatis marianae.

3. Confectio Codicis Doctrinae socialis Ecclesiae, quo momentum theologicum et historicum principiorum incrementorumque eiusdem doctrinae, distincte designetur.

4. Designatio rationum inter Ecclesiam et Rempublicam, sub aspectu historico et theorico.

5. Damnatio doctrinae materialistico-atheae, neo-modernismi, idest, naturalismi, laicismi, existentialismi athei.

De Sacra Scriptura

Nostrorum temporum doctrina Magisterii Ecclesiastici progressui scientifico exegesis S. Scripturae comparata.

De re morali

1. Praesentatio doctrinae moralis in suis principiis, praesertim sub aspectu positivo, ita ut theologia moralis medium evadere possit ad virtutes acquirendas a christiano, tamquam membro vivo Christi totius.

2. Condemnatio relativismi moralis et ethicae situationis.

3. Sub ductu magisterii ecclesiastici expositio et altior perscrutatio « moralis matrimonialis » circa novas doctrinas quae respiciunt eugeneticam, onanismum, fecundationem artificialem etc.

4. Expositio et altior perscrutatio « moralis professionalis » in sua definita applicatione secundum Ecclesiae doctrinam.

De disciplina

Cleri:

1. Studium ecclesiasticarum disciplinarum in Seminariis et in theologicis Universitatibus magis ad vitam pastoralem dirigatur. Etiam in ratione studiorum humanitatis et scientiae ratio habeatur sacerdotalis praeparationis alumnorum.

2. Opportunitas et forma examinentur cuiusdam experientiae pastoralis extra Seminarium, pro Clericorum morali formatione ante eorum sacerdotalem ordinationem.

3. Praeparentur « auxilia » Sacerdotum quibus animarum cura commissa est, ita ut presbiteri incumbere possint praecipuis ministeriis suae vocationis et studiis se tradant.

4. Clero iuniori auxilia spiritualia et culturalia provideantur.

5. Facilior et magis iuridica reddatur Sacerdotum translatio ex una ad aliam Dioecesim.

6. Administrationis beneficiorum congruens temporibus emendatio.

7. Institutum iuridicum perpetuitatis Parochorum in munere et iuris immunitatis religiosorum, emendetur.

Populi christiani:

1. Clarius decernatur quid sibi velit, nostris temporibus, notio sanctificationis et requietis in die festo.

2. Debitum ieunii et abstinentiae emendetur et condicionibus vitae nostrorum temporum accomodetur.

3. Ordinatio ad christianae doctrinae institutionem pertinens, novis rationibus regatur, ita ut maior pars fidelium a christianae doctrinae institutione absentium, attingi possit.

4. Doceat Ecclesia quid sentiat de nostrorum temporum artibus quae pertinent ad notionum propagationem et de oblectamenti formis: cinema, radio, televisione, stampa sport, spettacoli etc.

De re liturgica et sacramentali:

1. Revisioni subiciantur simpliciusque reddantur:
— Pontificale et Caeremoniale Episcoporum. Rituale. Missale. Braeviarium.

2. Lingua vulgari utatur in administratione sacramentorum Baptismi, Confirmationis, Extremae Unctionis, Matrimonii (exceptis formulis sacramentalibus) et in ritu funebri.

3. Ordinate in unum codicem colligantur multiplicia decreta, dispositiones et leges liturgicae usque adhuc edita.

De actione sociali:

Determinentur fines activitatis politicae, sindacalis et administrativae secundum christianam doctrinam. Itemque de apostolatu inter operarios.

✠ Placidus M. Cambiaghi
Episcopus Cremensis

79

Exc.mi P. D. DANII BOLOGNINI

Episcopi Cremonensis (Cremona)

Cremonae, die 30 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

In primis veniam peto quia propter meam non integram valetudinem ab ineunte aestate usque ad extremam hiemem respondere, certo tempore, non potui ad ea quae de futuro Concilio Oecumenico quaesita erant, postea vero quia parvi esse momenti sententiam meam cogitavi.

Tamen, desideriis Augusti Summi Pontificis volens satisfacere, nunc denique de rebus in Concilio Oecumenico agendis exponam.

Mihi bonum et utile futurum esse videtur.

In genere:

1. Theologicam moralemque Doctrinam e Syllabo et ex Actis Summorum Pontificum Magisterii sapienter expressam a Vaticano Concilio usque ad aetatem nostram resumere.

In specie:

2. Definire S. Scripturae inspirationis naturam et Sacrorum inerrantiam Librorum divinamque Ecclesiae auctoritatem in iisdem interpretandis. Hortari sacerdotes et fideles ad lectionem Sacrae Scripturae et mandare cunctis S. Missam, omnibus diebus festis de pracepto, celebrantibus ut saltem, nisi legitime impediantur, fidelibus Evengelii S. Missae textum, in linguam vernaculam translatum, legant.

3. Praecipuorum Modernismi errorum, canonibus patentibus, damnationem renovare.

4. Principia naturalis et supernaturalis Legis clare edere de personae humanae iuribus et officiis iuribusque familiae necnon civilis Societatis, etiamque de divitum et operariorum iuribus et officiis socialibus praecipuis.

5. Doctrinae catholicae praecipua capita de habitudine Ecclesiae ad Statum, vel civilem Societatem enuntiare: consequenter Laicismi errores damnare.

6. Doctrinalem et iurisdictionalem Episcoporum auctoritatem in Ecclesia definire; uti Romani Pontificis Primatum Eiusque infallibilitatem Vaticanum Concilium definivit. Haec doctrina mihi enim videtur christianis dissentientibus aperte graviterque declaranda, cum nonnulli eorum

Episcopos in Catholica Ecclesia nisi esse ministros delegatos a Summo Pontifice ad eiusque nutum existiment.

7. Condicionem Sacerdotum secundi ordinis quoad Episcopum laicorumque quoad S. Hierarchiam in apostolatu agendo et in actione sociali statuere.

8. Ampliores Episcopis et Episcopalibus Conferentiis facultates tribuere circa ecclesiasticam disciplinam et rem oeconomicam adhuc a *C.I.C.* Apostolicae Sedi, etiam in minimis, reservatas.

9. Religiosorum religiosarumque exemptioni strictiores imponere fines, ita ut in Ordinum et Congregationum vita regulari communi dicta exemptio vigeat, in omnibus vero rebus cultum divinum in eorum ecclesiis et erga fideles ministerium spectantibus Episcopi illi et illae auctoritati subiiciantur.

10. Differendae ordinationis presbyteralis, post exercitium trium annorum diaconatus, Episcopis facultatem tribuere.

11. A lege abstinentiae, sub gravi obliganti, Christi fideles exonerare singulis hebdomadibus, non vero clericos et votis religiosis personas adscriptas.

12. In Rituali et Pontificali linguae vernaculae usum augere, eo tamen modo ut lingua latina in formulis Sacramentorum et in S. Missae Canone retineatur.

Quamvis ista vota humiliter exponam, tamen, toto corde, iam nunc, accepta habeo omnia quae ad bonum Sanctae Ecclesiae Summus Pontifex edat atque statuat.

Provolutus ad osculum Sacrae Purpurae, summaque cum reverentia, Eminentiae Tuae me profiteor

addictissimum in Corde Iesu

✠ DANIUS BOLOGNINI
Episcopus Cremonensis

80

EXC.MI P. D. PETRI RAIMONDI
Episcopi Crotonensis (Crotone)

Crotonen, die 13 augusti 1959

De iis, quae in proximo Concilio Oecumenico tractanda erunt, haec mihi consilia proponi videntur:

1. Patres Conciliares Corporis Mystici doctrinam in clariorem lucem proferant et magis magisque inveniant ostendantque modum quo Chri-

stifideles facilius comprehendant et adeo colant ut Sancta Mater Ecclesia, suavi duce Summo Pontifice, Christi Vicario, non tantum ratione sed vere et realiter, sicut est, unica, sancta magnaque familia sit in necessitatibus fidelium cuiusqumque paroeciae, aut dioecesis aut gentis.

2. In Sacrorum administratione efficiant Patres ut fideles, suo quisque vernaculo sermone, verba a ministro prolata audiant atque intelligant, et Sacrorum administrationi non impigre adsistant.

Sermone latino, qui publicus Ecclesiae sermo semper manebit, tantum ea verba, quae ad rectam validamque Sacrorum administrationem pertinent, dicantur, reliqua autem vernaculo sermone, ita ut gratiam ex Sacramentis manantem adstantes facilius comprehendant.

3. Seminaria clericorum, Sacerdotium appetentium, congruentiorem formationem necessitatibus, quae sunt huius temporis, curent.

Saepe iuvenes sacerdotes, sacerdotales ministerium ineuntes, plures philosophicas ac theologicas theses longe abesse a vita reali vident fidelesque parum aut nihil de fidei veritatibus disceptare.

Fideles enim non pias institutiones, ut v. g. quae vulgo dicuntur colonie, campeggi, mense, asili etc. (quae optima sunt et efficacia subsidia) sed veritatis testimonium, virtutum exemplar et Christi imaginem in Sacerdote videre volunt.

Ecclesiarum vocationum maxima quaestio est!

Possuntne Patres aliquid excogitare ut condiciones iam gravissimae et fere communes meliores fiant?

Seminaria, prout hodie instituta ac directa sunt, necessitatibus adiunctisque huius temporis respondent? Seminariorum moderatores parantne *vere clericos ad sacerdotale ministerium an potius solliciti sunt de notio*nibus philosophicis et theologicis dandis quin eis persuadeant orationis et poenitentiae vitam vivere? Iuvenes enim instruendi sunt ita ut satis cognoscant societatem nostrae aetatis eiusque necessitates.

4. Patres videant ne religiosorum — praecipue mendicantium — Ordines efficiant in Ecclesia, prae immunitatibus ac privilegiis, quibus gaudent, hortum conclusum vel parvam ecclesiam, sed ad pristinam poenitentiae et orationis vitam redeant, et, si sacrum pastoraleque ministerium exerceant, in omnibus locorum Ordinariis subdantur, scilicet non tantum in iis quae ad cultum pubblicum pertinent, sed etiam in iis quae spectant ad sacrum ministerium et quidem etiam ad eorum vitam quae ad societatem pertinent quocumque modo. Patres videant vocuos vel exiguos fructus educationis iuvenum in ephebeis et collegiis quae a regularibus moderantur: fere omnes horum collegiorum alumni, expletis litterarum studiis, non gratiae vitam vivunt neque christianas virtutes colunt.

5. Videant Patres ut ecclesiasticae poenae faciliores utique sed efficaciores reddantur: earum absolutio, salvis paucis gravissimisque casibus, locorum Ordinariis reservetur.

6. Ecclesiae doctrina, quae socialis vocatur, potiusquam in thesibus et axiomatibus in evangelicis veritatibus fundetur, id est omnes homines pro certo habeant se filios unius Patris, qui in coelis est, esse et omnium hominum sive dominorum sive operariorum interesse ut quisque animam suam salvet.

Quamvis iustitia charitatis fundamentum sit tamen hanc omittere non potest, quae praecipue est erga Deum amor et erga proximum: hic amor proximi non sit largitio aut stips.

Quae supra exposui habeantur tamquam a minimo Episcoporum dicta, minimo tum virtutibus tum dioecesis magnitudine.

✠ PETRUS RAIMONDI
Episcopus Crotonensis

81

EXC.MI P. D. GUIDONIS TONETTI
Archiepiscopi Ep. Cuneensis (Cuneo)

Prot. N. 647

Cuneo, 29 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Cum a te, Em.me ac Rev.me S.R.E. Cardinali, datis litteris (Prot. N. 1 C/59-423) rogati essemus, quae potissimum Concilio Oecumenico proxime habendo proponenda iudicaremus, Apostolicae Sedis voluntati ac tuae obsequentes, postquam rem, diu atque omni diligentia adhibita, consideravimus, haec quae sequuntur desiderata et postulata deferre ausi sumus ut a Patribus Concilii examinentur atque sanciantur.

I. *Ad doctrinae capita quod attinet*

1. Opportunitatem nova doctrinae capita definiendi non videmus; ea enim inprimis in Concilio convocando Romani Pontificis fuit mens ut Ecclesiae unitas restitueretur ceteraeque Ecclesiae a Romana disiunctae ac separatae, quantum fieri posset, ad pristinam redirent unitatem; nec ceterum, nostra aetate, disputationes de re dogmatica ac contentiones exarserunt eae, ad quas sedandas infallibili Ecclesiae magisterio opus sit.

2. Peropportunum contra nobis esse videtur, pravas adversariorum

doctrinas, quae hisce temporibus latissime vulgatae sint et maxime animarum saluti perniciosae, iam damnatas iterum et sollemniori damnatione a Concilio repudiari, praesertim cum adversus huiusmodi errores, fratres quoque nostri ab Ecclesia Catholica separati, eadem, qua catholici, contentione animi nitantur.

3. Valde denique optandum ut principia ac velut fundamenta christianae doctrinae de re sociali ab Ecclesia traditae iam inde a S. P. Leone XIII ad haec usque tempora, quae nunc extant in pluribus Summorum Pontificum documentis, enucleata ac lucido ordine digesta in unum codicem colligantur.

II. *Ad disciplinam clericorum et fidelium tutandam demisse et enixe petimus*

1. Ut Dioecesium fines, attenta revisione ac reformatione, congruentiores nostrorum temporum conditionibus constituantur.

2. Ordinariis amplior copia fiat concedendi sive dispensationes a legibus universalibus Ecclesiae sive alias facultates nunc Apostolicae Sedi reservatas.

3. Religiosorum exemptionis institutum, quod pertinet ad animarum curam, retractetur et ita emendetur ut in cuiusque dioeceseos limitibus conspiratio et cooperatio constitui liceat.

4. Modus procedendi in parochorum amotione simplicior fiat et expeditior, suppresso inamovibilitatis instituto.

5. « Operis servilis », quod vocant, notio novi examinis ac definitionis argumentum sit, relate ad quietem diebus festis servandam.

6. Index librorum prohibitorum corrigatur atque emendetur, mutati temporis ratione habita.

7. Facultas Confirmationis administrandae in casu necessitatis extendatur et concedatur formula consimili atque ea quae valet pro assistentia in Matrimonio.

8. Missionaria actio facilior reddatur, ampliore usu vulgaris sermonis in liturgia concesso et facultate data catechistis et laicis coadiutoribus ad ordinem diaconatus accedendi.

9. Liturgicorum librorum, praesertim Pontificalis, Ritualis ac Breviarii, revisio ac reformatio fiat; et S. Ioseph, Sponsi B.M.V., nomen in Canone Missae inseratur.

10. Religiosis laicis, saltem quibusdam, v. gr. iis qui sacristiae vel educationi iuventutis addicti sunt, accedendi ad ordines minores facultas fiat.

11. Censurarum latae sententiae, quibus sacramenti Poenitentiae administratio difficilior reddi videtur, numerus minuatur.

III. Denique quoad *auctuositatem multiplicis generis et negotia maiori momenti* catholicorum cooperatio foveatur in usu eorum omnium adiumentorum ac subsidiorum, quibus utitur hodierna societas ad varias opiniones pervulgandas hominumque mentes dirigendas (velut ephemerides, radiophonicae diffusiones, cinematographicae visiones et rel.), atque ad hoc Consilia et Instituta inter omnes nationes ac pro omnibus nationibus, instituantur; huic pastoralis actionis parti moderetur atque invigilet Supremum Ecclesiasticum Dicasterium.

Haec fere sunt postulata nostra, atque hac occasione ad tuas litteras rescribendi easque deferendi oblata libenter utimur ut et erga Apostolicam Sedem obsequium et devotionem profiteamur et tibi omnia bona voveamus atque exoptemus.

✠ Guido Tonetti
Archiepiscopus Episcopus Cuneensis

82

Exc.mi P. D. F. STEPHANI TINIVELLA
Episcopi Dianensis (Diano-Teggiano)

Diani, 3 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Humiliter et reverenter haec quae sequuntur suggerunt Eminentiae Tuae Rev.mae et Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae quae mihi proponenda esse videntur ut tractentur in proximo auspicatissimo Concilio Oecumenico.

I. *Disciplina et res*

1. Relationes inter locorum Ordinarios et SS. Congregationes minuantur eo modo ut Episcopis ex iure concedantur ordinarie facultates quae nunc ad tempus ipsis tribuuntur; pariterque ius iisdem conferatur dispensandi circa impedimenta matrimonialia, vel etiam ista reducantur ad illa non dispensabilia.

2. Ut possibile est vitentur in *C.I.C.* exceptiones quae legis intellectionem et exsecutionem arduam faciunt.

3. Censurae aut numero minuantur aut Ordinariorum facultates circa dispensationem et absolutionem augeantur.

4. Forsan legislatio tota circa Capitula innovanda erit. Officia alia, iure, Canonicis tribuantur (Seminaria, A. C. et socialis etc.). Paucitas hodierna cleri hoc exigit. Paroeciae independentes oeconomice et spiritualiter a Capitulis reddantur.

5. Amotio Parochorum facilius reddatur, pariterque translatio in bonum animarum.

6. Tollatur, vel saltem valde minuatur, disparitas externa in administratione Sacramentorum ex taxatione proveniens.

7. Administratio beneficiorum, in toto, Off. Adm. Dioec. subiiciatur ita ut Parochis et aliis Sacerdotibus sufficiens detur et ne nimiae differentiae inter ipsos oeconomice extent.

8. Dioeceses nimis parvae, tempore vacationis, cum proximioribus uniantur, ne pars conspicua Cleri tempus impendat in officiis et paroeciae relinquantur absque pastore.

Abbatiae quae unam alteramve paroeciam possident in corpore aliarum Dioecesium cum gravi detrimento amplius non admittantur.

Inter Dioeceses, saltem unius nationis, facilis et sine praeiudicio iurium transitus admittatur, ita ut revera sint membra unius corporis mystici.

9. In locis ubi paucitas est clericorum, qui sunt apud Vicarium Foraneum in unum congregentur et in solidum ipsis cura omnium paroeciarum commendetur.

10. Sine praeiudicio exemptionis Regulares large immittantur iure in vitam pastoralem dioecesanam.

11. Prudenter et caritative examini subiiciatur conditio Sacerdotum qui in apostasiam lapsi sunt et pacem cum Ecclesia quaerunt.

12. Abstinentia, ad vitanda peccata, imponantur unice sexta feria. Ieiunium tollatur.

13. Adimpletio praecepti paschalis protrahatur temporaliter quam maxime.

14. Receptio S. Sinaxis concedatur tota die quin dependeat a celebratione S. Sacrificii.

15. Electricitas pari iure ac cera apum admittatur.

16. Habitus pro ecclesiasticis unicus imponatur.

II. *Pastoralis*

1. Praedicatio reformetur ut revera semper sit explicatio doctrinae christianae.

2. Institutis Religiosis feminarum collaboratio pastoralis imponatur ad instructionem catechisticam speciatim quod attinet.

Religiosae magis quam in scholis in adiutorium clericorum apostolicam activitatem exerceant.

3. Actuositas laicorum apostolica ita ordinetur ut, viribus unitis, tota in Dioecesi dirigatur et subiiciatur Ordinario.

4. Textus catechismi funditus renovetur collaboratione theologorum, pastorum, psychologorum et paedagogistarum et Centrum Nationale Catecheticum ubique instituatur et ei praeponatur Commissio Episcoporum ad modum illius in Italia existentis pro A. C.

III. *Liturgia*

1. In genere, quae iam significationem nullam habent praeter historicam vel fastum nimis sapiunt in ceremoniis et vestibus abrogentur vel saltem ad simplicitatem redigantur.

2. Pontificale et Caeremoniale Episcoporum pariter exigentiis nostrorum temporum aptentur.

3. Breviarium ita disponatur ut lectiones ex libris Sapientialibus et Novi T. augeantur et aliis praeferantur.

Legendae in Sanctorali expungantur.

Commutatio Officii in preces vocales in itinere et ob rationabilem causam facilius et iudicio subiectivo admittatur.

4. Lingua vulgaris in Sacramentorum administratione et functionibus sacris, in Missa extra Canonem, imponatur ut christifideles vitaliter intersint.

Hoc idem desideratur pro cantu.

IV. *Doctrina*

1. Cum Concilium fratrum ab unitate Ecclesiae seiunctorum reditum quaerat, aestimo haud opportunum esse nova dogmata definire, cum definitio divisionem potius augeret.

2. Corpus doctrinae communismi materialistici congruum erit iterum pressius enucleare et damnare, pariterque conceptus hodiernos naturalismi et exsistentialismi theismum denegantes.

3. De Ecclesia et Statu, deque sociali doctrina nostra iam fragmentarie in pontificiis documentis exposita principia in synthesim redigere, eamque accomodare hodiernis conditionibus opportunum erit.

4. Pariter a Concilio iudicium desideratur:

a) circa problemata ethicae familiaris (limitat. prolis, foecund. artif., partum indolorem etc.);

b) circa relativismum ethicum (sensum pudoris in genere etc.) et ethicam situationis;

c) circa moralem professionalem et socialem;

d) circa nexum moralitatem inter et quaedam inventa nostri temporis ut essent media audiovisiva, cinema, « sport » ut aiunt.

Rogo tandem ut iam hodie, si Ipsi placuerit, oratio conficiatur a Summo Pontifice pro omnibus hominibus bonae voluntatis qua a Deo expostulentur lumina ita ut Concilium fiat revera nova Pentecostes pro Ecclesia.

Sensus profundissimae oboedientiae Eminentiae Tuae humillime profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus

✠ F. STEPHANUS TINIVELLA, O.F.M.
Episcopus Dianensis

83

EXC.MI P. D. IOSEPHI BATTAGLIA
Episcopi Faventini (Faenza)

Prot. N. 197-1/59

Faenza, 6 settembre 1959

Eminenza Rev.ma,

In risposta alla ven. lettera N. 1 C/59-484 di cod. Pont. Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico, mi permetta, *ut minus sapiens,* di far presente quanto segue:

Nel generale sovvertimento dei fondamentali valori della vita umana, sia individuale che sociale, e nella confusione, che l'errore, infiltrandosi con subdole forme di compromesso, tenta di creare in mezzo al popolo cristiano, mi sembra che oggi giorno sia quanto mai necessaria la solenne affermazione delle fondamentali verità sia della ragione che della rivelazione. E specificatamente:

1. *Nel campo dogmatico:* l'affermazione di quelle verità naturali, che sono così strettamente congiunte alle verità rivelate, che, se quelle fossero messe in dubbio, neppure queste sarebbero più al sicuro « cum recta ratio fidei fundamenta demonstret » (*Conc. Vat.,* c. 4, de fide et ratione DB 1799). Perciò:

a) la stabilità e la universale validità delle verità naturali e dei precetti fondamentali della legge morale;

b) la naturale capacità dell'umana ragione a conoscere Dio, e la

Sua Provvidenza, nonchè i precetti fondamentali della legge morale (cf. per la conoscenza di Dio *Conc. Vat.* c. 2 De revelatione DB 1785);

c) la necessità morale della Rivelazione divina per poter conoscere queste verità con facilità, certezza e senza errore (Pio XII: Enc. *Humani Generis,* 12 agosto 1950);

d) precisazioni sui concetti fondamentali di diritto naturale: libertà-autorità, famiglia-matrimonio e gararchia dei suoi fini;

e) punti fermi sugli sviluppi dommatici del concetto integrale della Chiesa come Corpo Mistico, dell'autorità che i Vescovi hanno in essa, dell'appartenenza ad essa e dei rapporti specie con le altre Chiese cristiane.

Di conseguenza: la condanna di sistemi filosofici, quali il *materialismo,* sia storico che dialettico, negatore di Dio e della spiritualità dell'anima, *l'idealismo* e *l'esistenzialismo,* propugnatori del *relativismo,* sia filosofico che teologico, tanto dogmatico che morale (cf. Enc. *Humani Generis*), del laicismo, negatore della autorità della Chiesa e della superiorità del soprannaturale.

2. *Nel campo morale:* l'affermazione delle seguenti verità:

a) dignità e destino eterno della persona umana, in quanto tale, al cui perfezionamento è ordinata la società;

b) la legge divina, sia naturale che positiva, è la norma oggettiva ultima della coscienza umana (cf. *Istr. S.S.C.S.O.,* 2 febbraio 1956) e il fondamento insostituibile di ogni umana legislazione; perciò l'ancoramento della moralità (sia individuale che sociale, tanto privata che pubblica) alla legge morale.

Di conseguenza:

a) riconferma solenne della condanna del *comunismo* ateo e materialista (Pio XI: Enc. *Divini Redemptoris,* 19 marzo 1937);

b) la condanna della cosidetta « Etica della situazione » o « Etica nuova » (cf. *Instr. S.S.C.S.O.,* 2 febbraio 1956);

c) la condanna del falso storicismo (cf. Enc. *Humani Generis*);

d) esplicita condanna del degradante fenomeno del codidetto « Divismo »;

e) determinazione solenne di alcune fondamentali idee del pensiero sociale cristiano e della cosidetta « Teologia delle realtà terrene »;

f) invito ad una maggior conoscenza dei cristiani separati e presentazione di alcuni strumenti atti a questo scopo.

3. *Nel campo disciplinare:* mi sembra sia opportuno richiamare la attenzione su alcuni punti in particolare:

a) ai Vescovi residenziali sia lasciato un più ampio esercizio dei loro poteri: 1) sia in ordine alla collaborazione pastorale dei due cleri

(secolare e regolare) (Giov. XXIII, Esort. 23 aprile 1959); 2) sia in ordine alla materia di competenza ordinaria delle S. Congregazioni Romane;

b) la necessità di orientarsi a nuovi metodi di catechesi per adulti, non esclusa l'istruzione catechistica inserita nell'omelia evangelica; infatti la massa del popolo cristiano oggi frequenta la chiesa appena per la S. Messa festiva;

c) richiamo alla disciplina del Clero, alla sua vita interiore, a strumenti atti per continuare la sua formazione e istruzione dopo la vita di Seminario. Richiami sugli abusi di mezzi motorizzati, di radio-televisioni, e spettacoli mondani; sugli obblighi di mutue e previdenze, sui rapporti familiari;

d) pare ugualmente opportuno che venga dato un assetto definitivo alla legge dell'astinenza dalle carni e del digiuno, pur non trascurando la convenienza di atti esterni di penitenza, imposti da un precetto generale della Chiesa;

e) penso, infine, che sia da esaminare l'opportunità che la Santa Pasqua venga fissata ad un giorno determinato del calendario solare; ciò darà maggior facilità per la soddisfazione del precetto pasquale in tempo utile, nonchè una più razionale impostazione delle scuole di catechismo durante la Santa Quaresima.

Chiedendo venia del lieve ritardo a motivo delle ferie e della risposta in italiano, per non perdere altro tempo, mi chino al bacio della S. Porpora

di Vostra Eminenza Reverendissima
dev.mo

✠ Giuseppe Battaglia
Vescovo di Faenza

84

Exc.mi P. D. VINCENTII DEL SIGNORE

Episcopi Fanensis (Fano)

Fani, 28 augusti, A. D. 1959

Simul ac litteras passim a dicta Commissione dimissas accepi, die 18 iunii, A. D. 1959, n. 1 C/59-486, circa animadversiones, consilia et vota de rebus quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, viris peritis ac prudentibus consultis, speciatim Seminarii Piceni

Pii XI, pergratum est Tibi humillime significare, Eminentissime Domine, haec quae sequuntur:

Relate ad Sacram Scripturam

Haec vota exprimuntur:

1. Ut nova et communis editio « del Testo scritturale » pro disceptationibus inter Catholicos et Protestantes, hoc modo, conficiatur.

a) Lingua ebraica (V. T. disposto a stichi).

b) Lingua graeca (N. T. idem).

c) Versio latina nova conficiatur (disposta secondo originali).

d) Editiones, linguis praecipuis conficiatur (disposte secondo originali).

Ut omnia Instituto Biblico Pontificio et speciali Commissioni Virorum peritorum in litteris Sacris committantur.

Relate ad Sacram Theologiam

1. Ut doctrina de Corpore mystico maiore claritate constituatur.

a) Eius essentia.

b) Eius amplitudo.

c) Eius limites.

2. Ut positio laicorum baptizatorum in Ecclesia (iura et officia) clare consideretur et statuatur.

3. Ut profunde considerentur quaedam capita Sacrificii Missae. Exempli gratia:

a) Cur Sacrificium Corporis mystici dicatur?

b) Quale sit momentum sociale? Etc.

Relate ad Sacram Liturgiam universim

1. Ut omnes actiones liturgicae, tamquam patrimonium spirituale pietate saeculorum efformatum, eodem stylo ipsissimaque mente quibus iam recenter S. Rituum Congregatio instaurationis optimum edidit documentum: « Decretum Generale de rubricis ad simpliciorem formam redigendis » (23 martii 1955) scilicet, necnon magnum exegit monumentum et exemplar, idest novus « Ordo hebdomadae Sanctae » (15 martii 1956), celerius instaurentur; ita ut « ... aedificium liturgicum, quod mystica Christi sponsa, ad suam pietatem et fidem declarandam, intelligenti studio conformavit, rursus, dignitate splendidum, deterso squalore vetustatis, appareat! » (S. Pius X: *Abhinc duos annos,* 23 octobris 1913).

2. Ut in omnibus actionibus liturgicis latinae linguae usus semper et omnino emineat.

3. Ut exceptiones particulares, a lege linguae latinae in omnibus actionibus liturgicis unice adhibendae, nonnisi et raro a Sancta Sede concedantur.

De Piis exercitiis

1. Ut actionum liturgicarum instauratio, secundum eandem mentem et indolem, piorum exercitiorum renovationem et instaurationem secumferat.

Cum piorum exercitiorum preces lingua vulgari redactas, de cursu temporum, ne fidelibus forsan risus moveatur, iuxta styli et linguae progressum renovari sit necessarium, hac de autoritate Ordinariorum fieri possit; quin indulgentias, si forte sint praeditae, preces amittant.

2. Nova pia exercitia, maxime si aliquod detrimentum pietati liturgicae serio timeatur, facile ne adprobentur.

De Kalendario Liturgico

1. Ut « Proprium de tempore » « Proprio Sanctorum » in Kalendario Ecclesiae Universalis magis magisque praevaleat.

2. In Kalendariis particularibus autem, sollemnitates nobiliores, ut Festum Patroni Principalis Oppidi seu Civitatis et Dioeceseos, Festum Dedicationis Ecclesiae et similia, sollemnitatibus nobilibus « Proprii de tempore » praevalere, dedecere non videtur.

De Missa

1. Ut in Missis « in cantu » Psalmus 42 (Iudica me Deus) semper omittatur; totusque ritus ad altare, benedictione populi peracta, absolvatur; nihil, nisi per modum orationis privatae, addendo, dum Sacerdos in Sacristiam redit, recitandae.

2. Ut in Missis sollemnibus taceat omnino Sacerdos quae cantantur a choro et Ministris.

3. Ut Feria 5 hebdomadae Sanctae, in Missa Chrismatis benedictio Olei Catechumenorum et confectio Chrismatis, iuxta antiquas consuetudines a Sacramentario Gelasiano et Adrianeo allatas, ad ritum simpliciorem et breviorem reducantur.

De officio divino

1. Ut in Psalmodia ratio recitandi « integrum Psalterium in hebdomada » adhuc praevaleat.

2. Ut antiquiores hymni Urbani VIII temporibus, iuxta normas stilisticas metricas nimis humanisticas emendati, ad lectionem originalem et authenticam redigantur. Quod non solum multum proderit pietati, sed faciliorem, immo possibilem editionem typicam Hymnarii, quoad cantum, efficiet.

3. Ut in seligendis pericopis lectionum, Biblia Sacra utriusque Testamenti praeferatur.

De liturgia Sacramentali

1. Ut omnes ritus Sacramentorum et Sacramentalium, qui cum Missae celebratione coniuncti sint, iuxta antiquum morem romanum ad simpliciorem formam redigantur, ut Sacrificium maximum Novae legis semper emineat.

2. Ut Olea Sancta, nonnisi secundum finem specificum quo iuxta antiquissimam traditionem ecclesiasticam benedicta vel confecta sunt, in ritibus Sacramentorum et Sacramentalium adhibeantur. Propter quod in solemni benedictione Campanae seu Signi unctio Chrismatis minus apta videatur.

Relate ad cantum Gregorianum

1. Ut omnis textus liturgicus lingua latina exaratus, melodia Gregoriana ex saeculis aureis (V-IX) Gregorianae Musices propria ornatus, numquam mutari liceat.

2. Ut collectio authentica Librorum Cantus Gregoriani, editione typica Libri Responsorialis seu Matutinarii, Pontificalis romani, Processionarii et Hymnarii quamprimum compleatur.

3. Ut nova editio critica Gradualis Romani cura et studio Solesmensium Monachorum iam parata in lucem edi atque in Missis « in cantu » adhiberi liceat, quin eius usus obligetur.

Osculo Sacrae Purpurae, impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae

Humillimus et add.mus in Christo

✠ VINCENTIUS DEL SIGNORE
Episcopus Fanensis

85

Exc.mi P. D. THOMAE LEONETTI

Episcopi Ferentini (Ferentino)

Ferentini, die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Una ductus oboedientia, atque ut mandatis obsequar Eminentiae Tuae Reverendissimae, pauca quaedam promo humiliter et submisso animo de quibus forsan utiliter, iuxta quorundam virorum ecclesiasticorum sententiam ac meam, agatur in futuro Concilio Oecumenico: cetera omittens, eaque praesertim quae amplioris maiorisque sunt ponderis, veluti optandam omnium unionem Ecclesiarum cum una vera Ecclesia Christi Catholica.

1. In primis quaedam videtur irrepsisse levitas vere damnanda apud quosdam, in divinis humanisque doctrinis diiudicandis et exponendis: optandum igitur ut aliquid statuatur, quo theologi ac philosophi catholici pressius se obstrictos sentiant ad munus sibi proprium « divinam humanamque veritatem tuendi animisque inserendi hominum » (Cf. Encycl. Litt. *Humani Generis*).

2. Id praestandum videtur et in iis quae ordinem oeconomicum et socialem, ut dicunt, spectant: quamplurimi enim vel doctrinam de his rebus christianam ignorant vel praxim ab ea alienam instaurant, magnos forsitan temptantes passus, sed extra viam!

3. Quum minimus evaserit et probabiliter evasurus sit presbyterorum numerus, licet Religionis hostes admodum creverint asperioremque instauraverint contra sanam doctrinam bonosque mores luctam; quumque valde conferre posse videantur ad cathechesim et ad animarum salutem Diaconi in iis praesertim locis ubi huiusmodi sacerdotum lugenda est carentia; considerandum num hodie restituendus sit ordo Diaconorum haud promovendorum ad presbyteratum, quibus liceat ad nuptias accedere.

4. Hodiernae animarum necessitates Ecclesiaeque conditiones strictiorem postulare videntur unionem coordinationemque utriusque Cleri in sacris praestandi ministerii operibus et laboribus, duce Episcopo in unaquaque dioecesi: ea igitur statuenda quae huiusmodi unioni faveant.

5. Optandum videtur ut in quibusdam sacrae Liturgiae partibus atque in ipsa Missae celebratione adhiberi valeat vulgaris cuiusque loci sermo, quo rationabilius pressiusque cum sacerdotibus evadat fidelium obsequium; quum ceterum auctis in immensum quotidianarum com-

municationum inter gentes mediis, hodie longius abiisse videatur periculum, olim vere timendum, ne per usum plurimorum sermonum damnum inferatur Ecclesiae unitati et doctrinae.

6. Item optandum ut s. Evangelii particulae, dominicis diebus in Missae celebratione legendae, rectius seligantur et disponantur, ita ut per plures annos distributae evangelicae lectiones commodius serviant christianae doctrinae ex ordine illustrandae pro iis praesertim qui nullam praeter Missae auditionem servant religiosam observantiam, nullaque alia ratione instrui et efformari valent.

7. Populorum frequentiora commercia pressius atque pressius exigere videntur ut una sit et conformis finitarum dioecesium legislatio; non infrequentes enim difformitates admirationem et quandoque rebellionem christifidelium movent. Sed nimium quandoque negleguntur Conciliorum celebrationes de quibus agitur in cann. 283-285: exemplo sit Latialis ipsa Provincia, in qua postremum Provinciale Concilium habitum est anno D. 1725. Optandum igitur ut Oecumenicum Concilium aliquid de re decernat.

8. Ad quamplurima tollenda dubia animorumque anxietates, quibus vel ob omissam vel ob non integre peractam antiquorum onerum adimpletionem premuntur ecclesiastici Administratores ipsique Ordinarii locorum quum pastorales agunt visitationes (licet rem diligenter perspicere curaverint: in incassum, ob deperdita antiqua documenta, optandum videtur ut facultas concedatur similis facultati quam Sacra Tridentia Synodus concessit in Sess. XXIV cap. IV (« Ubi nimius est Missarum celebrandarum numerus, statuant Episcopi ... quod expedire iudicaverint »).

9. Flenda apud nos parentum incuria de cathechetica puerorum institutione: cui haud satis provisum per sapientissimas leges hac de re latas, neque per diligentias Episcoporum et parochorum, neque per institutionem quae in publicis scholis confertur. Simul ac primam receperunt Communionem, paroeciales christianae doctrinae scholas pueri deserunt! Atqui vita christiana instructionem religiosam exigit. Id igitur procurandum, ut iuniores saepius necessitate premantur frequentandi catecheticas institutiones. Optandum ergo ut lege generali statuatur separata collatio Communionis Primae et Confirmationis: ita ut Confirmatio serius conferatur ac nova eaque validiore praeparatione praemissa, prout suaderi videtur can. 1330, et propositum est in Congressu Catechistico Internationali Romae habito anno 1950.

10. Saepe contingit ut religiosae mulieres in itineribus et in magnis urbibus nequeant servare decus sacrae vesti debitum: licet de minima agatur re, quidam auspicantur ut Generale Concilium adoptionem sua-

deat vel iubeat unius pro omnibus Religiosis mulieribus vestimenti, quod sit decorum equidem et modestum et a communi feminarum habitu non multum dissimile, quoties, extra religiosam domum, in periculo sint ne decus quod supra servetur.

Quae quidem omnia ex oboedientia, ut dixi, ausus sum proferre. Si quid minus sapienter dixi, veniam humiliter expostulo, dum quo par est obsequio me profiteor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
Humillimum Servitorem

✠ THOMAS LEONETTI
Episcopus Ferentinus

86

EXC.MI P. D. NORBERTI PERINI
Archiepiscopi Firmani (Fermo)

Firmi, die 30 augusti 1959

A) PRO DOCTRINA TUENDA

I. *Errores mihi videntur solemniter reprobandi*

Monismus idealisticus qui principium totius realitatis reponit in aliqua activitate infinita et impersonali cuius individua sunt manifestationes vel momenta, et potissimum a veritate aberrat:

a) quia negat Deum personalem et a mundo distinctum;

b) quia destruit realitatem ontologicam personae humanae sine qua nec ordo moralis, nec immortalitas veri nominis haberi potest.

Materialismus dialecticus et historicus Caroli Marx in quo nititur communismus atheus. Marxismus dialecticus et historicus nil admittit quod non sit materia vel eiusdem manifestatio aut epiphenomenon; praeterea assumit ut legem necessariam evolutionis historicae, continuam et cruentam inter civium ordines dimicationem.

Irrationalismus qui adeo pervadit philosophiam contemporaneam (pragmatismum, intuitionismum, existentialismum, problematicismum etc.) ut ratio hominis videatur de sui destructione quam maxime sollicita. Omnibus formis irrationalismi commune est: rationem vel non esse ad veritatem, natura sua, ordinatam, vel certo suprema principia ordinis religiosi et moralis attingere non posse.

Naturalismus intellectus ad mentem philosophi gallici J. Rousseau.

Is, spreta doctrina Ecclesiae de inordinatione inducta a peccato originali, docet vires naturales hominis esse totaliter bonas earumque exercitium, dummodo libere fiat, infallibiliter consequi exitum perfectum. Huiusmodi naturalismi influxus inspicitur potissimum in theoriis paedagogicis.

Positivismus moralis et iuridicus. Prior enim, reiecto essentiali discrimine inter bonum et malum, eorundem distinctionem repetit solummodo a causa externa et positiva (a lege, vel consuetudine, vel educatione etc.) et facilem pandit viam relativismo morali.

Positivismus iuridicus negat existentiam ordinis iuridici naturalis, atque statuit ut unicum fontem iuris et officiorum vel Statum vel Auctoritatem civilem, vel aliquod pactum, vel legem et consuetudinem populorum. De hoc exitiali errore multa habentur in nuncio raliophonico Pii XII a. 1942.

Laicismus. Consideratis eius subtilitate et diffusione inter civilium rerum moderatores, laicismus est error maxime formidandus hac nostra aetate.

Etenim religionem habet ut merum factum conscientiae singulorum eamque relegat in interiore homine, excluso quolibet influxu in institutionem scholasticam iuventutis (schola neutra); vel in vitam societatis et reipublicae (status laicus).

Ethica situationis — vel etiam existentialis — a Suprema Congregatione S. Officii iam improbata die 2 februarii 1956. Secundum hanc doctrinam norma definitiva et ultima ad iudicandam moralitatem actus humani, non est natura rationalis vel ordo obiectivus, sed intuitio quaedam aut interna lux quae singulis affulgit in situatione concreta positis.

Relativismus dogmaticus. Late exponitur et refutatur in Litteris Encyclicis *Humani Generis.* Eius consilium est dogmata accommodare ad placita christianorum dissidentium vel etiam ad exigentias philosophiae immanentisticae nostri temporis.

Polygenismus. Iuxta Encycl. *Humani generis* christifideles non possunt eam sententiam amplecti quae docet vel post Adam in terris extitisse veros homines qui ab eodem, generatione naturali, originem non duxerint, vel Adam significare multitudinem protoparentum.

II. *Praeterea fit votum*

Ut Concilium perveniat ad definitionem dogmaticam veritatis iam in tota Ecclesia receptae de SS. Virgine Maria omnium gratiarum Mediatrice.

Ut principia dogmatica de potestate Episcopi sive quoad ordinem sive quoad iurisdictionem Concilium exponat.

Ut, errores ad praecavendos, Patrum Concilium in synthesim redigat, et si opus fuerit, etiam magis determinare proponat, principia a catholicis exegetis pie et religiose tenenda in interpretatione Sacrae Scripturae.

Ut Patrum Concilium principia generalia tradat, ex ethica naturali et Revelatione hausta, a quibus discedere omnino non liceat in solutione problematum respicientium vitam socialem, oeconomicam et politicam.

Ut eadem mente qua Concilium Tridentinum edidit aureum Catechismum ad Parochos, hoc Concilium edat librum quasi « promptuarium Christifidelis, in quo, sapienti quidem sed perspicua synthesi populo accommodata, omnia recolat quae bonus Miles Christi tenetur prae oculis habere, scilicet:

praecipuas fidei veritates;

praecepta moralia et canonica maioris momenti;

liturgicas leges et actiones et preces quae attinent ad SS. Missae Sacrificium, ad administrationem et receptionem Sacramentorum, ad cultum SS. Virginis Mariae et Sanctorum, ad Festa quae in anno liturgico recurrunt;

notiones historicas et agiographicas ex quibus Christi Ecclesiae mirabilis vita pateat, merita fulgeant et indefectibilitas probetur.

B) Quoad disciplinam Cleri et laicorum haec tractanda proponuntur.

Utrum conveniat an non rationem studiorum et constitutiones Seminariorum renovare ut praeparatio iuvenum ad opus sacri ministerii aptior fiat magisque accommodata ad necessitates, vere formidandas, nostri temporis.

Utrum conveniat an non collationem S. Presbyteratus ad provectiorem aetatem differre, ut Diaconi munera recepti Ordinis aliaque officia sibi forte commissa, per tres vel quattuor annos exerceant et ita vocationem suam penitus cognoscere et praesertim in cotidiano discrimine probare.

Utrum conveniat an non per novas leges res ita ordinare ut faciliter evadat distributio Cleri, saltem in ambitu regionis, et organum constituere quod munere distributionis auctoritative fungatur.

Utrum conveniat an non, ad perniciosum dualismum vitandum et ad unitatem virium procurandam, disponere ut, ad ministerium exter-

num quod attinet, omnes etiam sacerdotes Cleri regularis, intra fines dioecesis, ab Episcopo dependeant, qualibet exemptione revocata.

Utrum conveniat an non novas facultates Episcopo tribuere, sedulo definitas, pro quibus nunc requiritur recursus ad Sacras Romanas Congregationes, ita tamen ut harum facultatum usus fieri debeat consulto organo in qualibet dioecesi legitime constituendo.

Utrum conveniat an non novas leges condere:

a) circa modum conferendi paroecias et beneficia, revocato praesertim iure patronatus;

b) circa administrationem et distributionem bonorum;

c) et denique circa parochorum ius, nunc vigens, ad inamovibilitatem.

Utrum conveniat an non, Sacerdotum exiguo numero considerato et fere ubique impari ad satisfaciendum in sola dominica die multiplicibus necessitatibus Christifidelium, extendere ad horas vespertinas Sabbati tempus utile ad Missam audiendam pro praecepto festivo.

Utrum conveniat an non, affirmata ex Christi verbis contra huius temporis dicteria, poenitentiae necessitate ad vitam aeternam consequendam, formam abstinentiae et ieiunii hucusque impositam ut legem sub poena peccati mortalis suadere ut actum religionis, concessa etiam statutis diebus indulgentiam plenariam. Huiusmodi transitus a negativa ad positivam sanctionem dum plurima devitabit peccata, ampliorem meritum conferet observantiae quam plurimi, ut arbitror, fideles fideliter sponte servabunt.

Utrum conveniat an non de antiquissima lege aliquid derogando, permittere usum linguae vernaculae in parte catechetica S. Missae, et varietatem lectionum inducere sive veteris sive novi Testamenti sive SS. Patrum, ita ut in triennium vel in quinquennium totus Evangelii textus legatur et explanetur populo.

Utrum conveniat vel non legislationem de Sacramentis in quibusdam mutare vel perficere, ad hoc ut facilius possint fideles Christi Auctoris et Ecclesiae ministrantis mentem comprehendere.

Utrum conveniat an non, distinctione facta inter Officium divinum choraliter er privatim recitandum, et priore immutato permanente, alterum reformare expungendo formas quae dialogum sonant, imminuendo numerum Psalmorum et augendo lectiones ex S. Scriptura, ex SS. Patribus, ex documentis pontificiis et ex historia ecclesiastica ita sapienter haustas ut in facilem aedificationem cedant recitantis.

C) Quoad novas actuositates Ecclesiae haec proponuntur

Ut Patrum Concilium divisionem iurisdictionalem ecclesiasticam prorsus servandam iubeat in operibus ecclesiasticis condendis et gerendis, ita ut coetus qui vitae christianae fovendae oriuntur et in Dioecesi et in Paroecia operantur habeant suum quisque certum et legitimum Superiorem ecclesiasticum.

Ut multiplicia instituta quae, diverso tempore diversaque mente exorta nec ullo inter sese vinculo coniuncta, illud aliquando merentur Aggaei: « Seminastis multum et intulistis parum » sapienti synthesi hierarchice colligantur, ita ut per subordinationem et coordinationem fructus bonorum operum augeantur.

Ut, praecipuis principiis de Corpore Mystico reassumptis, ampliora munera iuridice determinanda laicis tribuantur, praesertim in iis quae actuositates sociales respiciunt, ut Sacerdotes possint, quibusdam curis abdicatis, ad ministerium stricte religiosum magis attendere.

Ut per institutum quod vulgo dicitur « Ufficio Stampa » in Civitate Vaticana instaurandum est per folia vel periodice vel nacta occasione missa, reservata quidem ratione, Episcopi certiores fiant de rebus maioris momenti quae ad Ecclesiae vitam pertinent. Aequum enim videtur ut qui sunt in Ecclesia doctores et pastores citius quam coeteri et tutius quam ex cotidianis vaniloquiis ephemeridum cognoscant ea quae in universo orbe vel inimici, Deo permittente, contra fidem et mores moliuntur ad ruinam animarum, vel fideles milites Christi a Spiritu Sancto moti ac roborati filialiter ac generose aggrediuntur in aedificationem Corporis Christi quod est Ecclesia.

✠ Norbertus Perini
Archiepiscopus Firmanus

87

EXC.MI P. D. NATALIS MOSCONI

Archiepiscopi Ferrariensis (Ferrara)

Ferrara, 25 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Accompagno, con la presente, gli « inutili » miei « consilia et vota » per il Concilio Ecumenico.

Li cestini pure, Eminenza Reverendissima.

Ma mi benedica, mentre mi chino al bacio della Sacra Porpora

come servo dev.mo e obbl.mo
in Cristo sempre
✠ NATALE MOSCONI
Arcivescovo di Ferrara

De Dogmatica Doctrina

1. Nihil novi in praesentiarum definiendum esse.

2. Quam maxime necesse ut magis ac magis Christianae Doctrinae institutio ubicumque constantique studio, nulla opportunitate neglecta, omni coetui, praesertim per frequentiores catecheticas lectiones paroeciales, impertiatur.

De Morum Doctrina

1. Certa ac iure pollens doctrina de christianae modestiae et castitatis finibus, circa vestium habitum, spectacula, artis cuiusvis specimina, quae nova induxerit aetas.

2. Una et certa, de tot ac dissimilibus, sententia circa ea quae coniuges ac matrimonium contingunt.

3. Univoca firmaque Ecclesiae doctrina socialis, i. e. discriminata humanae conformandae communitatis ratio, etiam ex cathedra theologiae moralis explananda.

4. Recte excussae de abstinentia et ieiunio leges (ita ut non ulterius sub gravi sed sub levi tantum habeatur praeceptae abstinentiae violatio in feria VI, quattuor exceptis feriis esurialibus recentissima disciplina statutis (i. e. feria IV Cinerum, feria VI in Parasceve, Vigiliis B. M. V. Imm. Conc. ac Nativitatis D. N. I. C.) quibus quoque diebus, perse-

verante de abstinentia lege, opportuna videtur definita praecepti ieiunii suppressio.

5. Ieiunii Eucharistici praecepti horarum minutio ac clarior discriminatio.

Quod ad Disciplinam attinet

1. Ut amplior auctoritas Ordinariis in propriae Dioeceseos finibus, non tantum in Clericos saeculares et fideles, verum etiam in Clericos regulares, tradatur.

2. Ut Parochi ad nutum Ordinarii amoveri possint.

3. Ut Ordinariis integra concedatur facultas in omnes Monialium coetus intra Dioeceseos fines commorantium.

4. Ut Clerici valide moneantur ut efficaciter suscepto adsint officio, plene Ordinarii nutui subiecti; iique quibus animarum cura committitur, a paroecia, nisi gravi adstante causa, ne discedant, neve ultra triginta continuos vel intermissos dies.

Perpetui vel ad tempus e Dioecesi discessus, ad quaevis officia vel munera extra Dioecesim ineunda, Ordinarii iniussu, ne permittantur.

5. Ut in Italia severior ac arctior fiat disciplina de Episcoporum Consultationibus (ita ut maiore aequabilitate ac tempestivitate convocentur et eorum argumenta integralibus ac amplioribus disputationibus agantur).

Metropolitarum titulus et officia abrogentur, Praeside excepto Consultationis Regionalis.

Numero Dioeceses reducantur.

6. Sub severiore moderatione vigeat Seminariorum disciplina, ut alumni, omnibus vitatis relaxationis causis ac nullo modo virtutis studio remisso, consonam sentiendi agendique rationem et conformationem optime sequantur.

7. In Italia Clerici vestem talarem, quam adhuc induere soliti sunt, nonnullis tantum opportune innovatam mutationibus (ad iter vel curationis stationes ineundum, etc.) ne exuant.

Ad omnes sacros ritus peragendos numquam talaris negligatur habitus.

8. Ut quam maxime numero contrahantur Sacrae foeminarum Congregationes; Moniales liberaliore studio ac opere paroeciarum utilitati adhaereant (scilicet in pueris ac puellis imbuendis, exercendis, cathechizandis iuxta Christianae Doctrinae notiones, etc.).

9. Ut tot ac tam varia arctentur incepta rerum novarum studia, quae in dies docendi agendique plures moliuntur rationes, quaeque ob nimiam propaginem divisionemque minore gaudent efficacia et Actionis Catholicae agmina in Italia praesertim debilitare videntur.

De Sacris Ritibus

1. Ut latini usus sermonis, in sacris peragendis, rite perseveret.

2. Ut prolixiores et diuturnae Caeremoniae Pontificum Rituali libro praescriptae arctentur (praesertim in Altaribus ac Ecclesiis consecrandis, etc.).

3. Ut nocturni ritus, Nocte Nativitatis D. N. I. C. ac Paschali Vigilia inclusis, ad vesperum anticipentur.

4. Ut paucis opportune mutatis verbis vel locutionibus, rursus recitentur Psalmi de Vulgata versione deducti.

5. Ut commodior et expeditior reddatur Breviarii recitatio, inopportunis S. Scripturae lectionibus abolitis ac historicis Lectionibus revisis.

6. Ut in Missali, praesertim quoad Sacrum die festo litandum, S. Scripturae loci revisantur, ut praestantius ac plenius fideles imbuantur.

7. Ut omnes Dioeceseos Clerici iubeantur Missae Chrismali adesse in Feria V Maioris Hebdomadae, quo magis ecclesiastica Dioeceseos unio mutuo exemplo sentiatur et manifestetur.

✠ NATALIS MOSCONI
Archiepiscopus Ferrariensis

88

EXC.MI P. D. PAULI ROTA
Episcopi Fidentini (Fidenza)

20 septembris 1959

DE CLERO

1. Quotannis Sacerdotes SS. Spiritualibus Exercitiis operam dent; Seminaristae animum disponent ad S. Ordinationem pia praxi quam dicunt « mese ignaziano » vel ipsi vacent intra decennium ab Ordinatione.

2. SS.mi Sacramenti adoratorum, vel Unioni Cleri Missionariae adscriptorum sacerdotum privilegia omnibus sacerdotibus communicentur.

3. Vicariorum foraneorum munera et officia magis declarentur.

4. Efficiendum est ut Parochi persona, qua pastor, missionarius et visitator emineat.

5. Quibus spectat obligatione teneantur aedificare domos pro Actione Catholica et Oratoriis ad puerorum et puellarum educationem et recreationem.

De seminario

1. Seminarii alumni omnes frequentet IV cursum lycealem et V theologicum.

2. Seminaristis, quartus lycealis cursus, sit velut novitiatus annus, praecipue ad formationem clericalem statutus, licet, eo durante, aliquod tempus studiis concedi possit.

3. Spiritum vitae unitatis adsit in lectionibus materiarum theologicarum, liturgicarum, asceticarum et philosophicarum ut melior sit sacrorum tyronum formatio.

4. Uti plurimis textibus exponitur, historia ecclesiastica a civili parum differt, non exponitur enim Ecclesiae vita vera completa, sua caritas, dolores, proelia, sua doctrina et in civilizationem opera.

5. Sacrae Theologiae maximi momenti argumenta possunt doceri uti tractaverunt Summi Pontifices Pius XI et Pius XII et ut uti fit in conventibus quos vocant « Settimane Sociali dei Cattolici e liturgiche » quibus extranei manent futuri sacerdotes.

6. Opportune S. Congregatio de Seminariis efficiat ut textus de theologia dogmatica et morali, et insuper de iure canonico, edantur ad usum alumnorum Seminarii, demptis superfluis, opinabilibus et controversiis, quae locum habere possunt in historia Ecclesiastica, ita ut maneat tantum quod cognoscendum est a futuris sacerdotibus et quod ab ipsis postea docendum et defendendum contra hodiernos errores.

7. Seminarii alumni Ecclesiae Patribus familiariter uti nequeunt nec eorum scripta sibi comparare apud bibliophilos vel quia non existunt vel quia altissimo pretio veneunt.

Optimum faciet S. Congregatio si ope alicuius officinae typograficae curet typis mandanda eorumdem Patrum scripta, modico praetio a Sacerdotibus et sacris tyronibus comparanda.

De catechismo

1. Christianae doctrinae institutionem vividiorem esse vitaeque magis adhaerentem oportet.

Recentia auxilia artis educandi et docendi suadeantur.

2. Doctrina magisterii ecclesiastici de re familiari, morali, oeconomica, quaeque educationem spectat et sociologiam catechismo insit, quatenus pueris, citius quam aetas ferat, de erroribus circa illa certiores fiunt, sive inter parietes domesticas, sive a suis parvis ephemeridibus et mirabili instrumento quod dicunt « televisore ».

3. In maiorem lucem proferatur doctrina:
a) de mystico Corpore Christi;
b) de vita gratiae;
c) de inhabitatione et operatione Spiritus Sancti in anima iusti;
d) de officiis viri baptizati erga Ecclesiam et bona ab Ecclesia recepta.

4. Praecepta Decalogi enuntientur eo modo quo Magister S.tus in Novo Testamento perfecit, quatenus pueri apti non sunt ad praecepta Veteris Legis coniungenda simplici explicationi de iis traditae, ita ut haec explicatio res videatur levioris momenti.

5. Dei caritas et proximi frequentius in praeceptis adimplendis in oratione et in variis virtutibus exercendis insit.

6. In aridis catechismi formulis magis amor Christi percipiatur et maternitas B. M. Virginis et Sanctae Matris Ecclesiae.

7. Notio Ecclesiae docentis et discentis magis explicetur, officium definiendo sacerdotum et catechismi magistrorum.

8. Immutetur locutio « descendit ad inferos » ad quam coniungendam cum locutione « infernus est aeternus dolor ... » mens pueri apta non est. Similiter immutanda est locutio: « non fornicare ».

9. Tempus aliquod ad pueros imbuendos christiana doctrina determinetur legeque sanctum sit (per omne tempus Adventus et saltem quadragesimae vel per his aequivalentia tempora).

10. Quod ad fidelium institutionem spectat, quintus annus addatur ad studia de re liturgica.

11. Quid sit iustitia socialis, eiusque ad coeteras iustitias nitide declaretur relatio.

12. De re morali et iis quae vocantur « grandi affari, le grandi industrie, il grande commercio » necnon de nuncupatis « grandi rivendicazioni sociali » dentur clari conceptus et ad solvendas quaestiones principia statuantur.

De re liturgica

1. Martyrologii lectio introducatur.

2. Festa celebrentur tantum Sanctorum qui sanctitate excellunt et zelo et actibus extraordinariis Ecclesiae opus beneficum et santificans illustrarunt.

3. Laudes secundi loci aboleantur; item tertium nocturnum secundi loci in feria quarta.

4. Discrepantia inter Dominicas post Pentecostem et Evangeliorum tractus ipsis adsignatos tollatur.

5. Subtilis distributio eliminetur Responsoriorum unius et plurium Martyrum extra et intra Tempus Paschale, Pontificis Martyris et Confessoris, Martyris, Confessoris Pontificis aut non Pontificis et in Dominicis augusti, septembris et octobris.

6. Diebus festis praecepto servandis Officium contrahatur ad modum Officii hebdomada paschali recitandi, immo Missae binatae vel trinatae eius locum tenere potest, saltem magna ex parte.

7. In Missis Pontificalibus et in assistentia pontificali et insuper in Missis sollemniter a Sacerdote cum ministris celebratis, nonne dispensari opportunum est celebrantem vel Episcopum ab Epistolae et Evangelii lectione, prouti fit in ordine Hebdomadae maioris restaurato?

8. Memoretur in Missae Canone nomen Patriarchae S. Ioseph.

9. Cum Missae sacrificium eloquentissimum Amoris Christi in homines extet significatio, sensui sacrificali et poenitentiali etiam amoris et confidentiae sensus adiungi potest?

SS. Cordis Iesu atque Mariae Virginis cultus nonne ad hoc additamentum tempora paravit?

10. In Missae sacrificio quaedam Epistolarum lectiones et Evangelii substituantur pro aliis V. vel N. T. lectionibus ad intelligentiam, commentaria et applicationes magis accomodatis, quaeque numquam leguntur nisi in temporis quadragesimalis Missis, insuper legantur lingua vernacula.

11. Antiphona ad Communionem producatur ad gratiarum actionem psalmo.

12. Fidelibus, etiam extra Missam horis vespertinis S. Communionem distribuere liceat.

13. Fidelibus aegrotantibus qui, quacumque causa, solida alimenta glutire nequeunt, sub specie vini S. Eucharistia administretur.

De Sacramentis

Baptismus

Baptismatis definitio id nos efficere dicit Ecclesiae membrum. In ritu vero effectus hic non significatur.

Opportuna nonne est in fine ritus baptizati admissionis mentio ad Ecclesiae societatem et officiorum quae ex hac admissione sequuntur?

Confirmatio

1. Obligationes quas Confirmatio imponit de praelio ad virtutes defendendas et ad Apostolatum promovendum, nonne, ante vel post ritum, memorari opportunum est?

2. Confirmationis sacramentum pueris ante duodecimum, decimum tertium vel decimum quartum aetatis annum non conferatur.

3. In iisdem adiunctis quibus Parochi conceditur, etiam Nosocomiorum curae Sacerdotibus addictis, facultas confirmandi tribuatur.

Eucharistia

Facultas tribuatur sacerdotibus Missae, quacumque hora etiam nocturna, celebrandae, adprobante tamen Ordinario et servato ieiunio eucharistico et praescriptis de loco et modo latis.

Huiusmodi facultas in festis centenariis gloriosae Virginis Mariae de Lourdes concessa est atque in peregrinatione Imaginis B. M. V. de Fatima.

Extrema Unctio

1. Nomen « Extrema Unctio » substituatur nomine « Oleum Sanctum » ut fideles assuefiant Extrema Unctione piari in extremis cum animo deficiuntur.

2. Quaedam locutiones orationis « Proficiscere » mitigentur.

Ordo Sacer

Aliqualiter immutentur quaedam Episcopi ad Subdiaconum commentationes quae, Deo favente, nostris temporibus difformes evaserunt (e. g.: si antea ebriosus, nunc ... ecc.).

Matrimonium

Aridior nuptiarum ritus videtur, quapropter aliquae adiungantur considerationes animo coniugatorum conformes.

De Ecclesiae praeceptis

Temporibus hodiernis Ecclesiae praecepta consona reddantur, videlicet:

1. Festa sanctificentur a fidelibus adsistentia Missae et explanatione catholicae doctrinae.

2. Adsociationibus et quibuslibet operibus ab Ecclesia damnatis, fideles ne intersint.

3. Nuptiae quocumque tempori celebrari liceat.

4. Fideles confiteantur peccata et communicentur frequenter in anno, saltem una vice.

Opera catholica

1. Societates omnes, instituta ad religionem, politicam et actionem socialem pertinentia, quae christiano nomine ornari cupiunt, inspectioni Auctoritatis Ecclesiasticae subsint.

2. Congregatio vel Congregationis sectio instituatur ad omnia opera catholica componenda, et ut quibus interest, innotescant quae ab aliis adsociationibus promoventur, ephemerides catholicae et opera nunc existentia in Ecclesia, unicuique tamen sua facile, indole, autonomia servata.

« Enciclopedia » Concilii Oecumenici

In unum librum, quasi in codicem quam dicunt « Enciclopedia » universa Ecclesiae doctrina colligatur, vere in memoriam Concilii Oecumenici aere perennius monumentum.

✠ Paulus Rota
Episcopus Fidentinus

89

Exc.mi P. D. ANTONII BAGNOLI
Episcopi Fesulani (Fiesole)

Fesulis die 24 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteris quibus, die 18 iunii 1959 Prot. 1 C/59-497, nomine Summi Pontificis, Eminentia Tua Reverendissima expostulavit ut argumenta suggererem quae in futuro Oecumenico Concilio tractari potuissent, gaudeo nunc respondere hic allegando folia in quibus, sicut melius mihi visum est, argumenta notavi.

Hac occasione nacta, pergratum mihi est Ioanni Papae Nostro XXIII toto ex corde plaudere qui, magno et felici ausu, Concilium oecumenicum sibi proposuit indicere. Velit Eminentia Tua Rev.ma Sanctitati Suae meos humilis et devotae subiectionis sensus exhibere.

Sacram Purpuram osculo dum me profiteor.

Em.tiae Tuae Rev.mae
addictissimum
✠ Antonius Bagnoli
Episcopus Fesulanus

I. *De Ecclesia Christi*

a) Doctrina de Ecclesia Christi a Concilio Vaticano definita, ut nova luce christifidelibus et separatis fratribus refulgeat, complenda videtur doctrinis quae recenter ab ordinario Ecclesiae magisterio traditae sunt, praesertim circa huius divinae societatis interiorem naturam quatenus est mysticum corpus Christi in quo vitam divinam et arctissimam unitatem, cum Christo et inter se, singuli redempti assequi possunt.

b) Cum a Concilio Vaticano doctrina de Romano Pontifice definita fuerit, opportunum videtur ut futurum concilium doctrinam de Episcopis exponat: hoc ut melius christifidelibus clarescat quae sit dignitas et potestas successorum apostolorum et ut fratribus separatis notum sit primatum iuridictionis Romani Pontificis minime auferre auctoritatem a Christo Domino concessam iis quos ad regendas singulas ecclesias Spiritus Sanctus elegit.

c) De presbiteris, qui sunt cooperatores ordinis episcopalis, sive sint dioecesani, sive sint regulares, Concilium opportune declarare poterit omnino uniuscuiusque dependentiam a suo ipsius episcopo.

d) Laici quid possint et quid debeant in Ecclesia Concilium definire poterit simulque declarare naturam et necessitatem Actionis Catholicae.

II. *De Beata Virgine Maria*

a) Cum nostris temporibus devotio erga Virginem Mariam apicem feliciter attigerit, opportune Concilium redigere poterit syntesim doctrinalem de sua missione et singularibus privilegiis ita ut fideles sua devotionem super solidum fundamentum ponant et ex hoc fratres separati non impediantur sed magis alliciantur ad redeundum in paternam domum.

b) Concilium fulgentiorem coronam Virginis Mariae reddere poterit eius mediationem universalem definiendo.

III. *De christiana societate*

Principia quibus, iuxta Evangelium, societas hominum est regenda ita ut iustitia et pax osculum sibi dent, pluries ac diserte a Summis Pontificibus enuntiata, in unum Concilium colligere poterit ad sollecitudinem Ecclesiae demonstranda circa huius terrestris vitae problemata et ad conatus adiuvandos hominum bonae voluntatis qui in aedificanda christiana civitate adlaborant.

IV. *De erroribus dannandis*

a) Errores iam ab Ecclesia damnati et adhuc invalescentes veluti laicismus, nationalismus, communismus etc. opportune a Concilio rursum damnari poterunt ut ab eis christifideles melius retrahantur.

b) Errores qui sunt quasi proprii nostrae aetatis veluti neomodernismus, naturalismus, relativismus moralis, existentialismus atheos, convenienter a Concilio denuntiandi et damnandi erunt.

V. *De evangelii praedicatione*

a) Ad evangelii diffusionem maxime hodiernis temporibus iuvare possunt ars typographica, cinematographica et televisiva. Concilium omittere non poterit studium curandi ut, collatis viribus, haec arma potentissima Evangelio deserviant.

b) Formulae quae in catechizandis pueris adhibentur iuxta scientiae pedagogicae progressus videntur aptandae.

c) Ad adultos instituendos in christiana doctrina Concilium normas nostrae aetatis necessitatibus consentaneas statuere poterit.

VI. *De Cleri educatione et disciplina*

a) Contra naturalismum qui etiam Ecclesiastica instituta subvertere conatur per suggestionem novorum systematum in educatione iuvenum, concilium opportune declarare poterit primatum supernaturalium argumentorum et principia statuere quibus cleri moderatores inniti debeant in educatione et selectione illorum qui ad statum sacerdotalem adspirant.

b) Forsan convenit iudicium de vocatione cuiuscumque ad sacerdotium adspiret reservare episcopis et consequenter episcopis demandare quamdam vigilantiam in institutis, etiam regularium, ad praeparationem futurorum sacerdotum destinatis.

c) Optandum ut futurum concilium sollemniter confirmet legem caelibatus et eam sacerdotibus omnibus proponat veluti fontem honoris in populo christiano et veluti medium efficacissimum ad supernaturalem fecunditatem sacri ministerii.

d) Contra haeresim actionis adhuc in clero serpentem Concilium statuat primatum orationis, quae sola actionem sacerdotalem utilem Ecclesiae sanctae reddere potest.

e) Cum bonum animarum cleri dioecesani et regularis unitatem maxime postulet, forsan, ad eam promovendam conveniet ut lex exemptionis religiosorum opportune temperetur.

f) Concilium examinare poterit num inamovibilitas parochorum, prout in *Codice Iuris Canonici* definitur, vere utilis bono animarum semper appareat.

VII. *De beneficiis*

a) Institutum Beneficii aliquantulum obsoletum apparet. Concilium videat quomodo sit reformandum.

b) Ius patronatus laicalis adhuc vigens in *Codice I. C.* abrogandus videtur.

c) In reformando instituto Beneficii, lex canonica Episcopo facultatem concedat curandi ut, quantum fieri potest, disparitas conditionis oeconomicae in clero auferatur.

d) Ad tempestivitatem actionis in alienandis, commutandis bonis ecclesiasticis, opportunum videtur ut episcopi amplioribus facultatibus donentur firmis praescriptis *C. I. C.* de audiendis Consilio Amministrationis et Capitulo Cathedralis.

VIII. *De piis legatis*

Cum, experientia teste, legati Missarum perpetui ob rerum oeconomicarum vicissitudines et ob difficultates eorum diligenti adnotationi connexas dubia quoad satisfactionem frequenter ingenerent, optandum ut Concilium novam disciplinam statuat ita ut post congruum tempus Episcopis liberum sit summas depositatas piis operibus destinare.

IX. *De indultis Sanctae Sedis*

Plura cum sint indulta habitualiter concessa vel quae conceduntur petentibus dummodo rationes canonicae afferantur, opportunum videtur, ad laborem SS. Congregationum et Curiarum Episcopalium minuendum, ut, quantum fieri potest, indulta convertantur in leges, facta Episcopis potestate iudicandi de canonicis rationibus.

X. *De matrimonio in extremis celebrando*

Optandum ut facultatibus in Can. 1043 expressis addatur etiam facultas sanandi in radice.

X. *De censuris*

Optandum, ad angustias confessorum et fidelium vitandas, ut numerus censurarum aliquantulum minuatur.

✠ ANTONIUS BAGNOLI
Episcopus Fesulanus

90

EM.MI P. D. ELIAE CARD. DALLA COSTA

Archiepiscopi Florentini (Firenze)

qui responsum dedit una cum:

EXC.MO P. D. HERMENEGILDO FLORIT

Archiepiscopo tit. Hierapolitano in Syria, Coadiutore Florentino

Prot. N. 3381/59 Firenze, 30 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Con riferimento alla Venerata Lettera di cui sopra dell'Eminenza Vostra, ho l'onore di rimettere qui acclusi alcuni voti che mi sono permesso stendere per il prossimo Concilio Ecumenico.

Compio questo gradito dovere anche a nome dell'Em.mo Cardinale Dalla Costa, il quale desidera scusarsi, mio tramite, con l'Eminenza Vostra Rev.ma, non sentendosi in grado di dar riscontro all'analoga richiesta, giuntagli già in precedenza.

Profitto della circostanza per inchinarmi al bacio della S. Porpora, e confermarmi, con sensi di profondo ossequio,

dell'Eminenza Vostra Rev.ma
umil.mo, dev.mo, oss.mo servitore in Domino
✠ ERMENEGILDO FLORIT
Arcivescovo Coadiutore

I. IN RE DOCTRINALI

1. Plures petierunt a Sancta Sede, et fortasse iterum petent a Concilio Oecumenico, « Regalitatis » Christi et Mariae definitiones. Iamvero hoc non videtur necessarium, cum per totum cyclum paschale, maxime autem Hebdomada Maiori et die festo Ascensionis D. N. I. C. eminenter celebretur Regalitas Christi; quin dicamus iam extare diem festum D. N. I. C. Regis a Pio Pp. XI institutum.

Idem, analogice, dici potest de Regalitate Mariae Virginis et de ipsa Mariali Mediatione.

Neque — nostro saltem tempore — id opportunum videtur, cum possint eiusmodi definitiones quodammodo animum abalienare christianorum dissidentium.

2. Cum tamen fides sit fundamentum totius doctrinae moralis, s. liturgiae, et disciplinae ecclesiasticae, preambula doctrinalia necessaria habentur. At minime a Concilio repetenda sunt omnia quae definita sunt aut statuta in praecedentibus Conciliis (praesertim in Tridentino et Vaticano), sed illa invocentur nonnisi synthetica forma.

3. Ea quae nuncupatur « evolutio technica et oeconomica », adeo cito contingit, tam late patet, ut populi omnes facile iam valeant inter se communicare ubique terrarum; similiter societates intermediae, hominesque singuli.

Ex alia parte, pericula gravia novarum conflictationum terribilium extant, quae etiam desiderium unitatis oeconomicae, culturalis, socialisque fovent. Fortasse haec quoque influere poterunt, saltem indirecte, in unitatem dissidentium cum Catholica Ecclesia. Certo certius, haec unitas in primis est donum supernaturale invocandum et quaerendum desuper, idest a Deo, precibus omnium, tam catholicorum quam dissidentium.

Cum tamen praeiudicia contra primatum petrinum iurisdictionis adhuc serpeant sive in Oriente sive in Occidente, valde opportuna videtur expositio praeliminaris, positiva ac perspicua, de unitate et visibilitate Ecclesiae, praecipuis praemissis de doctrina catholica circa Corpus Mysticum Christi.

Inde breviter efferatur actualitas, necessitas Religionis revelatae, ratione habita quorumdam modernorum errorum (atheismus, naturalismus, existentialismus, etc.).

4. Tempora nostra postulare videntur fusiorem ac profundiorem doctrinam de relationibus inter Ecclesiam et saeculares potestates.

5. Enucleanda videtur, ac Concilii auctoritate firmanda, et in unum corpus redigenda, doctrina socialis christiana. Nonnisi appendicis instar damnatio repetenda est laicismi in genere et in specie (idest liberalismi, marxismi, etc.).

6. In re sacramentali iterum examinanda videtur tota quaestio ordinum minorum.

7. Ob imminutum fere ubique terrarum presbyterorum agmen, maxime in regionibus « missionariis », censemus opportunam renovationem diaconatus permanentis, qui in seminariis propriis instruatur, quin eisdem obligationibus adstringatur quibus sacerdotes.

II. In re morali

1. Neminem latet plures ac gravissimos serpere errores in re morali. Iamvero, ut efficacius impugnentur, exoptamus ut Oecumenica proxima Synodus curet ac promulget synthesim potentem, lucidam, et quoad fieri

potest completam ac positive digestam — adhibita, ubi casus fuerit, nova terminologia — doctrinae moralis christianae.

Praestantia in se illius doctrinae, *momentum asceticum,* beneficia ingentia individualia et collectiva, pro viribus efferantur.

Ad hoc essent enucleanda, semper positiva methodo, praecipua quae vitam familiarem, professionalem, civicam, politico-socialem, ac internationalem spectant.

2. Reprobanda ac graviter damnanda videntur quae nostro tempore sanam doctrinam moralem debilitant, idest « moralis provisoria (interim's-ethic), seu relativismus moralis, similiter freudismus, ac vulgatissimus error secundum quem moralitas actionum non iam ex fine, ex obiecto et ex adiunctis desumpta est, sed fere unice ex communi vulgari opinione.

3. Premuniantur christifideles et ipse clerus saecularis et regularis contra quaedam spectacula quae christianos mores corrumpunt (abusus radio-televisionis, cynematographiae, periodicorum; quibus adduntur quaedam inhumanae formae « sportivae »).

4. Delineanda essent praecipua quae educationem christianam puerorum ac iuvenum spectant, et in particulari illam quae « initiatio sexualis » vocari solet.

In libris edendis de re morali, necnon in praedicatione, praeprimis de virtutibus « theologalibus » et « cardinalibus » disserendum esset, item de prioribus tribus Decalogi praeceptis, *de vita in gratia Dei,* deque usu sacramentorum.

Quoad sextum Divinae Legis praeceptum, complurima recta intentione vulgantur, at nescio utrum etiam prudenti ratione et mensura. Ea leguntur intentione minus recta praesertim ab iuvenibus et occasionem saepe praebent accusandi Catholicam Ecclesiam de quadam morbosa « concentratione » doctrinae moralis christianae ad res sexuales.

III. In re pastorali

1. Ad fovendam fidei unitatem quaeque Natio communem textum catechisticum habeat. Id nullo modo impedit quominus ad libitum opportuna ac varia subsidia pro instructione catechetica adhibeantur.

Communem textum nationalem expostulat etiam necessitas didactico-pedagogica. Nam constat mutatas condiciones oeconomicas-sociales crebras provocare civium migrationes internas. Perutile ergo videtur ut sive adulti sive pueri, imbuendi doctrina christiana, eundem textum inveniant, in quavis schola uniuscuiusque Nationis, sive paroecialis, sive ecclesiastica, sive publica.

2. Ob easdem rationes Episcopatus singularum Nationum program-

ma unicum catecheseos pro adultis pro universa Natione singulis annis definiat.

Ad hoc perutile est cyclum (ex. gr. quadriennale) statuere. Sodalia quoque, ad necessariam unitatem servandam et ad salutarem influxum exercendum in « publicam opinionem », commune et unicum programma sedulo sequantur.

3. Ad fovendam pietatem christianam, ad efficacius fidem et mores christianos sectandos, ad validius influxum periodicorum ac ephemeridum laicistarum ac societatum atheisticarum retundendum, magnopere curentur folia catholica quae sint pauca numero et consequenter, « viribus collectis », emineant qualitate.

Etiam promovendus maior influxus doctrinae christianae in rem radio-televisivam et cynematographicam.

4. Theologia pastoralis inter principales disciplinas recenseatur in seminariis ac statuatur quintus curriculi theologici cursus, in quo sacerdotes iuniores sedulo incumbant huic disciplinae, simulque apud viciniores paroecias curae animarum vacent, sub peritorum sacerdotum ductu.

Id ad mentem Const. Ap. *Sedes Sapientiae* Pii f. r. Pp. XII, et Const. Ap. *Ad uberrimam,* eiusdem S. Pontificis.

5. Sive ut Seminariorum vita religiosa, culturalis et disciplinaris facilius corroboretur, sive ut Curiae officia magis expedite munera propria obeant per ecclesiasticos viros numerosiores ac idoneos, gradatim minuendus esset in quibusdam Nationibus dioecesum numerus, et, ubi normae concordatariae vigeant, limites respondeant generatim illis provinciarum civilium.

Dioeceses quae parviores sunt generatim nequeunt apte « ordinari » secundum hodiernas necessitates.

IV. In Iure Canonico

1. Legislatio censurarum esset ad simpliciorem et fortasse ad clariorem formam reducendam.

2. Amplianda videtur Ordinariorum potestas in familias religiosas etiam in illas clericales exemptas, sive pro eo quod attinet catecheticam instructionem intus (visitando et in re catechetica interrogando ephebos, si qui sint), et extra (iubendo ut qui possint religiosi viri doceant populos puerosque in ecclesiis paroecialibus), sive quantum ad cultum qui in oratoriis publicis et in Ecclesiis religiosorum exercetur.

Idque sive quia Episcopus in sua dioecesi plena pollet potestate magisterii, ministerii, et regiminis, sive quia nonnumquam introducuntur et permittuntur abusus in re liturgica et « devotionali » qui damnum in-

ferunt unitati communitatis paroecialis et dissidia plus minusve indecora inter clerum paroecialem et regularem fovent. Nonnumquam christifideles patiuntur scandalum eo quod normae ab Episcopo statutae et servatae a parochis, negliguntur in ecclesiis religiosorum.

3. Inamovibilitas parochorum videtur esse abroganda (can. 454). Id plurimi petunt Episcopi ob iusta ac satis nota motiva.

4. Administratio beneficiaria esset emendanda ac novis condicionibus aptanda, praesertim ad obtinendam quandam inter parochos aequalitatem oeconomicam.

Normae hucusque promulgatae a Sancta Sede effectum desideratum non obtinuerunt. Fortasse instauranda videtur administratio unica dioecesana, per viros peritos in re oeconomica; sic etiam crebra dissidia inter agricolas beneficii et titularem eiusdem minui poterunt, necnon admiratio et scandalum acatholicorum (frequentius his temporibus maioris sensibilitatis in re sociali) propter discrimen interdum ingens inter beneficiarios.

5. Temporis nostri condiciones ac necessitates expostulare videntur *iuridicam existentiam* « Commissionis Episcopalis permanentis » in singulis Nationibus, cuius munus sit novas necessitates pastorales communes delineandi, remedia apta communia (et ideo efficaciora) indicandi contra fidei pericula, atque concordem actionem promovendi in re politico-sociali, in re catechetica, aliisque materiis quibus actio singulorum episcoporum seorsum ab aliis inanis evaderet, hoc nostro tempore, quo unio virium est suprema lex boni successus. Eiusdem Commissionis erit sacerdotibus infirmis vel senescentibus etc. providere per apta instrumenta « praevidentiae socialis ».

6. *Codicis Iuris Canonici* Pars III Libri II (*De Laicis*) videtur esse complenda, definiendo pressius statum iuridicum laicorum respectu habito ad S. Hierarchiam. Id spectat praesertim complexum Associationum quae una alterave denominatione « Actionem Catholicam » constituunt.

7. Communis fere lamentatio est quod in paroeciis et in dioecesibus multiplicatus ac fere ingens numerus Associationum, Piarum Unionum, Confraternitatum laicorum, ac III Ordinum Saecularium difficiliorem ac onerosiorem reddit animarum curationem. Normae statuantur quibus definiantur quaenam sint obligatoriae, quaenam facultativae.

8. Videtur quod in Codice sit pressius aliquid statuendum circa suscepti Ordinis sacri validitatem ac circa rationem agendi cum presbyteris qui naufragium in fide fecerunt, vel qui uptote indigni, ad saecularem statum redierunt.

9. Minuantur, si fieri potest, Praelatorum categoriae, et ad simpli-

ciorem formam reddantur vestimenta ac insignia eorumdem, ut magis differant ab illis episcoporum.

Desideratur a multis forma habitus simplicior apud Instituta religiosa foeminina.

V. In re liturgica

1. Ut habetur *Codex Iuris Canonici,* ita habendus esset Codex liturgicus, in quo systematice coadunentur et in promptu habeantur omnia quae S. Liturgiam spectant. Haec enim iuxta varia et aliquando inter se contraria vel iam obsoleta decreta digesta fuerunt.

Si in unum corpus digerantur principia et normae practicae Liturgiae catholicae, facilius incertitudo, confusio, dissimilitudines in uno eodemque ritu sacro viterentur, et uniformitas in praecipuis cederet, in fidelium aedificationem.

2. Desideratur emendatio Pontificalis Romani, in quo nonnulla essent omnino auferenda, utpote obsoleta, alia essent brevianda (ex. gr. in Episcoporum, Ecclesiae novae altariumque consecratio).

3. Textus biblicus identitas in Missali, in Breviario, in Pontificali et in Rituali Romano, in votis est.

4. Pro optata reformatione aliquarum partium Breviarii Romani quaedam in adnexis foliis liceat adiungere (cf. *Per una Riforma del Breviario Romano,* textus ineditus).

5. Circa emendationem Missalis Romani, accedendum nobis videtur ad vota duorum Conventuum Internationalium, idest I ac II Conventus Internationalis Studiorum Liturgicorum apud Maria Laach et S. Odiliam anni 1951 et 1952 habitorum (cf. *Partecipazione attiva alla Liturgia,* Atti del III Convegno Internazionale di Studi liturgici, Lugano-Como, 1953, pp. 239-245).

6. Latina lingua, cum emineat antiquitate, nobilitate ac mirabili indole synthetica polleat et hucusque efficax unitatis ecclesiasticae instrumentum et signum extiterit, videtur omnino servanda in Missa, nisi forte excipiantur Lectionarium et Evangeliarium. Ad hoc in Missali Romano textus « bilinguis » exoptatur.

7. Item in Sacramentorum administratione videtur servanda latina lingua, saltem pro parte essentiali.

Tamen, si « bilinguis » liber ritualis iubeatur a Concilio, ille iuxta formam universalem ab omnibus observandam redigatur, submota actuali varietate ritualium « bilinguium », S.R.C. successivis indultis concessorum.

Quod si id non placuerit, in Rituali Romano, latina lingua redacto, singulis ritibus sacramentalibus ac sacramentariis lingua vulgari, iuxta

textum ab Episcopatu singularum Nationum probatum, notae quaedam didascalicae sicut mos est pro rubricis et iuxta formam in aliquibus Ritualibus nuper a Sancta Sede per indultum concessis addantur.

8. Ad varietatem submovendam officiorum recitatorum, saltem pars Breviarii Romani a mulieribus uniuscuiusque religiosae congregationis adhibeatur, cum facultate (non vero obligatione) illud lingua vulgari recitandi. Idem videtur esse concedendum christianae plebi quoad cantum Vesperarum. Ad hoc, textus « receptus » ab Episcopatu singularum Nationum esset parandus et probandus.

Quod dicitur de Vesperis, fortasse, etiam quod ad hymnos qui solent communius ac frequentius cantari a populo (Miserere, De Profundis, Magnificat, Benedictus, Te Deum, Veni Creator, Pange Lingua, etc.) esset concedendum.

Idem fortasse convenit quoad Officium B. M. V. et Defunctorum, quod multis in locis a piis sodalitiis vel confraternitatibus recitari aut cantari solent; eo vel magis quod, progrediente « Movimento Liturgico » formae quaedam « paraliturgicae », ut aiunt, lectionis biblicae et recitationis psalmorum introducuntur, quibus liturgicus et ecclesiasticus cultus substituitur. Quod dedecet.

9. Esset edendus latinis typis « Liber devotionalis » pro omnibus Christifidelibus, in quo colligantur praecipui liturgiae sacrae actus, psalmi et hymni sacri, necnon pia exercitia ubique nota in Ecclesia, ut optata uniformitas obtineatur et principia communia, in vita spirituali ac liturgica fidelium moderanda, invalescant.

10. Etiam vestimenta quaedam liturgica videntur esse abroganda, ut manipulus, et, in Missa solemni pontificali, saltem una ex tunicellis et caligae et chirothecae Episcopi.

✠ Hermenegildus Florit
Archiepiscopus tit. Hierapolitanus in Syria

Notae separatim missae ad Sanctam Sedem « per una riforma del Breviario Romano »

Premessa. – Le note che seguono sono frutto di esperienza diretta e di un modesto esame della questione attualmente dibattuta circa una eventuale riforma del Breviario Romano, particolarmente attraverso le riviste liturgiche.

Si è cercato di mantenere un sano equilibrio fra tradizione e necessaria *semplificazione,* che costituisce il merito del recente decreto della S. C.

dei Riti sulla riforma delle rubriche (cf. GDSR - *A.A.S.*, vol. XXXXVII, n. 4, p. 218 - 23-III-1955).

Proprio per questo il documento è stato assai apprezzato dai sacerdoti, particolarmente quelli in cura d'anime, i quali si augurano che il lavoro felicemente iniziato, sulle linee direttive già fornite dal Santo Padre Pio X, possa venir portato a termine.

La forma delle annotazioni è volutamente schematica, e segue l'ordinamento del Divino Ufficio.

A) Quanto agli elementi costitutivi del Breviario Romano

Anzitutto, in conformità con la sua natura, sulla linea ormai costante e tradizionale della sua storia, e per quella unità che è indice di unione nel clero e di edificazione per i fedeli, occorre rimanere contrari alla formazione di diversi tipi di Breviario: ad es. uno per i sacerdoti regolari o di vita contemplativa, ed uno per i secolari o di vita attiva; oppure uno per la recita corale e un altro per quella privata.

Per quanto riguarda in particolare gli elementi costituitivi del Breviario, sono *da conservarsi gli attuali*: cioè sembra opportuno che il Divino Ufficio continui ad articolarsi mediante gli elementi fondamentali attuali: il laudativo (salmi, antifone, inni); il didattico (lezioni, responsori, capitoli); l'impetrativo (orazioni, preci varie). La riforma eventuale verta piuttosto, quando occorra, circa la loro distribuzione, che dovrà essere effettuata in base a questi criteri:

— critica storica nella indagine;
— equilibrio e verità nella scelta;
— semplificazione nella sistemazione generale.

In concreto perciò:

a) *Per l'elemento laudativo.*

Le antifone siano dette sempre per intero prima e dopo i salmi. Lo richiedono la logica e la semplicità, oltre che la funzione specifica dell'antifona, che è quella di preparare spiritualmente e melodicamente la recita o il canto del salmo. Le antifone che non adempissero a questo requisito (e non sarebbero molte) dovrebbero essere sostituite.

I salmi siano recitati in massima parte, così da costituire, come fino ad ora, la trama base delle singole Ore canoniche. Qualora si volesse rinunziare a quelli meno facilmente intelligibili, o meno assimilabili per una preghiera cristiana e sacerdotale (salmi strettamente storici, salmi imprecativi), si potrebbero far recitare altri cantici profetici, oltre a quelli che già si leggono.

La nuova versione dei Salmi, qualora si pensi di conservarla, potrebbe essere in parte corretta, prima di renderla definitiva, sia dal punto di vista scientifico sia dal punto di vista stilistico (particolarmente per quanto si riferisce al « cursus »), facendo un attento spoglio delle varianti suggerite da biblisti o da latinisti.

Per quanto riguarda *gli inni*, se ne potrebbe sostituire qualcuno, scarso di valore poetico o privo di ispirazione. Per eventuali sostituzioni o per utili arricchimenti (p. es. nei « Comuni » più frequenti, come quello dei Confessori, o dei Martiri, o della B. V. M., a Compieta, etc.) si suggerisce di attingere soprattutto alla ricchissima e magnifica innodia antica (Prudenzio, Venanzio Fortunato, Sedulio, etc.).

Andrebbe riveduto, possibilmente, l'uso dell'*Alleluia*, ora disordinato e privo di criteri fissi, specialmente al termine delle antifone.

b) *Per l'elemento didattico.*

Le lezioni del Mattutino (da ridursi possibilmente ad un unico Notturno), dovrebbero essere abitualmente tre, ma più lunghe, in modo da assicurare un maggior frutto ascetico e una lettura che abbia senso compiuto. Le prime due ordinariamente dovrebbero essere prese dalla Sacra Scrittura, la terza dai Padri (in connessione col passo biblico o col Vangelo del giorno), oppure agiografica, del santo festeggiato.

Per le *letture scritturistiche* sembra da conservarsi, in linea di principio, l'attuale « lectio continua », nel ciclo di un anno. Ci sono tuttavia dei casi in cui la ripartizione del testo biblico sembrerebbe da farsi in maniera meno meccanica, evitando di sezionare parti inscindibili della Sacra Scrittura, e offrendo in lettura un brano più esteso, piuttosto che due o tre sezioni, interrotte dopo due o tre righi dal responsorio. Dove sia opportuno fare sostituzioni, si facciano leggere e meditare brani più ricchi di dottrina e di riflessi ascetici, e più interessanti dal punto di vista storico, in modo da procurare, anche attraverso questo mezzo, una conoscenza *ordinata* o almeno « *antologica* » del Libro di Dio. Si dovrebbero eliminare le troppe lezioni bibliche « appropriate », in modo che l'antica « lectio continua » torni ad essere veramente tale, interrotta solo per le grandissime feste cristiane.

Si facciano percorrere, sia pure brevemente, i libri della S. Bibbia che non vengono oggi letti nell'ufficiatura, in estensione più proporzionata che non sia al presente alla loro natura ed importanza (p. es. alla lettura delle Lettere di S. Paolo dovrebbe essere riservato un ambito più vasto).

A proposito delle *letture patristiche*, conservando, quanto e quando sia possibile il prezioso materiale accumulato nel Breviario Romano attraverso i secoli, si dovrebbero tener presenti i seguenti criteri:

1) eliminare senz'altro i brani patristici che risultano apocrifi, o almeno correggerne l'attribuzione;

2) operare una scelta più accurata che al presente fra il meglio della produzione patristica, dal punto di vista dottrinale e spirituale, con criteri più eclettici, in modo che i testi possano essere offerti in lettura in giusta proporzione fra gli scrittori antichi e recenti, occidentali e orientali. In tal modo avremmo una vera antologia patristica, dove troveremmo le voci più autorevoli e i brani più belli dei grandi uomini di Chiesa di tutti i tempi. Alcune Encicliche Pontificie, per il loro carattere prevalentemente dottrinale, non sembrano adatte alla lettura liturgica;

3) nelle domeniche e feste più grandi (di precetto o giù di lì), la lettura patristica dovrebbe essere scelta a commento del brano evangelico. Anche nella eventuale distribuzione delle letture della S. Messa secondo un piano pluriennale (come da varie parti si è auspicato) sarebbe opportuno provvedere alla fedele corrispondenza fra le omelie e le letture. Negli altri giorni la lettura patristica dovrebbe essere intonata possibilmente, quasi a commentarla, con la precedente lettura biblica;

4) quando si avessero feste di Santi, e si potesse assegnare loro una lezione agiografica criticamente esatta, sintetica, e soprattutto non *stereotipa,* questa sarebbe bene accolta. Per raggiungere soprattutto quest'ultimo requisito sarebbe desiderabile che, specialmente per i santi più antichi, si attingesse maggiormente agli atti e alle « Passiones » dei Martiri e alle biografie classiche. Quando la lezione agiografica non potesse raggiungere questi requisiti, e il Santo fosse stato scrittore, si potrebbe leggere con frutto qualche cosa dei suoi scritti.

Siano mantenuti i *responsori* dopo ogni lezione; la loro struttura meglio rispecchi l'andamento primiero, e, nei repetenda, sia sempre salvo il senso logico.

c) *Per l'elemento impetrativo.*

Tra le diverse Ore del Divino Ufficio, se recitate consecutivamente, si suggerirebbe di imporre una piccola pausa di silenzio, stacco naturale di distinzione e preparazione immediata.

Si potrebbero omettere nella recita privata (conservandoli invece in quella pubblica) i « Dominus vobiscum » (da sostituirsi con « Domine, exaudi orationem meam ») e le assoluzioni e benedizioni prima delle lezioni.

Sembrerebbe opportuno che al culmine delle Ore Maggiori (Lodi e Vespero) non mancasse secondo l'uso antico e l'attuale rito monastico, la recita del « Pater noster », introdotto dal Kyrie eleison », e detto a voce alta dal Capocoro. Ciò servirebbe a delineare maggiormente l'importanza liturgica di queste ore, e a dare il giusto posto alla preghiera del Signore

nella prece pubblica della Chiesa. Nel Mattutino basterebbe far recitare a voce alta il « Pater noster » che già si trova a metà del Notturno.

È meglio eliminare certe orazioni più moderne che hanno un contenuto addirittura biografico rispetto al Santo commemorato (esempio tipico quella di S. Giovanna Frémiot de Chantal, *Brev. et Miss. Rom.*, 21 aug.). Gli antichi libri liturgici, romani o no, ce ne offrono di magnifiche, che potrebbero essere opportunamente adattate e riposte in uso. Prezioso arricchimento dell'attuale Breviario e Messale, sperimentato già in qualche caso (cf. alcune nuove e al tempo stesso antiche orazioni dell'« Ordo Hebdomadae Sanctae Instauratus »).

B) Quanto alle singole parti del Breviario

1. *Circa il Calendario.*

a) Si dovrebbe fare in modo da porre ancora maggiormente in rilievo il carattere unico della *Pasqua,* che deve essere, anche di fatto, il punto di convergenza di tutto l'anno ecclesiastico (per questo alcuni ritengono che converrebbe porre la Pasqua a data fissa).

b) Sembra opportuno elevare ancora il grado delle *Domeniche comuni*: in pratica si dovrebbero portare almeno al grado dell'attuale rito doppio di 2ª classe, con precedenza quindi su tutte le feste, tranne i soli doppi di 1ª classe.

c) Le *vigilie superstiti,* anche se comuni, siano effettivamente celebrate, e cedano il posto solo a feste di 1ª classe o a domeniche occasionalmente occorrenti. I santi invece occorrenti in maniera fissa nei giorni stabiliti per esse, siano portati ad altra data.

d) *I riti* potrebbero essere ridotti, con tanta più semplicità, a quattro: *classico, medio, doppio, semplice.* Al primo appartengano le domeniche e i santi di 1ª classe; al secondo gli uffici di 2ª classe e quelli che, per le antifone proprie a Mattutino, Lodi o Vespero, sono dotati di uno svolgimento rituale con ricco valore eucologico; a doppio sia ridotto il doppio maggiore; gli uffici doppi siano ridotti a semplice, con le poche debite eccezioni.

e) Si dovrebbero abolire i primi e concedere i secondi Vesperi a tutti i santi.

f) Sarebbero da rifondere in un testo chiaro ed unico le *rubriche.*

2. *Circa l'« Ordinarium ».*

Dovrebbe essere arricchito di testi per i tempi minori: Natalizio, dell'Epifania, della Settuagesima, dell'Ascensione (per ciascun tempo dovremmo poter avere: invitatorio, inni, capitolo e responsori propri, come già nell'Avvento, ecc.).

Questo ritocco si renderebbe assai opportuno per il fatto che, con la recente iniziata riforma (che fa prevedere del resto le linee del piano definitivo), si rende molto più frequente il ricorso all'Ufficio « de tempore ». Si eviterebbe così una monotona ripetizione degli stessi testi.

Gli inni, anche in questo caso, si potrebbero trovare negli antichi libri liturgici, anche di chiese particolari.

3. *Circa il « Psalterium per Hebdomadam »*.

Da molte parti si richiedono tre salmi per ciascun Mattutino. Una diminuita entità dei Salmi potrebbe forse andare a vantaggio dell'auspicato aumento della lettura biblica, agiografica, omiletica (cf. sopra).

Sembrerebbe da consigliarsi anche un solo schema per il III Notturno della Feria IV e per le Lodi. In generale, i cantici si dovrebbero prendere dall'attuale II schema, assegnando il Miserere come 4° salmo di Prima ai soli giorni penitenziali (cioè Passione, Quaresima, IV Tempora, Rogazioni).

4. *Circa il « Proprium de tempore »*.

Estendere alla recita pubblica del Divino Ufficio il beneficio già concesso per la recita privata, a norma del DGSR, tit. II, n. 22; anzi valorizzare al massimo la *Quaresima,* liberandola addirittura dalle feste dei Santi, che dovrebbreo essere ridotte a semplice commemorazione, o spostate ad altro tempo (come già S. Carlo Borromeo per il rito ambrosiano).

Si potrebbe eliminare la *Vigilia di Pentecoste,* giacchè con la riforma della Settimana Santa è venuta a cessare la ragione per cui fu istituita; preparare il Battesimo « in secondo appello ». Questo sabato dovrebbe far parte del tempo dell'Ascensione, che già di suo costituisce una prolungata ed eccellente preparazione alla Pentecoste.

Si dovrebbe chiudere il tempo pasquale con la solennità di Pentecoste; ne verrebbe così tolto un prolungamento di origine posteriore ed oggi senza senso; mentre in questa settimana potrebbe trovare il suo posto naturale la festa della SS. Trinità (celebrata il lunedì) e pieno senso ed effettiva celebrazione liturgica le Rogazioni Maggiori (nel martedì dopo la Pentecoste), come le 4 Tempora e le Rogazioni Minori (abbinate negli altri giorni).

Si potrebbe inoltre restituire alla *I Domenica dopo l'Epifania* il suo formulario e le sue melodie, fra le più belle dell'anno liturgico. La festa della S. Famiglia si potrebbe fare senz'altro in uno dei giorni feriali del « nuovo tempo minore » dell'Epifania, nato in seguito alla riforma delle rubriche.

Lo stesso si potrebbe fare della *festa di Cristo Re,* portandola a giorno feriale, e restituendo alla domenica la sua ufficiatura.

La festa della *Circoncisione,* così come tutte le altre feste di precetto del Signore, sia elevata al rito doppio di 1ª classe, o al suo corrispondente in caso di riforma.

Ci si augura che sia soppressa ogni distinzione fra le Domeniche dopo la Pentecoste e quelle dopo la I Domenica d'Agosto; i relativi formulari propri siano raccolti per ciascuna domenica tutti insieme (anche per il III Notturno, per l'orazione e le antifone dei cantici evangelici).

5. *Circa il « Proprium Sanctorum ».*

La scelta dei Santi da festeggiarsi dalla Chiesa universale dovrebbe essere fatta in base ai seguenti criteri:

a) *perfetta subordinazione del Santorale al Temporale;*

b) *cattolicità autentica* (in cui siano armoniosamente equilibrate romanità e universalità), e non desideri ambiziosi o preferenze soggettive di individui o di popoli o pressioni di Ordini religiosi;

c) *veridicità storica;* perciò anche i formulari propri, e non solo le lezioni, ove occorra siano corretti, sostituiti, soppressi.

La stessa *data della celebrazione delle feste* risponda il più possibile ad esattezza cronologica. Quando perciò sia impossibile fissarla in corrispondenza del « dies natalis », si ricorra al « dies translationis », al « dies depositionis », al « dies baptismi », al « dies ordinationis ».

Dai criteri indicati deriva come necessaria conseguenza la *riduzione del numero delle feste.* Seguendo l'indicazione offerta dal recente decreto sulla semplificazione delle rubriche (Tit. II, n. 1/2) ma, con maggiore discriminazione e duttilità, quasi tutte le feste di rito doppio dovrebbero essere ridotte al semplice (o nel frattempo qualcuna già semidoppia ed ora ridotta al semplice portarla al doppio: p. es. S. Cipriano ora ha il rito semplice, S. Giovanni da S. Facondo il rito doppio).

Come giungere a questa diminuzione del numero delle feste?

1) *Declassazione del grado delle feste* (v. sopra).

2) *Istituzione delle feste di categoria;* ad es. la festa dei Ss. Confessori, dei Ss. Abati, di tutte le Ss. Vergini, di tutti i Ss. Martiri, in modo tale che le diverse categorie verrebbero ad avere, oltre al Comune, una ufficiatura propria assegnata ad un determinato giorno dell'anno. In tal modo si potrebbero sopprimere alcune feste dei Santi meno significativi, lasciando con festa propria solo i più importanti rappresentanti di ogni categoria.

3) *Ritorno di molte festività di Santi a carattere semplicemente locale* (p. es. la Madonna della Mercede, o quella del Carmelo, che dovreb-

bero far parte del solo breviario dell'Ordine rel. corrispondente, o anche alcuni santi. Citiamo l'esempio solo di S. Francesco Caracciolo).

4) *Riunione della commemorazione di più Santi simili nello stesso giorno*: ad es. Ss. Timoteo, Sila, Tito, Barnaba, discepoli di S. Paolo; i Ss. Coniugi Gioacchino ed Anna, ecc.

5) *Soppressione di feste di Santi o Martiri apocrifi,* o comunque già *inclusi nelle feste di categoria* (vedi sopra) e non tali da essere conservati ugualmente per la loro limitata importanza storica (p. es. S. Martina, S. Giorgio, S. Dionisio, S. Callisto, S. Martino I, etc.).

6) Per quanto riguarda le *commemorazioni* ancora recitate nel Breviario Romano, sembra degna di nota e di considerazione una proposta fatta da più parti, e cioè di eliminarle, sostituendole attraverso la lettura, resa obbligatoria, nell'Ufficio di Prima, della sezione giornaliera del *Martirologio Romano,* in un testo al possibile corretto e riveduto. In tal modo si otterrebbe un progresso nella semplificazione già felicemente iniziata del Divino Ufficio, e si avrebbe il vantaggio di commemorare non uno solo, ma tutti i Santi del giorno, esempi e guide della giornata sacerdotale.

7) Sarebbe inoltre desiderabile *operare una riduzione dei doppioni di alcune feste,* la cui permanenza nel Calendario Romano, almeno universale, non sembra avere una ragione sufficiente. Tali sembrano le feste di:

a) *7 Dolori della B. V. M.* (F. VI p. Dom. Pass. *e* 15 sett.);

b) *Invenzione* (3 maggio) e *Esaltazione* (14 sett.) *della S. Croce.* La festa del 3 maggio è di origine gallicana. Nel 1741, sotto Benedetto XIV, si volle, dall'apposita Commissione Cardinalizia di Riforma, togliere la festa del 3 maggio, senza poi effetto (cf. Batiffol, *Histoire du Bréviaire,* 377);

c) S. Giovanni a Porta Latina (6 maggio) e S. Giovanni Ev. (27 dic.);

d) Apparizione (8 maggio) e Dedicazione (29 settembre) di S. Michele Arc.;

e) S. Pietro in Vincoli (1° agosto), S. Pietro (29 giugno);

f) Cattedra a Roma (18 genn.) e ad Antiochia di S. Pietro;

g) S. Francesco (4 ottobre) e Le Stimmate (17 settembre);

h) le due feste di S. Agnese (21 e 28 gennaio).

6. *Circa il « Commune Sanctorum ».*

Due preoccupazioni da tener presente in questo campo: varietà e ordine.

1) *Varietà.* Perchè il ricorso allo stesso Comune non sia troppo frequente;

a) ogni *Comune abbia il formulario completo, ed anche più di uno,* con utilizzazione di antichi inni e orazioni;

b) si introduca nel Comune dei Santi il *formulario per più Santi* Confessori Pontefici, Confessori non Pontefici, Vergini, non Vergini, già posti in appendice al Breviario.

2) *Ordine.* Spostare i Comuni della Dedicazione di una Chiesa e delle feste della Madonna all'inizio di tutti gli altri, come esige l'ordine gerarchico (la Dedicazione è festa del Signore!).

Subito dopo collocare l'Ufficio S. Mariae in Sabbato, che è ufficio vero e proprio, con particolari privilegi (cf. anche il DGSR).

L'*Officium parvum S. Mariae,* sostituito dal testo « plenior » concesso da S. Pio XII ad alcune Comunità religiose, conservi invece il posto attuale.

C) Quanto alle singole ore

Bisognerà studiarsi che il nuovo Breviario, se dovrà nascere, riesca a congiungere e a coordinare al più possibile la *preghiera non liturgica* con *quella liturgica,* non nel senso di procedere a reciproche contaminazioni, ma cercando di subordinare all'Ufficio Divino tutte le pratiche che il Diritto prescrive per il Clero, così da *unificare* e potenziare maggiormente la sua vita spirituale (contro ogni pericolo di dispersione e dualismo dannosi).

In questo senso sarebbe augurabile un nesso più stretto fra Mattutino (o Prima) e la meditazione quotidiana, tra Vespero e Visita Eucaristica, tra Compieta e lettura spirituale ed Esame di Coscienza.

Ad maiorem Dei gloriam et... salvo meliori iudicio!

✠ Ermenegildo Florit
Arcivescovo tit. di Gerapoli di Siria
Coadiutore dell'Em.mo Card. Elia dalla Costa,
Arcivescovo di Firenze

91

Exc.mi P. D. PAULI CARTA

Episcopi Fodiani (Foggia)

Foggia, 4-9-1959

Con riferimento al foglio n. I C/59-500 del 18-6-59 invio con la presente l'elenco degli argomenti che ritengo trattabili nel Concilio Ecumenico, nonchè un pro-memoria da me espressamente richiesto al P. Riccardo Lombardi.

Con ossequio.

✠ Paolo Carta
Vescovo di Foggia

Dottrina

Dogma:

1) Definizione dogmatica della Mediazione Universale di Maria.
2) Definizione dogmatica della Regalità di Cristo e di Maria.
3) Esposizione della Dottrina del Corpo Mistico di Cristo e della sua unità (*Mystici Corporis*).
4) Esposizione della Dottrina sulla Liturgia (*Mediator Dei*).
5) Esposizione della dottrina sui rapporti tra Chiesa e Stato.

Errori da condannare:

1) Comunismo materialista ateo.
2) Neomodernismo secondo la *Humani Generis*: e cioè naturalismo, laicismo, esistenzialismo ateo.

Morale:

1) Il relativismo morale e la morale della situazione.
2) Problemi morali della famiglia.
3) Morale professionale.
4) Morale sociale.
5) Pericoli moderni della moralità pubblica derivanti dal cinema, radio-televisione, sport-stampa.
6) Affermazione dell'aspetto positivo e ascetico della morale cristiana.

Dottrina sociale:

1) Sintesi della dottrina sociale della Chiesa.
2) Movimenti sociali, sindacali, politici.

Disciplina

1) Amovibilità dei Parroci.
2) Facile trasferimento da una diocesi all'altra modificando il titolo di Ordinazione.
3) Rapporti tra i Vescovi e le S. Congregazioni Romane.
4) Rapporti tra il Clero secolare e regolare.
5) Il problema dei preti apostati.
6) Assistenza al giovane Clero.
7) Ausiliari del Clero nelle cose temporali e attività apostoliche marginali.
8) Riforma dell'Amministrazione beneficiaria.
9) Come provvedere all'onesto sostentamento del Clero.
10) Digiuno e astinenza.
11) Rinnovamento dei Legati.

Liturgia

1) Revisione e semplificazione: del Pontificale e Cerimoniale dei Vescovi; del Rituale; del Messale; del Breviario.
2) La lingua volgare nell'amministrazione dei Sacramenti.

Pastorale

1) Posizione dei laici nella Chiesa e loro apostolato.
2) L'Azione Cattolica.
3) Istruzione catechistica e testo nazionale.

* * *

Qualche pensiero attendendo il Concilio

In questo periodo così grande e meraviglioso, in cui la santa Chiesa si sta preparando con trepida ansia alla celebrazione del Concilio Ecumenico da cui spera un generale rinnovamento, e i successori degli Apostoli vanno tutti pensando davanti a Dio agli argomenti principali da discutere nella suprema assise dell'umanità, sia lecito a un semplice sacerdote, che è stato portato dal suo lavoro apostolico a contatto con tanti ambienti cattolici sparsi un po' su tutta la terra, notare qui umilmente alcuni pensieri.

I. *Una situazione di fatto*

Guardando la situazione di fatto della Chiesa e dell'umanità, sembrano da riconoscere alcuni dati:

1. La Chiesa attualmente è estremamente ricca di forze buone: forze ecclesiastiche e forze laiche; forze maschili e forze femminili; opere senza fine...

2. Ciononostante sembra anche innegabile che l'influsso collettivo della Chiesa cattolica, su quello che si chiama il mondo contemporaneo, non sia grande a proporzione di quelle forze. Le principali manifestazioni della società contemporanea si mantengono ai margini della Chiesa e non di rado appaiono addirittura organizzate contro i suoi precetti (comunismo, costumi, divorzio, mode, università, cinema, politica, grande stampa...).

3. Ciò denuncia evidentemente un difetto da parte nostra, soprattutto nell'unione delle forze di cui disponiamo. Esse sono singolarmente eccellenti; ma il loro risultato complessivo si manifesta piuttosto debole; dev'esserci un difetto nella nostra unità.

4. Si aggiunga che questa nostra interna deficienza è ora messa in rilievo e aggravata nelle conseguenze dal fatto esterno che la nostra generazione sta avanzando in forme impressionanti nel processo della propria unificazione, in tutti gli altri campi (cultura, economia, guerra, commercio, politica...). Più che mai si nota, perciò, che noi siamo scadenti in questo aspetto.

5. D'altra parte si tenga presente che oggi, come forse mai in passato, l'umanità avrebbe lati che la renderebbero aperta a un'invasione leale e intelligente di spirito evangelico, da parte di un popolo cristiano unito e ben guidato (questione sociale...).

II. *Il Concilio e l'ascetica dell'unità*

Stando così le cose, sembrerebbe che il Concilio dovrebbe soprattutto affrontare il problema della unità interna della Chiesa. Non si parla qui della unità di fede nè direttamente di quella di governo, che grazie a Dio sono entrambe intatte; ma soprattutto della unità di carità e di collaborazione fra noi, la quale potrebbe immensamente aumentare. Facendo ciò, il Concilio si connetterebbe direttamente e bellamente con quanto il Santo Padre Giovanni XXIII ha ripetutamente detto fin dal primo giorno in cui è salito alla Cattedra di San Pietro, ribadendolo poi solennissimamente nella prima enciclica.

1. Fra le virtù che si insegnano nei seminari, nei noviziati e in genere al popolo cristiano, bisognerebbe esaltare in un modo fortissimo la ca-

rità, intesa come virtù essenzialmente sociale che ci fa desiderare con ogni nostro sacrifizio il bene del prossimo, il bene comune, il bene generale, superando coraggiosamente e generosamente la considerazione del nostro interesse personale. Tutto il Vangelo sta lì a dirci che in questo punto si riassume l'intera legge e che soltanto chi serve Gesù nei fratelli ha adempiuto quanto il Signore gli domanderà nel giudizio supremo più di ogni altro punto.

2. Posta tale doverosa esaltazione della carità, da accentuare tanto più di oggi, bisognerebbe spingere l'attenzione all'ultima meta che Gesù ha dato a questa virtù regina, e cioè la scambievole unità. I cattolici dovrebbero sapere che non è in regola col precetto fondamentale dell'amore chi — al di là della semplice carità unilaterale — non si sforza di creare proprio un sereno accordo con coloro con cui vive, preoccupandosi di questo con ogni genere di sacrifizi necessari; naturalmente ciò non domanda che si sacrifichino per questo la verità ed il vero bene generale, mentre anzi la concordia col prossimo dovrebbe ottenersi precisamente in questo culto supremo.

3. Non si tema che questa insistenza sulla carità e soprattutto sulla carità portata fino all'unità faccia diminuire la cura di altri precetti. Al contrario, non sarebbe difficile dimostrare come a questa virtù, vincolo della perfezione, siano necessariamente presupposte tutte le più solide virtù tradizionali: la mortificazione, il distacco dai beni terrestri, la purezza, la preghiera, l'ubbidienza ecc. In particolare quanto all'ubbidienza, questa non è altro che un semplice aspetto della vera unità che si vorrebbe fomentare al massimo nell'interno della Chiesa.

4. In particolare bisognerebbe insegnare che in tutti gli ambienti cattolici e per lo meno in quelli ecclesiastici deve regnare un clima di grande lealtà, che consenta anche agli inferiori di avvertire i superiori con franchezza sugli inconvenienti che notano; inutile dire come ciò dovrebbe essere equilibrato da una squisita ubbidienza, una volta che il superiore, informato, abbia poi dimostrato la sua volontà. La medesima lealtà evangelica nel dare gli avvertimenti è chiaro che dovrebbe potersi usare — e a molto maggiore ragione — da parte di ogni superiore verso i suoi inferiori. Queste sono virtù che andrebbero insegnate fin dal principio, come essenziali alla vita sociale della Chiesa.

III. *Le applicazioni dell'unità*

Le possibili applicazioni pratiche di un rinnovamento profondo che la Chiesa raggiungesse nella linea della carità e dell'unità pienamente intesa sarebbero innumerevoli e tutte di grande attualità. Se ne citano solamente alcune, quasi a mo' d'esempio:

1. La prima solennissima applicazione dovrebbe attuarsi nella Curia Romana, la quale — incaricata in qualche modo di guidare l'intera umanità al cielo — dovrebbe apparire a tutti con una preoccupazione indomabile e stupendamente luminosa del bene generale della Chiesa e dell'unità, senza nessun altro interesse che questo. Gli uomini capaci di desiderare un tale clima nella Curia ci sono già e non sono pochi, e probabilmente soffrono di certe mediocrità accanto a loro. Dal principio dato, seguirebbe fra l'altro l'esclusione di ogni carrierismo affermato e magari promosso in quegli ambienti, affermandosi al contrario solennemente che quei posti verranno dati sempre e solo alle persone che appaiano le più capaci nella Chiesa, dovunque esse si trovino, prescindendo da qualunque diritto acquisito attraverso il raggiungimento dei gradi precedenti. Nessuno dovrebbe ritenere di essere meritevole di un grado successivo, soltanto pel fatto che è stato nel precedente; solo a parità di tutte le altre condizioni, i gradi precedenti potrebbero avere un valore decisivo; sarebbe estremamente bello se (come si pratica continuamente fra i religiosi) venisse ammesso il principio che si può anche tornare indietro nella carriera ecclesiastica, qualora nuove circostanze indichino che i propri talenti sono proporzionati ad un posto inferiore, dato che si ha il privilegio e la terribile responsabilità di servire la Chiesa negli ambienti decisivi della sua Curia suprema.

2. Per lo stesso santo funzionamento collettivo della Chiesa, verrebbe da auspicare che si stabiliscano limiti di età nei supremi dicasteri romani; e così pure nel governo delle diocesi e eventualmente anche nella direzione delle parrocchie. È evidente che nei tre casi resterebbe al rispettivo superiore maggiore il diritto di dispensare da quei limiti, quando ciò sia richiesto dal medesimo bene comune.

3. Altro punto estremamente necessario pel funzionamento unitario della Chiesa è la unità dei sacerdoti col loro Pastore. Ciò potrebbe raccomandarsi al clero secolare, ma bisognerebbe ottenerlo di più, a riguardo dei Vescovi locali, anche dal clero regolare che lavora nelle singole diocesi. Non si vuole con questo infirmare il principio della esenzione dei religiosi, necessario per tanti riguardi, precisamente al bene unitario della Chiesa; ma si desidera che nelle singole diocesi, quando un religioso vi è stato destinato a lavorare, ci sia la massima unità di tutto il clero col suo Capo.

4. Bisognerebbe fomentare in tutti i modi la mutua integrazione dei due cleri, riconoscendo le funzioni specifiche dell'uno e dell'altro e fomentandone il più possibile l'organica complementarietà.

5. Per il bene generale della Chiesa, bisognerebbe facilitare una più equa distribuzione del clero sulla terra. Non si vuole mettere a ideale una distribuzione omogenea che avrebbe inconvenienti facilmente immagina-

bili, ma si suggerisce di studiare forme adatte perchè gli squilibri non siano stridenti come oggi. Si dovrebbero creare organi adatti perchè i sacerdoti di buona volontà possano con relativa facilità spostarsi dalla loro diocesi a zone più necessitate, sempre sotto il controllo dei superiori...

6. In un progetto di funzionamento più unitario della Chiesa meriterebbe estremo rilievo il problema missionario, la cui soluzione dopo 20 secoli di Redenzione è così terribilmente arretrata, proprio perchè non è ancora entrata nel piano di vita di ogni cattolico. Come semplice caso particolare, si dovrebbe discutere nella luce di Dio se non sia giunta l'ora di affidare le missioni anche alle singole diocesi col loro clero diocesano: mille motivi storici che avevano vietato ciò sono ormai caduti, grazie a Dio che si è servito anche dei progressi tecnici dell'umanità.

7. Tutto il mondo delle religiose dovrebbe essere meglio inserito nelle necessità generali della Chiesa, anche qui con opportuni interventi per la loro più equa distribuzione. Una volta poi che siano inviate a determinati posti, bisognerebbe favorire moltissimo la loro integrazione con le forze sacerdotali e specialmente parrocchiali del luogo.

8. Anche nel campo dei laici, sembra che l'attuale situazione della Chiesa sia matura per nuove forme di collaborazione, perfino internazionale. Mentre tutta l'umanità aumenta di giorno in giorno le sue forme organizzative mondiali in ogni settore, è penoso notare come le forze laiche cattoliche lavorino ancora con separazioni così ristrette, dove appena l'unità nazionale costituisce di fatto il più alto grado in cui si sia raggiunta concretamente una qualche efficacia unitaria... Senza una nuova mentalità mondiale, che poi per natura sta tanto bene ai cattolici, è inutile credere a una nostra potente affermazione nella vita politica, nella stampa, nel cinema, nella radio, nella questione sociale e in altri simili problemi moderni...

Nè l'unità da rinnovare fra i laici è solo quella internazionale. Mille problemi non saranno risolti senza una più stretta unione anche su piano nazionale, su quello diocesano, parrocchiale, ed eventualmente su altri piani d'azione oggi tipicamente vivi (Riccardo Lombardi).

✠ PAOLO CARTA
Vescovo di Foggia

92

EXC.MI P. D. SYRI SILVESTRI
Episcopi Fulginatensis (Foligno)

Fulginiae, 11 Kal. Sept. MCMLIX

Attentis istius Consilii litteris, quibus requiruntur mea vota et argumenta in proximo Universali seu Oecumenico Concilio agenda, magna afficior laetitia et, rebus rite perpensis, respondeo:

De re biblica

Exponantur argumenta de quaestionibus ad S. Scripturae interpretationem pertinentibus, praesertim V. T. adeo ut clerus maiorem S. Scripturae cognitionem et rationem habeat.

De re dogmatica

1. Explicetur atque asseratur doctrina de Ecclesia ut corpore mystico quaeque inde consequuntur:

— revocetur mutua universorum hominum necessitudo quae quaestionem expediat de apostolatu in actione, quae vere dicitur catholica, in sociali foedere et in disciplina politica;

— inculcetur ut in dioeceseos, paroeciae et familiae vita Corporis mystici doctrina adhibeatur.

2. Maximorum aetatis nostrae errorum Caroli Marxii doctrinae, naturalismi et laicismi, magis perspicua damnatio fiat.

De re morali

1. Agantur quaestiones de vita familiari et de publicis moribus propter varia hodierna oblectamenta abiectis, quae morum probitatem extinguunt, corrumpunt ac depravant.

2. Damnetur qui « Relativismus moralis » dicitur.

3. Doctrinae socialis Ecclesiae congestio et compositio conficiantur.

De re liturgica

1. Omnia quae ad liturgiam pertinent exponantur ut populus liturgicas preces scienter sequatur easque existimet velut Corporis mystici et ceteris precibus anteponat.

Propono ut expediantur libri « Pontificale et Caeremoniale » Episcoporum.

2. Adeo explicetur quaestio de lingua utenda ut evidens linguae latinae utilitas, veluti linguae Ecclesiae, non obsit rituum comprehensioni.

3. Concedatur etiam Italiae rituale bilingue et, in adiunctis singulis constitutis, concelebratio praecipiatur.

De re quae ad disciplinam pertinet

1. Consulatur ut Episcopus uti possit clero regulari in iis rebus quae ad vitam religiosam in Dioecesi attinent.

2. Expediatur quaestio de iis rebus quae ad vitae usum cleri pertinent et de consociationibus ad suppetias mutuo ferendas.

3. Retractentur leges de abstinentia et ieiunio.

De re pastorali

1. Necesse est declarare et constituere quae in Ecclesia sit laicorum condicio. Notum sit omnibus apostolatus officium deduci ex eo quod sumus baptizati ideoque Corporis mystici membra.

2. Actio catholica peculiarem vocationem ad apostolatum exigit.

3. Constituantur natura, proposita, dispositio cum ceteris operis quae directe vel indirecte ad apostolatum confluunt.

4. Componatur exemplar gentis nostrae proprium christianae doctrinae praeceptorum in classes seiunctum prout puerorum disciplina postulat.

Mandata dentur de catechesi adultis pro studiis et experientia ubique habitis.

Interea Spiritum S. Paraclitum oremus qui, ut in renovata Pentecoste, magnam donorum copiam largiatur ad Ecclesiam magis confirmandam, ad pastores illuminandos, ad gregem docilem praebendum.

✠ SYRUS SILVESTRI
Episcopus Fulginatensis

93

EXC.MI P. D. PAULI BABINI

Episcopi Foroliviensis (Forlì)

Forolivii, die 29 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris datis die 18 iunii 1959 (I C/59-503) Eminentia Tua Rev.ma me rogaverat ut communicare vellem Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico meas animadversiones et vota « circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt ».

Dicam humiliter quid sentiam de re quae mihi videtur maximi momenti.

Hoc est princeps hominis officium ut *vitam christianam agat*: vere, nimirum, non ficte christianam. In regnum caelorum, enim, illi tantummodo pervenient qui nunc in terris non simulate sed sincere sequuntur vestigia Christi.

Si quis autem attente considerat mentis habitum necnon vitae modum hominum nostrae aetatis, facile inveniet infinitum esse numerum eorum, qui profitentur quidem se esse christianos, sunt tamen nomine sed non re. Celebrationes religiosae ipsae, quae non numquam vel a singulis vel ab omnibus populis sollemniter peraguntur, multa bona spiritualia indubitate afferunt, sed hominum multitudo (« la massa » quae dicitur) nulla prorsus emendatione utitur.

Quod utique dolorem, non autem admirationem gignit: nam, iuxta verbum Domini, christiane vivere idem est ac « se ad Dei voluntatem conformare » et « tollere crucem suam » (*Mt.* XVI, 24), dum hodie populus noster christianus ob immanem, qua laborat, rerum divinarum ignorantiam divinam voluntatem minime cognoscit, et furore cuiuscumque voluptatis actus ipsam speciem incommodi fugit. Nec ratio doctrinae christianae adultis tradendae, quae usque adhuc viguit, apta videtur, cum christiani homines frequentent ecclesias tantum — et plurimi hoc etiam aegre — pro audiendo Sacro diebus festis.

Illi autem, quibus Christus Dominus tradidit animas erudiendas et ducendas ad aeternam salutem, id est Sacerdotes, « sal terrae et lux mundi » (*Mt.* V, 13-14), suntne hodie, tum numero tum virtutibus, idonei fungi legatione pro Christo? Adulescentes qui cooptantur in Seminaria ut ad statum clericalem excolantur, oriuntur e populo de quo nuper loquebar, nempe e familiis a quibus in aetate puerili saepissime fere nullam spiritualem institutionem accipere potuerant: quam ob rem

eorum permulti a Seminario discedunt, in quo longe aliud vitae morumque genus inveniunt, et illi quidem qui sacerdotium assequuntur vix induunt spiritum pietatis, disciplinae et poenitentiae qui plane Sacerdotibus necessarius est. Immo saepe, ut quaeritur ipsa S. C. de Seminariis in Epistola Exc.mis Ordinariis missa die 5 iunii 1959, rationes ipsae, a maioribus traditae, educandi instituendique alumnos ad christianas et ecclesiasticas virtutes facile neglegi videntur, aliaque genera institutionum adhiberi, quae perniciosum « naturalismum » sapiunt.

Postulat ergo salus aeterna animarum ut numerus Sacerdotum maior sit, et eorum institutio in Seminariis aptior. En quaestio quam humiliter subiicio considerationi Eminentiae Tuae Rev.mae, ut — si videtur opportunum — eam proponas studio Patrum futuri Concilii.

Interim S. Purpuram reverenter deosculor.

Addictissimus famulus
✠ Paulus Babini
Episcopus Foroliviensis

94

Exc.mi P. D. DIONYSII BORRA
Episcopi Fossanensis (Fossano)

Fossani, 12 aprilis 1960

Responsio ad epistulam Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici (Prot. N. I C/59-512 bis).

Omni quo par est obsequio me profiteor

add.mum
✠ Dionysius Borra
Episcopus Fossanensis

Vota subiicienda, si quid valent, Oecumenici Concilii iudicio.

1. Regalitas B. M. V. est veritas quam in multis tabulis, *Incoronazione della Vergine* nuncupatis, clari pictores celebrarunt: est veritas quae iam gaudet liturgica festivitate, et quidem sollemni, et in religioso fidelium sensu iam late vulgata et ardens est.

Si dogmatica definitione fuerit donata novam et splendidiorem lucem acquireret. Quod est in votis.

2. Parochi sunt, ex Iure, fere omnes, inamovibiles. Nonne multa mala, interdum etiam gravia, vitarentur si essent amovibiles?

Res perpendenda mihi videtur.

✠ Dionysius Borra
Episcopus Fossanensis

95

Exc.mi P. D. AMIDEI POLIDORI
Episcopi Forosemproniensis (Fossombrone)

Foro Sempronii, 20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ab Eminentia Tua Reverendissima tam benigne humaniterque rogatus, ego humillimus inter eos qui aderunt, Dei favente gratia, ad Oecumenicum Concilium, quod certe non sine inspiratione superna, toto plaudente terrarum orbe, a Summo Pontifice Ioanne XXIII felic. regn. proclamatum est, haec audeo exponere doctrinae capita et disciplinae, quae in praefato universali consessu, iuxta meam sententiam, tractari poterunt.

1. Virgo Deipara, Mediatrix omnium gratiarum: sensus ac dogmatis definitio.

2. Doctrina mystici corporis et de in Ecclesia laicorum muneribus.

3. Ad unitatem Ecclesiae materna revocatio eorum omnium qui schismate vel haeresi ab illa sunt separati.

4. Infidelium evangelizatio.

5. Proclamatio principiorum vel canonum quibus regi debet vita familiaris, civica, oeconomica, inter nationes, ac errorum damnatio, qui huic catholicae doctrinae hodie tam acriter opponuntur.

5. Moralitas, seu vitae honestas, sive privata sive publica, ac severa adhortatio adversus eos qui diligunt iniquitatem et quaerunt mendacium, et ita vivunt ut illi de quibus Apostolus in Ep. ad Roman. c. 1: haec enim morum relaxatio est id quod magis angit nostrum pastoralem animum.

7. Observantia dierum festorum ac determinatio operum seu laborum prohibitorum.

8. Dies abstinentiae et ieiunii, ac Quadragesimalis observatio.

9. Quid de Missis de tempore, in Quadragesima, quadragesimali ieiunio aboleto.

10. Usus linguae latinae in ritibus sacris.

11. Determinatio aetatis pro administratione Sacramenti Confirmationis in casibus ordinariis.

12. Fraterna cooperatio inter Religiosos et Clerum dioecesanum sub dependentia ab Ordinario loci in iis omnibus quae respiciunt pastoralem curam ac salutem animarum.

13. Lex coelibatus pro clericis in Ecclesia latina, fideliter ac strenue servanda.

14. De aliis clericorum obligationibus: normae quaedam circa ecclesiasticum habitum, circa itinera, peregrinationes, discessum e dioecesibus etc.

15. Nova divisio et circumscriptio Dioeceseum.

16. Correctio legis de inamovibilitate Parochorum.

17. De Seminariis sive maioribus, sive minoribus, regionalibus et dioecesanis: eorum regimen et iuridica constitutio.

18. De Actione catholica: studium christianae perfectionis adscriptorum, ac efficax eorum externa organizatio sive universalis, sive nationalis, sive dioecesana ut revera influere possint ii in totam humanam societatem, vultumque novum tribuere nationibus.

Quod autem attinet ad innovationes structurarum, quas vocant, utique humanarum, inducendas sive in Curia Romana, in sacris eius Dicasteriis, sive in Dioecesibus, candide fateor mihi opportunum videri ut prae oculis habeantur ea quae iam a pluribus annis proponit tam in frequentibus coetibus laicorum, Sacerdotum, Episcoporum Italiae et exterarum nationum, quam in suis scriptis publice editis Rev.mus P. Riccardus Lombardi, in illo quem vocant « Movimento per un Mondo migliore ».

Eminentissime ac Reverendissime Domine! Haec sunt argumenta quae ego proponerem a sapientibus Patribus Concilii Oecumenici pertractanda. Erunt forte alia et graviora: me autem certitudo solatur quamplurimos Episcopos et Doctores isti Commissioni, cui digne praesides, pretiosam et copiosam disceptationis attulisse materiam.

Nunc autem, qua par est veneratione, me provolvo ad pedes Tuos, atque in osculo Sacrae Purpurae Tuae me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humillimum oboedientissimum indignumque
servum

✠ AMIDEUS POLIDORI
Episcopus Forosemproniensis

96

Exc.mi P. D. DIONYSII CASAROLI

Archiepiscopi Caietani (Gaeta)

Caietae, die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pontificiae istius Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico auctoritati argumenta quae litteris diei 18 iunii currentis anni (Prot. N. I C/59-521) efflagitasti profero.

A) *Quoad quaedam doctrinae capita*

1. Maximas impendere curas necessarium censeo in primis et praecipue in assequendam unitatem omnium christifidelium. Scandalum, namque, huius temporis potissimum in eo est quod, scilicet, dissident inter se christiani, dum e converso ruit, condensa acies, materialismus ad societatem humani generis infesto agmine evertendam. Capita, autem, quae veluti fundamentum et prooemium sint ad instaurandam disceptationem varias inter ecclesias, haec videntur idonea: 1) professio circa Primatum in Concilio Florentino a Patribus sive Graecis sive Latinis probata; 2) satisdactio de integritate Symboli Nicaeni-Costantinopolitani; 3) Patrum proximi Concilii concors asseveratio de dogmatica veritate vocis « Filioque », quin tamen ulla adsit obligatio vocem ipsam in Symbolo proferendi; 4) temperatae concessiones quoad coelibatum ecclesiasticum (cf. postea); 5) colloquia quae ab urbe « Malines » nuncupantur (inter Card. Mercier et Lord Halifax) ad coetum anglicanum (in specie) et protestanticum (in genere) quod attinet.

2. Consentaneum opinor quaestionem, uti aiunt, socialem ulterius ac amplius enuntiare. Cum aeque damnari debeant sive contentiones, quas vocant, inter classes humanae societatis, sive effrenatae locupletationes, imponendum puto modum in ipso iure proprietatis. Hoc, autem, ex eo quoque consequitur quod immensa hodie abundet multitudine terrarum orbis ac proinde magis atque magis distribuantur oportet divitiae eo usque ut certe sit extra caritatem Corporis Mystici quicumque opibus et copiis immodice exuberet.

B) *Quoad disciplinam cleri*

1. Expetendum est ut religiosi vinculo obstringantur erga dioecesim residentiae, eo nempe sensu quod, reiectis vel saltem contractis obstantibus privilegiis, Episcopo plane subdantur iis in omnibus quae ad vitam pastoralem pertinent.

Hac ratione, virium dissipatione devitata, valido gubernationis unitas firmabitur praesidio.

2. Ad hoc quoque ut nova tradatur unitatis occasio dissidentibus fratribus ac insuper ut sanctum et merens quoddam pristinae Ecclesiae institutum restituatur, diaconatus ordinem, iis iuribus et privilegiis exornatum quibus antiquitus fruebatur, denuo instaurandum censeam.

Diaconus, in casu, nullo foret obstrictus vinculo coelibatus, auxiliarias exerceret mansiones in dioecesibus et paroeciis, commercium et usus cum operariis in fabricis, melius quam sacerdotes (preti operai), susciperet.

3. Coelibatus, proinde, Episcopos ac praesbiteros vinciens, non omnibus vero clericis obligationem inferret, qui immo in actu assumptionis ad diaconatum optionis iure uti possent: vel, scilicet, in ipso diaconatu sistere, vitam eligendo coniugalem, vel usque ad praesbiteratum operi instare, coelibatum amplectendo.

4. Rei gravitate perpensa de modo iuvenilem aetatem ad humanitatem et virtutem informandi, fas est novam conficere Seminariorum (sive regularium sive saecularium) constitutionem; haec, autem, principiis innixa ad artem educandi (pedagogia), ad humanum animum (psicologia) et ad rerum naturam (fisiologia) pertinentibus, praecipue rationem habeat necesse est dignitatis iuvenum eorumque, quam vocant, personalitatis ita ut certa ac libera sit omnino, tempore apto, status electio.

C) *Quoad disciplinam populi christiani*

1. Ad pacem et fidelitatem tuendam in matrimonio, ne praeterea gratia sacramentali quotidie quamplurimi priventur, optandum est ut Patres, circa sexuales relationes inter coniuges, illas ex fine secundario matrimonii (tamquam remedii concupiscentiae) depromant normas quae omnibus animi tranquillitatem afferant.

2. Liturgica fidelium communicatio (partecipazione) in sacris functionibus integre promovenda videtur, etsi audaces fieri debeant renovationes.

3. In Concordatis vel Conventionibus cum gentibus, quo praeclarius denuo scientia theologica fulgeat, repetere aequum est Theologiae Dogmaticae Facultatis institutionem apud maioris momenti Athenea.

Interea qua par est observantia me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum

✠ DIONYSIUS CASAROLI
Archiepiscopus Caietanus

97

Exc.mi P. D. PASCHALIS QUAREMBA
Episcopi Gallipolitani (Gallipoli)

E Civitate Gallipolitana, die 27 augusti 1959

Pergratum mihi est exponere res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, iuxta desideria istius Pontificiae Commissionis de quibus in litteris 18-6-1959 Prot. N. 1 C/59-524.

De re dogmatica

1. De sociologia christiana.
2. De damnatione materialismi dialectici et historici.
3. De definitione Mediationis universalis B. M. V.
4. De potestate Episcoporum, qua successorum Apostolorum.

De re morali

1. De principiis moralibus christianis circa:
a) matrimonium;
b) theoriam Ogino Knaus, fecundationem artificialem, etc.;
c) iustitiam et ius in negotiis et administratione bonorum;
d) actionem socialem et politicam;
e) causas moralitatem actuum modificantes seu de « la morale della situazione ».

De re liturgica

1. De revisione rituum et librorum liturgicorum.
2. De usu linguae vulgaris in aliquibus ritibus.

De re disciplinari

A) *Disciplina clericorum.*

1. De « ridimensionamento » dioeceseos secundum modernas exigentias.

2. De abolitione inamovibilitatis parochorum et de graduali promotione clericorum ad varia officia.

3. De facultatibus tribuendis S. Congregationi competenti (vel novae instituendae Congregationi) circa translationem clericorum in varias dioeceses saltem in ambitu cuiuscumque nationis.

4. De potestate Episcoporum et de facultatibus Sacrarum Congregationum.
5. De coelibatu ecclesiastico.
6. De habitu ecclesiastico.
7. De revisione beneficiorum ecclesiasticorum et de redistributione proventuum ita ut aliqua iustitia distributiva habeatur inter dioeceses et dioeceses ac inter clericos.
8. De methodis et de modernis auxiliis ad efficacem educationem fidelium in doctrina christiana.
9. De reformatione Capitulorum cathedralium.
10. De auctoritate Episcopi circa Congregationes religiosas virorum et foeminarum, seu de restrictione « exemptionis » religiosorum.
11. De positione iuridica seminariorum regionalium.

B) *Disciplina fidelium.*

1. De revisione « praeceptorum ecclesiasticorum » et « operum misericordiae corporalis ».
2. De positione iuridica laicatus catholici in genere et Actionis Catholicae in specie.
3. De revisione confraternitatum fidelium et piarum unionum.

Impensos animi sensus ex animo profiteor

Addictissimus

✠ Paschalis Quaremba
Episcopus Gallipolitanus

98

Em.mi P. D. IOSEPHI Card. SIRI
Archiepiscopi Ianuensis (Genova)

Prot. N. 518/19 C. Ianuae, die 24 augusti 1959

Em.me ac Rev.me Domine mi Obs.me,

Placuit humanitati Tuae, Summi Pontificis desiderio obsequenti, per litteras die 18 iunii huius anni latas (N. 1 C/59-32), a me benigne exquirere quae animadversiones et quae consilia seu vota proponerem circa res quae in futuro Oecumenico Concilio tractari possent.

Equidem de re tam gravi diu cogitavi et haec mihi, in rebus determinandis quae pertractarentur, visa sunt sequenda criteria:

— Ecclesia est, ut ipsa Redemptio, pro salute totius mundi et omnium gentium. Idcirco in Oecumenico Concilio prae oculis habendus est cursus saeculorum seu historia, hoc est quidnam sit huius temporis in progressu Operis Salvifici peculiare momentum;

— in Oecumenico Concilio maiora et universalia per se esse tractanda.

Quibus praelibatis, Tibi, Eminentissime Domine, et Commissioni Antepraeparatoriae aliqua puncta consideranda submitto.

Interim qua par est reverentia Eminentiae Tuae manus humillime osculor meque profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mum et dev.mum servum verum

✠ IOSEPH Card. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

I. ALIQUA VIDENTUR ESSE DECLARANDA VEL STATUENDA CIRCA DISCIPLINAM ET PRAXIM, QUAE — ABSQUE INIURIA TRADITIONIS ECCLESIAE — FACILIOREM REDDANT CONVERSIONEM POPULORUM AFRICAE ET ASIAE AD SANCTAM CATHOLICAM ECCLESIAM.

Declaratio propositionis

a) In civilium rerum decursu hoc est maximum hac aetate considerandum: hucusque Africae et Asiae populi vel barbari, vel fere inculti, vel omnino in se clausi et quodammodo a cursu historiae segregati fuerunt, dum sola Europa eiusque in Americam communitates migratae civilis cultus humanitatis scientiae omniumque artium incrementum et imperium retinuerunt.

Nunc e contra Asiaticorum et Afrorum gentes libertatem quaerunt, omnium novarum rerum usum sibi vindicant, historiam ingrediuntur, historiam faciunt vel facere contendunt. Ratio dispositionis populorum mutatur.

b) Sancta Catholica Ecclesia quae hucusque suam communitatem ex occidentalibus gentibus magna ex parte numeravit, non est occidentalis, sed dispositione divina est totius mundi et ad omnes populos in primis semper satagere debet. Quod si non esset vel incuria catholicorum brevi non accideret, ascendentibus populis evangelica veritate nullatenus suffultis, obscura et nefasta de mundi pace praevidere deberemus.

c) Orientales vero et Afri ex segregatione, ex traditione et antiquorum congenita dispositione, habent in pluribus rationem quandam concipiendae realitatis, civilis habitudinis et ipsius vitae cultus valde ab

Occidentalibus difformem. Quo fit ut saepe in rebus, quae ad substantiam vel necessitatem non pertinent, magnam inferant difficultatem ut in revelatam doctrinam et mores conveniant atque Catholicae Ecclesiae consentiant.

II. De humana persona — ad quam salvandam Dei Filius homo factus est sicut dicitur in symbolo « propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis » — Eiusque iuribus et officiis respectu consociatae vitae, aliqua videntur opportune confirmanda et declaranda.

Declaratio propositionis

a) Modernae historiae eventus ab haeresi protestantica pendent. Ea vero nefaria haeresis — ope deformatae doctrinae de originali peccato — humanam personam mortificando minuit. Inde factum est ut moderna confusio sit quaedam practica de humana persona etiam cruenta disputatio.

b) Sacrosancta Tridentina Synodus in sessione praesertim sexta humanam personam de facto vindicavit.

c) Ipsa profunda ratio omnis socialis controversiae est in aptitudine, diversimode concepta, humanam personam inter et societatem.

d) Plures etiam huius temporis Catholici non bene perspectam habent rectam de persona doctrinam, unde fit ut quaedam concipiant asserant et doceant sub specie inopiae sublevandae, quae si logice procederent ad internecionem humanae libertatis et personalis dignitatis necessario pervenire deberent.

e) Bellum inductum et vulnus illatum ineunte decimosexto saeculo perdurant. Unde opportunum videtur ut quod tunc a Tridentino Concilio actum est, nunc a futuro Concilio apte et acriter perficiatur.

Revera Ecclesia aperit et claudit historiam.

III. Spiritualis et supernaturalis vitae christianae rationem, Iesu Crucifixo innixam, nostrae aetati fortiter proponere necesse est et hoc contra materialis vitae conceptionem ubique serpentem.

Declaratio propositionis

a) *Materiam,* industria sua intellectu et vi subiectam sibi, homines plures de facto adorant, ab eaque, quae pro eorum servitio a Creatore posita est, quasi criterium et ordinationem accipiunt.

Inde fit ut sensim sine sensu, etiam in populis catholicis et ope gubernantium catholicorum, quaedam inducantur quae contra rationem spiritus omnino censenda sunt.

b) Ratio modernitatis etiam inter catholicos talis effertur, quae poenitentiae necessitatem, et praxim negare debet, quasi non amplius insisterent humana debilitas, urgentia peccati reparandi et adhaesio Passioni Domini Nostri Iesu Christi.

c) Plures non desunt, qui — timore compulsi — christianam vitam vellent reducendo et emolliendo ita aptare, ut minus displiceat his qui se ad Evangelium vertunt vel qui nullam accipiunt crucem portare.

d) Corruptio ubique crescit, dum saepe deficit etiam apud iudices ipse moralitatis conceptus.

IV. Christianae fraternitatis omnimodae officia conveniens est declarare, in qua vera et unica socialis ratio insistit et extra quam nulla datur rerum socialium compositio.

Declaratio propositionis

a) Plures nostrae aetatis homines socialitatem ad sublevandas deterioris conditionis gentes ita concipiunt, quasi et tantummodo ea in technica et mechanica organizatione per acre discrimen consistat; non vero et imprimis in vera aptitudine spirituali, qua quis sentit se esse erga alios sicuti et ad semetipsum.

Iamvero socialitas unica est in evangelico praecepto « Ama proximum tuum sicut teipsum ».

Inde fit ut plures etiam catholici nominis ea moliantur, quae speciem quidem habent redemptionis pauperum et restitutionis iustitiae, dum de facto ipsam libertatem et dignitatem humanam una cum ipsa rerum materialium copia paulatim interimunt.

b) Cum apud plures clara non sit idea socialitatis, ea persaepe assumitur ad operiendam personalis lucri comparationem.

c) Socialitas sine aliquali contemptu rerum materialium existere nequit et nullus pauperibus et debilioribus inservit, nisi quodammodo et revera aliqua renunciaverit.

d) Declaratio ergo principii est magni momenti sive ad falsitates explodendas, sive ad aequivocationes vitandas, sive ut demonstretur populis summa aegestate affectis Evangelium non esse contra eorum meliorem conditionem humanam, dum pro eorum salute aeterna operam navat.

V. Quidam sunt errores vel propositiones errorem sapientes necnon et methodus qui sunt opportune condemnandi.

Declaratio propositionis

a) Sunt qui asserunt vel supponunt non esse in Fide christiana aptitudinem sufficientem ad rectum ordinem humanum promovendum, pace et iustorum bonorum copia praeditum. Ita fit ut velint hi alias, etiam materialisticas, ordinis rationes aptiores retinere.

b) Sunt qui quodammodo potestatem Ecclesiae de facto coarctant, quasi Ea nullatenus posset de rebus terrenis agere, de re morali et sociali docere, de omnibus actis humanis sub aspectu legis divinae observandae et peccati vitandi proprio iure iudicare.

c) Sunt qui in Ecclesia aliquam democratiam, nullatenus cum institutione Christi cohaerentem, inducere vellent.

d) Sunt qui ordini mere humano, nimia facilitate, possibilitatem perfectionis tribuere audent, quae cum doctrina de peccato originali et de gratia componi nequit.

d) Sunt tandem qui, quamvis errores respuant, tamen in re historica et scientifica de facto methodum sequantur, quae revera a principiis vel protestanticis, vel idealistis, vel existentialistis, vel freudianis, vel etiam positivistis omnino profluant.

VI. Aptior desideratur definitio circa competentiam et ius Ordinariorum locorum respectu religionum exemptarum, eo sensu quo cura fidelium omnino et semper pendat ab auctoritate eorumdem Ordinariorum.

Declaratio propositionis

a) Nullo modo agitur de deminutione quavis iuris exemptionis intra septa religiosae familiae. Etenim intra septa Religionis et Domus Religiosae omnino exemptio defendenda est. Per solam hanc exemptionem Religiones namque frui possunt unitate in extensione et rationalitate in multitudine. Praeterea per exemptionem Religiones plene ab unica Apostolica Sede dependent et ita fiunt praeclarissima subsidia romanae disciplinae defendendae, urgendae et promovendae. Sine exemptione Religiones non essent mirabile instrumentum eiusdem Apostolicae Sedis.

b) Tamen haec exemptio debet omnino reduci ad internam cuiusque religiosae familiae ordinationem, hoc est: ea omnia quae extra septa sunt

vel quae quomodocumque respiciunt curam fidelium, Episcopis subditorum, debent sub ductu eorumdem Episcoporum reduci, ne sint fideles subducti a disciplina et unitate Ecclesiarum.

c) Praeterea desideratur aptior definitio iuris Ordinariorum locorum circa bonum et ordinem publicum respectu Religiosorum extra septa quomodocumque extantium, ne ipsi possint se gerere extra unitatem disciplinae clericorum et laicorum.

✠ IOSEPHUS Card. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

99

EXC.MI P. D. PACIFICI M. A. PERANTONI
Episcopi Hieracensis-Locrensis (Gerace-Locri)

Prot. N. 1764/6 Locri, 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ad epistulam de qua agitur in numero supra descripto, breviter et humiliter aliqua vota, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, expono.

De doctrina dogmatica

Ut magis ac magis unitas omnium in Christo credentium obtineatur:

1. Clara expositio doctrinae de « mystico corpore Christi » eiusque unitate.

2. Expositio doctrinae de relatione inter ecclesiam et rem publicam. Principia solida et clara (non mens unius vel alterius sociologi aut theologi).

3. In dogmaticis veritatibus exponendis auferre quaestiones mere scholasticas quae respiciunt potius « mentem Medii Aevi » quam dogmata et revelationem.

4. Ab omnibus patribus concilii sollemniter damnare communistarum sectam et doctrinam atheam atque materialisticam.

5. Item: laicismum et existentialismum atheum.

6. Definitio dogmatica « de Mediatione universali B. M. V. ».

De theologia morali

1. Ad minimum reducere « censuras ». Summo Pontifici: Tantum gravissimae. Caeterae — si opus sit — ad singulas regiones conciliares.

2. Doctrina « de requiete festiva ». Pars principalis; auditio missae; instructio et aliquod opus misericordiae. De operibus servilibus (sub gravi?) prohibere tantum opera quae « ordinarie » in diebus ferialibus exsercentur.

3. Problemata moralia ad familiam, ad societatem hodiernam pertinentia.

4. Sacerdotibus apostatis ad eorum reditum et... cum stola prima... exsplanare viam.

5. De apostatis qui iam civile matrimonium attentarunt et ex iustitia filios alere tenentur (singulis casibus ad statum laicalem legitime et more christianorum reducere etiam quoad coelibatum).

6. De lege ieiunii: tantum in dies cinerum et in mortem Domini.

7. De lege abstinentiae: sub gravi?

8. Principia moralia « ad televisionem, cinematographum, effemerides et commentaria, choreas modernas, concursus — quos vocant —: di bellezza etc. pertinentia.

De disciplina ecclesiastica

1. Parochi sint amovibiles.

2. Vita communitaria cleri. Eam imponere iuvenibus sacerdotibus.

3. Antequam ad sacerdotium diaconi promoveantur saltem per annum in servitium pastorale in melioribus paroeciis mittantur ad experimentum etc.

4. Revisio totalis administrationis ecclesiasticae quoad beneficia et legata.

5. Omnes sacerdotes habeant honestum substentamentum et omnes partem aequalem reddituum (beneficiorum?) gaudeant.

6. Ab incepto primo cursu theologico obligentur nomen etc. dare institutis ecclesiasticis et providentialibus ad rem publicam pertinentibus (per la pensione nella vecchiaia e per le malattie).

7. Episcopi sacris Congregationibus romanis in minimis ne dependeant (ex. gr. binandi, trinandi, ab impedimentis matrimonialibus dispensandi etc.).

8. Visitatores apostolici — pro omnibus dioecesibus — statuantur. Non tantum pro datis casibus, sed ut ab ipso episcopo edocti sint de actuositate, de necessitatibus, de factionibus politicis et etiam de regione conciliare.

De liturgia

1. Revisio et simplificatio: pontificalis, caeremonialis episcoporum, ritualis (lingua vulgaris in administratione sacramentorum [excepta formula sacramentalis], et in exsequiis mortuorum adhibeatur).

2. A Breviario expungantur omnes fabulae quae ad veritatem vitarum sanctorum minime respiciunt.

3. Psalterium ad duas hebdomadas adaptetur.

4. Pars praecipua s. Scripturae detur, parum de sanctis. Singulae provinciae ecclesiasticae suos sanctos celebrent. Tota ecclesia sanctos apostolos, doctores, summos pontifices, et fundatores praecipuorum Ordinum religiosorum celebret.

5. Item circa missale. Preces in initio et post benedictionem in fine celebrationis omnino tollentur. Item omnia signa crucis post consecrationem, in canone. Gloria et Credo tantum in diebus dominicis.

Revisio omnium pericoparum evangelii.

De pastorali

1. De laicis in Ecclesia, de eorum apostolatu.

Interim ad osculum sacrae Purpurae provolutus, impensos animi sensus ex corde profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus servus

✠ Fr. Pacificus M. Perantoni, O.F.M.
Episcopus Hieracensis-Locrensis

100

Exc.mi P. D. HYACINTHI I. AMBROSI
Archiepiscopi Goritiensis et Gradiscani (Gorizia e Gradisca)

Prot. N. 1957/59 Gorizia, 15 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Le chiedo umilmente scusa se non sono arrivato in tempo a rispondere alla Sua veneratissima lettera, su emarginata, perchè non mi fu possibile nel frattempo radunare quei Sacerdoti che mi avrebbero potuto consigliare.

Invio, ora, alcune semplici proposte tralasciando quelle di maggior rilievo che senza dubbio saranno affrontate direttamente dalla Commissione Pontificia. Naturalmente Vostra Eminenza Rev.ma le prenderà in quella considerazione che meritano.

La prego, Eminenza Reverendissima, di gradire i miei umili ossequi, mentre con profonda venerazione mi inchino al bacio della S. Porpora.

Umilissimo
✠ Fr. Giacinto Ambrosi
Arcivescovo di Gorizia e Gradisca

1. Ex animo dolendum est quod non raro etiam inter Catholicos relativismus quidam circa ipsam veritatis notionem admittatur. Quapropter peropportunum, immo necessarium, ducimus, ut denuo et accuratius definiatur conceptus ipse veritatis naturalis et supernaturalis, quae, quamvis in se ipsa sit absolute immutabilis et aeterna, potest, subiective spectata, admittere aliquam evolutionem, eo quidem sensu, ut adaequatior cognitio seu interpretatio veritatis ipsius habeatur.

2. Ut sub ductu Episcoporum meliori modo activitates Catholicorum in propria natione et in societate internationali statuerentur, necessarium esse videtur, ut accuratius definiantur origo, natura et limites Episcopatus, et hoc etiam ad unionem Ecclesiarum faciliorem reddendam.

In dies maior apparet necessitas, ut Episcopis committantur plures facultates maiores, quae hucusque Sedi Apostolicae reservatae manent (Facultas dispensandi a nonnullis impedimentis matrimonialibus, a tempore feriato, a votis privatis; concessio licentiae bis vel ter Missas litandi; concessio licentiae legendi libros prohibitos; facultas reducendi onera fundationum; facultas absolvendi a nonnullis censuris etc.).

Necessitate exemptionis Regularibus concessae utique admissa, optamus ut accurate et clare determinentur iura Episcoporum in Regulares quoad curam animarum (quoad collationem paroeciarum, praedicationem, visitationem pastoralem, functiones etc.).

Omnia officia et beneficia ecclesiastica, inter fines dioecesanos, liberae sint collationis. Proinde Episcopis committatur ius conferendi beneficia, quae hucusque S. Sedi reservata sunt: Dignitates Capitulares (can. 396), nominatio parochorum (can. 455) etc. Pari modo revocentur privilegia electionis et postulationis (can. 148 seqq.) necnon ius patronatus (can. 1470).

3. Optandum est ut fusius explicetur caput doctrinae catholicae quod Presbyteratus Episcopatui subiectus sit.

Sacerdotibus, qui ob multiplicitatem varietatemque ministerii pastoralis in nimia distrahuntur, in mentem revocetur primatus functionis supernaturalis, quae ministerio sacerdotali inest.

4. Peropportunum erit, praecipue ad bonum spirituale nonnullarum regionum Christianitatis, ut profundius consideretur et pertractetur quaestio de ordinibus inferioribus, praesertim de diaconatu, et de eorumdem auxilio praestando Sacerdotibus.

5. Alte conclamato principio circa universalem Dei paternitatem in omnes populos nationesque, confirmetur damnatio cuiusvis formae exaggerati nationalismi et « razzismi » quem vocant, necnon cuiusvis formae discriminationis nationalis, razzialis et socialis.

Damnetur genocidium, immo etiam minoritatum nationalium iura affirmentur, quae ab omnibus servata, vinculum unionis et non arma hostilitatis evadant.

6. Ut ab omnibus Christifidelibus clare percipiatur maxima illa sollicitudo, quam Ecclesia Catholica habet in Regno Dei ad universum orbem terrarum diffundendo, normae et principia divina sapientia referta a Summis Pontificibus tam frequenter promulgata circa Missiones exteras in leges ecclesiasticas constituantur et codificentur.

Maximum momentum tribui deberet sententiae, quam S. Pontifex Pius XII in Encicl. *Fidei donum* alte proclamavit, nempe, Ecclesiam universalem et imprimis Sacerdotes et Episcopos responsabiles esse de sorte Missionum exterarum.

Dioeceses maiores, viribus haud expertes, sacrificium, et honorem, sibi assumere deberent mittendi personas idoneas omniaque necessaria in Missiones exteras, sibi quasi in adoptionem concreditas.

7. Optandum est ut a Suprema Ecclesiae Catholicae Auctoritate codificetur doctrina socialis S. Pontificum.

8. In clariorem lucem et perspicuitatem ponatur necessitas Actionis Catholicae et momentum laicorum catholicorum, qui sub ductu Hierarchiae ecclesiasticae activitates omnis generis explicare tenentur ad Regnum Dei propagandum sive in propria natione sive in universo orbe terrarum.

9. Submissa voce adprecare velimus Patres Conciliares ut attente considerare dignarentur conditionem infelicem et perniciosam Sacerdotum lapsorum quoad vinculum coelibatus.

10. Supplices rogamus ut in Concilio Oecumenico institutum paroeciale accuratius definiatur et Episcopis committatur ius et potestas restringendi et certis terminis circumscribendi praesumptas praerogativas Parochorum, qui, illas conclamando, impediunt uniformem ac concor-

dem activitatem pastoralem, eoque maioris efficacitatis, praesertim in civitatibus.

11. Conditiones locorum et personarum exigunt, ut instituatur recognitio et innovatio universi iuris beneficiarii (can. 1409 seqq.), ita ut emolumenta et remunerationes maiore aequitate Sacerdotibus adsignentur.

Systema beneficiale hodiernum admittit beneficia pinguia prope alia, quae valde miserabilia sunt, et hoc non raro in paroecia viciniore maioris momenti. Vel dantur casus ubi parochus quidam optimum habet beneficium, eius autem Vicarii Cooperatores, eiusdem aetatis, prorsus nullum.

Instaurari poterit administratio centralis dioecesana, cum munere dividendi proventus globales Sacerdotibus singulis, distinctis per categorias iuxta momentum officii, aetati, examinum, maioris vel minoris paroeciae.

Altero in systemate, admitti potest administratio beneficiorum, utpote in praesens viget, at imponere beneficiis ditioribus pensiones, quae remittendae essent Officio administrationis dioecesano, quod dein adintegrare deberet beneficia pauperiora.

12. Modo accuratiore definienda est natura paroeciarum, quae Regularibus committuntur, exclusa unione pleno iure.

13. Festa de praecepto modo uniformi, etiam quoad numerum, in universa Ecclesia Catholica observanda essent.

✠ Hyacinthus Ambrosi
Archiepiscopus Goritiensis et Gradiscanus

101

Exc.mi P. D. ALDI FORZONI

Episcopi Gravinensis et Montis Pelusii (Gravina e Irsina)

20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ad veneratam Tuam diei 18 iunii 1959 prot. N. 1 C/59-555 haec, postquam supplices ad Deum admovi preces ac consilium virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium invocavi, humili ac sincero animo exponenda iudicavi, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt:

1. De Communismi haeresi et hirenismi explicita condamna.
2. De Mariae SS. omnium gratiarum mediatricis dogmate definiendo.

3. De praxi materialista eradicanda necnon de sobrietate christiana, speciali modo a clericis et religiosis, observanda.
4. De cathechesi inculcanda.
5. De diaconis more primitivae Ecclesiae instituendis.
6. De concelebratione concedenda ubi multi sacerdotes simul conveniunt.
7. Re re liturgica disciplinanda.
8. De exemptione religiosorum et religiosarum delimitanda.
9. De praecepto s. Communionis Paschatis tempore ad totum annum extendendo.
10. De praecepto festivo revisendo et de distinctione inter artes liberales et opera servilia abolenda.
11. De festis de praecepto supprimendis in die Dominico non incidentibus.
12. De Missionibus adiuvandis.
13. De P. O. A. a consilio Episcoporum regenda.
14. De parvis dioecesibus eliminandis et de finibus aliarum rectificandis.
15. De poenis adaugendis in immoralitatis fautores.
16. De apostolatus laicorum disciplina et harmonia.
17. De apostatis recuperandis.
18. De habitu ecclesiastico pro utroque sexu admodernando.
19. De beneficiorum ecclesiasticorum legislatione reformanda.
20. De disciplina poenitentiali reformanda.

Ad osculum s. Purpurae provolutus, me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
dev.mum
✠ ALDUS FORZONI
Episcopus Gravinensis et Montis Pelusii

102

EXC.MI P. D. PAULI GALEAZZI
Episcopi Grossetani (Grosseto)

Grosseti, Kal. septembris 1959

Dioecesana Commissio Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico ab Exc.mo ac Rev.mo Paulo Galeazzi, Episcopo Grossetano instituta, humiliter unanimiterque quoad doctrinam et disciplinam Cleri et populi christiani, haec vota proponit:

1. Ut definiatur dogma, quae est doctrina fere communis, de Beatissima Virgine Maria, omnium gratiarum mediatrice.

2. Ut disciplina una statuatur circa exclusionem a Sacramentis et Sacramentalibus omnium eorum qui doctrinam Communistarum actu sequantur.

3. Ne clerici qui nunc de usu vestium talarium gaudent ex traditione locorum eam amittant ad arbitrium singulorum.

4. Ut provideatur lege ne Sacramenta et Sacramentalia laicis, praecipue mulieribus, quae vestibus non utantur quae deceant, ministrentur; iis interdicatur etiam in Ecclesias ingressus.

5. Denique in votis praecipue est ut provideatur omnino catholicis populis, praesertim ad erudiendam efformandamque iuventutem tamquam media salutis, contra quaedam transmissiva, quae radio-televisiva appellantur.

Haec dioecesana Commissio interim Deum rogat ut omnes errantes ad unitatem Ecclesiae revocare et infideles universos ad Evangelii lumen perducere dignetur. (Can. O. Donosini, Can. S. Cardarelli, Can. A. Tacconi, Can. A. Pellegrini).

✠ PAULUS GALEAZZI
Episcopus Delegatus Apostolicus

Rogo praeterea Patres Concilii ut terminos uniuscuiusque dioeceseos revideant et definiant.

✠ PAULUS GALEAZZI
Episcopus Grossetanus

103

EXC.MI P. D. BENIAMINI UBALDI
Episcopi Eugubini (Gubbio)

Eugubii, 29 augusti 1959

IN RE DOGMATICA

1. Qualificatio theologica, si non definitio, doctrinae de mediatione universali B. M. V.

2. Qualificatio theologica, si non definitio, doctrinae de Regalitate D. N. I. C.

3. Expositio authentica doctrinae de Corpore mystico D. N. I. C.

4. Expositio authentica doctrinae de relationibus inter Ecclesiam et Statum.

5. *Errores damnandi*: Marxismus materialisticus et atheus — Laicismus (distinguendus equidem a Laicismo quem vocabat *sanum* Pius XII f. r.) et existentialismus atheus.

In re morali

1. Doctrina authentica:

a) circa liceitatem usus systematis Ogino-Knaus;

b) circa moralitatem professionalem et vitae publicae;

c) Consideratis periculis derivantibus a spectaculis cinematographicis et televisificis, promovenda videretur creatio cuiusdam organismi universalis et internationalis pro productione taeniolarum (films) quae eximia arte praestent morumque commendatione et quarum visio non ad perniciem sed ad hominum salutem et beneficium, una cum honesta delectatione, conferat. Ad hoc expensae, quippe ingentissimae, sustinendae essent a catholicis totius mundi.

2. *Errores damnandi*: Relativismus moralis seu moralitas situationis.

In re sociali

a) Expositio synthetica doctrinae socialis Ecclesiae;

b) Speciatim praecisationes circa syndicalismum et operistitium (sciopero), nec non circa ius populi designandi subiectum supremae Auctoritatis socialis, seu circa modernum systema democraticum.

c) Declarationes authenticae circa libertatem ut hodie concipitur a quibusdam partibus politicis, etiam inspirationis christianae, et quomodo concilietur cum damnatione Liberalismi quae in Syllabo continetur.

d) Declarationes authenticae circa ius proprietatis privatae. An sustineri possit ius istud non esse a lege naturali, saltem primaria, et an, quando et quibus condicionibus societas possit hoc ius individuo auferre vel limitare.

In re disciplinari

a) Reformandum videretur privilegium exemptionis quo gaudent Regulares, eo sensu quod, postulante necessitate et posita idoneitate subiecti, Episcopus uti possit Religiosis pro officiis Dioeceseos, etiam paroecialibus, quin Superior se opponat, firma remanente subiectione

subditorum eidem Superiori Regulari quoad leges interni regiminis, non incompossibiles cum exigentiis officii ab Episcopo commissi.

b) In quibusdam paroeciis ruralibus, ubi residentia physica continua, iudicio Ordinarii loci, necessaria non videtur, immo non sine periculis pro parochis praesertim iuvenibus ob solitudinem et otium per integram hebdomadam protractum, singuli titulares congregandi essent in aliqua domo presbyterali, ubi sub paterna vigilantia Vicarii foranei vel alius sacerdotis moribus et aetate gravis, vitam communem aliquo modo degant, saltem ad officium divinum collegialiter recitandum et ad ea pietatis opera quotidie explenda de quibus in can. 125, 2°, scilicet, orationem mentalem, visitationem Sanctissimi Sacramenti, rosarium marialem, examen conscientiae.

In omnibus Dominicis et festis de praecepto et etiam infra hebdomadam, quando opus sit, unusquisque propriam paroeciam petet ad omnia paroecialia officia obeunda.

c) In Italia ubi Actio Catholica, ob peculiares circumstantias, per fas vel nefas penes plurimos cum parte politica cui nomen « Democratia christiana » confusa manet, videretur mutandum ipsum nomen, quod hosticum evasit tamquam felle politico imbutum. Unde fit quod si parochus convocat suos fideles ad periodicos congressus distinctos per categorias (pueros, homines, mulieres, iuvenes, puellas) omnes conveniunt et audiunt pastorales instructiones. Si convocat inscriptos Actioni catholicae, pauci adveniunt et plurimi foris manent.

Eligat igitur Parochus aliquot magis idoneos tamquam *cooperatores* vel *collaboratores* paroeciales. Item Episcopus eligat *cooperatores* vel *collaboratores* dioecesanos, quibus parochus vel Episcopus uti possit ad id quod hodie faciunt membra varia Actionis catholicae. Haec erit Actio Catholica, si non de nomine, de facto.

Forsan opportunum erit abolere etiam *tesseram,* dando singulis cooperatoribus vel collaboratoribus aliquod Diploma benemerentiae quod ipsos alliciat ad intensiorem collaborationem etc.

Pro pueris, quibus aliquid externi necessarium esse potest, fiet ad instar adsociationis « Crociatini dell'Eucaristia » quam Patres Societatis Iesu instituerunt et iam in pluribus Dioecesibus floret.

In re administrativa

In administratione bonorum ecclesiasticorum, etiam beneficialium, presertim ubi bona beneficialia consistunt in praediis pro quibus necessario exurgunt relationes, hodie ita complexae precariae et odiosae, inter colonum (ut plurimum *mezzadro*) et herum, partes maiores, si non

exclusivae, laicis committendae essent, sub vigilantia sollerti Episcopi et Consilii Administrationis, de quo in Can. 1520.

Verum est diversas esse conditiones inter ipsas Dioeceses italicas, quin dicam de exteris nationibus; at mihi videtur discedendum non esse, quaecumque sint situationes historicae et locales, a principio proclamato ab Apostolis; « non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis » (*Act.* VI, 2). Qui proinde elegerunt Diaconos, viros boni testimonii et plenos Spiritu Sancto, eosque constituerunt *super hoc opus* (*ibid.* 4). *Opus* illius temporis erant mensae, cura viduarum etc.: *Opus* nostri temporis erunt munera omnia administrativi generis; quorum exercitium, saltem immediatum, relinquendum videretur laicis *boni testimonii et plenis Spiritu Sancto.* Qui facile, hodie, reperiri poterunt penes illa Instituta saecularia orta iam vel oritura, quibus nomen et opera dant homines qui consilia evangelica sponte observant, etiam per vota.

Si reditus bonorum temporalium uniuscuiusque Dioeceseos in unicam administrationem cumularentur et per nova tecnica inventa augerentur, facilior evadere posset etiam quaedam peraequatio, ita auspicata, inter beneficiatos, quia ex cumulo redituum sumerentur retributiones et stipendia solvenda omnibus sacerdotibus dioecesanis, iuxta importantiam, exigentias etc. officii ipsis commissi.

✠ BENIAMINUS UBALDI
Episcopus Eugubinus

104

EXC.MI P. D. IOANNIS B. PARDINI
Episcopi Aesini (Iesi)

I - Dioeceses magis parvae uniantur saltem « ad personam » ut personis et mediis ad munera pastoralia explenda necessariis suppeditentur.

II - Ordinario tribuatur facultas illos promovendi ad officium parochorum quos magis idoneos existimaverit sine concursu; omnes Parochos esse amovibiles necessarium videtur; Ordinarius, si opus sit, Parochorum Consultorum consilio utatur.

III - In votis est ut « ex iure habitualiter » facultates tribuantur Episcopis residentibus quae « ad quinquennium » tantum a Sacra Concistoriali Congregatione nunc conceduntur. Exoptatur ut Italicis Ordinariis eaedem facultates tribuantur quae Ordinariis aliarum nationum.

IV - Consilio administrationis in Dioecesi constituto, cui ipsemet Ordinarius praeest, videntur ampliores facultates tribuendae; nam et Praefectus provinciarum ampliore potestate fruuntur.

V - Perutile existimatur ad incrementum « vitae pastoralis », ut ita vocant, ut exemptio Religiosorum ab iurisdictione Ordinarii sic temperetur ut Religiosos omnes actu in Dioecesi exsistentes Ordinarius moderetur, quod ad exercitium sacri ministerii in commodum fidelium attinet; praesertim cum necessitas oriatur munera eis tribuendi in Actione Catholica, in re sociali, in catechetica institutione et in officiis « vitae pastoralis » exercendis. Quae moratio ita tamen sentitur ut nihil adversetur disciplinae et Regulis Religiosorum.

VI - Provinciae ecclesiasticae nunc exsistentes ita amplientur ut cum « Conferentiis Episcopalibus » adaequentur et simul earum praesidibus tribuantur officia et iura metropolitarum pro nunc exsistentium.

VII - Sed cum maxima gentium nostrarum calamitas sit ignorantia rerum religiosarum, opus est ut Concilium media apta et efficacia ad fideles doctrina imbuendos excogitet.

VIII - Maneat Episcopis residentibus obligatio visitationis « ad limina » modis nunc vigentibus perficiendae; tamen utilius videtur ad bonum Dioecesis ut Officialis Sacrae Congregationis Concistorialis saltem decimo quoque anno visitationem peragat ad recognitionem in loco faciendam rerum dioecesarum maioris momenti. Quae recognitio Sanctam Sedem aptius edocebit statum Ecclesiarum et difficultates; vitabit quandoque damna irreparabilia. Praeterea Officialis inspector consilia et rationes, magis uniformia in singulis regionibus, praebebit a Sancta Sede rite suggesta.

Sic minuentur Visitatorum Apostolicorum extraordinariae inspectiones quae saepe admirationem in clero et in populo movent. Quae admiratio necessario Episcopo et Dioecesi incommoda est. Visitatio generalis et periodica hanc admirationem et alia incommoda amovebit.

Parvitas Dioecesis cui praesum et mea incompetentia obstant quominus alias emendationes et consilia maioris momenti suggeram.

Nec audeo de re doctrinali interloqui: nam ad haec ineptus sum; alii haud dubie copiose de hac re disserent.

✠ Ioannes B. Pardini
Episcopus Aesinus

105

Exc.mi P. D. IOANNIS PIRASTRU
Episcopi Ecclesiensis (Iglesias)

Ecclesiis, die 18 decembris 1959

Eminentissime Domine,

Concilii Oecumenici momento ac rerum in eodem pertractandarum gravitate, plus temporis mihi opus fuit quam credideram ad responsum Eminentiae Tuae Ill.mae ac Rev.mae reddendum.

Necesse enim duxi consilia exquirere tum Rev.mi Capituli Ecclesiae Cathedralis tum Vicariorum foraneorum, dato eisdem sufficienti temporis spatio ad quaestiones perpendendas.

Fateor in re tanti momenti haud facile esse vota, consilia, animadversiones suggerere, nisi sat ampla praesentium temporum habeatur cognitio; pro mea ideo modica rerum notitia, quae sequuntur humiliter propono.

1. *Quoad disciplinam*

Novo examini subiicienda videtur Religiosorum ab Episcopis exemptio, utpote quae his temporibus haud raro bono animarum minime prosit, in his praesertim Dioecesibus quae saeculari Clero indigent.

Unio Episcoporum eiusdem regionis vel nationis in rebus fidem vel mores respicientibus firmior reddenda videtur, ut fortior evadat actio communis sive ad bonum evulgandum sive ad malum arcendum; haec autem unio extendenda videtur etiam ad maius auxilium praestandum dioecesibus Clero indigentibus, concessis eisdem ad tempus sacerdotibus aliarum dioecesium.

Etiam Capitula Cathedralia vel collegiata, parochi, clericorum vita comunis, Episcoporum relationes cum Sacris Romanis Congregationibus, Seminaria ac clericorum ad vitam apostolicam huic nostrae aetati consentanea praeparatio, argumenta non inutiliter tractanda videntur, cum multa sint his temporibus mutata.

Solemnis autem sacri ecclesiastici caelibatus confirmatio, sacerdotii catholici fulgidissimi ornamenti, peropportuna videtur.

2. *Quoad fidem*

In hac re supereminet fidelium religiosa instructio, circa quam nova videntur danda parochis et fidelibus normae ac praecepta.

Ad fidem etiam pertinet eiusdem defensio, cum innumeris fere

modis oppugnetur. Inter ea autem quae magis hac nostra aetate fidei opponuntur ponenda videntur principia quaedam erroribus diversis communia, quae uno nomine « laicismus » vocari possunt.

Contra haec, quae sit, iure divino, Ecclesiae potestas, quae cum gubernio civili relationes, quae in rebus omnibus fidem vel mores respicientibus eiusdem auctoritas declarandum videtur.

Denique inter alia plurima quae circa fidem tractari possunt videtur confirmandum Ecclesiam Romanam veram esse Christi Ecclesiam, eamdemque omnium semper esse matrem, omnesque velle ad se adducere ut, facto uno ovili sub Christo Pastore, bonis Christi gaudeant, atque ut hoc melius intelligatur ea praecipue doctrinae catholicae capita innuenda videntur quae magis hominum huius temporis intersunt, v. g. humana dignitas, libertas, fraternitas, praecipua iura personae humanae, etc.

Velit, precor, Eminentia Tua haec pauca excipere quae libera ac Ecclesiae devota mente exposui, et pro mora in responso reddendo benigne veniam dare.

Laetus interim oblata occasione Sacram Purpuram deosculor atque me profiteor

Eminentiae Tuae Ill.mae ac Rev.mae
addictissimum

✠ IOANNES PIRASTRU
Episcopus Ecclesiensis

106

EXC.MI P. D. BENIGNI CARRARA
Episcopi Imolensis (Imola)

Beatissime Pater,

Pro Concilio Oecumenico sententiam votaque rogatus, umiliter ac breviter quae sequuntur exprimo:

1. *Quod ad dogmata definienda attinet*: optimum dicunt ut dogmata definire:

a) omnium gratiarum mediatricem inter Deum et homines Mariam esse;

b) Christum eiusque Matrem regali dignitate potiri;

Ad primum dico: B. Mariae Virginis mediatricis doctrinam rite expositam atque recte intellectam nostrae S. Fidei veritatem esse nemo

non scit; attamen in dubium mihi venit an huiusmodi dogma tempestivum atque aptum sit ad unum potissimum ex Concilii votis consequendum, quod est, nisi fallor, ad Ecclesiam Christianorum fratrum seiunctorum aditus.

Ad secundum: censeo regalem Christi eiusque Matris dignitatem non tantum dogma, quantum theologicam conclusionem ex aliis veritatibus derivatam existimandam; v. gr. Christi Redemptoris divinitate; Ss.mae Virginis divina Maternitate.

2. *Quod ad doctrinas tractandas attinet* optimum duco:

a) iura officiaque inter Ecclesiam et Rem Publicam in lucem adducere nostra aetate tam iniusta et perturbanda contra Ecclesiae iura;

b) sociali Ecclesiae doctrinae, quam Summorum Pontificum encyclicae optime explicaverunt accentum ita apponere, ut quae a Catholicae Fidei adversariis, in primis communistis ac laicistis obici possint contra Rem Publicam et Ecclesiam, alteram clericalismi ream, alteram capitalismi et liberalismi partes tutantem, societatis incrementis adversam, false habitam, facilius occupantur;

c) damnatorium iudicium in communismum materialistam atque atheum certis et gravibus verbis definire, cuius non solum error, sed etiam modus pervulgandi in populum (odium quod dicitur classis, etc.) damnandus est, cum sollicita ac benevola incitamenta ut errantes redeant, neque offendatur, praemissa sint;

d) quae sint libertas, mores, lex naturalis, aeterna atque immutabilis, apertis verbis declarare, ac simul funestum originalis culpae factum, cuius vulnus omnes afficit. Quam ob rem redarguendi sunt naturalismus et relativismus ille moralis (ethica situationis), qui in dies percrebrescunt. Pauci quidem sunt qui originalis colpae dogma grave putent et credant, ideoque concupiscentias timeant.

Ut quae sensibus apparent vera, ita placent vel iuvant bona existimantur. His rationibus ethicus ille ordo ruit, qui homines a beluis seiungit. Proinde quantum vigeat aetate quoque nostra doctrina moralis et ascetica catholicae religionis optime proferatur;

e) gravitatem momentumque contra catholicos mores vehiculorum theoricae ac practicae immoralitatis definire, ex. g.: libidinosarum nuditatum, turpium libellorum, protervarum cinematographi pellicularum, et teletransmissionum, corporis periculosarum exercitationum (pugilati, etc.);

f) de familia christiana doctrinam perclare exponere: quomodo praeparanda, constituenda, sanctificanda (de matrimonii sacramento sectio magni momenti erit):

1) de unitate: una ethica matrimonialis et viro et uxori contra plurimas libidinis insidias atque artificialem foecundationem;

2) de indissolubilitate: contra iteratos divortii conatus;

3) de procreatione: contra fraudes onanisticas;

4) de congruentiis inter canonicas et civiles leges. Quae omnia perurgent.

3. *Quod ad clericorum disciplinam attinet* optima mihi videntur haec:

a) saepe loqui de parochorum amovibilitate auditur; quamquam periculosa res est, attamen, antiquo iure vel ex parte reformato, tractanda atque solvenda est;

b) Clericis opportuna alimenta praestentur, sed quae quaestionis explicatio optima videtur? Per gradus stipendia distribuere; quibus pecuniae redditibus? Utatur res publica, ut velit, ecclesiasticis beneficiis, dum decora subsidia clericis solvat? Periculosa res est. Unica dioecesana administratione, vel paucis administrationibus in variis dioecesis zonis constitutis, ex quibus stipendia parochi excipiant, beneficia gerere? Quod ab illis qui iam pridem conati sunt perdifficile habetur. Quid ergo? Estne auxiliis a fidelibus large donatis sacerdotibus de animarum bono sollicitis sperandum, Providentiae divinae fisi? Attamen, nulla mora interposita, vel senescentibus et infirmis clericis providendum est;

c) iunioribus ex clericis consulere res magni momenti est. Spero fore ut aedificentur aedes ad clericalem domicilium aptae apud frequentissimas dioeceseos zonas: clerici in circumiacentibus paroeciis divinum cultum praestent, quibus moderator ingenti ac probi spiritus, rei pastoralis peritus praesit;

d) nonne utile est Diaconos ministerium apud paroecias populo frequentes antequam presbyteratum susceperint ad annum explere, ad eorum vocationem diligentius probandam?

d) Clerici in ordinem sanctioris vitae redigantur ut a periculis huius temporis tueantur, quae mentis animique aberrationes minantur, divinorum ministeriorum memores quibus et magistri et moderatores et mediatores sunt, in sacra pie conficiendo ac ministrando, in recte iudicando, in peccatores paterne absolvendo, in infirmos visitando, in heresim illam actionis damnando, quae tam periculosa animarum curae et sacerdotum virtutibus exstat;

e) Cleri pietas et pastoralis sollicitudo clarius nostris quam peractis temporibus patet; sed magna insidiarum copia sacerdotum moribus non latet, immo in dies percrebrescit;

f) Optimum est mutuum illum adiumentum, quod, ut vere dicam,

multis in locis inter clericos regulares et dioecesanos patet. Omnes religiosi, sine discrimine, qui in pubblicis templis operam divino cultui dant, ac fidelibus pastoralem curam apud paroecias praestant, his servitiis, vel ex suorum moderatorum consensu, et destinentur a loci Ordinario, et auctoritati Ordinarii vel parochorum obnoxii sint;

g) Laicorum qui ad Religiosam Congregationem, vel Institutum saecularem nomina dederunt, si studiosi Ss. Minorum Ordinum sint, cum diu ostenderint pietatem firmam ac sinceram, animi expleantur et propterea canones promulgentur;

h) Quod ad laicos qui in Ecclesia Dei una cum sacerdotibus se impendunt vel in apostolica opera vel in beneficiorum administrationes, nonne apta est nonnullis quoque ex ipsis dignitas quasi religiosa?

4. *Quod ad S. Liturgiam pertinet*:

a) brevientur et expediantur aliquot caerimoniae, e. g. sacrarum aedium, altarium, campanarum consecrationes, etc.;

b) statuatur *unicum* directorium ut fideles pie et studiose ad Missarum sollemnia et ad omnia quae ad divinum cultum pertinent, adsistant, idoneis praecibus ad libitum permissis.

5. *Quod ad catechisticam instructionem pertinet*:

a) commodus est unicus liber patrius in catechisticam disciplinam editus, aperte ac tenue exaratus, interrogationibus responsisque memoriae mandandis extructus, brevis et pictus et praecipua continens impuberibus; fusus et perfectus, gesta ac parabolas singulis capitibus praebens ad mentes aedificandas et veritates explicandas puberibus. Methodi autem novae catechistarum mentibus magis quam libris insint.

6. *Quod ad Ecclesiae praecepta attinet*:

a) Festum sanctificandi mandatum, ad sacra adsistendo, diem feriatum observando, catechisticam disciplinam omnibus discendo sollemniter proclametur;

b) Ieiunii conditiones et a carnibus abstinentia restinguantur et, praecepto sublato, reducantur tamquam pia christianae mortificationis exercitia ne peccata multiplicentur.

Ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, me profiteor

humillimus et devotissimus
✠ BENIGNUS CARRARA
Episcopus Imolensis

107

EXC.MI P. D. ANTONII CECE

Episcopi Isclani (Ischia)

24 aprile 1960

Eccellenza,

Le accludo i voti per il Concilio Vaticano Secondo, richiestimi con Venerato foglio — Prot. n. 1 C/59-626 bis, del 21 marzo 1950.

Devoti ossequi.

✠ ANTONIO CECE
Vescovo di Ischia

Ecclesia Isclana, quae plausu ingenti nuntium accepit de Concilio Vaticano Secundo, orationibus comitatur et ominibus operam et studium Augusti Pontificis Ioannis XXIII ad unitatem componendam fovendamque, haec vota humillime expostulans.

In rebus fidei et morum

a) Accuratior exquisitio et declaratio de infallibilitate Magisterii *quoad facta dogmatica,* praesertim circa ea quae ad rationem civilem et disciplinam populorum spectant; eo vel magis quod factio quae materialismo dialectico et historico innititur, universitatem spiritus infitiatur.

b) De sacerdotio laicorum.

Circa disciplinam

a) Ita coordinetur Religiosorum disciplina ut, in unaquaque dioecesi, salva canonica exemptione, maiori elasticitate polleat unus sacerdotalis ordo.

b) Circa inamovibilitatem beneficiorum, Ordinarius, salvis vitae necessitatibus, maiori gaudeat apostolica libertate in mutationibus gerendis.

c) In negotiis communibus et in dispensationibus quae, nunc temporis, Sancta Sedes concedere solet, maiori autonomia donentur Ordinarii, Romam, de more, missis taxationibus et actis.

✠ ANTONIUS CECE
Episcopus Isclanus

108

Exc.mi P. D. IOANNIS LUCATO

Episcopi Aeserniensis et Venafrani (Isernia e Venafro)

Aeserniae, Kalendis semptembris A. D. 1959

Beatissime Pater,

Confidere mihi liceat, in osculo S. Pedis provoluto, infallibili iudicio Sanctitatis Tuae argumenta aliquot proponere, quae — mea sententia — studii materiam efficere poterunt in proximo Concilio Oecumenico, et — quatenus utilia videantur ad bonum animarum promovendum in orbe terrarum catholico — in magisterium et ministerium Ecclesiae Sanctae Dei induci.

A) De parte doctrinali

1. Obnixe animum suum homines intendunt ad fontes divitiarum sibi unice comparandas, et — ut securius prospere procedant — in unum implicant gentes dissimiles, non tantum temporalia invadentes, sed spiritualia quoque.

Hinc necessitas incumbit amplius explicandi doctrinam Corporis Mystici, ut fideles magis atque magis, in fide, in doctrina morali et in caritate copulentur.

2. Effatum illud « Date ergo Deo quae sunt Dei et Caesari quae sunt Caesaris » minime in sua notione concipitur, quinimmo ad hoc spectant homines ut divinum humanum reddant, ad suum commodum unice reducentes.

Cum autem Dei et Ecclesiae inimici sint iidem ac inimici hominis atque christianae urbanitatis, exinde evenit confusio magna idearum inter religiosum et humanum, necnon difficultas magna pro Clero quoad ministerium salutis animarum.

Hinc necessitas clarioris et magis perspicuae distinctionis relationum inter Ecclesiam et Rempublicam quoad ea quae hisce temporibus contingere plerumque solent.

3. Dei nutu et imperscrutabili Eius arbitrio SS. Virgo Maria pars princeps effecta est fidei nostrae catholicae.

Quapropter exurgit in nobis firmum atque ardens votum ut quam primum perveniatur ad dogmaticam definitionem Eius mediationis, ut Auxiliatricis Universalis, ad Eam assignantes verba ipsa a Deo prolata

de Eva: « Faciamus ei adiutorium simile sibi » (*Gen.* II, 18). — Ita, vero, verba S. Pauli: « Unus est Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus » (*I Tim.* II, 5) minime a sua significatione detorquentur; similiter verba Iesu: « Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me » (*Io.* 44, 6), in quibus est natura et ratio ipsa mediationis Divini Redemptoris.

4. *De erroribus.* Opinio mea est summe utilem esse praecisationem maiorem nequissimae fallaciae *Communismi athei,* et aberrationum humanarum quoad « Deismum », ut — verbi gratia — terrenismi, existentialismi, neo-modernismi.

5. *Pro parte morali.* Non amplius sentitur vis morum et honestatis; sensus — ut ita dicam — peccati magis in dies amittitur.

Congruum igitur erit condemnatione afficere relativismum moralem, maiori cum claritate exponere rem moralem familiae, generis et vitae socialis, in lucem restituendo pericula magna ludorum modernorum (vulgo: cinema, radio, televisione, sport, stampa, ritrovi promiscui...). In luce posita, autem parte negativa ludorum praedictorum, eminere oportebit — e contra — vim realem et asceticam moralis christianae.

6. *Pro parte sociali.* Optabile esset praecisare sinthetice doctrinam socialem Ecclesiae Catholicae et omnium quae ad vitam socialem spectant.

B) De re disciplinari

1. Civitas moderna pericula spiritualia auxit in dies Sacerdotibus.

Necesse igitur esset — meo iudicio — officium obligans eis imponere ut exercitationibus spiritualibus *quotannis* vacent, et non tantum quarto quoque anno. Exercitationes quae vulgo « di aggiornamento » nunc temporis frequenter habentur, aequiparari poterunt, ad rem, exercitiis spiritualibus.

2. Similiter necesse erit obligatione adducere, per annos quinque insequentes, omnes neo-sacerdotes per triginta dies spiritualitatis interiectos exercitationibus pastoralibus vacandi.

3. Ita — vero — consequentiae quae deplorantur, quaeque exurgunt a maximo discrimine inter vitam regularem et disciplinam exercitatam in Seminario, et vitam omnino liberam ministerii pastoralis valde minuerentur, et sacerdotes melius confirmaturi essent vitam suam spiritualem eorumque eruditionem.

4. Si Episcopo personaliter incumbit cura animarum omnium totius Dioecesis sibi concreditae, necesse quoque est eius officium expediri.

Inamovibilitas — tamen — parochorum debilitat summopere gu-

bernationem Dioecesis, dum, e contra, fragilitas humana plerumque inducit parochos ad desidiam. Quapropter, quamvis confirmatio qualiscumque decet parochorum firmitati, utpote principio diligentia atque quietis, opus mihi videtur ut amoveatur inamovibilitas quae huius temporis est, utpote principium tantae tabis pastoralis et consequentis paralysis vitae spiritualis in populo fideli.

Satis esset — modico iudicio meo — simplex processus privatus Episcopi, cum probationibus obsignatis praesbyterorum duorum Dioecesis haud dubiis.

5. Hoc fieri decet ut magis adumbrentur atque explicentur relationes inter Episcopos et S. Romanas Congregationes.

6. Similiter ulteriori explicatione opus esset relationum inter Clerum saecularem et regularem in quacumque Dioecesi, praesertim in iis quae ad necessitates pastorales spectant.

7. Saepe atque saepe controversiae habentur de inequalitate sacerdotum inter Dioecesim et Dioecesim. Minime mihi videtur tanti momenti esse quaestionem, quae titulum Ordinationis Sacerdotalis incidere possit, cum — temporibus praesentibus — omnes fere Dioeceses comparate penuria sacerdotum plus minusve laborent.

8. In omnium expectatione est emendatio administrationis beneficiorum.

9. Anxie omnes expectant plus aequas provisiones pro decenti atque honesto subsidio clericorum, praesertim in infirmitatibus et senectute.

10. Perniciosum mihi videtur, praesentibus temporibus, quoad vitam et exercitationes pastorales, ubicatio paroeciarum extra-dioecesanarum in territorio alterius Dioecesis, quae propterea videntur tamquam insula in medio mari, et quidem alieno.

C) De liturgia

1. Decet, meo consilio, in maiorem simplicitatem redigere tum Pontificale et Coeremoniale Episcoporum, tum Rituale et Breviarium.

2. Quamvis necessarium semper videatur a consuetudine non discedere quoad morem latini sermonis servandi in ecclesiastica liturgia, utpote magis consentaneum ad unitatem Fidei et Ecclesiae exprimendam, minime dedecebit — ad maiorem aedificationem fidelium promovendam — sermone vulgari et vernaculo uti in Sacramentorum administratione.

D) De re pastorali

1. In votis est ut magis magisque clarificetur laicorum status in Ecclesia eorumque apostolatus.

2. Similiter in votis est, pro finibus Actionis Catholicae, eius iura, officia et facultates magis atque melius constituere et sancire, praesertim quoad eius proprietates spirituales, ad maiorem simplicitatem redigendo eius structurae genus.

3. Quomodo, denique, evangelizandae sint hisce temporibus gentes, et quomodo erudienda sit iuventus in religione; en quaestio maximi momenti!

Nonne oporteret duo distincta tempora constituere, ita ut maximae aeternae saltem in parte firmentur in teneris animis parvulorum: alterum ante Primam Communionem (a 7 ad 9 annos), alterum — vero — ante Confirmationem (a 10 ad duodecimum annum expletum)?

His praemissis, eminentissimus consessus qui Concilio Oecumenico — providentissimi Dei consilio — interfuerit, bene studere, explicare et in luce certa definire sataget haec et alia argumenta, ad maiorem Regni Christi propagationem, Deique gloriam necnon Ecclesiae Eius Sanctae.

In osculos S. Pedis provolutum me profiteor

Sanctitatis Tuae
addictissimum famulum

✠ Ioannes Lucato, S. d. B.
Episcopus Aeserniensis et Venafranus

109

Exc.mi P. D. PAULI ROSTAGNO
Episcopi Eporediensis (Ivrea)

Eporediae, die 18 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Ad quaesita in litteris istius Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, datis die 18 iunii 1959 (Prot. n. 1 C/59-632), secundum conscientiam Nostram respondendum censemus:

Pro omnibus rebus, pertinentibus ad doctrinam, disciplinam etc.,

libenter Nos remittimus ad statuta et decisiones Sacrarum Congregationum, et praesertim futuri S. Concilii Oecumenici.

Humiliter tamen in Domino rogamus:

1. Ut Episcopis concedatur facultas declarandi amovibiles Parochos in sua quaque Dioecesi, etiam « ad tempus » tantum, vel etiam cum aliqua limitatione, ex. gr. si agatur de parvis paroeciis vel sitis in montanis.

2. Ut Cappellanis nosocomiorum facultas tribuatur Sacramentum Confirmationis administrandi more Parochorum, ad normam Decreti « Spiritus Sancti Munera ».

3. Ut abrogetur ius patronatus, quod est fere semper causa gravium discordiarum inter familias et incolas eiusdem Paroeciae, et quia hodie Patroni aegre adigi possunt ad officia sua implenda.

Ex corde profitemur Eminentiae Vestrae.

addictissimus

✠ PAULUS ROSTAGNO

Episcopus Eporediensis

110

EXC.MI P. D. BENIGNI L. MIGLIORINI

Archiepiscopi Lancianensis, Ep. Ortonensis (Lanciano e Ortona)

Auxani (Lanciano-Chieti), die 27 augusti 1959

A) CAPITA DOCTRINAE

1. *Methodologia theologica.* Omnibus notum est hodiernos tractatus theologiae exaratos esse impulsu polemico contra haereticos omnium saeculorum, praesertim Reformatorum saeculi decimi sexti. Unde fit ut methodus, quae adhibetur in doctrina theologica tradenda, saepe immoretur in quaestionibus, nunc omni momento destitutis, cum praeiudicio clarae intelligentiae doctrinae fidei. Pariter notum est actualem ordinationem scientiae sacrae esse ad mentem S. Thomae ita, ut non raro a Thomistis strictioris observantiae aequalitas (identità) ponatur inter revelationem divinam et eorum elucubrationes.

Quapropter optamus: *a)* Ut tota scientia theologica, praesertim dogmatica, pertractetur methodo magis expositiva quam polemica. Candidati ad sacerdotium et praesertim Christifideles quaerunt intelligen-

tiam verbi divini et certo certius thedio afficiuntur quando proponuntur quaestiones modo abstracto; *b*) Optamus insuper ut in Ecclesia Dei, ubi spirat Spiritus veritatis et libertatis, semper maior arrideat libertas in fontibus revelationis investigandis.

2. *De Christi et B. Virginis primatu.* Doctrina de Christi et B. Virginis primatu hodie perventa est ad maturitatem tam speculative quam positive. Alia ex parte nullo modo dubitare licet quin, si haec doctrina authentice proponatur, non parum profutura sit spiritualibus necessitatibus populi christiani, quippe quod ipsa nata sit ad demonstrandum cur Christus habendus sit centrum et ratio ultima totius christianae religionis et pietatis. Nec silentio praetereundum est quod Ecclesia Orientalis, quae nostris diebus gressus admovere videtur ad Cathedram Petri, magnam et diuturnam habet traditionem considerandi Christum ut principium et finem omnium rerum.

Quibus de causis expectetur declaratio aliqua officialis doctrinae, quae primatum Christi et B. Virginis affirmet.

3. *De Christi conscientia humana.* Inter quaestiones magis agitatas de natura humana Christi, nuper acris exarsit controversia de unitate psychologica Salvatoris. Cum haec quaestio nobis satis implexa videatur et maximum momentum habere videatur pro vita christiana, valde optandum erit si infallibile Ecclesiae Magisterium de hac re suam mentem clare aperiat.

4. *De mystico Christi corpore.* Ni fallimur, locus ubi magis manifestatur deficientia methodus, de qua supra locuti sumus, verificatur in Tractatu de Ecclesia, qui fere totus est haeresibus Reformatorum confutandis et vinculis externae societatis, a Christo Domino institutae, vindicandis. Sed fides nos docet elementum fundamentale Ecclesiae esse internum, nempe gratiam Capitis Christi, quae diffunditur in totum corpus ad unam singularem et mirabilem compaginem supernaturalem efformandam.

Rogamus ergo ut doctrina de mystico Christi corpore quam maxime enucleetur usque ad ultimas eius consequentias pro vita spirituali et etiam sociali. Huiusmodi postulatio multis evincitur rationibus, quarum praecipuae sunt: *a*) Necesse est ut fideles completam adipiscantur notionem suae dignitatis supernaturalis, quippe qui ipsimet membra sunt illius magni Capitis; *b*) Multa dicta sunt de apostolatu laicorum in Ecclesia et bene quidem; sed manet ut clariori luci ostendatur ius et officium apostolatus laicorum logice derivare ex doctrina de mystico Christi corpore; *c*) Homines nostri temporis strenue contendunt ad unitatem efformandam totius humanae societatis. In hac tendentia (vulgo « atmosfera ») peropportune videtur quam maxime realitatem mystici

corporis pervulgare, ut signum et principium verae unitatis; *d*) Tandem persuasum habemus congruam enucleationem doctrinae pluries nominatae multum conferre ad solutionem problematis de sorte infantium, qui sine Sacramento Baptismi decesserunt, quod nostris diebus a theologis vehementer agitatur.

5. *De Sacramento Confirmationis.* Omnino optandum videtur ut servatis servandis, omnibus sacerdotibus et non solum parochis facultas conferatur Sacramentum Confirmationis administrandi, cum mortis periculum adest; nec eius validitas subiiciatur conditioni impossibilitatis Episcopi adeundi. Quod certe conveniens apparet si prae oculis habeatur utilitas huius Sacramenti, quod etiam characterem imprimit.

6. *De Sacramento Extremae Unctionis.* Cum satis compertum sit quod solum Sacramentum Extremae Unctionis sit certe fructuosum quando confertur subiecto sensibus destituto vel si solum actum attritionis elicuerit, nemo non videt quam optabile sit si omnibus sacerdotibus conferatur facultas in casu necessitatis oleum benedicendi aliqua formula breviori, quae facile memoriae mandari potest.

7. *De consecrationibus et functionibus sacris.* Si ritus consecrationis Ecclesiarum necnon Altarium in simpliciorem et breviorem formam redigatur et ad minimum reducantur minutissimae illae causae, quibus fit, iuxta vigentem disciplinam, ut sive Ecclesiae sive Altaria invalide consecrentur vel consecrationem amittant, satis accommodatum nobis videtur exigentiis nostri temporis. Quod etiam valere putamus quod attinet amissionem benedictionis sacrae suppellectilis.

B) Disciplina Cleri

1. *De formatione scientifica et spirituali cleri.* Omnibus compertum est actualem institutionem clericorum in scientiis stricte theologicis saepe incompletam se ostendere; quod idem dicendum putamus de eorum spirituali formatione. Res forsitan aliter se haberet, si clerus, post solidam formationem in seminariis acceptam, progressive ad actionem pastoralem initiaretur et frequentiores fierent conventus spirituales inter pastores animarum.

2. *De parochorum amovibilitate.* Quod c. 454 I. C. statuitur circa parochorum inamovibilitatem minus congruere videtur cum amplitudine potestatis, quam Episcopi ex voluntate Christi obtinent in sua Dioecesi. Insuper lugenda experientia docet non raro Episcopos omnino praepediri quominus vero bono spirituali sui gregis consulant. Quod certe háud fiet, si ipsìs expedita facultas detur ministerio pastorali sacerdotum opportune disponendi pro temporis ac locorum necessitatibus. Non de-

sunt praeterea sacerdotes, qui lege amovibilitatis indigne abutentes, facile sibi blandiuntur posse se praecepta Episcoporum impune parvipendere.

Quapropter enixe imploramus, ut normae, quae respiciunt modum procedendi in amotione parochorum, ita emoliantur ut expedita sit Episcopis facultas, pro sua conscientia ac prudentia, amotionem parochorum decernendi.

3. *De re oeconomica cleri.* Nemo non videt, si attente consideret actualem conditionem oeconomicam clericorum, nimiam existere disparitatem inter ipsos clericos. Ni fallimur, iustitia ipsa postulat ut haec disparitas meliori quo fieri potest modo eliminetur.

4. *De caelibatu ecclesiastico.* Provida lex de caelibatu clericorum ita nobis sancta et necessaria videtur, ut nefas prorsus putemus si de ipsa abolenda vel sola controversia institui sinatur. Nec enim tractu temporis quidquam veritatis amisit illud quod S. Pontifex Benedictus XV aiebat: « Constat si latina viget floretque Ecclesia magnam partem roboris gloriaeque eius ab ipso clericorum caelibatu manare, ob eamque rem esse sartum tectumque conservandum ». Nihil pariter validum inesse putamus in his, quae contra ipsam legem obiicere veriti non sunt aliqui degeneres hodierni sacerdotes, in quibus vel haeretica tegitur perversitas vel omnimoda apparet absentia spiritus Christi.

C) Actuositas Ecclesiae

Omnes convenire videntur quod actio apostolica, sicut hodie in Ecclesia exercetur, non perfecte succurrere fidelium necessitatibus. Huius carentiae, causae certe multae sunt, sed, ni fallimur, praecipua ex istis consistere videtur in facto, quod non pauci sacerdotes fere exclusive vacant muneribus, quae non sunt stricte sacerdotalia. Insuper ut actio apostolica validior evadat ad spirituales fidelium necessitates omnino consentaneum videtur ut pastores animarum meliori modo utantur his mediis (cinema, radio e televisione), quae, ut experientia docet, maxime accomodata sunt ad mentes illustrandas et voluntates hominum permovendas.

D) Negotia maioris momenti

1. *De activitate cleri in re politica.* Non paucis visum est actualem ingerentiam clericorum in re politica non raro iustos limites praetergredi non sine offensione aliquorum, qui praeiudicata opinione duci non videntur.

2. *De religiosorum disciplina et activitate.* Nostris diebus quaedam extant religiosa instituta tam virorum quam mulierem, quae videntur

non amplius respondere specificae finalitati, ob quam a competenti auctoritate approbationem adepta sunt. Quod si verum est, necessarium omnino apparet ut rei consulatur et, si casus ferat, etiam per eorundem suppressionem.

Ubi sacerdotes saeculares pauciores numero sint quam pro multiplicibus necessitatibus plebis christianae ipsum bonum animarum postulari videtur, valde optandum est ut sacerdotes religiosi in muneribus apostolicis obeundis maiorem partem habeant, quam hucusque habuerunt. Quam ob rem perutile erit si praescriptum can. 609 *I. C.* reformetur hoc sensu, ut locorum Ordinariis quantum fieri potest expeditior via pateat eosdem sacerdotes religiosos in opus ministerii advocandi.

3. *De Actione Catholica.* Apostolatum laicorum, quem vocant, quomodo nunc praesertim exercetur in sinu Actionis Catholicae, omnino amplectendum ac fovendum putamus. Sed est aliquid, quod minus placet in Actione Catholica: hoc scilicet quod ex eiusdem Actionis Catholicae structura, ut est hodie (vulgo « organizzazione ») ineluctabili quadam necessitate consequi videtur, ut auctoritas Episcoporum aliquando redigatur. Universe enim sive normae, sive dispositiones, sive aliquarum actionum navitas, quae a singulis Assistentibus Nationalibus variarum Associationum videntur emanare, ab ipsis Episcopis potius repetere promulgatio, quorum potestas, quae ex iure divino tam ampla esse debet in Dioecesi, ut uni Romano Pontifici subiecta sit. Quo fit ut cum de Actionis Catholicae actuositate agitur, nihil aliud Episcopo maneat, quam pedisequi vel spectatoris partes agere.

4. *De iuridica relatione inter Episcopos et Dicasteria Apostolicae Sedis.* Erga hanc Supremam Potestatem humiliter profiteor maximam meam subiectionem, at tamen audeo desiderium exponere ut in aliquibus negotiis pastoralis ministerii, in quibus sufficere potest nostra Ordinaria facultas, maiori libertate et sollicitiori modo, prae oculis habentes bonum animarum, providere possimus.

In conficiendis responsionibus usus sum consilio ecclesiasticorum peritorum et prudentium.

✠ Fr. Benignus Lucianus Migliorini O. F. M.
Archiepiscopus Lancianensis et Ep. Ortonensis

111

Exc.mi P. D. CONSTANTINI STELLA
Archiepiscopi Aquilani (L'Aquila)

Aquilae (Italia) die 1 septembris 1959

Eminentissime Princeps!

Gratias ex corde refero benignitati Augusti Pontificis quoniam ipse dignatus est significare, per Eminentiam Tuam, desiderium cognoscendi quae maioris momenti reputem ut tractentur in Oecumenico Concilio quod Sanctitas Sua in animo habet indicendi.

Cum animi humilitate maxime sincera et maxima submissione spiritus Vicario D. N. I. C., veniam pro iis quae videri possent non ad rem pertinentia vel etiam solummodo minus opportuna petens, filiali tamen cum libertate id faciam, argumenta distribuens secundum perita consilia ab Eminentia Tua benigne lata:

Doctrina

Dogmatica

Optandum ut definiatur vel confirmetur:

1. *Corpus Christi Mysticum* quod est idem ac *Ecclesia Catholica Apostolica Romana* velut res humano-divina quae ad unitatem excelsam et efficacem quam maxime omnia connectit.

2. *Regalitas B. Mariae Virginis.*

3. *Mediatio universalis B. M. Virginis.*

4. *De coelibatu et matrimonio.* Praestantia primi super secundum et gloria Ecclesiae Catholicae caelibatus assumptus ex amore Dei, praesertim in Sacerdotio Catholico et in statu religioso.

5. Dignitas et valor hominis ex eo quod est spiritus immortalis et ad Ordinem supernaturalem elevatus cum destinatione aeterna (paradisus vel infernus).

6. Necessitas gratiae habitualis et actualis.

7. Essentia et fines Matrimonii.

8. Damnatio modernorum errorum: atheismus; materialismus; communismus; rationalismus; exsistentialismus atheus; systemata oeconomica fundata super hos errores; naturalismus, impossibilitas observandi quaedam praecepta (castitas proprii status), laicismus.

Moralis

1. Problemata moralia de familia.

2. Moralis professionum.

3. Moralis socialis.

4. Affirmatio momenti positivi et ascetici doctrinae moralis cristianae.

5. Pericula hodierna moralitatis quae praesertim proveniunt ex arte typographica, ex « sport », ex cinematographo, ex radio, ex televisione, ex more vestiendi se (« moda »), etc. ...

6. Damnatio: relativismi moralis, moralitatis situationis, subiectivismi moralis.

Doctrina socialis

1. Syntesis doctrinae socialis Ecclesiae Catholicae.

2. Denuntiatio motuum socialium, syndacalium, politicorum ab Ecclesia Catholica damnatorum vel ab Ea non probatorum.

3. *Codex socialis.*

Liturgia

1. Revisio et simplificatio: Pontificalis, Caeremonialis Episcoporum, Ritualis, Missalis, Breviarii.

2. Lingua vulgaris in administratione Sacramentorum et in Benedictionibus.

3. *Codex liturgicus.*

De re pastorali

1. Status laicorum in Ecclesia et ipsorum apostolatus.

2. Actio catholica.

3. Instructio catechistica et textus nationalis.

4. Apostolatus artis tipographicae, ludorum.

5. Obligatio gravis instructionis religiosae in diebus dominicis et festis de praecepto et quidem:

a) Homilia in omnibus Missis secundum ordinem doctrinalem, cyclicum, etc.

b) Instructio catechetica pueris scholarum elementarium.

c) Catechismus pro adultis.

6. Instructio catechetica aliis anni temporibus praestitutis in tota Ecclesia.

7. Instructio religiosa distincta pro admissione ad Sacramenta baptismi (pro adultis), confessionis, confirmationis, communionis, matrimonii.

DISCIPLINA

Clerus

1. Coelibatus Cleri absolute (in Eccl. Latina).

2. Officium quoddam nationale vel *Sanctae Sedis* pro rationali, vel dicerem fisiologica, partitione Cleri per nationes.

4. Seminaria Dioecesana integra in omnibus dioecesibus (emendatis).

5. Officium pro emendatione Dioecesium (et pro partitione cleri).

6. Amovibilitas parochorum et canonicorum (ad nutum Ordin.).

7. Relationes inter clerum saecularem et regularem.

8. Subiectio Religiosorum Episcopis.

9. Relationes Episcoporum cum Congregationibus Romanis.

10. Ieiunium et abstinentia.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae faustissima quaeque a Domino adprecans dum flecto ad purpuram deosculandam.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus

✠ CONSTANTINUS STELLA
Archiepiscopus Aquilanus
Adsistens Solio Pont.

112

EXC.MI P. D. FRANCISCI MINERVA

Episcopi Lyciensis (Lecce)

Lycii, prid. Kal. septem. A. D. 1959

Eminentissime Domine,

Animadversiones consilia et vota quae in futuro Concilio tractari poterunt Eminentiae Vestrae remittere gaudeo, Spiritum Sanctum de divina adsistentia in Summo Pontifice Patribusque adprecans.

Ad S. Purpurae osculum inclinatus, me profiteor.

Em. V. Add.mum
✠ FRANCISCUS MINERVA
Episcopus Lyciensis

I. *Quoad doctrinam « dogmaticam »*

1. Definitis Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, fusius exponatur doctrina de Episcopatus ab Apostolis successione, ita ut clarius Episcoporum positio et in Ecclesia docente et circa Ecclesiam discentem elucescat. Perutile enim hoc videtur ad propius Orientales Ecclesias (quae ab unitate longam per saeculorum seriem misere abscesserunt) accedendum.

2. In mystici Corporis Christi doctrina explanetur « sacerdotium regale » fidelium, ad eorumdem onera et munera ostendenda.

3. Quae in litt. encycl. *Humani Generis* (XII aug. MCML) continentur Ven. Patres studiose pervolutent, quam maxime diiudicantes de evolutionismo, polygenismo etc.

4. Humanitas Christi (cf. Litt. Encycl. *Sempiternus rex Christus* diei VIII mensis sept. anni MCMLI) etiam psycologica via ac ratione altius investigetur, ad scholasticas dirimendas contentiones.

5. De B. Maria Virgine « alma socia Christi » perspicuius dicatur, Eiusdemque universalis gratiarum mediatio uti fidei dogma proponatur.

6. Gratiae Christi necessitas totis viribus asseratur contra hodiernum « naturalismum », veterem Pelagii errorem redolentem.

7. Similiter contra doctrinas « problematicisticas » quas vocant, longe lateque grassantes in moribus et in scriptis, donum et virtus fidei vindicentur.

8. Item de infantium a catholicis parentibus natorum, sed fonte baptismatis non renatorum et vita functorum aeterna salute, sententia feratur relate ad opinionem quandam, quae novitatem sapit.

9. Doctrina catholica de matrimonii finibus confirmetur.

II. *Quoad doctrinam « moralem »*

10. *Ethica situationis* sic dicta formaliter damnetur.

11. Circa Communistarum et Laicistarum errores officia principum et subditorum firmiter stabiliantur, ita ut in populorum vita democratica Ecclesiastica Hierarchia neutrius partis non solum sit sed et manifeste appareat.

12. Ad tuendum Dei praeceptum: non occides! varia ludorum genera corpori exercendo v. sports, quibus periculum proximum caedis inest, in deliberationem cadant pro aris et focis.

13. Idem dicatur de initiatione sexuali necnon de coëducatione, de continentia periodica deque fecundatione artificiali.

III. *Quoad disciplinam « clericorum »*

14. Unitas Dioeceseos foveatur: nihil sine Episcopo, loci Ordinarii auctoritatem augendo, regiminis facultates dilatando.

15. Religiosorum exemptio a iurisdictione Ordinarii interno communitatis regimini reducatur, et omnino excludatur in relationibus cum fidelibus.

Dioecesium fines revisere opportunum videtur ad maiorem moderationis efficientiam et ad Episcopi dignitatem iuvandam.

17. Sedes Metropolitanae ab oppidis in urbes transferantur ad instar civilis iurisdictionis ad bonum civitatum et ad decus Metropolitae.

18. Titulorum prorsus historicorum usus (v. g. *primatis*) vetetur, uti de titulis civilibus nobiliaribus actum est.

19. Parochorum inamovibilitas et concursus lex ad beneficia obtinenda tollantur.

20. Ipsa beneficia peculiari consilio bonis dioecesanis administrandis committantur, cuius erit pro rata parte unicuique dare, ita ut Clerus liber evadat ad maiorem Dei gloriam et suo gregi in odio non sit. Ideoque in collatione plus officium quam beneficium notetur, magis ministerium quam administratio signetur.

21. Si fieri potest, redeatur ad Diaconatum (officium tantum vel etiam ordo?) ut in Apostolorum actibus: pro subsidiis temporalibus.

22. Ad oboedientiae et sacrificii spiritum clerici adhortentur.

23. Sacri coelibatus lex pro clero latino quam maxime firmetur idemque desideratur de habitu ecclesiastico.

24. Breviarii Romani immutatio exoptatur, Sacerdotalibus muneribus vitae interiori colendae haerens.

25. Vitae communis consuetudini magis suadeatur ad actionis pastoralis incrementum.

26. Ad praecavenda ludicrorum corporis exercitiorum, automatorum necnon spectaculorum pericula clerici enixe excitentur.

27. In Seminariis ad pietatem et docilitatem fovendas atque ad spiritum sacrificii augendum urgeantur alumni; quibus obtinendis Seminaria Regionalia, quae numero alumnorum excedunt, methodi unitate atque disciplina damno laborantia, finibus innoventur, ita ut provincialia aut saltem interprovincialia fiant, Episcopi enim formationem clericorum, corda animosque eorum sibi devincientes, iuxta Dioeceseos utilitates aptius invigilare atque perficere possent.

28. Collegii ad formationem moderatorum sive in scholasticis sive in spiritualibus habendam Sancta Sedes institutionem curet.

29. Sacerdotum senectuti atque adversae valetudini consulatur formis praevidentialibus.

IV. *Quoad disciplinam « Laicorum »*

30. Media aptiora atque arctiora ad rudes sive primae sive adultae aetatis catechizandos inveniantur, qua re catechesim noviter Magisterium Ecclesiasticum proponat nostris temporibus strictius urgentem, ita ut Laici magis magisque christiane vivant difficultatibus obstando atque exemplo societatem vivificando, quae paganismo theorice et practice maxime indulget.

31. In Confirmationis sacramento administrando ad vitam christianam maturius agendam atque ad apostolatus vocationem amplius percipiendam (Miles Christi enim baptizatus efficitur) suggerat Sancta Mater Ecclesia adaequatae praeparationis methodum sollemniori atque diligentiori muneris expletioni foventem.

32. De sensu poenitentiali, cui Christi praedicatio innititur, instantibus atque vulgantibus materialismi et naturalismi haeresibus, admoneat Ecclesia ideoque sive mortificationi et corporis et spiritus tempore quadragesimali urgeat, sive in dispensatione ieiunii atque abstinentiae diebus rite signatis minime indulgeat.

33. Obligatione erga auctoritatem fatiscente, revocentur fideles ad

sensum Ecclesiae ne teneant se democratice agere cum acrius atque sceptice praecepta Ecclesiae accipiant.

34. Fundamenta atque principia vitae christianae fidelibus proponantur mediis atque auxiliis pastoralibus, hisce temporibus congruentibus, quibus inveniendis studeat S. Sedes ne fidelium vita grassanti paganismo indulgeat.

35. Vitae coniugalis mos christianus firmius declaret fidelibus ad familiae integritati atque saluti praecavendum, propterea cautius tribunalia ecclesiastica in matrimonialibus pergant.

V. *Quoad Sacram Liturgiam*

36. In ritibus pontificalibus simplicitas adhibeatur, ut fideles frequentius diligentiusque adsint.

37. Sermonis latini usus in sacris peragendis absolute teneatur ad unitatem et universalitatem Ecclesiae animo insculpendas.

38. Apostolatus liturgicus amplius promoveatur utpote quem maxime idoneum excultae formationi christianae teneamus.

✠ Franciscus Minerva
Episcopus Lyciensis

113

Exc.mi P. D. BERNARDINI S. RE
Episcopi Liparensis (Lipari)

R. n. 1 C/59-759 Lipare, die 14 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Veneratissimo folio Eminentiae Tuae Rev.mae diei 18 iunii 1959 respondeo ut vota patefaceam quae mihi videntur tractanda esse a Commissione Antepreparatoria pro futuro Concilio Oecumenico.

1. Maxime suadenda est vita communis Clericorum.

2. Scholas aperire in unaquaque fere Paroecia et institutionem puerilem tradere etiam de disciplina litterarum.

3. Ospitia aedificare pro Sacerdotibus infirmis et ex senectute laborantibus in propria Dioecesi.

4. Fines territorii magnarum Dioecesium minuere ita ut fideles facilius frui possint ministerio pastorali.

5. Iura sancire ut eresia communismi funditus everti possit.

Interim S. Purpuram reverenter exosculans, maximo cum obsequio, me Tibi profiteor.

Eminentiae Tuae addictissimum
in Domino

✠ BERNARDINUS SALVATORIS RE
Episcopus Liparensis

114

EXC.MI P. D. ANDREAE PANGRAZIO
Episcopi Liburnensis (Livorno)

Liburni, die 1 septembris a. 1959

Eminentissime Domine,

Litterae diei 18 iunii 1959. n. 1 C/59-762 quibus significasti Summum Pontificem Ioannem XXIII Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico instituisse, mihi pergratae fuerunt.

Desiderio Summi Pontificis annuere cupiens, sententia usus sum aliquorum virorum ecclesiasticorum, qui in hac dioecesi prudentia praesertim eminent, quamquam Liburnensis Dioecesis sive cleri deficientia, sive brevi qua pollet historia, sive peculiaribus circumstantiis loci et rerum quae hic aguntur, pauca tantum possit Commissioni isti proponere.

Praecipua capita in futuro Concilio tractanda, vel in legum Ecclesiae mutatione notatu digna nostro iudicio haec sunt:

I. QUOAD DOCTRINAM

1. Cum rectus sensus Ecclesiae in multis fidelibus deficere videatur, quae ad Ecclesiam pertinent magis explicare oportebit tum in doctrina in scholis theologicis tradenda tum in cathechesi fidelium et in puerorum institutione, ita ut Ecclesiae sensus magis atque magis perfici possit in mente et in vita fidelium.

2. Doctrina de re sociali et oeconomica, quae hucusque in variis litteris Enciclicis et in documentis S. Sedis invenitur, opportuna syntesi, saltem quoad principalia capita, in Concilio accurate proponenda videtur

et praesertim duplici modo, primo quidem ut errores materialismi et liberalismi damnentur, secundo autem ut doctrinae catholicae efficacia in re sociali explicite affirmetur.

3. Ut laicorum actuositas in Ecclesia amplius commendetur, explicare oportebit etiam laicorum « officium » in Ecclesia, prout membra activa Corporis Christi, praesertim sacramentis inspectis Baptismi et Confirmationis.

II. Quoad rem disciplinarem

1. *Vita communis Cleri* magis ac magis commendetur, immo praesertim in eadem paroecia, quantum fieri potest, praecipiatur.

2. *Inamovibilitas parochorum,* nisi abroganda videatur, tali modo mitigata exhibeatur, ut omnes parochi et beneficiati de facto quasi amovibiles dici possint.

3. *Religiosarum exemptio* ad ea, quae internam Communitatis respicientur vitam, reducenda est; ea vero omnis, quae ad externam actionem sive communitatis sive singulorum religiosorum, totaliter Ordinario subicienda videtur.

4. *Usus linguae vulgaris* uberius admittatur, praesertim in administratione quarumdam sacramentalium ex. g. in cura infirmorum et in commendatione animae, in benedictionibus impertiendis, in Benedictione nuptiali — opportuna mutatione formulae —. Item dicatur in administratione quarumdam sacramentorum ex. g. saltem in parte Baptismi et Extremae Unctionis.

5. Aliquae caeremoniae quae longiores sunt, ex. g. consecratio ecclesiae et altarium, opportune reduci possunt ad formam breviorem.

6. Saltem in diebus festis Preces post Missam, iussu Leonis XIII recitandae, omittendae videntur.

7. Homilia vel catechetica institutio, secundum loci Ordinarii praescriptionem, in omnibus Missis diebus festis praecipienda est et non tantum suadenda.

8. In materia iuridica et oeconomica stricte et clarissime distinguendum videtur inter varia entia ecclesiastica, praesertim inter « beneficium paroeciale », circa ea quae ad sustentiationem parochi necessaria sunt, et « ecclesiam paroecialem » circa ea quae ad cultum pertinent; et si fieri potest etiam aliud ens ecclesiasticum inducatur in iure canonico, nempe ipsa « paroecia » circa ea quae vitam communitatis fidelium et opera paroecialia ex. gr. scholas et opera recreativa pro pueris etc., respiciunt. Idem est administrator, nempe Parochus — ita tamen ut Consilium administrationis de quo cann.1183, 1184 circa ea quae ad « Ecclesiam paroecia-

lem » et « Paroeciam » pertinent, actionem suam extendat —; sed clarissime entia inter se independentia inducantur in iure, Ordinarii vigilantiae subicienda.

9. In novo *Codice Iuris Canonici* magis explicanda videntur in capitulo « de laicis » ea omnia quae laicorum associationes et activitatem respiciunt, iuxta normas ab Ecclesia traditas praesertim per explicita et multiplicia verba Summorum Pontificum.

Pauca sunt quae dixi; attamen, Eminentissime Domine, haec Summo Pontifici patri nostro amantissimo referas oro:

a) Fideles Dioecesis Liburnensis pleno animi gaudio nuntium Concilii proxime celebraturi accepisse;

b) hoc solemnissimum eventum toto corde continuis orationibus praeparare, ita ut Deus et Dominus noster Iesus Christus ab omnibus cognoscatur et ametur, et Ecclesia sancta Dei glorificetur in toto orbe terrarum.

Quae autem pro felici eventu Concilii Oecumenici agere cupimus, haec Vicario Christi, prout dilectissimi filii, semper offerimus, ita ut Beata Virgo Maria, per intercessionem Apostolorum Petri et Pauli, Papae nostro Ioanni XXIII solamen et gratiam obtineat a Divino Pastore animarum.

Qua par est reverentia devotionis sensus Tibi, Eminentissime Domine, toto corde profiteor

Addictissimus in Christo Iesu
✠ ANDREAS PANGRAZIO
Episcopus Liburnensis

115

EXC.MI P. D. TARCISIUS V. BENEDETTI
Episcopi Laudensis (Lodi)

Prot. N. 873/59 Laudae, die 27 augusti 1959

Princeps Eminentissime,

Litteris Tuis sub die datis 18 iunii 1959 Prot. n. I C/59-763, libenter respondendum duxi heic adnectens *res* et *argumenta* quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Opinionem meam « omni cum libertate et sinceritate » exponendam curavi.

Paratum me, iam ex nunc, profiteor omnia acceptare quae Concilium decidenda censebit.

Manum Tibi deosculans obsequium meum devotissimum Eminentiae Tuae exprimo.

Addictissimus

✠ Tarcisius V. Benedetti
Episcopus Laudensis

De re dogmatica

Cum futurum Concilium maxime prosequatur reconciliationem fratrum separatorum, haud opportunum videtur dogmata definire quae a priori ab iisdem repelluntur.

Attamen declarationes doctrinales desiderantur super sequentibus:

1. De Redemptione D. N. I. C. iuxta schemata iam parata in Concilio Vaticano.

2. De *Supernaturali*: de eiusdem gratuitate (contra errores P. De Lubac) et trascendentia (contra errores P. Teilland de Chardin).

3. Apprime damnentur errores materialismi, idealismi, relativismi qui funditus evertunt capita Christianismi.

4. De evolutionismo quoque distincte agatur et norma secura edicatur circa interpretationem primorum capitulorum *Genesis*.

5. Clare et distincte edicatur de iure Ecclesiae interveniendi in vitam civilem, socialem, politicam.

De re morali

1. Colligantur et ordinentur normae Moralis Professionalis iam sapienter expositae per RR. Pontifices, praecipue Pium XII.

2. Illustrentur, iuxta exigentias hodiernas, leges de requie festiva (cf. *opera servilia*), de abstinentia et ieiunio (forte melius substituerentur cum aliis operibus bonis), de modo sanctificandi diem festum.

3. Clare et distincte Doctrina Socialis Ecclesiae exponatur.

De Iure Canonico

1. Novo examini subiiciatur Liber V *Codicis de delictis et poenis*: poenae ipsae, praecipue illae latae sententiae, ad casus graviores reducantur.

2. Inamovibilitas Parochorum nocet valde bono animarum, cum Parochus vel ob aetatem vel ob infirmitatem vel ob ineptitudinem mini-

sterio pastorali actuose, ut hodiernae poscunt exigentiae apostolatus, fungi iam non valet. Tunc si Parochus consistere pergit in Paroecia, fit ut fructus quilibet ministerii iam forte egregie praestiti in dispersionem paulatim decidant; facilius familiares laici in admnistrationem temporalem et spiritualem Paroeciae sese immittere contendant: damnum evidens Paroeciae! Liceat Episcopis, praehabito virorum prudentium consilio et convenienter prospiciendo eorum positioni oeconomicae, Parochos amovere. Liceat pariter Episcopis libere Parochos transferre, quando agitur de praestantioribus aptitudinibus in ampliori vel difficiliori « ambiente » cum maiori fructu applicandis: sic facilius Sacerdotes praestantiores super candelabrum ponerentur.

Eadem intendatur locutio de inamovibilitate Canonicorum et Episcoporum.

3. Circa provisionem Beneficiorum Paroecialium procedura simplicior statuatur, lege concursus abolita. Libertas Episcopi seligendi, auditis Examinatoribus Synodalibus, emineat.

Nimiae pariter videntur in hac re reservationes Beneficiorum Sedi Apostolicae: provisiones sic fiunt diuturniores et magis dispendiosae: nocumentum hoc fert paroeciis.

4. Episcoporum autonomia melius protegatur, ita ut vere eluceant tamquam « positi a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam Dei ».

Propterea amplior Episcopis statuatur potestas quoad dispensationem ab impedimentis matrimonialibus, quoad actus administrationis bonorum Ecclesiasticorum, quoad dispensationem super oneribus Legatorum, quoad « affrancazione livelli », quoad iurisdictionem ad confessiones fidelium recipiendas Sacerdotibus dioecesanis concedendam etiam cum in itinere versantur (treno, mare, auto, aereo) extra dioecesim.

5. Dioeceses nimis amplae dismembrentur: in huiusmodi Dioecesibus enim unus Episcopus difficulter ac insufficienter gubernium exercere potest: Sacerdotes queruntur quod impossibile ipsis evadat videre proprium Episcopum. Remedium quod solet adhiberi per adsignationem Episcoporum Auxiliarium insufficiens videtur.

Dioeceses e contra minimae uniantur, ut possibilis fiat conveniens activitas dioecesana.

6. De *Dioecesibus Suburbicariis* aliquid dico ex experientia personali. Earum conditio calamitosa existit: Episcopus Auxiliaris in loco consistens videt res uti sunt: sed providere non valet, quia omnis decisio pertinet ad Episcopum Cardinalem qui Romae degit, qui saepe aetate provectior est, nec experientiam habet de directa cura animarum guberniique dioecesis, cum ex Diplomatica via assumptus sit.

Episcopus Auxiliaris, qui efficaciter unus gubernare valeret, tum fere

sine auctoritate existit tum frequentiori mutationi subiectus (in Dioecesi Sabinensi et Mandelensi spatio decem annorum quattuor Auxiliares habiti sunt: Fiori, Benedetti, Castelli et Nuzzi: et tempore praecedenti adhuc frequentiores fuerant mutationes).

Ex omnibus igitur Dioecesibus Suburbicariis duae efformentur Dioeceses: *Alto Lazio* et *Basso Lazio*. Cardinales Episcopi non sint residentiales sed tantum titulares, instar Cardinalium Ordinis Presbyterorum et Diaconorum. Res procul dubio magna cum prudentia ducenda est ob « campanilismo » incolarum, qui ad Protestantismum transire minantur.

7. *Index Librorum prohibitorum* novo examini subiiciatur et opera praesertim litteraria expungantur quorum damnatio causam « opportunità dell'ambiente e del momento » tantum habuit.

8. Quoad *praecepti paschalis* adimplementum longius spatium statuatur: a die Cinerum usque ad Festum SS. Trinitatis.

9. Tutius protegatur libertas Religiosarum in ordine ad Sacramentum Confessionis. Saepius in praxi non existit: inde damna. Saepius enim Superiorissae uno vel alio modo nullam reddunt illam libertatem: severiores poenae contra huiusmodi Superiorissas statuantur. Severius pariter exigatur Superiorissarum mutatio: munus non fiat feudum personale.

10. Viri Religiosi magis conferant in auxilium Episcoporum: ideo modus inveniatur felicius componendi privilegium exemptionis et dependentiam ab Episcopo quod attinet ad bonum Dioecesis.

11. *Coelibatus ecclesiasticus* rursus sollemniter intimetur, ad quamlibet « speranziuncola » in contrarium auferendam.

12. *Habitus ecclesiasticus* maneat apud nos *vestis talaris*.

13. Ratio Studiorum in Seminariis simplicior reddatur imminutione argumentorum (materie): ita argumenta magis momentosa profundius addiscerentur. Secus « pluribus intentus... ». In re Theologica S. Thomas Magister sit. Theologia Moralis magis positiva quam negativa fiat, iuxta exigentias vitae christianae et Theologiae Spiritualis.

14. Quoad Actionem Catholicam sollemniter declaretur transcendentia ministerii Sacerdotalis prae omni ministerio laicali sive quod spectat actionem sacrificalem sive quod spectat apostolatum.

15. Oecumenismum quod attinet (movimento ecumenico) clare et distincte edicatur quid possint et quid non possint praestare Catholici.

16. Utilius duae Congregationes *De Propaganda Fide* et *De Ecclesia Orientali* unirentur: hodie enim in praxi saepe impedimentum invicem sibi parant.

17. De *Suprema S. Congregatione S. Officii*: novo examini subiiciatur disciplina S. Officii. Refero heic ad verbum epistolam Sacerdotis cuiusdam a S. Officio damnati:

« Circuiscono subito dicendo: se canti, te la caverai presto, secus... questo appena arrivati in sala d'aspetto; si ha quindi l'impressione di essere già stati condannati... Ti guardano e trattano come un delinquente... preoccupati che si ammetta subito quello che loro interessa e non fanno caso o poco di quello che può essere in favore dell'imputato. L'accusa o le accuse: tutto frumento secco... Danno l'impressione netta che non credano affatto a quello che si dice in proprio favore... quando non sorridano quasi sprezzantemente... Credono in tutto all'altra parte. In soldoni: non si può difendersi. Lo stesso Avvocato ammette queste cose. Avviene tutto di nascosto, all'insaputa dell'imputato. Nessuna carità. Serietà quasi crudele... Ho assistito una volta alla procedura di un Tribunale militare: erano molto più cortesi e gentili con l'imputato. Qui in partenza si è condannati. Non valgono attenuanti, scusanti, circostanze in favore (esaurimento, prove tremende ecc.). Per esempio: pur ritenendo colpevole uno, c'è però differenza tra l'essere stato indotto e l'indurre... No, il Sacerdote colpevole è sempre l'uomo pessimo. Non credo. Ci sono delle cose delle quali si fa giudizio e si dà condanna: ammesse anche dai colpevoli che accettano la sentenza; ma ci sono delle cose gravi e forse più gravi delle prime che gli imputati non possono accettare perchè non le hanno commesse, pur avendo commesso le prime, e, ciò nonostante, sono giudicati e condannati in base a un'accusa che per questo si rivela falsa. Nel primo caso gli imputati sono creduti, perchè ammettono il reato; nel secondo caso non sono creduti, perchè depongono in proprio favore, e sono condannati magari in misura più severa... E i colpevoli di una cosa non possono accettare sistematicamente una condanna per un'altra cosa che non hanno commesso. Un po' più di carità cristiana anche con i Sacerdoti colpevoli eviterebbe forse delle crisi tremende e delle defezioni fatali. Con il pretesto del tremendo segreto in favore del colpevole gli si tappa la bocca e gli si impedisce la via di una riabilitazione favorevole; mentre la sanzione canonica imposta dal S. O. al colpevole stesso rende nota *lippis et tonsoribus* la sua colpa... Inoltre in qualunque Tribunale dell'umanità il colpevole conosce il tempo della sua condanna: qui si è sempre condannati all'ergastolo... *ad nutum S. Officii...* ».

Distinguere non valeo quid sit verum et quid falsum in huiusmodi epistola: videant consules.

Addendum duco ante quattuor annos Episcopum quemdam ex Ordine Fratrum Capuccinorum, ex medio Oriente venientem, mihi declarasse timorem S. Officii esse unam ex causis quae reconciliationem schismaticorum praepedit. Estne hoc verum? Non puto.

18. Reformatio definitiva *Breviarii* tandem aliquando prodeat.

19. Desideratur lingua Italica in actionibus liturgicis quae magis faciunt ad populi instructionem et intelligentiam.

20. Revidendae multae orationes, praecipue in Pontificali Romano « De Ordinibus conferendis »: aliquae revera videntur non conformes conditionibus hodiernis.

21. In Canone Missae addatur nomen S. Iosephi, Sponsi B. Mariae Virginis: agitur de Sancto maiori post D. N. I. C. et Deiparam Virginem. Si in primis saeculis rationes aderant quibus S. Ioseph veluti in umbra costringeretur, nunc illae rationes ad rem non amplius faciunt. Certe S. Ioseph partem praeclaram habuit in mysterio Incarnationis D. N. I. C.

22. Breviores statuantur Ritus sollemnes consecrationis Altarium et Ecclesiarum: rebus sic stantibus, pro consecratione lapidis inertis tres horae impenduntur: pro Consecratione Episcopi vel Sacerdotis una hora impenditur. Nonne comparatio inconvenientiam prodit?

23. Optimum videtur unum *Codicem Liturgicum* conficere: sic omnes normae collectae, facilioris consultationis et observantiae fierent.

✠ Tarcisius V. Benedetti
Episcopus Laudensis

116

Exc.mi P. D. ANTONII TORRINI

Archiepiscopi Lucensis (Lucca)

Lucae, die 30 mensis augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Maximo cum gaudio nuntium accepi indictionis Concilii Oecumenici nuper factae a SS. Domino nostro Ioanne PP. XXIII felic. regn., quia dum id praebet argumentum vitalitatis Ecclesiae, spem praefert magnae utilitatis pro omnibus fidelibus in tanta confusione, his temporibus, circa doctrinam Fidei et morum.

Optatur igitur, ab eodem Concilio, clara et explicita declaratio: Fidem a Christo Domino acceptam, per Apostolos praedicatam, nullam subituram mutationem et ita dictam evolutionem dogmatum esse inane verbum. Ideo in votis est Concilium synthesim texere omnium errorum, circa Fidem et mores, qui post Concilium Vaticanum exorti sunt et inter clerum et populum christianum vagantur, eosque explicite et aperte condemnare, praesertim laicismum et communismum, declarando non

posse vitam christianam componi cum erroribus et doctrinis, quae hodie quam plures tam facile profitentur.

Opportunum quoque videtur bene definire relationem laicorum consociatorum cum clero; quid importat nempe concursus laicorum sive virorum sive mulierum Apostolatui hierarchico Ecclesiae; ad avertendum errorem: Ecclesiam regi et gubernari sistemate democratico.

Quoad ipsam Ecclesiam erunt statuenda principia circa relationem cum societatibus civilibus, declarando quid importat tam proclamata separatio Ecclesiae a Statu. Item quo sensu et limitibus tam clerici quam laici catholici partem habere possunt in rebus politicis.

Cum vero ob defectum vocationum sacerdotalium numerus sacerdotum in dies minuatur, studio Patrum Concilii supponenda videtur quaestio de suppressione paroeciarum exigui numeri incolarum et translationis beneficiorum in paroecias novae erectionis, datis habitualiter Ordinariis opportunis facultatibus. Itemque statuere limitem aetatis pro parochis senescentibus, ex quo Ordinarius, omissis formalitatibus processus remotionis, possit eos declarare exoneratos ab officio, eosque substituere, ne ob impotentiam eorum fideles et gubernium paroeciae grave damnum incurrant.

Haec submisse propono Excellentissimae Commissioni, animo paratus ad omnia humiliter acceptanda quae a sacrosancto Concilio statuta et definita erunt.

Interim libenter me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus

✠ ANTONIUS TORRINI
Archiepiscopus Lucensis

117

Exc.mi P. D. DOMINICI VENDOLA

Episcopi Lucerini (Lucera)

10 augusti 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Litteras Eminentiae Tuae Rev.mae, sub die 18 iunii 1959, n. 1 C/59-777 datas, accepi, quibus eadem Eminentia Tua opinionem seu sententiam, necnon vota et consilia a me expetebat circa res tractandas in futuro Concilio Oecumenico.

Ea qua par est reverentia et observantia mentem meam sincere aperiam, Deum solum prae oculis habens et Ecclesiae animarumque bonum, quod Episcopi et Praelati totius orbis catholici, Spiritu Sancto operante, profuturum sperant ex tam magno eventu.

Ante omnia, gratiarum actiones Deo Optimo Maximo reddo, qui Summo Pontifici feliciter regnanti rem tam magni momenti inspiravit; dein grati animi sensus ago Universali Patri Ioanni XXIII, qui iam exordio Summi Pontificatus, desideria, vota, adspirationes Sacrorum Pastorum obsecundans, Ecclesiae dedit nuntium celebrationis Concilii Generalis, quod nuntium, magna cum laetitia, omnes Episcopi, Sacerdotes et fideles acceperunt.

Et sane. Fere a saeculo in Ecclesia Catholica celebratum non est aliquod Concilium Generale, dum necessitas et opportunitas huius celebrationis de die in diem augebantur. Etenim res et argumenta, quae in tam sollemni conventu agenda essent sive circa doctrinam Fidei, sive circa disciplinam Cleri populique christiani hodiernis exigentiis adaptandam, non desunt.

Verum est quod Summi Pontifices et Sacrae Romanae Congregationes, data occasione, errores, cum primum irrumpebant, damnavere, doctrinam Fidei confirmarunt, definitiones dogmaticas dederunt et normas tradidere statim ac novae doctrinae apparebant. Tamen Episcopi, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, in unum collecti ex omnibus partibus orbis, de Ecclesiae bono deque hiis quae salutem animarum respiciunt agentes, errores damnantes, doctrinam Fidei et Morum confirmantes, perpulchrum spectaculum dabunt mundo et Angelis et hominibus.

Hisce positis, en sententiam meam, quae etiam virorum ecclesiasticorum prudentium huius dioeceseos confirmatur.

I. *Circa doctrinam Fidei et Morum*

1. Tempus est ut tamquam dogma Fidei definiatur doctrina Mediationis Universalis B. Mariae Virginis, necnon eiusdem Regalitatis.

2. Opportunum est renovare in Concilio damnationem sollemnem Communismi Athei, Nationalismi exaggerati aliorumque errorum Civitates respicientes, v. g. razzismo, etc.

3. Similiter opportunum videtur damnationem sollemnem renovare contra errores erga Fidem et Mores, qui a Concilio Vaticano usque ad hodiernam diem condemnati sunt, v. g. Materialismum, Modernismum, Laicismum, Euthanasiam, Limitationem nativitatum, etc.

4. In Concilio tractari potest: *a*) de Ecclesiae libertate, de eius iuribus, praesertim circa religiosam institutionem iuvenum; *b*) de unitate Ecclesiae sive erga Orientales Ecclesias, sive erga conatus schismaticos recentioris aetatis.

5. Condemnandus est ille spiritus materialismo infectus, qui omnia sub specie commoditatis et utilitatis videt, qui propugnat moralem situationis, et aestimat non esse necessarium hodie pro christiana perfectione spiritum mortificationis et sacrificii.

6. Necessarium puto in Concilio agi de doctrina sociali Ecclesiae, de iustitia et de quaestione sociali necnon de movimentis sindacalibus et politicis.

II. *Circa disciplinam ecclesiasticam*

In Concilio Oecumenico tractari poterunt haec capita.

A) *De Clero.*

1. Institutio Clericorum fiat in propria dioecesi apud Episcopum, ut hic agnoscere possit suos Clericos.

2. Fovenda, immo imponenda ubique terrarum inter Clericos vita communis, ad normam can. 134 *Codicis Iuris Canonici.*

3. Suadenda est institutio Clericorum Dioecesanorum, ad instar Religiosorum, ad nutum Episcopi.

4. Parochi sint omnes amovibiles, ad nutum Episcopi.

5. Agi potest de translatione Clericorum de una dioecesi, quae Sacerdotes superfluos habeat ad aliam paucos Sacerdotes habentem.

B) *De Episcopis.*

Relationes inter Episcopos et Sacras Congregationes Romanas sint magis specificatae, praesertim quoad maiores facultates exercendas.

C) *De Religiosis.*

1. In tuto ponatur principium: nihil sine Episcopo.

2. Reducatur eorum exemptio ad regimen internum domus religiosae. In reliquo Ordinario pareant tamquam proprio Superiori.

3. Ab Ordinario requisiti operam dent in ministerio pro salute animarum.

4. Mulieribus religiosis interdicatur omnino eleemosynam quaerere per domos et per vias. Etiam viris religiosis prohibeatur id. Nulla domus religiosa aperiatur nisi redditus sufficientes habeat pro sustentatione.

5. Nulla domus religiosa, nisi formata, existat; aliae supprimantur, quia in eis religiosa observantia haberi nequit.

6. Superiores Provinciales cum Ordinariis locorum communicent nomina Superiorum qui regimini domorum in Dioecesi extantium praepositi sunt.

D) *De Capitulis Cathedralibus.*

1. Reducatur obligatio chori ad sollemniores festos anni liturgici.

2. Fiat revisio privilegiorum, quae hodiernis temporibus amplius sustineri non possunt.

E) *De variis argumentis.*

1. Detur decretum definitivum circa ieiunium et abstinentiam.

2. Normae et dispositiones dandae sunt quomodo provideri honesto sustentamento Clericorum.

3. Instituendi sunt auxiliares Cleri in rebus temporalibus, in administratione bonorum temporalium.

4. Desideratur revisio et simplificatio Pontificalis Romani, Missalis et Breviarii.

5. Introducendus videtur usus linguae vulgaris in administratione Sacramentorum et Sacramentalium.

6. Agendum est de Laicis in Ecclesia et de eorum apostolatu sive in Associationibus Actionis Catholicae, sive in aliis Associationibus.

Haec, Em.me Domine, meo iudicio, sunt capita vel argumenta agenda in futuro Concilio Oecumenico. Ex argumentis in unum collectis omnium Episcoporum tractatio completa et perfecta evadet. Spiritus Sanctus operam suam prestabit ut ea quae vera et realiter ad honorem Dei Omnipotentis, ad profectum S. Matris Ecclesiae, ad bonum animarum et ad

incrementum vitae spiritualis inserviunt, seliganutr pro discussione et approbatione.

Sensus venerationis meae profundae Tibi obtestor et S. Purpuram deosculans me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum

✠ DOMINICUS VENDOLA
Episcopus Lucerinus

118

EXC.MI P. D. IOANNIS MELE
Episcopi Lungrensis (Lungro)

Ex oppido vulgo « Lungro », die 16 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Prae oculis habens litteras Eminentiae Vestrae diei 18 iunii 1959 (n. I C/59-1089), humiliter respondeo mea vota haec esse:

1. Plurimae sint animadversiones circa mysteria fidei, et perpaucissimae dogmaticae definitiones.

2. Definiatur num ignis Averni litterali sensu careat fide.

3. Definiatur quomodo intelligenda sit praescientia Dei circa futura libera.

4. Expungantur ex horis canonicis psalmi qui complectuntur imprecationes contra inimicos.

5. Sitis pecuniae et oblectamentorum penes plures Clericos, Religiosos atque Religiosas, comprimatur.

6. Indulgentiarum numerus immodicus non sit.

7. Innumerae denominationes Beatae Virginis Mariae minuantur, vel saltem non augeantur.

8. Plurimae sint exhortationes, perpaucae obligationes, perpaucissimae censurae. Exempli gratia, obligatio quotidie horas canonicas integre recitandi potest in instantissimam exhortationem converti.

9. Amplioribus facultatibus gaudeant Episcopi sive dispensandi sive sanandi sive permittendi.

10. Minuantur Iuris Canonici canones, quorum aliqui, ad vitandas innumeras disputationes et dubitationes, paucis verbis redigi possunt. Exempli gratia, paragraphus primus canonis 98 *C.I.C.* potest redigi his

solis verbis: « Inter varios catholicos ritus ad illum quis pertinet, cuius caeremoniis baptizatus fuit ».

11. Actio Clericorum penes regimina civilia aliasque publicas administrationes in negotiis mere temporalibus aut desit omnino aut tam cauta et moderata sit ut declinetur suspicio indebitae interpositionis.

Eminentiae Vestrae Manus reverenter deosculans, summa qua par est devotione permaneo.

Eminentiae Vestrae humillimus famulus

✠ Ioannes Mele
Episcopus Lungrensis

119

Exc.mi P. D. IOSEPHI STELLA

Episcopi Lunensis, Sarzanensis et Brugnatensis
(La Spezia, Sarzana e Brugnato)

La Spezia, 27 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Sacram Purpuram deosculans et obsequentissimi animi mei sensus manifestans, animadversiones quasdam et vota circa ea quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, per has litteras mitto.

Lucem et gratiam Divini Spiritus imploro ut bonum animarum et salutem mundi Dominus Iesus concedat per Sanctam Ecclesiam Suam.

Humillime me declaro addictissimum servum

✠ Iosephus Stella
Episcopus Lunensis

De doctrina

Cum errores nostrae aetatis sint naturalismus et terrenismus, quibus negatur vocatio supernaturalis et ipsa vita aeterna, tractanda videntur argumenta:

De Gratia, prout est: donum creatum entitativum (divinizatio), dynamicum (capacitas cooperandi); donum increatum (inhabitatio Trinitatis).

De Fide et ratione: evolvatur c. IV Constitutionis « Dei Filium » Concilii Vaticani.

De Ecclesia: seu de Corpore Christi mystico: de Societate hierarchico-monarchica; de relationibus inter Ecclesiam et civilem Societatem; qua

ratione viri baptizati, civili quavis auctoritate praediti, authonomi censeri possint et qua ratione Ecclesiastico Magisterio subdantur, de Sacerdotio, quod vocatur, fidelium deque cooperatione cum Hierarchia in Actione Catholica.

De B. Maria V. omnium gratiarum Mediatione.

De Morali supernaturali, praesertim de caritate theologali, quae est christiani character distinctivus.

De disciplina

1. Dioeceses ita disponantur ut vere sibi sufficientes sint quoad omnia, ideoque constent circiter animarum 200.000/300.000 millibus.
2. Salva incardinatione distributio Cleri eiusque prudens migratio inter plures Dioeceses praevideatur.
3. Retributio pro ministerio sacro potius « dioecesana » quam « paroeciali » (seu pro singulis officiis seu muneribus) instituatur, qua iuxta peraequatio inter Clericos possibilis sit.
4. Paroeciae declarentur amovibiles, ut nominatio vel remotio parochorum expeditior evadat; lex insuper concursus pro paroeciis facultativa habeatur.
5. Institutum « pensionis » inducatur, qua frui valeant ecclesiastici, dimisso beneficio, post expletum certum annum sive aetatis sive servitii.
6. Capitula praesertim Cathedralia retineantur; at singuli Canonici praesentes habeantur cum, de mandato Episcopi, ministerio pastorali incumbunt.
7. Plenior eademque expeditior optanda est immissio Religiosorum Sodalium in ministerium pastorale dioecesanum, sub ductu Ordinarii loci.
8. Curriculum studiorum eorumque ratio in Seminariis ita disponantur ut aetas ad Presbyteratum provectior evadat, facta potestate exercendi Sacros Ordines Subdiaconatus et Diaconatus per plures annos, praesertim in Catechesi tradenda et in quibusdam experimentis pastoralibus ineundis.
9. Ieiunii et abstinentiae lex sensu clariore reformetur, vel potius operibus positivis praescriptis substituatur.
10. Censurarum elenchus et poenarum in genere ad simpliciorem rationem reducatur.

De liturgia

1. Salvo latinae linguae usu pro ritu latino in Missa et Officio, indulgendum in toto vel ex parte videtur linguae vernaculae in administratione quorumdam Sacramentorum et Sacramentalium, v. g.: in Baptismatis,

Confirmationis, Extremae Unctionis, Matrimonii administratione; in funeribus persolvendis; in plurimis benedictionibus.

2. Reformatio Divini Officii, si qua facienda sit, ita disponatur ut Officium in Choro et Officium privatum recitandum omnino iisdem textibus eademque ratione constent.

3. Kalendarium perpetuum, cum res gravissimi momenti sit, in praesentibus rerum adiunctis induci nondum potest: interea tamen curandum videtur ut festum Paschatis alicui diei Dominico certo et stabiliter assignetur, posthabitis lunationum rationibus.

4. Lectiones Biblicae in Missae et Officio alio ordine per annum liturgicum disponendae videntur ac in praesenti fit; vel ordine quodam cyclico per plures annos redigantur ita ut tota fere Sacra Scriptura, in potioribus saltem locis, legi possit.

✠ IOSEPHUS STELLA
Episcopus Lunensis seu Spediensis,
Sarzanensis et Brugnatensis

120

EXC.MI P. D. SILVII CASSULO

Episcopi Maceratensis et Tolentini (Macerata et Tolentino)

Maceratae, XXV augusti MCMLIX

Humillime et tamquam minimus Episcoporum, ad Sacros Pedes Summi Pontificis prostratus, prae oculis unice habens Fidei incrementum et rectam christiani populi morum renovationem necnon et ecclesiasticam disciplinam ad nostrorum temporum necessitates rationesque aptius accommodatam (iuxta Encyclicam *Ad Petri Cathedram*) quaedam quae mihi in proximo Concilio Oecumenico et in revisione *Codicis Iuris Canonici* utiliter tractatura videntur, quasi ad indicis modum attingo triplici divisione, dogmatica scilicet, disciplinam Cleri et fidelium spectantia, et liturgica.

Capita doctrinae

1. Principia dogmatica praecipua, quae inveniuntur in Encyclicis *Mystici Corporis Christi* et *Mediator Dei* etc... proponi possunt credenda fidelibus in ipso Concilio Oecumenico.

2. Mediatio universalis B. M. Virginis... Praesentia B. M. Virginis in Ecclesia...

3. Ius divinum circa Episcopatum bene determinetur, ita ut evidenter fulgeat Sacerdotii plenitudo in Episcopo uti fons et ratio cuiuscumque participationis eiusdem Christi Sacerdotii, e quo derivatur potestas Presbiteri, Diaconi etc.

4. Doctrina de religiosorum votis non tantum privatis, quamvis sanctis, doctoribus relinquatur, sed ab ipso Ecclesiae magisterio procedat; et praesertim dicatur (ut iam R. Pontifex f. r. in Encyclica *Sacerdotii Nostri primordia*) de perfectione Cleri saecularis qui (minus apte mihi videtur), in saeculari conditione permanens, confugit ad instituta religiosa ad sanctitatem fovendam, cum ad eumdem finem habeantur multiplices (et aliae fundari possent praecise pro Clero saeculari) piae Associationes.

5. Conceptus *hominis religiosi* (cum plures sistant in sentimento tantum vel in cultu rituali) clare et complete definiatur.

6. Catechismus iuxta hodiernam mentem, sermone magis apto et concreto, edatur...

Capita disciplinae

1. Quotannis etiam pro Clero saeculari Exercitia Spiritualia quinque saltem dierum praescribantur.

2. Disciplina etiam Cleri regularis, extra claustra, magis ac magis in futurum plene subiaceat iuri episcopali.

3. Templa publica etiam Regularium, habeant vel non curam animarum, in omnibus pendeant a lege dioecesana.

4. Exemptio Religiosorum relaxetur intuitu animarum salutis, et numquam ex se in damnum sit unitatis Ecclesiae activitatis, cuius Rectores Episcopi sunt sub auctoritate Romani Pontificis.

5. Sit in facultate Episcopi aliqua peraequatio rerum temporalium ut omnes Sacerdotes honestam habere possint sustentationem iuxta Dioecesis possibilitatem.

6. Sint uno quoque anno in singulis Dioecesibus exercitationes scripto et ore de re theologica, quibus interesse possint (aliqui obligentur) Sacerdotes, ita ut Episcopus, iuxta earum exitus, regulariter per triennium, promovere possit, sine particulari concursu, ad beneficia vacantia. Hoc ad fovendum studium erit, quod maxime optandum in tam facili periculo desertionis librorum.

7. Etiam Parochi, sicut Episcopi ad S. Sedis nutum, ad nutum Episcopi sint sc. non amplius inamovibiles.

8. Circa administrationem bonorum temporalium nutus Episcopi praevaleat ita ut in singulis casibus, iuxta voluntatem vel capacitatem beneficiarii, possit vel non eam conferre.

9. Nulla amplius dispensatio supra defectum aetatis concedatur pro Ordinatione sacerdotali...

10. Statuat Ecclesia Diaconatum conferri posse non tantum futuris Presbiteris iuxta praesentem regulam, sed etiam iis qui sacerdotes non erunt neque regulariter esse possint (praesertim defectu intelligentiae vel instructionis...) praeferendo non nuptos, viduos sine prole vel, quamvis cum prole, ab ipsa independentes et ad ipsam nulla obligatione detentos in re oeconomica. Perutiles hi Diaconi erunt in administranda Eucharistia, in conferendo Baptismo, in funerando, in quibusdam benedictionibus impertiendis etc... sub directa iurisdictione Parochi, consensu praevio in omnibus facultatibus ipsis concedendis Ordinarii loci.

11. Diaconorum praeparatio fiat institutione domorum appositarum saltem in singulis Regionibus Ecclesiasticis, statutis regulis a S. Sede. Alumni non pauci fluere possent e Seminariis pro quibus probatio negative facta sit ratione studiorum, virtute tamen, honestate morum et in primis voluntate firma in bono proficiendi in tuto positis, quamvis pro aetate.

12. Translatio Cleri ab una ad aliam Dioecesim, si fiat ab auctoritate apostolica, Seminario Dioecesis a qua oeconomice faveatur per aliquam fundationem perpetuam a Dioecesi ad quam, et hoc ad maius fovendum vocationum Opus.

13. Sacra Congregatio Seminariorum foveat mutuum adiutorium finitimarum Dioecesium permittendo conviventiam alumnorum in uno Seminario illarum Dioecesium pro scholis numero discipulorum deficientibus.

14. Auctoritative provideatur necessariae independentiae studiorum in Seminariis a ratione civili studiorum, ita ut alumni ad sacram Theologiam sint recte parati diligentissima formatione philosophica et firma conscientia excellentiae propriae vocationis probataque virtute. Licentia ergo, uti dicitur, gymnasialis civilis, ut iam statutum est, exigatur regulariter pro omnibus alumnis; titulus vero iuridicus licealis civilis vel non urgeatur vel, si exigitur, biennium philosophicum sequatur triennium cursum licealem more nationali expletum. Mihi videtur nimis nocere Seminariis nostris rigidum servilismum scholasticum.

15. Maxima residentia statuatur in Seminario saltem pro Rectore et pro spiritus Moderatore, et singulis in casibus sufficiat auctoritas Ordinarii ad dispensationem officii choralis, si ipsi sint Canonici.

16. Remedium ponatur (agitur de re difficillima) periculo castitatis pro Sacerdotibus praesertim solis cum sola domi viventibus, excepto casu praesentiae matris vel sororis convenientis aetatis. Aliqua vita communis, quando fieri potest, instituatur. Singulae Dioeceses v. g. habeant saltem unam domum clericalem in qua vita communis offeratur Clericis officiis

dioecesanis fungentibus; si haberi nequeat, apud Seminarium; quantum fieri potest, vita communis, de qua supra, statuatur.

17. Aliqua revisio finium Dioecesium urget; per opportunam Commissionem Pontificalem permanentem haec difficillima materia serio studio tractetur iuxta dinamicam temporum evolutionem et paulatim saltem casus urgentiores solvantur.

18. Episcopi, residentiales saltem, iurisdictionem expeditam habeant pro Sacramento Paenitentiae et sacra praedicatione tamquam in propria Dioecesi ubique terrarum; sollemnes tantum ritus pontificales ne fiant ab Episcopo extra propriam Dioecesim sine consensu Ordinarii loci.

19. Revisio circa praecepta Ecclesiae: secundum est penitus neglectum... quartum maiori determinatione indiget in concreto ut reapse fideles inferat ad auxilia multiplicibus operibus Ecclesiae necessaria iuxta pecuniae valoris realis variationem; quintum otiose tenetur.

20. Ad mala vitanda praesertim recensita in prima parte Encyclicae *Ad Petri Cathedram,* quae gignunt ignoratio veritatis et despectio, ac ab ea temeraria aversio, auctoritative interveniat S. Sedes per leges non tantum negative sed et positive disponentes immanem materiam de ephemeridibus, de radiophonicis auditionibus, et de spectaculis cinematographicis et televisificis.

21. Statuatur lege generali ut, firma hodierna lege circa aetatem ad Eucharistiam sumendam, Sacramentum Confirmationis ne regulariter conferatur ante decimum aetatis annum; certe proficiet catechetica instructio et conscientia officiorum catholicis incumbentium.

Capita Liturgiae

1. Excepta S. Missa, omnes ritus, etiam in Sacramentis conficiendis, fiant sermone nationali, item et preces post Missam, nisi aboleantur.

2. Ritus Consecrationis Altarium et Ecclesiarum contrahatur.

3. In cultu B. M. Virginis et Sanctorum magis semper fulgeat ut centrum Redemptor et Mediator Christus; item et in omnibus orationibus ab auctoritate Ecclesiae approbatis centralitas Christi semper affirmetur.

4. Privilegia spectantia Sanctorum cultum et B. M. Virginis, quae obumbrare possint Christi cultus praeminentiam (v. g. expositio Reliquiarum vel Imaginum sacrarum in centro Altaris vel amplius in trono Eucharistiae, usus umbellae in processione...) ne concedantur et vetera omnia abrogentur.

5. Forma Altaris in quo habitualiter servatur Eucharistia sit talis ut omnes, etiam pueri, facile illud inter caetera Altaria distinguant.

6. Normae nunc vigentes circa illuminationem Altaris videntur mi-

nuere ante oculos fidelium celebrationem Sacrificii Missae contra simplicem Benedictionem Eucharisticam; forsan corrigi possunt utiliter distinguendo usum cerae et usum energiae electricae, quae ultima uti posset in Benedictione et non in Missa.

Conclusio

Inter quae supra indicavi extant certe insipienter dicta, forsan erronee dicta, superflua et inutilia, necnon et nimis particulariter dicta; attamen recta intentione, ut praedixi, omnia exposui. Quae submitto iudicio et magisterio infallibili Summi Romani Pontificis, Cui divinus Magister Christus per legitimam Petri successionem dixit: « ... rogavi pro te ut non deficiat fides tua... et tu... confirma fratres tuos ».

Cuique summa cum veneratione, Sacros Pedes deosculatus, me filium addictissimum profiteor.

✠ Silvius Cassulo
Episcopus Maceratensis et Tolentinus

121

Exc.mi P. D. ANDREAE CESARANO
Archiepiscopi Sipontini (Manfredonia)

Prot. N. 412/59 Manfredonia, 28 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Ho l'ambito onore di riscontrare la venerata dell'Eminenza Vostra Reverendissima del 18 giugno 1959, N. I C/59-804, con la quale la Eminenza Vostra Reverendissima si benignava invitarmi ad esprimere le mie proposte in merito a quanto potrebbe essere oggetto di trattazione nel futuro Concilio Ecumenico, indetto da Sua Santità Giovanni XXIII.

Ed è in ottemperanza a tali venerate disposizioni che mi è sommamente grato compiegare alla presente i miei umili e modesti voti, da sottoporre al vaglio di cotesta Pontificia Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico.

Godo pertanto profittare della circostanza per baciare la Sacra Porpora e porgere il mio profondo ossequio, con il quale mi onoro professarmi,

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umil.mo, dev.mo ed obbl.mo
servo e figlio
✠ Andrea Cesarano
Arcivescovo di Manfredonia

1. Ut opus apostolicum pro animarum salute, quod praecipue cordi est Ecclesiae Catholicae Sponsae Christi, ordinate, hierarchice et univoce procedat, necesse est ut omnes actuose cooperentur cum Episcopo in Dioecesi (ex. gr.: Actio Catholica, Confraternitates, Sodalitia Tertii Ordinis, Piae Uniones et similia), praesertim Congregationes Religiosorum Religiosarumque. Immo mihi restringenda esse videtur privilegia, *praesertim exemptionis,* Religiosorum, quibus in munere apostolico exercendo, non tantum in Ecclesiis paroecialibus sed etiam in Oratoriis, unice et exclusive praeesse debet Ordinarius loci, cui spectat coordinatio omnium virium apostolicarum, ita ut verum habeatur Corpus, in quo membra distincte at non separatim in bonum commune cooperentur.

2. Omnes Cleri dioecesani Sacerdotes animadvertunt maximi esse momenti hodiernis temporibus *vitam communem,* quae tamen sapientibus regatur dispositionibus, ita ut Levitae, de victu sibi comparando haud solliciti, in ea quae sunt ad Deum omnino incumbant, necnon varias methodus apostolatus et experientiam sibi invicem transmittere possint maxima cum charitate et discretione.

3. *De re liturgica*: Ut habeatur intima Christifidelium participatio Missae Sacrificio fere ab omnibus optatur:

a) ut Missa diebus saltem festivis dialogata semper sit;

b) in prima parte Missae, i. e. « Missa Cathecumenorum », lingua adhibeatur vulgaris, quia, si « Missa didactica » est, iuxta probatos auctores, « magisterium ordinarium » qua ab Ecclesia Christifideles quotidie imbuuntur, opus est ut ipsi intellegant quae eis docentur, iuxta illud divi Pauli « fides ex auditu »;

c) hoc valere debet etiam in Sacramentis administrandis, quia « Sacramenta propter homines! ». Ideoque plerique Cleri fideliumque in hoc conveniunt ut Sacramenta, saltem Baptismatis, Confirmationis, Extremae Unctionis et Matrimonii lingua vulgari aut in toto aut in parte administrentur.

Nam licet Sacramenta ex opere operato gratiam conferant, tamen in fidelibus requiritur dispositio, quae linguae vulgaris usu facillime optimeque excitaretur;

d) ad amorem erga SS.mam Eucharistiam ulterius favendum, danda esse mihi videtur facultas ad Sacram Communionem accedendi extra Missam quavis diei hora, servatis praescriptionibus recenter statutis per Constitutionem *Christus Dominus* et praesertim *Ad Sacram Communionem* Summi Pontificis Pii Papae XII immortalis memoriae circa ieiunium eucharisticum.

✠ ANDREAS CESARANO
Archiepiscopus Sipontinus

122

Exc.mi P. D. ANTONII POMA
Episcopi Mantuani (Mantova)

Mantuae, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Quae de futuro Concilio Oecumenico Litteris diei 18 iunii 1959 (I C/59-807) consignasti, venerabundus accepi ac, Deo adiuvante, toto animo cogitavi. Nunc, Augusti Pontificis votis libenter obsecundans, pauca Commissioni Antepraeparatoriae humiliter propono.

Perspicuitatis gratia in tribus capitibus argumenta significantur: quae scilicet ad Magisterium, quae ad Ministerium, quae ad Ecclesiae Regimen pertinent. Ecclesia enim Christi munus in aevum producit, qui est Magister, Sacerdos et Rex. Qua ratione omnia comprehendi posse videntur.

Magisterium

1. Anteacta Concilia quaedam doctrinae capita exposuerunt quae illis temporibus magis apta ad haereses profligandas et ad quosdam errores repellendos videbantur. Quod sane etiam nostris temporibus praesertim contra relativismi, idealismi et materialismi doctrinam, quae magis directe atheismum proponit, faciendum videtur.

2. Bonum est praeterea futurum Concilium Oecumenicum redigere synopsim seu syllabum totius christianae fidei et veritatum quae ab omnibus certae tenendae sint. Ingens labor, sed utillimus sane omnibus quibus facilior patet via ad tutam notitiam comparandam de Christianismi substantia non tantum per theologos quantum authentica expositione.

Quae expositio triplici praesertim ratione magni aestimabitur, quia non polemica sed positiva, non partialis sed completa, non dispersa sed harmonice digesta. Facilius videbunt fratres separati, bona voluntate praediti, non tantum pauca quae dividunt sed multo quae ad unionem cum vera Christi Ecclesia alliciunt.

3. Quaedam tamen peculiari modo agi debent de Ecclesia ut Corpore Christi Mystico, de eius hierarchica constitutione (praecipue de Episcopatu et Sacerdotio, de vita religiosa et laicatu) atque de rationibus cum Imperio civili, scientia ac humanae gentis diverso civili cultu.

4. Quaedam de Mariologia adhuc inquirenda ac declaranda, si fieri

potest, praesertim de Corredemptione ac de universali gratiarum Mediatione.

5. Quaedam praecipue exponenda de peccato, de matrimonio ac de doctrina sociali christiana.

Ministerium

1. Pietas liturgica et praesertim Missae celebratio honore antecedat popularem et privatam devotionem; etenim per eam fit Redemptionis Christi ad animarum salutem applicatio.

2. In libris liturgicis innovandis:

a) Veritas historica omnino exponatur (v. g., in Sanctorum vita enarranda).

b) Fidelium vita et conditiones magis attendantur, ita ut simplicior, evidentior et brevior sit celebratio praesertim quorumdam rituum (v. g., in Ecclesiae et altaris consecratione), quorumdam partium publica lectio vulgari lingua permittatur.

c) Magis abundet liturgica catechesis in ritibus inserta, opportuniore lectione et commentario Sacrarum Scripturarum ac doctrinae catholicae ad fidelium aedificationem.

d) Sanctorum festa in Ecclesia universali pauciora numerentur, ita ut magis populus alliciatur ad Christi vitam et mysteria Religionis meditanda. Quaelibet Natio vel ecclesiastica Provincia vel particularis Ecclesia referat tamen festa cuiuscumque propria.

3. Ad fidelium religiosam eruditionem libri v. d. « direttorii » parentur vel praecipiantur, sive ad homileticam expositionem, sive ad totius doctrinae christianae propositionem.

Experientia docet sacram praedicationem, uti saepe in ecclesiis exercetur, omnino esse instaurandam et quoad methodum et quoad argumentorum propositionem. Permulti enim humana et privata praecepta institutaque cum aeterna veritate miscent vel eam substituunt magno cum animarum detrimento.

4. In actuali Religionis neglegentia fidelibus etiam proponatur catechesis quae variae hominum aetati sit idonea. Nonne puerorum spiritualis indigentia admonet accuratiorem et diuturniorem Sacramentorum praeparationem? Maxime in quaestionem vocetur Confirmatio, quae ex ipsa rei natura videtur non tantum requirere ut quis leviter imbutus sit, sed notitiam de Religione christiana et spirituali pugna clarius habeat: quae omnia nimis acerba pueritia consequi nequit.

Quod etiam ratio pastoralis suadere videtur, quia maior puerorum pars, in permultis Ecclesiae regionibus, catechesim et interdum praxim

religiosam relinquunt post primam Communionem et sacram Confirmationem.

Item traditio laudabiliter in omnibus instituatur ecclesiis de nuptiali iuvenum catechesi ante sacramenti matrimonii celebrationem.

Omnino etiam vitanda illa de liturgia baptismali et poenitentiali privata notio et praxis qua fere apta et decentia loca in ecclesiis interdum desiderantur ad eorumdem sacramentorum honestam collationem.

Regimen

1. Meliores Concilii fructus e sacerdotum cultura et ascetica institutione expectari licet.

Clerici enim in hodierno discrimine maiores difficultates experiuntur ad christianas virtutes exercendas et ad imitationem Christi excolendam.

2. Quaedam de disciplina ecclesiastica accurate determinanda praesertim de humanis rationibus et de habitu ecclesiastico necnon de vita communi clericorum. Suaderi videtur v. g. pro omnibus clericis Ecclesiae Catholicae tessera seu chartula recognitionis imaginem sacerdotis referens eiusdemque fidem faciens, quotannis a proprio Episcopo confirmanda.

3. Pariter renovetur spiritus Religiosorum et Sanctimonialium, praesertim in parvis domibus religiosis, quae interdum languescere et consenescere videntur.

4. Difficulter tamen via proponi potest quia practice regnat et nimius invalescit ille dualismus iuridicus inter unum et alterum Clerum. Nocumentum in vita pastorali evidenter patet.

Quoad Religiosorum ministerium, Episcopis practice reservatur et agnoscitur dignitas honoris et ordinis tantum.

5. Nimiae sunt Congregationes religiosae quibus instituta saecularia nunc accedunt. Sed interdum parvus adeptorum numerus, circumscripta vel peculiaris activitas domestica et suam vitam spiritualem et actuositatem apostolicam minuunt. Accidit etiam ut finalitas multarum familiarum religiosarum simillima sit ita ut ad fines peculiares in Ecclesia obtinendos unio vel saltem foederatio suadenda sit.

6. Sensus catholicus in clericis et in religiosis magis excolatur ita ut maior oriatur aditus ministerium exercendi et opera instituendi in illis regionibus in quibus Christi regnum olim fortasse splendide excultum nunc languescere videtur ob ministrorum defectum. Multae enim sunt regiones velut derelictae ingravescente adversariorum molimine, aliae vero, omnibus praeditae auxiliis sive spiritualibus sive oeconomicis, quae aliis auxilia afferre non posse affirmant.

Una cum sensu catholico etiam in omnibus excolatur zelus missiona-

rius ita ut fideles universi Ecclesiae munus ad fidem propagandam in dies magis participent.

7. Innovetur in Ecclesia ius poenale, quaedam de iure matrimoniali, de abstinentia et ieiunio et de quiete a laboribus in diebus festis. Innovetur etiam modus dicendi qui nimis terrena sapit (v. g., quae respiciunt beneficia potius quam officia).

Innovetur methodus in paroeciarum provisione et parochorum remotione ita ut vitetur spiritualis ruina paroeciarum (uti refert localis historia et vere lacrimabilis Episcoporum experientia).

8. Principia de Laicorum participatione ad Ecclesiae apostolatum, praesertim de Actione Catholica et aliis sodalitatibus, clarius firmentur et organice exponantur.

9. Non ad universalis Ecclesiae regimen, quod Christus Romanorum Episcopo commisit, sed ad maiorem universalitatem excolendam, ad officia Sedis Apostolicae advocentur qui omnium populorum partes agant. Facilius enim vinculum statuitur si etiam viri ecclesiastici Romae ad Petri Cathedram peculiares gentis suae consuetudines et animi inclinationes exprimant necnon ad suas difficultates solvendas auxilium afferant. Nostro enim tempore fit ut, prima vice in historia, fere populi universi orbis (veluti e somno excitati) conscientiam propriae vitae citius experiantur. Ecclesia Catholica, in qua elementa occidentalis culturae evidenter abundant, nunc materno corde omnium populorum anxietates et adspirationes vividius sentit et omnes Episcopos ad Concilium advocat. Agitur ergo de hora vere historica pro totius Ecclesiae vita.

Non sine quadam peculiari divina adsistentia SS. Dominus Noster Ioannes Div. Prov. PP. XXIII die 25 mensis ianuarii Anno Domini 1959 consilium aperuit de Concilio Oecumenico celebrando.

Faxit Deus ut Patris Nostri sancta desideria compleantur ita ut omnium Ecclesiarum unitas faveatur et fiat ad totius orbis salutem.

Bona quaeque, Eminentissime Domine, pro felici laboris Tui exitu a Domino adprecatus

Eminentiae Tuae
addictissimus in Domino

✠ Antonius Poma
Episcopus Mantuanus

123

Exc.mi P. D. DOMINICI VALERII

Episcopi Marsorum (Marsi)

Prot. N. 544/59 P. Aveani, die 1 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Mitto Tibi responsiones ad Tuas Litteras (Prot. N. I C/59-817). Reverenter Sacram Purpuram deosculor et summam Tibi profiteor observantiam.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus
✠ Dominicus Valerii
Episcopus Marsorum

Circa res in futuro Concilio Oecumenico tractandas, mihi visum est in Domino proponere vota quae sequuntur:

1. Ut dogmatice definiatur Universalis B. M. Virginis Mediatio.

2. Ut confirmetur condemnatio errorum in dies ingravescentium, praesertim communismi ac materialismi, naturalismi, laicismi, liberalismi, existentialismi athei necnon massonicae sectae.

3. Ut, quemadmodum factum est in Concilio Tridentino, per viros maxime idoneos conficiatur novus catechismus nostrorum temporum necessitatibus accommodatus, quo Parochi uti possint ad populum christiana doctrina instituendum, etiam quod attinet ad quaestiones sociales. Ut etiam pro pueris conficiatur aptus textus catechismi, qui adhibeatur in totius Nationis paroeciis.

4. Ut omnes opes omnesque vires conferantur ad Cleri sanctimoniam, ex qua pendent cetera omnia, maxime curandam.

5. Ut in singulis Dioecesibus adsit Sacerdos, saecularis aut regularis, doctrina et virtute praeditus, qui curam spiritualem habeat totius Cleri.

6. Ut omnes Sacerdotes quotannis exercitiis spiritualibus vacent.

7. Ut ratio exquiratur consulendi — etiam dispensatione a lege caelibatus dummodo humillime petatur — miserorum illorum Sacerdotum qui, habitu ecclesiastico abiecto, coniugalem vitam agunt, praesertim si habent prolem.

8. Ut examinetur utrum expediat necne eamdem dispensationem concedere una cum reductione ad statum laicalem sacerdotibus qui scandalo sint fidelibus nec ullo modo, ob naturae vitium, corrigi possint.

9. Ut aboleantur paroeciae inamovibiles omnesque fiant amovibiles.

10. Ut exemptioni Regularium ab Ordinarii iurisdictione aliquis modus imponatur.

11. Ut relinquatur Episcopis potestas dispensandi quoad impedimenta matrimonialia et statuendi quoad res bonum Dioecesis spectantes.

12. Ut regimen Seminariorum Regionalium revera Episcopis demandetur.

13. Ut Episcopis senectute aut infirma valetudine laborantibus citius meliusque provideatur ne Dioecesis detrimentum patiatur.

14. Ut fiat codex omnium legum liturgicarum hodie vigentium.

15. Ut prohibitiones circa omnia quae scandalo esse possint fidelibus sint uniformes saltem pro unaquaque Natione.

16. Ut Parochi liberentur ab administratione directa bonorum temporalium beneficii, quae saepe est causa multorum malorum.

✠ DOMINICUS VALERII
Episcopus Marsorum

124

EXC.MI P. D. FAUSTINI BALDINI
Episcopi Massani (Massa Marittima)

Massae Maritimae, 24 augusti 1959

Argumentum adprecamur de gravi periculo quod ex discrepantia magis ac magis dilagante inter catholicos circa doctrinam de re sociali eveniet. Fideles enim minus gnari, prae hac confusione, non agnoscunt in communismo factum politicum sociale religiosum, sed tantum oeconomicum, et etiam ex his qui societatibus Ecclesiae subiectis adscripti sunt, aliqui, praecipue inter iuvenes, doctrinam marxisticam ad quaestionem oeconomicam persolvendam magis idoneam retinentes, communismo suffragium ferunt maxima cum facilitate. Immo et aliqui clericorum, a tanta discrepantia sententiarum confusi, de via declinant. Et ideo necesse est ut Seminaria discipulos de doctrina sociali ab Ecclesia tradita plene doceant, ita ut Clerici venturi lumen aliis praeferant et non passive ab aliis ducantur.

Adprecamur insuper:

Aequam Cleri distributionem inter Dioeceseos, ita ut iis quae penuria laborant, sacerdotes ab aliis reduntantibus subministrentur.

Ut inter Clericos maior aequitas servetur in opibus fruendis, etiam ob adversas repercussiones actualis conditionis in populo nostro, qui audit de iustitia sociali a coetu minus idoneo, qualis est, ad amussim, coetus clericalis ex nimia inaequalitate oeconomica laborans.

Ut in beneficiorum collatione, et maxime paroeciarum, concursus abrogentur.

Ut in amotione parochorum ampliori facultate Ordinarius gaudeat.

Ut auctoritas Ordinarii in Religiosis augeatur et in societatibus ab ipsis subiectis.

Ut in administratione bonorum ecclesiasticorum Ordinarius ampliori facultate gaudeat.

Penuria Sacerdotum cum maxime amplificata sit, Ordinarius potestatem habeat, prudenti ipsius iudicio, tres Missas eidem sacerdoti permittere die festo de praecepto, ne pars notabilis fidelium Missam amittat.

Episcopo infirmitate aut aliquo alio impedimento de improvviso detento facultas sit sacerdotem delegandi pro administratione Confirmationis, quando parata sunt omnia.

Ut praeceptum Eucharistiae sumendae adimpleri possit semel in anno; etiam extra tempus Paschale.

Ut in veste talari Clericorum, in Italia, nihil innovetur.

Ut territorium aliquarum dioecesium, in Italia, recognoscatur, et pro aliquibus Episcopis residentia traducatur in locum praestantiorem et magis centralem Dioecesis.

Ritus novam Ecclesiam consecrandi brevietur.

Aliqui loci Sacrarum Litterarum et Patrum qui in Breviario exiguum pretium habent doctrinale et spirituale, aliis praestantioribus substituantur.

Ut in recitatione privata Breviarii dialogi omnes inter sacerdotem et fideles tollantur.

Aliqui loci Sacrarum Litterarum in Missa, bene selecti, ut in lingua materna clara voce fidelibus legantur.

Associationes omnes laicorum quae auctoritati ecclesiasticae subiacent (Azione Cattolica, Acli, Cif, Terz'Ordine ecc.) ad specialem Sacram Congregationem referantur ut concordem directionem habeant.

Ut Breviario et Missali systema detur definitivum.

✠ FAUSTINUS BALDINI
Episcopus Massanus

125

EXC.MI P. D. IACOBI PALOMBELLA

Archiepiscopi Materanensis (Matera)

Matherae, die 20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratias ago Romano Pontifici pro convocatione provvidi Concilii Oecumenici et Eminentiae Tuae Reverendissimae pro veneranda epistola die 18 mensis iunii, I C/59-823 scripta.

Circa doctrinae capita, mihi videtur in Concilio definiri posse de B. M. Virgine, mediatrice universali gratiarum dogma.

Circa disciplinam cleri et populi christiani, puto haec inter alia esse tractanda:

1. Confirmare et declarare omnes canones sacri Concilii Tridentini et *Codicis Iuris Canonici,* praesertim circa coelibatum ecclesiasticum, usum vestis talaris sacerdotum, cohabitationem cum mulieribus, etc.
2. Obligare sacerdotes ut quotannis vel saltem altero quoque anno, sacris spiritualibus exercitiis vacent.
3. Aptiorem reddere temporibus formationem clericorum, abolendo subtiles quaestiones mere theoreticas, inducendo in curriculum studiorum lectiones pragmaticas circa necessitates vitae pastoralis et civilis.
4. Curare aequam distributionem cleri inter dioeceses.
5. Abolere paroecias exemptas et studere ut sacerdotes religiosi pastorali ministerio incumbant ad libitum Episcoporum.
6. Reddere fines dioecesium et paroeciarum ad territorium provinciae et urbis eiusdem.
7. Ordinare definitive Breviarium Romanum, ne amplius brevietur.
8. Attenuare sacras coeremonias, praesertim quae tractant de consecratione ecclesiae, altaris, etc.

Ad religiosum osculum sacrae Purpurae provolutus, me profiteor minimum Apostolorum et

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum in Domino

✠ IACOBUS PALOMBELLA
Archiepiscopus Materanensis

126

Exc.mi P. D. IOACHIM DI LEO

Archiepiscopi, Ep. Mazariensis (Mazara del Vallo)

Prot N. 577/59-A Mazara del Vallo, 6-10-1959

Litteris acceptis ab Em.mo Card. a segretis Status die 18 iunii 1959 n. 1 C/59-825, Deum humillime adprecatus sum ut Ipse nonnulla mihi argumenta suggereret in Oecumenico Concilio tractanda.

1. Quam maxime clericorum sanctitatem urgendam esse censeo, idonea institutione in Seminario dioecesano comparanda et per totam vitam servandam et perficiendam.

Exercitia spiritualia, quotannis vel — saltem — alternis annis peragenda censeo.

2. In Seminariorum alumnis et in Sacris Ordinibus iam constitutis virtutum omnium exempla praefulgeant et, praesertim, filialis devotio erga Immaculatam Virginem Mariam ac vehemens amor et specialis latriae cultus erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum.

Quod commendandum existimo sive publice, sive privatim, etiam omnibus utriusque sexus Religiosis et Christi fidelibus.

3. Ubi specialis et gravis dioecesis conditio non urgeat, S. Praesbyteratus Clericis saecularibus vel regularibus ne conferatur, nisi canonica aetate iam adepta et theologico studiorum curriculo feliciter expleto.

4. Habitus ecclesiasticus omnino servetur in regionibus ubi laudabilis consuetudo viget.

5. Vita communis maxime inter sacerdotes eidem vel proximiori ecclesiae addictos foveatur, dummodo practice vera concordia servetur.

6. Parochi omnes amovibiles sint et remotionis processus, si casus ferat, expeditior.

7. In paroeciis conferendis, lex concursus ita temperetur ut locorum Ordinariis licitum sit vacantibus ecclesiis per liberam electionem et institutionem consulere.

8. Miserrima sacerdotum condicio, qui « in via Cain abierunt » (*Iuda* 11) et, non obstante lege coelibatus, ita dictum matrimonium civile attentaverunt, Concilii Patribus prae oculis sit.

9. Aptioribus et modernis mediis necessitatibus et decori vitae sacerdotalis ita consulatur, ut omnes et singuli clerici qui Altari serviunt ex Altari manducent.

Ne ipsis — in tanta Cleri penuria — causa donetur aliunde sumendi

vitae stipendia, (aliunde) potius quam ex idoneis sacerdotalis vitae exercitiis.

10. Regulares privilegio exemptionis gaudeant simpliciter quoad ipsorum regulas, statuta et constitutiones. Quoad vero ministerii sacerdotalis exercitium, a loci Ordinariis — ut caeteri Clerici — dependant et eiusdem reali et personali visitationi subiaceant.

11. Rituale sacramentorum, ut recentioribus temporibus factum est quoad Baptismi collationem — magis vulgari idiomati indulgeat, ita ut etiam rudioribus fidelibus Ecclesiae sensus clarus evadat.

12. Hodiernae populi et civilis societatis condiciones Concilii Patribus statuta institutiones et decreta sive dogmatica, sive de re morali indicent et suggerant ita ut Ecclesia una, sancta, apostolica, catholica, Summo Pontifice supremo duce et pastore, appareat et sit vera civitas super montem posita ac lucerna ardens non solum heri, sed etiam hodie et in saecula.

Quod nobis Dominus concedat per suam misericordiam. Amen.

✠ Ioachim Di Leo
Archiepiscopus Episcopus Mazariensis

127

Exc.mi P. D. DOMINICI PETRONI
Episcopi Melphiensis, Rapollensis et Venusini
(Melfi, Rapolla e Venosa)

Melphi, 29 augusti 1959

Honorificum est communicare Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico mea consilia et vota.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Excell.mae Commissioni, cui fausta quaeque a Domino adprecor

✠ Dominicus Petroni
Episcopus Melphiensis, Rapollensis et Venusinus

1. Definitio dogmatica Regalitatis Domini Nostri Iesu Christi, Regalitatis B. M. V. et Mediationis Universalis gratiarum B. M. V.

2. Synthesis doctrinae circa Corpus Mysticum Christi et Sacram Liturgiam.

3. Syntesis doctrinae circa relationes inter Ecclesiam et Statum.
4. Damnatio communismi, laicismi et existentialismi.
5. Expositio doctrinae socialis Ecclesiae.
6. Abolitio inamovibilitatis Parochorum.
7. Ampliatio facultatum Episcoporum; relationes inter Episcopos et Sacras Congregationes et Officia Curiae Romanae.
8. Maior dependentia Religiosorum ab Episcopis quoad cultum, apostolatum etc.
9. Reformare administrationem bonorum temporalium ad obtinendam maiorem peraequationem beneficiorum et honestam sustentationem Cleri.
10. Reformare legem ieiunii et abstinentiae.
11. Concedere Episcopis ampliores facultates relate ad pia legata et onera.
12. Simplificatio Pontificalis Romani, Caeremonialis Episcoporum, Ritualis Romani.
13. Maior usus linguae vulgaris in administratione Sacramentorum etc.
14. Textus nationalis unicus pro Catechismo.

✠ DOMINICUS PETRONI
Episcopus Melphiensis, Rapollensis et Venusinus

128

EXC.MI P. D. ANGELI PAINO
Archiepiscopi et Archimandritae Messanensis (Messina)

Eminentissime Princeps,

Relate ad tuas ven. litteras, diei 18 iunii 1959, prot. 1 C/59-845, qua par est reverentia et humilitate, haec quae sequuntur tuae et commissionis antepreparatoriae pro Concilio Oecumenico submitto considerationi:

I. Pro cleri disciplina, ad promptius et felicius providendum paroeciarum curae utile erit quae in *C.I.C.* de parochorum amovibilitate et inamovibilitate statuuntur, denuo attento examini subiicere, ita ut locorum Ordinariis facultas detur facile parochos transferendi, removendi, promovendi; immo perutilis esset parochorum translatio ad eorum diligentiam excitandam.

II. Cum in multis dioecesibus sacerdotum dioecesanorum exiguus sit numerus, dum, e contra, sacerdotes regulares numerosi extant, conveniens erit, ut revisis iis quae in *C.I.C.* statuuntur de religiosorum exemptione, leges condantur, quibus Ordinarius, auditis superioribus religiosorum, possit ipsorum ministerio uti in fidelibus iuvandis, praesertim diebus festis de praecepto, occasione missionum, quadragesimali tempore.

III. Cum actio politica, praesertim in Italia, non paucas aerumnas coetui ecclesiastico afferat, remedia excogitanda sunt, quibus haec actio innoxia reddatur.

IV. Saepe evenit ut parochi, aetate provecti, in animarum cura permaneant, necessitate oeconomica coacti: utile esset, eos statutum numerum annorum assecutos, ab officio removere, cum congrua utique sustentatione: Ordinarius poterit eorum adiutorio uti in aliis ministeriis congruentibus.

V. Sancta ac venerabili ecclesiastici coelibatus lege statuta, media invenienda sunt, quibus subveniatur sacerdotibus qui a suo statu deciderunt vel, vestem sacerdotalem retinentes, gravia peccata contra sextum commiserunt et nullum resipiscentiae signum ostendunt.

VI. Servata lingua latina in canone Missae et in essentialibus relate ad sacramentorum collationem, optandum videtur ut partes quae ad fidelium instructionem sunt, lingua patria legantur eo fine ut populus attente et digne participet. Pari ratione revisenda videntur caeremoniae et ornamenta ecclesiastica quae non cohaerent nostrae aetatis exigentiis spiritualibus.

VII. Memoratis rationibus quibus Apostoli pulsi sunt ad Diaconos ordinandos, cum nostris temporibus sacerdotum numerus fere ubique exiguus sit, optandum videtur ut coetus Diaconorum instituatur, qui, non teneantur coelibatus lege, et tamen possint, recte in sacra theologia instructi, ut sunt plerique in actionis catholicae agminibus militantes, catechesim tradere in scholis et aedibus paroecialibus, baptizare, mensis ministrare, rem oeconomicam in beneficiis ecclesiasticis curare.

VIII. Curandum est ut cleri condiciones oeconomicae pares sint necessitatibus quotidianis et e medio tollendae sunt differentiae, distribuendo beneficia inter paroecias et officia inter clericos ita ut aequalitas quaedam obtineatur.

IX. Relate ad habitum ecclesiasticum requiritur ut is semper et ubique clare et prompte distinguat clericum a laico.

X. Curandum est ut Seminaria novensiles sacerdotes necessitatibus pastoralibus huius temporis aptos praeparent: ad quem finem assequendum utilis videtur exercitatio practica, saltem per annum, cleri-

corum in paroecias, optimis sacerdotibus concreditis, antequam illi ordinum maiorum onera suscipiant.

XI. Ratio taxarum paroecialium et curialium revisenda videtur: quae caùsa extat multarum querimoniarum et frequentium scandalorum. Optandum ut parochi quae necessaria sunt ad eorum honestam sustentationem habeant, et ita operam suam gratis praebeant. Si qua pecuniae summa exigenda sit, haec ecclesiae necessitatibus et pro apostolatus operibus erogetur.

✠ ANGELUS PAINO
Archiepiscopus et Archimandrita Messanensis

129

EM.MI P. D. IOANNIS B. CARD. MONTINI
Archiepiscopi Mediolanensis (Milano)

Milano, 8 maggio 1960

Eminenza Reverendissima,

Chiedo venia se rispondo con grande ritardo alla Sua venerata lettera del 18 giugno 1959 (prot. n. 1 C/59-42), con la quale Vostra Eminenza Reverendissima, annunciandomi la Sua nomina a Presidente della Commissione Antipreparatoria del futuro Concilio Ecumenico, mi invitava a manifestare ogni parere e voto, che fosse ritenuto utile alla buona riuscita del Concilio stesso e al bene della Chiesa di Dio. Impegni pastorali, indeclinabili e di immediata scadenza, hanno incalzato talmente l'umile sottoscritto, che gli hanno tolto ogni agio per soddisfare dovere di tanta gravità.

Plaudo intanto alla nomina che Sua Santità ha fatto nella persona dell'Eminenza Vostra, e ringrazio dell'onore che da tale invito mi è fatto; e sebbene impari a rispondervi adeguatamente, esporrò con molta semplicità alcune osservazioni, che Vostra Eminenza troverà nei fogli qui uniti.

Le bacio umilmente le mani e con sensi di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima

✠ G. B. CARD. MONTINI
Arcivescovo di Milano

I. Circa Concilii praeparationem

1. Gaudeo primum de ipsa praeparatione quam huic extraordinario Ecclesiae eventui praemittere visum est. Nam huiusmodi praeparatio vel per se ipsam in magnum beneficium evadet.

2. Haec praeparatio praesertim necessaria est pro eo quod attinet ad unitatem in Ecclesia restituendam illorum christianorum coetuum qui nunc separati existunt. Ex hoc immensae apparebunt difficultates, humanis viribus impraesentiarum insuperabiles, altissimo fini consequendo adhuc obstantes. Ceterum Concilium ad unitatem Christianorum restaurandam, post inanes conatus quos historia recenset, si scopum falleret, graviorem praesentem redderet condicionem nedum iuvaret. Periodici commentarii hoc unanimiter proclamant, quod ut graviter perpendatur procul dubio meretur.

3. Haec proinde quae sequuntur oportere videntur:

a) Consiliis virorum Concilio Oecumenico praeparando coactis nota donetur summae competentiae et universalitatis; viri scilicet eligantur scientifica (historica, theologica, caet.) auctoritate praediti et ex omni mundi parte arcessiti.

b) Eruditorum et studiosorum disceptationes promoveantur et dirigantur, quae de rebus theologicis, historicis, iuridicis, pastoralibus tractent, ad relationes attinentibus inter Ecclesiam Catholicam et separatas Ecclesias seu varios Christianorum coetus.

c) Favore accipiantur, dirigantur et promoveantur conventus non quidem auctoritate pollentes, attamen titulum certae et spectatae doctrinae habentes, virorum catholicam disciplinam et mentem exprimentium simul cum viris opiniones dissidentium significantibus. Optime conceptum proinde videtur propositum consultationis seu conventus theologorum catholicorum et « orthodoxorum », ut dicunt, Venetiis vel alibi convocandorum. Huiusmodi conventus praeparandi videntur etiam inter catholicos eruditos et Anglicanos, auspice exemplo claris memoriae Cardinalis Mercier cum nobili viro Lord Halifax Mechliniae disputantis. Difficilius erit huiusmodi conventus cum protestantibus doctoribus convocare, cum hi sine unitate et sine hierarchia, inter se in innumeras confessiones seu « denominationes », ut dicunt, divisi existant. Attamen aliquod experimentum haud impossibile erit nec inutile; ipsa Mediolanensium civitas, quae semper, historia teste, inter Romam et septentrionales Europas plagas tum pontis tum aggeris vices gessit, his conventibus sedem offerre poterit.

d) Spes concedatur Christianis separatis ad unitatem Ecclesiae re-

deundi cum dignitate, scilicet cum quadam facilitate quoad disciplinam iuris tantum ecclesiastici. Servata doctrina fidei, servato iure constitutionis Ecclesiae, indulgentiam peculiarem adhibere fas erit, saltem primis temporibus conversionis ad unitatem perdurantibus, in his quae spectant ad disciplinam et ritum. Immo ipsa Ecclesia catholica, apostolica caritate animata, sollicitam se opportune praebebit perfectionis et reformationis in his quae christianos separatos potissimum offendunt, vel adhaesionem ad unitatem Ecclesiae difficiliorem reddunt. Neque videbitur nefas si Ecclesia catholica aut romana Curia quibusdam rebus honorificis, ritualibus vel mere iuridicis sponte renunciaverit, dummodo ad exemplum fraternitatis christianae et evangelicae humilitatis id inserviat nec non ad faciliorem sternendam dissidentibus viam, qua possint ad paternam redire domum.

II. Circa doctrinae argumenta

Quod attinet ad depositum veritatis custodiendum, quod Revelatio Ecclesiae commisit, investigationis dignae videntur quae sequuntur quaestiones:

A) *Quaestiones et errores generaliores*

a) Doctrina revelata circa supernaturalem finem generis humani et singulorum hominum, et circa necessitatem gratiae eiusque mediorum ad salutem supernaturalem, definiatur, contra conceptiones « humanismi naturalistici », ut dicunt, in mentibus modernorum facile dominantes.

b) Doctrina revelata circa relationes inter redemptionem Iesu Christi et ipsum bonum naturale et temporale humanitatis item definiatur, ut accuratius exprimatur genuina indoles « christianae spei » contra « spem terrenam » omnium doctrinarum, quae illuministicae dicuntur (marxismi, technicismi, historicismi, caet.), salutem mere terrenam promittentium, opibus mere naturalibus assequendam.

c) Adamussim elucidetur et declaretur doctrina circa praecipuas quaestiones de relationibus inter ordinem supernaturalem et humanas realitates seu humana rerum momenta, quae maxime mentes hodiernas angunt. Potissimum quae sequuntur tractanda in Concilio videntur:

aa) relationes inter vitam politicam et vitam religiosam, Ecclesiae competentiam affirmando necnon eiusdem limites, ut Christianis doctrina clara et in omni loco univoca proponatur;

bb) momentum rerum vel actionum, ut dicunt, « temporalium » quoad finem supernaturalem adipiscendum, ut proponatur religiosus sed verus sensus omnis activitatis humanae « temporalis »;

cc) caritas christiana et eiusdem obligatoria consectaria in vita sociali, ut fides christiana praesentetur tamquam verum fermentum, cui nihil subrogari potest, omnis boni vel temporalis (ex. gr. quoad relationes inter stirpes aut classes hominum) generis humani.

B) *Quaestiones circa doctrinam et vitam Ecclesiae*

a) Relationes inter supernaturalem et intimam Ecclesiae vitam et eius hierarchicam structuram definiantur, ut completa et accurata doctrina exprimatur verae naturae Ecclesiae et relationes quas ad illas habent baptizati omnes et illi qui bona fide extra Ecclesiam versantur: huiusmodi enim relationes saepe considerantur magis in ordine quodam iuridico quam ontologico. Haec autem declaratio videtur necessarium fundamentum omnis oecumenicae, ut dicunt, actionis.

b) Vocatio ad salutem supernaturalem et potestas omnibus hominibus facta per gratiam Christi eam adipiscendi definiatur, etsi unicitas Ecclesiae eiusdemque necessitas ad supernaturalem salutem denuo confirmetur.

c) Natura vero Sacramenti Novae Legis, quae inest Consecrationi Episcopatus definiatur, necnon munus et charismata Episcopatus in Ecclesiae regimine propria ex Christi voluntate.

d) Doctrina declaretur perspicua circa laicorum locum in Ecclesia eorumque activam participationem ad vitam Ecclesiae, etiam cum quadam comparatione ad locum et munera Sacerdotum et praesertim Sacrae Hierarchiae.

III. Circa disciplinam generalem et vitam pastoralem

Haec proponenda videntur:

a) Investiganda sunt subsidia vel adiumenta ad fidem efformandam; praesertim consideranda est necessaria aptatio Liturgiae ad duplicem scopum: cultus scilicet publici, cui reapse tota christiana communitas participare possit, et simul instructionis populi fidelis.

Speciatim principia determinanda videntur pro usu linguae vulgaris in parte didactica S. Missae, in notabili parte administrationis Sacramentorum, in liturgia funeraria, in Sacramentalibus. Ad hoc, usus regularis sermonis vigentis atque usitati audacter admittendus videtur etiam in cultum publicum Ecclesiae, praesertim illuc ubi intelligentia textuum

liturgicorum ex ipsa eorum natura postulatur (ut in didacticis, historicis, euchologicis testibus locum habet).

b) Nova disciplina elaboretur ad efformandum spiritum christianae mortificationis et poenitentiae apta, relate ad condiciones hodiernas et ad modernum animorum sensum. Exempli gratia observatio Quadragesimae corroborari iterum poterit imposita quadam peculiari austeritate et praesertim proposita quadam non perfunctoria religiosa institutione.

c) Apta disciplina proponatur ad sanctificandum diem Domini et regulae tradantur de requie festiva in hodiernis condicionibus practice observanda.

d) Elaboretur disciplina magis unitaria apostolicae actionis Ecclesiae, iuridice magis firmata et determinata dependentia religiosorum ab Ordinariis loci in omnibus quae spectant ad necessitates et vitam Ecclesiae. Iuridica instituta statuenda videntur apta ad vigentem exemptionem religiosorum et institutorum saecularium temperandam, quae nunc ad id tendit ut magis extendatur et saepissime conducit ad extenuandam et mortificandam conscientiam unitatis Ecclesiae et ad favendas singulorum hominum vel coetuum cupiditates in detrimentum disciplinae et caritatis ecclesiasticae.

e) Procedatur ad reformationem Breviarii, ut idem proponatur tamquam fundamentale alimentum sacerdotalis orationis, ad hoc enixe intendentes: ut clarius semper et vividius appareat absoluta praeeminentia cultus et amoris in Deum Unum et Trinum; specialissima dignitas, attamen derivata, cultus Sanctissimae Dei Genitricis Mariae, et subordinatio cultus Sanctorum; item legitimam esse orationem supplicationis, seu petitionis, non tamen praevalentem orationi adorationis. Oportet omnino Christianorum cultui theologicas et biblicas proportiones restituere; oportet haud sanae pietatis fomenta temperare, in varias devotiones vergentis, arbitrarias saepe, non raro in detrimentum liturgicae pietatis et genuini religiosi sensus.

f) Quaestio de fixatione Paschatis investigationi subiciatur. Coniectare enim licet fore ut homines nostri temporis ob varias rationes proxime deveniant ad Kalendarium fixum et invariabile determinandum: hunc possibilem eventum Concilium praeveniendum curet. In re tanti momenti pro ipsa religiosa vita hominum peropportunum videtur ut a Concilio studia instituantur quibus examinetur an propositio et definitio novi Kalendarii, modernis postulatis magis accommodati, pro gravitate rei ab ipsa ecclesiastica auctoritate anticipanda sit.

IV. Circa reformationem Codicis Iuris Canonici

Magni huius et sapientis ecclesiasticae legis libri paginas percurrenti liceat mihi quaedam notatu digna et desiderata submisse exponere:

1. Quod attinet ad sacerdotes qui defecerunt, opportunum videtur:

a) Subsidia atque adiumenta perficere et augere, quibus faveatur reditus ad dignitatem et fidelitatem sacerdotalis status.

b) Examen casuum, in quibus nulla rationabilis spes adsit illos ad vitam sacerdotalem recuperandi, celerius reddatur, convenientesque processus stabiliantur quibus festina reductio ad statum laicalem decernatur.

c) Studio subiciatur convenientia seu opportunitas concedendi etiam dispensationem ab obligationibus e sacra ordinatione manantibus, praesertim ab onere caelibatus, illis qui eas iam non valebunt observare, cum poenalibus quidem sanctionibus perpetuis et perpetratae infidelitati congruentibus, nec non aptis cum ad praecavendum periculum ne alii exemplum eorum sequantur, tum ad scandalum fidelium vitandum. Non enim apparet, in multis ex huiusmodi tristissimis casibus, cui utilitati sit Ecclesiae praevaricatores illos adhuc tamquam suos habere ministros, et quae via ipsi patefiat, si quando, condicionibus obstricti quibus se subtrahere non possint vel non valeant, animam suam servare hactenus desiderent et infamiam delapsae condicionis a se et a suis auferre cupiant (cf. can. 211 et seqq.).

2. Quod attinet ad honores ecclesiasticarum dignitatum:

a) Res digna videtur quae perpendatur utrum vestem honorificam, qua ecclesiastica auctoritas insignitur, simpliciorem reddere conveniat. Ritus, honores, tituli, vestes praeteritorum temporum vestigia praebent, quibus ecclesiastica auctoritas muneribus quoque temporalibus fungebatur et quibus populus exteriori ecclesiastica pompa aedificabatur, cum hodie in huiusmodi externis adminiculis causam potius indignationis vel taedii inveniat et adversionis ab ipsa Auctoritate Ecclesiae.

b) Item fortasse ordo praecedentiae in Curia Romana revisendus est, Patriarchis, Metropolitis, Episcopis locum maioris considerationis tribuendo. Haud ignota, exempli gratia, est difficultas quorundam Orientalium Patriarcharum circa praecedentiam Cardinalium prae ipsis; item memoratur incongruentia quae Episcopos postposuit aliis Praelatis episcopali charactere carentibus in Curia Romana (cf. can. 230 et sqq.).

3. Quod attinet ad ius religiosorum:

a) Temperandae videntur normae « clausurae papalis », quae moribus et necessitatibus praeteritorum temporum respondent, hodie autem

difficilius reddunt incrementum Communitatum iisdem adstrictarum et continuas exigunt dispensationes et licentias, quae legis formaliter tam severae observantiam regularem perturbant. Etiam censura quae illam legem protegit, non iam sustinenda videtur (cf. can. 597 et seqq.: can. 2342, 1-3).

b) Religiosorum exemptio est iuridicum institutum certe revisendum sive quoad spiritum, quia diffundit principium quoddam independentiae, interdum etiam insubordinationis, iuri unitario et fundamentali Ecclesiae incongruum, sive quoad « practicam », ut dicunt, adductionem ad rem, quae tot optimas vires actioni pastorali subtrabit, aversiones et aemulationes suscitat inter dioecesanum clerum et religiosum, diversa spiritualitatis genera et actionis apostolicae motus concurrentes mire et non feliciter multiplicat. Melior sensus et spiritus ecclesiasticae communitatis restituendus videtur et obsequium erga Episcopi auctoritatem melius ad effectum producendum, neque illusio favenda quasi religiosi erga Summum Pontificem oboedientiores sint quam Episcopi, utpote qui ad illius potestatem appellant ut se istorum auctoritati subtrahant praecipue ad praerogativas defendendas et privilegia vindicanda (cf. can. 615 et seqq.) potius quam ad animarum bono consulendum.

4. Perpendatur utrum oporteat institutum iuris iurandi abolere, iuxta dictum Evangelii (*Matth.* V, 36), illi substituendo verbum aliquod clarae et honestae professionis animi sinceri (cf. can. 1316 et seqq.).

5. Opportunum videtur et urgens negotium quod revisioni subiciatur criterium inamovibilitatis officiorum ecclesiasticorum et quidem eorum praesertim quae ad bonum animarum pertinent. Inamovibiliatis damnum perspicitur praesertim in Paroeciis quarum pastores gravi non obstante aetate in munere perseverant. Veneratio iis debita non sinit illos amovere ad normas can. 2147 et seqq., attamen eorum in munere permansio ad id adducit ut illa bona quae validiori operati sint aetate, cum senuerint dirui vel inviti permittant. Convenit, ut videtur, ut cesset inamovibilitas a certo aetatis anno, ut puta, a septuagesimo. Nemo amovebit illos qui, hanc aetatem assecuti, validi adhuc videbuntur; amissio tamen iuris inamovibilitatis facilem in senectute illusionem dissipabit munus esse pro persona illud obtinente potius quam pro animarum bono (cf. can. 1438).

6. Quoad ius poenale difficultas apparet illud ad effectum perducendi: institutum censurarum nimis gravatum videtur poenis quae fere numquam in usu vitaque communi adhibentur.

V. Quoad reformationes liturgicas et canonicas particulares

Haec sunt desiderata:

1. Dies festi de praecepto limitentur ad solas dominicas et ad paucissimas alias festivitates.

2. Dies obligationis missae pro populo applicandae ad solos festivos de praecepto limitentur.

3. Aetas receptionis sacramenti Confirmationis determinetur ad scopum educationis et efformationis adulescentioris aetatis: conferendum videtur enim ut sacramentum perseverantiae aetate decem vel duodecim annorum. Item patrinus qui infantem de sacro fonte suscepit idem regulariter advocari deberet ut etiam munere patrini confirmationis fungeret; si enim duo sint patrini, neuter reapse munus suum implebit.

4. Ceremoniae consecrationis Ecclesiae breviores reddantur, auferendo repetita quae illam ultra modum protrahunt.

5. Sacramentum Ordinis propria liturgica memoria donetur. Missa chrismalis feriae V maioris Hebdomadae videtur omnem solemnitatem tribuere materiae quorumdam sacramentorum; specialem vero et solemnem mentionem ministro sacramentorum scilicet sacerdotio dedicare posset.

Et fortasse restituenda esset perantiqua Missa in die natali consecrationis Episcopi, ut huius munus in memoriam revocetur sacerdotum et fidelium.

6. Videtur optanda restitutio Octavae Epiphaniae et solemnitatis Corporis Domini.

VI. Circa efficaciam Concilii Oecumenici

Ut actus tanti momenti optatam efficaciam obtineat, utile videtur iam ab eius praeparatione decernere seriem Conciliorum particularium aliud post aliud subsequentium per nationes aut regiones, nec non convocationem praeparare magni Conventus Legatorum Civitatum atque Nationum publica officiorum vincula cum Sancta Sede habentium, ut de Concilii Oecumenici conclusionibus certiores fiant et invitentur ad favendum executioni, praesertim in iis quae attinent ad Religionis et Ecclesiae Catholicae tutelam et ad universalem acceptationem iurium et officiorum hominum iuxta christianam conceptionem.

✠ I. B. Card. Montini
Archiepiscopus Mediolanensis

130

EXC.MI P. D. VINCENTII DE CHIARA

Episcopi Miletensis (Mileto)

N. 1168 Mileto, 3 dicembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Mi pregio trasmettere, chiedendo scusa per il ritardo, le mie proposte per il prossimo Concilio Ecumenico.

Prostato al bacio del Lembo della S. Porpora, mi onoro prefessarmi, con sensi di profondo ossequio,

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umilissimo servitore

✠ VINCENZO DE CHIARA
Vescovo di Mileto

1. *De unitate Ecclesiae*

Quia, multiplici de causa, aliquam formam unitatis variae nationes inter se instituere conantur et, sive in nationibus iam ad fidem conversis, sive in illis ubi Sacra Hierarchia nondum constituta est, doctrinae et pericula (materialismus, nationalismus, etc.) contra fidem christianam multiplicantur, magis optandum est, in praesenti discrimine, ut ecclesiae sic dictae separatae, ad unitatem verae Ecclesiae revertantur. Ad hoc obtinendum doctrinam sinceram de unitate, catholicitate, necessitate Ecclesiae mihi videtur evolvendam esse et enucleanda omnia quae optatum reditum iuvent, etsi forte nondum effici possit.

2. *De Episcopis*

Ab obtinenda maiorem cleri saecularis disciplinam et maiorem cleri saecularis et regularis unitatem in sollicitudine pastorali doctrinam de Episcopis, qui positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, proponitur enucleandam.

3. *De sanctitate Sacerdotum*

Ad pericula nostri temporis vitanda contra sanctitatem sacerdotum magis illis necessaria est vita interior, praesertim oratio.

✠ VINCENTIUS DE CHIARA
Episcopus Miletensis

131

Exc.mi P. D. IOSEPHI AMICI

Archiepiscopi Mutinensis (Modena)

Una cum eo responsum dederunt:

Exc.mus P. D. ARTEMIUS PRATI, *Episcopus Carpensis* (Carpi)
Exc.mus P. D. PAULUS ROTA, *Episcopus Fidentinus* (Fidenza)
Exc.mus P. D. EVASIUS COLLI, *Episcopus Parmensis* (Parma)
Exc.mus P. D. ERSILIUS MENZANI, *Episcopus Placentinus* (Piacenza)
Exc.mus P. D. BENIAMINUS SOCCHE, *Episcopus Regiensis in Aemilia* (Reggio Emilia)
Exc.mus P. D. ANGELUS ZAMBARDIERI, *Episcopus tit. Silensis, Coadiutor c. s. Guastallensis*
Exc.mus P .D. HUMBERTUS MALCHIODI, *Episcopus tit. Serrensis in Macedonia, Coadiutor c. s. Placentini*

Mutinae, die 5 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Honorificum est infrascripto Archiepiscopo Mutinensi, Praeside Provinciae Ecclesiasticae Aemilianae, exponere quae in speciali conventu Excellentissimorum Ordinariorum eiusdem Provinciae examinata sunt ut communis pro omnibus declaratio conficeretur, Eminentiae Tuae Reverendissimae transmittenda in responsione Veneratae Tuae n. 1 C/59-314, diei 18 iunii 1959.

Omnibus visum est colligere consilia et vota argumentis quae in folio adnexo continentur.

Reliquum tamen erit singulis Ordinariis Provinciae adiungere quacumque visa fuerint utilia ad pressius propriam mentem exprimendam.

Interim adprecor Eminentia Tua Reverendissima omnia fausta a Domino, Sacramque Purpuram deosculans me profiteor Excellentiae Tuae Reverendissimae

Addictissimum in Domino

✠ Iosephus Amici
Archiepiscopus Mutinensis

I. Quoad doctrinam

1. Definitio Dogmatica Mediationis Beatae Virginis Dei Genitricis Mariae.

2. Expositio Doctrinae de relationibus inter Ecclesiam et Statum.

3. Damnatio materialismi athei et neomodernismi (idest naturalismi, laicismi, existentialismi) per quamdam codificationem principiorum quae continentur in Litteris Encyclicis *Humani Generis*.

II. Quoad moralem

Nova declaratio absolutae praeminentiae moralis christianae, eiusque consectariorum pro singulis, pro familia, pro professionibus et pro operariis, speciali ratione habita periculorum quae oriuntur ex novis inventae artis mediis communicationis.

III. Quoad doctrinam socialem

Breviarium Doctrinae Socialis Ecclesiae, etiam quod attinet quaestiones sociales, politicas et operariorum adsociationes.

IV. Quoad disciplinam

1. Amovibilitas parochorum.

2. Relationes inter Clerum Saecularem et Regularem.

3. Nova definitio iuridica exemptionis Regularium ab Ordinariis, praesertim quoad organizationes externas clausurae et quoad actus cultus qui in eorum quocumque modo publicis Ecclesiis vel Oratoriis fiunt.

4. Adsistentia Sacerdotibus Novensilibus:

a) videtur bonum esse maximi facere votum castitatis emittendum in Subdiaconatus Ordinem;

b) peropportuna apparet vivida suasio ad Exercitia Spiritualia quotannis peragenda ab omnibus sacerdotibus;

c) obligatio examinum pro Sacerdotibus neoordinatis ad decem annos, ita ut adnotatio exitus periculorum quasi substituat examen concursus pro paroeciis.

5. Reformatio administrationis beneficiariae.

6. Reformatio legis ieunii et abstinentiae.

7. Ampliatio facultatum Ordinariorum circa Pias fundationes et impedimenta matrimonialia.

V. QUOAD LITURGIAM

1. Revisio et ad simpliciorem formam reductio Librorum: Pontificalis R., Caeremonialis Episcoporum, Ritualis, Missalis necnon Breviarii R.

2. Introductio linguae vulgaris in administratione Sacramentorum.

3. Breviarium legum liturgicarum.

VI. QUOAD PASTORALEM

1. Status laicorum in Ecclesia eorumque apostolatus.

2. Actio catholica.

3. Instructio catechetica et textus pro singulis nationibus.

✠ IOSEPH AMICI
Archiepiscopus Mutinensis

132

EXC.MI P. D. MAXIMILIANI MASSIMILIANI
Episcopi Mutilensis (Modigliana)

Modigliana die 13 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Respondens ad venerabiles Litteras, quae sequuntur notanda puto coram Deo.

DOCTRINA

Pars Dogmatica:

a) Definitio Dogmatica Mediationis Universalis Beatissimae Virginis Mariae.

b) Definitio Dogmatica Regalitatis Christi et Mariae.

c) Expositio captu facilis de Mystico Christi Corpore eiusque unitatis.

d) Facilis et compendiosa expositio doctrinae liturgicae: Codex Liturgicus *Mediator Dei.*

e) Clara et enucleata expositio eorum quae Ecclesiam et Statum intersunt.

f) Iura Ecclesiae praedicandi evangelium in omni loco valide tuenda.

Errores condemnandi:

a) Communismus materialisticus et atheus.

b) Neomodernismus de quo in *Humani Generis* complectens naturalismum, laicismum, existentialismum atheum etc.

c) Relativismus moralis et moralismus, ut aiunt, situationis.

Pars moralis:

1. Problemata moralia familiae.
2. Moralitas professionalis.
3. Moralitas socialis.
4. Pericula valde gravia quae moralitati publicae inferunt quotidie sic dicta: Radio-Televisio; varia ludorum genera; colluvies scriptorum typis consignatorum; Ephemeridum; diariorum etc. ... fere omnia, ut plurimum, Religioni et Ecclesiae semper infensa.
5. Ascetica moralitatis cristianae de huiusque utilitate et necessitate valida affirmatio.

Doctrina socialis

a) Syntesis doctrinae socialis Ecclesiae.

b) Motiones sociales, syndacales, politicae etc.

Disciplina

1. Facilior amovibilitas Parocorum aliorumque beneficiatorum.
2. Facile translatio ab una ad alteram Dioecesim, mutato Sacrae Ordinationis titulo.
3. Clara enucleatio regularum ad determinanda ea quae Episcopos et Sacras Congregationes intersunt.
4. Item clara enucleatio regularum ad determinanda ea quae intersunt Clerum Saecularem et Regularem ut ad mutuam caritatem et auxilium alliciant.
5. Problema infelicium Sacerdotum qui sacerdotio abdicarunt.
6. Quomodo adsistendum sit Clero Iuvenili.
7. Auxiliares Cleri in rebus temporalibus et in activitatibus apostolici orariis (marginali).
8. Correctio et emendatio administrationis beneficiariae.
9. Quomodo providendum honestae clericorum sustentationi.
10. Quoad ieiunium et abstinentiam aliqualem rigorem instaurare, secus Ecclesiae nihil videretur facere revocationes Lourdianae et Fatimae.
11. Suppressio et renovatio legatorum praesertim antiquiorum.

PASTORALIS

1. Positio laicorum in Ecclesia eorumque apostolatus necessitas et forma.

2. De Actione Catholica.

3. De Catechetica instructione; contextus saltem nationalis Catechismi ad Parochos *ad diem redactus* et lingua vernacula classica typis datus, deberet exemplar esse pro catechismo tradendo sive in Ecclesiis, sive in scholis sive in praedicationibus; tunc esset vere unitas et securitas ab erroribus universis.

LITURGIA

1. Revisio et semplificatio Pontificalis et Caeremonialis Episcoporum, Ritualis, Missalis et Breviarii.

2. Usus linguae vulgaris in administratione sacramentorum praeter formam quae dicenda esset lingua latina illico subiciendo explicationem lingua vulgari.

Si quae ex iis quae dicta et supra scripta sunt, minus apta sive in cogitatione sive in dictione videantur, veniam humillime peto, dum Eminentiae Tuae me profiteor

Dev.mus in Christo Iesu
✠ MAXIMILIANUS MASSIMILIANI
Episcopus Mutilensis

133

EXC.MI P. D. ACHILLIS SALVUCCI
Episcopi Melphictensis, Iuvenacensis et Terlitiensis
(Molfetta, Giovinazzo e Terlizzi)

Melphicti, 30 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Quaeso humiliter ut mihi parcas nimiam moram ad respondendum epistolae Eminentiae Tuae de Concilio Oecumenico celebrando.

Si libere et sincere aperire debeam meam opinionem, mihi liceat, ante omnia, affirmare futuro Concilio Oecumenico non omnia et singula fidei, morum et disciplinae, nec nimia particularia esse tractanda, sed potius quae ad Religionis Christianae substantiam pertinent ad mentem Cleri et fidelium nostri temporis clare et fortiter revocanda.

Ut vero clarius pateat mea sententia, opinor non esse omittenda aliqua delibatio horum quae sequuntur:

1. Solemnis confirmatio, contra doctrinas materialistarum et atheorum nostri temporis, principiorum fundamentalium Revelationis Christianae (Concezione cristiana della vita) scilicet: Deus pater et homines fratres inter se, quia omnes filii Dei. Immortalitas animae humanae, cum suis consectariis, etc.

Haec una doctrina solidum fundamentum et tutamen omnium acquisitionum civilitatis et progressus humani generis considerari debet.

2. Secundum talia principia quaeri debet solutio quaestionum quae respiciunt relationes populorum et nationum inter se, scilicet; ius ad libertatem et regimen proprium; officium populorum, qui maioribus divitiis et progressu technico fruuntur, adiuvandi populos et nationes minores et auxilio indigentes.

Renovatio damnationis omnis discriminis inter varietates (razze) humani generis.

3. Quoad missionem Ecclesiae, opus docendi populos doctrinam christianam absolutam praeminentiam habere debet; nam praecipuum mandatum Domini est: « Ite et docete omnes gentes ». Et S. Paulus: « Fides ex auditu ».

Nunc vero hoc opus docendi non parum impeditum et oppressum est nimio cultu externo et aliis occupationibus, quae omnia saepe media pro fide substituunt.

4. Magis moderandi et ordinandi sunt actus et ritus externi cultus et eos simpliciores et comprehensibiliores reddendi, tribuendo maiorem partem vulgari sermoni.

Quamprimum incepta reformatio liturgica ad exitum adducenda esset.

5. Confirmatio doctrinae catholicae circa naturam et finem Status, seu societatis civilis, contra immoderatas affirmationes regiminum dictatorialium, scilicet, Statum esse pro civibus et non cives pro Statu.

6. Officium Status adlaborandi ut omnes cives provideantur convenienti occupatione et emolumentum recipiant, quod ad honestam vitam personalem et familiarem sufficiat.

7. Ius civis ad occupationem, ad domum, ad instructionem, ad propriam personalitatem excolendam, ad suam vocationem sequendam, ad minimum boni, dignitati humanae personae necessarium, fruendum, clare et fortiter proclamandum esset.

8. Confirmanda essent, speciali modo et vi, officia erga societatem (doveri sociali), praecipue, erga opifices, erga Statum et bonum Commune, erga futuras generationes.

Praeteritis temporibus, nostri Moralistae optime et abuntantius tractarunt de officiis personalibus, sed non item de officiis erga societatem.

9. Ecclesia indifferens est partibus politicis, qua tales (partiti politici).

Ipsa non intervenit in quaestiones politicas nisi ratione religionis, scilicet, cum politica invadit et aggreditur religionem.

Extra hunc casum, exoptabile fieret Ecclesiam se non immiscere in factionibus politicis, nam etiam maxima victoria politica turbat et exagitat conscientiam fidelium.

10. Maxime optandum est ut futurum Concilium Oecumenicum, totis viribus, nitatur ad confessionum christianarum, sive Graecorum sive Protestantium, unitatem cum Ecclesia Catholica restituendam.

Nam si non multum in re dogmatica hodie obtineri potest, licet tamen sperare mutuas relationes et agendi modum meliorari posse, sive instaurando maiorem reciprocam comprehensionem et tolerantiam, sive moderando contentiones et asperitatem polemicam, sive potius colligendo vires communes ad materialismum et atheismum Communistarum compescendum et ad conversionem Paganorum accelerandam.

Et haec sufficiant ad meam opinionem aperiendam.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus

✠ ACHILLES SALVUCCI
Episcopus Melphictensis, Iuvenacensis et Terlitiensis

134

EXC.MI P. D. SEBASTIANI BRIACCA
Episcopi Montis Vici (Mondovì)

1 septembris 1959

Episcopus Montis Vici, in Pedemonte, infrascriptus, pergratus obsequii Excellentissimae Commissionis ex litteris diei 18 iunii 1959:

Requisitis consiliis quorundam virorum ecclesiasticorum suae Dioecesis.

Vota et animadversiones circa res et argumenta, quae in futuro Concilio tractari poterunt, humillime exponit ut in foliis adnexis.

Concilium sit benedictum et benedicti sint qui ipsum indixit et quotquot ad eius celebrationem sunt cooperaturi: quia per plurium disceptationes et collata consilia effectus maiores attinguntur; Ecclesia, per totum orbem diffusa, accomodare se debet tam diversarum gentium indoli et ingenio; Episcopi Pastores, ex omnibus regionibus, oves suas cognoscunt et coadunant thesaurum vere inextimabilis experientiae et sapientiae.

Quapropter opportunum censetur quod ipsi Concilio deferatur et reservetur provide propositum « Aggiornamento del Diritto Canonico », per proprias Commissiones, ob tanti Legislatoris auctoritatem et experientiam.

I. *Circa fidem et magisterium*

1. Ut innuitur ex verbis Christi « Reges gentium dominantur eorum... Vos autem non sic... Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat... (*Luc.* 22, 24 - *Mt.* 20 - *Mc.* 10). Ecclesia Dei, in simplicitatis et humilitatis sensu, vivat et agat, etiam in re doctrinali (quovis specie dogmatismi deposita).

2. De Sacrificio Missae:

a) cum Sacrificium Missae centrum sit Christianae Religionis, maxime curandum erit ut pars dogmatica quae verum sacrificium constituit perspicue fidelibus proponatur atque explicetur sive in re sive in ritu;

b) pars vero didactica brevianda erit, sed efficacior reddenda praesertim quoad lectiones et intellectionem S. Scripturae;

c) conclusio Missae efficacior esset ad verba « Benedicat vos ... ».

3. Cum ignorantia christianae veritatis sit radix omnium malorum praesentis aetatis, et expositio doctrinae christianae ad populum a parochis non amplius attingat finem suum, parochis onus imponatur doctrinam tradendi quibusvis diebus diversis personarum coetibus accommodatam, et fideles graviter moneantur ut eam sedulo frequentent.

4. Iussu Concilii edatur duplex textus « Cathechismi »; alter pro institutione puerorum et adolescentium, et alter pro adultis: qui textus fundamentum et *universalis* norma sit pro institutione religiosa in universa catholica ecclesia; quibus textibus Episcopi uniuscuiusque nationis adiungere valeant quae mores et exigentiae suggerunt opportuna.

5. Pro exegesi in Sacram Scripturam et biblicis disciplinis: votum de iusta libertate concedenda in iure et in facto omnibus inquisitionibus historicis, scientificis, archeologicis.

6. Pro Italia: votum de maximo incremento dando mediis *ordinariis*

evangelizationis et curae pastoralis (optima et accurata celebratio Missae-Sacramentorum, publicae orationis; studiosissima preparatio Predicationis Verbi Dei; cura infirmorum ect.).

II. *Quoad mores*

1. Aliqua praecepta Ecclesiae dilucidanda et clare statuenda sunt: praesertim quae spectant ad sanctificationem diei festi, sive quoad adsistentiam ad Missam, sive quoad abstinentiam a labore.

Conceptus laboris modernae mentalitati et praxi accomodetur: prae mente habeantur progressus tecnicus et exigentiae.

2. Quam maxime providendum erit, claris mediis, ut compescatur tam vulgata plaga onanismi, atque stabilitati et sanctitati familiae subveniatur efficaciter.

Declaretur gravitas materiae pro publicis moribus (si sustineatur adhuc norma communis de gravitate, in omnibus hodiernis visionibus; etc.).

3. Ad mentem quinti Praecepti decalogi, extollatur quam maxime valor vitae physicae, qui apud multos pro nihilo habetur.

4. Super Septimum: attenta doctrina sociali, declarentur doctrina iustitiae et suae obligationes in omnibus conditionibus vitae.

5. Quintum Praeceptum Ecclesiae « de prohibitione nuptiae » parvi momenti videtur nostris temporibus. Celebratio vero Sacramenti Matrimonii, Primae Communionis et Confirmationis, validis normis restituatur ad rem sacram, reprobando exaggeratas externas caeremonias.

III. *De Regimine Ecclesiae seu de Cleri Disciplina*

1. Ordinatio Sacerdotalis in provectiore aetate tantum conferatur, ut ad sacerdotium candidati plenam habeant conscientiam munerum.

2. Normae de inamovibilitate parochorum, de residentia etc. temperentur, attentis conditionibus locorum ad montes, ob imminutionem fidelium.

3. Firma obligatione habitum talare ferendi in exercitio Sacrorum, alteram formam permittatur ad praesentes necessitates.

4. Certa regula statuatur ut unaquaeque Dioecesis Sacerdotibus provectae aetatis et infirmis digne provideat; et pro venerabilibus Ecclesiae Pastoribus.

5. Erectio presbyteriorum foveatur ubi plures Sacerdotes curam habeant plurium paroeciarum parvae extensionis.

6. Ut quaevis associatio: Actionis Catholicae, socialis (Acli), caritativae etc. habeat disciplinam dioecesanam et ampliorem libertatem.

7. Ut sanam decentralizationem regiminis, praesertim in re disciplinari et liturgica, concedatur.

8. Regimen dioecesis postulat, praeter Synodum et Capitulum Cath., participationem Cleri, maxime parochorum. Ipsi enim ex quotidiana communione et conversatione cum populo optime norunt necessitates.

Haec Cleri participatio haberi potest per paucos a Clero per secreta suffragia designandos et eligendos: convocandi postea ad negotia pertractanda ac definienda maioris momenti.

Quod consonat cum principio: « quod omnes tangit, ab omnibus debet probari », et cum hodiernis principiis democraticis.

9. Maxima collaboratio instauretur inter Clerum saecularem et Regularem sub dependentia Episcopi ob bonum fidelium.

10. *Pro Seminariis*: Normae tradantur ad dignoscenda signa vocationis; Rationes studiorum; et pro cooperatione instauranda inter dioeceses et seminaria finitima; ad omnes Seminarios auxilia donentur sicut Seminaria Pontificia.

11. Leges ecclesiasticae ad clericos a rebus saecularibus arcendos, a spectaculis, ludis etc. fortius vindicentur.

IV. *De Sacramentis et Liturgia*

1. Optandum quam maxime est, ut Kalendarium reformetur citius. Festum Circoncisionis Domini aboleatur, quia characterem hebraicum eminenter habet a spiritu christiano alienum: eadem die potius festum propitiationis, ad novum annum, instituatur.

Frequentiora videntur festa de praecepto a Nativitate Domini ad Epiphaniam, quae normalem cursum vitae socialis impediunt.

2. Missa serotina die sabbati ad solvendum praeceptum in certis circumstantiis permittatur.

3. Concessiones de usu idiomatis vulgaris amplificentur; Caeremoniae in celebratione Missae et in aliis actionibus liturgicis reducantur in simpliciorem formam.

4. Evitanda quam maxime videtur nimis frequens mutatio formularum piarum precum quae proponuntur fidelibus recitandae quotidie; quia mutatio perturbat ingenuos animos fidelium.

5. Sacra Communio fidelibus rationabiliter petentibus meridie et vespere, etiam extra Missae celebrationem, non denegetur.

6. Cum, iuxta Tridentinum, Ecclesia circa Sacramenta, salva eorum

Substantia, omnia statuere possit quae ad validitatem et liceitatem pertinent, optandum est, ut, quomodo decretum fuit circa traditionem instrumentorum in Sacramento Ordinis, clare sensum aperiret circa validitatem, vel non, Sacrificii Missae, quando detegatur unam tantum materiam validam esse et defectui remedium praeberi non posse.

7. Denique: Ut Liturgia Romana vere universalis sit, sicut Ecclesia Christi, ad mentem et usum diversarum gentium respondere debet.

V. *De Religiosarum Congregationibus*

1. Officia et munera quibus hodie Religiosae saepe vocantur in cooperatione ministerii plurima et difficiliora in diem sunt, et scientiam atque prudentiam adaequatam requirunt. In Institutione religiosarum proinde inseratur cursus disciplinae theologicae, ac artis educandi.

2. Habitus ad exigentias activitatis propriae in formam simpliciorem reducatur.

3. Normae generales statuentur ad domus feriarum et ospitia maxime ad mare administranda, ne lucrum tantum quaeratur, sed bonum spirituale et christianam aedificationem.

4. Insuper omnes Congregationes mulierum adhortentur ut ad consequendum finem proprium curent specificam et adaequatam praeparationem sororum, et in primis sanctificationem propriam.

5. Super omnes Institutiones pro pueris (Asili, Orfanotrofi, Collegi, Pensionati, Colonie etc.) Ordinarii invigilent per coetum peritorum, a lege generali statuendum.

VI. *De rebus respicientibus quamdam actuositatem*

1. Pro nota catholicitatis: Votum submittitur de recognitione finium Dioeceseum: de minuendo numero in Italia et augendo extra Italiam.

2. Peculiari Concilio studio subicienda venit anxia de catholicis Missionibus quaestio, eo quod ipsae pluribus difficultatibus opprimuntur in aliquibus locis; insuper in pluribus locis Americae Latinae Catholica Religio parum progredi videtur.

3. Pro Beatitudinibus evangelicis ad mentem cleri populive christiani revocandis: limitentur honores, tituli, insignia, fastus, exceptis iis quae Episcopis debentur.

4. Sacerdotibus qui miserabiliter lapsi sunt et irregularem familiam constituerunt, benigno ac *extraordinario* favore sanctae Ecclesiae ab oneribus determinatis condicionibus dispensentur, si id humiliter ab Ecclesia petant.

Responsiones supra concinnatae cum consilio Sacerdotum peritorum huius Dioecesis cohaerent cum animo et mente Episcopi infrascripti, quem Excellentissimae Commissioni pro futuro Concilio aperuit, amore motus in Ecclesiam Sanctam Catholicam et Apostolicam, in qua sola est salus, in cuius materno amplexu semper vivere et mori cupit. Amen.

Animi sensus ex corde profitetur Eminentissimo Praesidi, cui fausta quaeque a Domino adprecatur.

✠ Sebastianus Briacca
Episcopus Montis Vici

135

Exc.mi P. D. CAROLI FERRARI
Episcopi Monopolitani (Monopoli)

Monopoli, 18 novembris 1959

Eminentissime Princeps,

Veniam peto quia sero responsum meum mitto ad venerandam epistulam Eminentiae Tuae Illustrissimae et Reverendissimae, Romae die 18 iunii datam.

Patrum futuri Concilii Oecumenici considerationi subicere quae sequuntur quaestiones audeam:

De re dogmatica

1. Bonum mihi videtur magis integriter organiceque universam de Ecclesia doctrinam statuendam esse et praecipue, definitionibus Tridentini et Vaticani Conciliorum de sacra hierarchia et Romani Pontificis primatu infallibilitateque confirmatis, dicant Patres quae sit necessitas Episcoporum praesentiae in Ecclesiae constitutione et vita, et dirimant quaestionem num certi iudicii rationes sint, de characteris episcoporum et presbyterorum differentia an identitate.

2. Nunc autem perutile videtur quod iam ordinario Ecclesiae magisterio inest explicite definire, scilicet naturam, rationem et modum laicorum participationis D. N. Iesu Christi propheticae, regalis et sacerdotalis potestatis, ad declarandum, praeterquam eorum dignitatem et momentum in ipsa Ecclesiae constitutione, praecipue quod officium sit eis has suas facultates exercendi, sensu respectu quo ipsae definiantur; clarius evadet parentum, catechistarum et magistrorum officium et auctoritas de illorum erudiendi missione.

Praeterea, ad liturgiam et sacramenta quod attinet, clarior et rectior efficeretur laicorum participatio Iesu Christi sacerdotalis potestatis, sive passive cum capaces Dei dona recipiendi fiunt, sive active cum eadem dona aliis conferre possunt, ut in baptismo et matrimonio administrando, in liturgica oratione autem quatenus, et quidem active, simul cum Ecclesiae ministro cultum, quod Deo debetur, praestant et universo mundo gratias obtinent.

3. Pariter, ad hodiernis necessitatibus consulendum, non parvi momenti mihi videtur plane ac manifeste dicere utrum sponsi sacramentalis gratiae ministri sint tantum in matrimonio celebrando an per totam coniugalem vitam, id est v. g. quotiescumque consensus actu unionis et mutuae donationis renovatur.

4. Adde: de marxismo atheo et laicismo areligioso denunciandis et condemnandis.

5. De Fide propaganda intra et extra Ecclesiam.

6. De Ecclesiarum dissitarum unione.

De re morali et canonica

7. Opus esse videtur moralis christianae naturam personalisticam et supernaturalem confirmari, ne cuidam naturalistico moralismo cuiuspiam recentioris philosophiae faveatur, potissimum vero ut explicitae Salvatoris nostri vocationi supernaturali homines respondeant.

8. In moralis christianae praeceptis proponendis, videtur magis hierarchia uniuscuiusque praecepti momenti servanda esse, ita ut divina revelatio nobis suadet: liceat enim mihi dicere quodcumque divinae legis mandatum tantum servari posse si illa servantur quae prima sunt, imprimis vero maximum et primum Dei charitatis mandatum et alterum proximi dilectionis.

9. Praeterea bonum videtur, non modo ut controversiae dirimi possint, sed praecipue quo amplius spiritualis vita coniugum augeatur, apte ac perspicue definiri quae sit humana et supernaturalis ubertas in « matrimonii finibus ».

Id est: fine primario et novissimo procreationis liberorum ac educationis in tuto posito, quid in fine immediato et secundario adiumento sit ad coniugum humanam, spiritualem et supernaturalem formationem in lucem proferre, imprimis ob amoris aequa mente comprehensi et supernaturaliter elevati virtutem ad homines liberandos ab immoderato amore sui, ad animi magnitudinem inculcandam, ad eosdem in vitae communione et in humana spiritualique delectatione locupletandos.

10. Animadvertitur religiosorum exemptionem, iuxta vigentis iuris

praescripta, seriis incommodis latus dare, quae perniciose in christifideles repercutiuntur, praesertim cum de pastoralis ministerii exercitio agitur.

11. Optandum videtur pauciores conditiones sufficere iuris ecclesiastici actuum validitati (v. g. paroeciae provisioni, matrimonii celebrationi).

12. In parvis Dioecesibus capitula cathedralia viris ineptis plerumque constituuntur; videtur melius recto Dioecesis regimine et administrationi consulere si Episcopus consensu vel consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium utatur.

Res adde:

13. De nova disciplina poenitentiali instauranda.

14. De operibus definiendis quae diebus festis prohibeantur.

15. De relationibus finantiariis S. Sedi tantum occasione visitationis ad limina faciendis.

Res minoris momenti censentur:

16. — praelatorum insignia ad simpliciorem formam vel melius ad nihilum reducere, quodam signo distinctivo tantum excepto in publicis caeremoniis ferendo;

17. — indumentorum copiam ad ritus pontificales celebrandos praeceptam imminuere et Episcopis tantum reservare, ridicula privilegia quae attinent vere abolendo;

18. — vacatio muneris Episcopi et Parochi pro aetate provectis vel infirmitate inhabilibus provideatur, ne paucis annis pereat quod per plurimos aedificatum est.

De re pastorali

Quia christianae religionis finis est agere ut omnes homines in Christo nascantur et in illo per omnia crescant usque « in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13) ad Regnum constituendum illud quod in saecula consummabitur cuiusque ipse Iesus Christus in aeternum Rex erit ad Dei gloriae laudem, bonum videtur sacrum ministerium geri, magis organice et concrete considerando revelatarum rerum naturam.

Re profecto, christiana religio historicus eventus est in personam D. N. Iesu Christi quasi in cardinem innixus, Qui suae doctrinae magisterio revelat, ut ei bonum videtur, Dei naturam ac nostram, Dei vitam nostramque vocationem ut eius vitae participes simus.

Ex eo quod a Dei Filio hac ratione rerum veritas nobis revelatur, peculiares consequuntur relationes nostri ad Deum et ad alios homines, qui eadem vocatione vocati sunt: Deus, Pater D. N. Iesu Christi et

Pater noster; Iesus Christus, primogenitus inter filios Dei quales Dei gratia nos facti sumus.

Haec rerum visio et personales supernaturalesque relationes possibiles fiunt ex eo quo Deus incipit in nos operari gratia sua, vel, si vis, ex eo quo nobiscum agere decernit.

In hac praeterea relatione, Dei cognito consilio, usque ad arctissimam crescimus familiaritatem, non christiana veritate abstracte licet alte perspecta neque rectis consuetudinibus naturaliter acquisitis vel gratiae augmento iuxta mecanicisticam notionem de sacramentorum efficacia assecuto, sed vitae, id est cogitationum, sensuum et actionum communione, quae inter Iesu Christi personam et nostram instauratur, fide ut recognitione, oboedientia, docilitate, deditione assidue exercitata, et mediis adhibitis quibus semper Iesu Christo placuit vitam suam in nobis alere.

19. Omnes igitur sacri ministerii pastoralis actus Spiritus Sancti actionem maximi facere debent cuique operam dare (qui Sanctus Spiritus semper in salutis opere priorem et principalem parte gerit) et curare ut quam maxime scienter et libere quisque huiusmodi Dei actioni respondeat.

20. Praeterea, non modo res spectandae sunt ratione intellectualistica et abstracta neque christiana veritas atomistice proponenda est, sed maxima cura nobis videtur adhibenda ut mentes in persona D. N. Iesu Christi imprimis defigantur.

Ad quem operatio hominis personalis enixe dirigenda est:

— intellectum illuminando;

— sensus et actus explanando ac definiendo;

— personas, de quibus agitur (Deum et hominem) signis vitae supernaturalis efficacibus coniungendo.

21. Qua de causa, cum tantum absum ut sacros praecones censeam ad pastoralem ministerium exercendum gravibus studiis scientificis, systematicis necnon speculativis et abstractis non opportune institui, tum maxime necessarium mihi videtur christianam religionem concretis, personalisticis et magis ad S. Scripturam pertinentibus vocibus donari.

22. Itaque, cum inter infideles, tum item inter illos qui fideles vocantur numquam deesse deberet praedicatio illa kerigmatica, quae fidem in eo proferat qui subactus a Iesu Christo Salvatore sollemniter et fortiter praenuntiato, ad ipsum se convertit eique totum se tradit.

23. Catechisticam autem praedicationem opportunum videtur personalistica et essentiali ratione semper dictitandam esse totamque in-

nixam in Dei erga homines amore, cui amore oboedienti et fidenti respondendum est.

24. Provectioribus denique, praedicatio quaedam ad docendum apta (didascalica) reservanda videtur, quae singulares quaestiones et subtiliores Revelationis inquisitiones quoque pertractet: quo in casu tractationes more systematico, scientifico et speculativo aptae admitti possunt.

25. De pastoralibus consiliis, bonum videtur moderatum instrumentorum mechanicorum usum ad sacrae praedicationis directam et iteratam propagationem expoliendum esse.

De re liturgica

26. Optabile est ut Sancta Sedes laudem sibi comparet novae kalendarii emendationis, quoddam universale et perpetuum kalendarium instruendo.

Quod ad kalendarium liturgicum expediendum prodesset.

27. Qui publicae orationi Ecclesiae praesunt, rite deberent in ipsa liturgia viam reperire exercitiis pietatis suae personalis privataeque satisfaciendi: haec sunt preces mane et vespere faciendae, conscientiae discussio preventiva et generalis, brevis recogitatio meridiana ad suam conscientiam expoliendam, visitatio Eucharistica, spiritualis lectio.

Quam ob rem, congruum videtur Primam et Completorium easdem habere formulas per omnes anni dies; idem dicatur de « parva hora » ad meridiem recitanda (cum peculiari conscientiae examine); primo mane pars non mediocris divini Officii recitanda esset, per tertiam fere horae partem, quod maxime ex elaboratis lectionibus constet (Patrum, Doctorum, Sacrorumque Scriptorum: haud refert sancti sint an non, planis modo aptisque verbis et sacra « unctione » veritatem exposuerint) aliquot cum psalmis et orationibus; itidem post meridiem congrua videtur oratio quaedam sub specie Vesperi, Christi et Eucharistiae mysterium celebrans; denique altera perspicua Officii pars, quae similiter ad tertiam horae partem protrahatur, ex fusis Sacrae Scripturae lectionibus constans et nonnullis psalmis.

28. Haec omnia in annuo cyclo continenda essent ut salutis historiam repraesentent in Iesu Christi persona innixam, cuius expectationis, adventus et parusiae mysteria explanantur in lucem proferendo eorum exemplaristicam, intellectualem et charismaticam virtutem.

29. Beatae Mariae Virginis solemnitates in anno liturgico locum habeant servato temporis ordine quo in Domini mysteriis se inserunt (v. g. Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Visitationis festivitates

distribuantur in quodam Adventus tempore satis late patente; Sanctorum festivitates autem videntur contrahendas esse ad Apostolorum et quorumdam Martyrum, Confessorum et Virginum et universalis Ecclesiae Patronorum; quod vero ad particulares Ecclesias attinet, ad eorum sanctorum Patronorum et Ecclesiae Titularium festivitates).

30. Bonum videtur B. M. Virginis munus in Incarnationis et Redemptionis mysteriis in lucem proferre in ipsis Christi mysteriis celebrandis, ne festivitates in honorem B. M. Virginis nimis frequentes fiant, — vel in congruenti numero Beatae Virginis festivitatum, quae eminentioribus eius terrenae vitae factibus respondeant, peculiares laudes (titoli) magnitudinis, potentiae et bonitatis quoque celebrentur.

31. Sancta Missa, in suo schemate liturgico, magis definite D. N. Iesu Christi vitae, passionis, mortis, resurrectionis et in gloriam assumpionis deberet memoriale apparere, ex quo clarior invitatio et auxilium christifidelibus promanent ad res creatas deserendas (cordis compunctio), ad se convertendum ad Deum (lectiones), ut integrae eius voluntati seipsos tradant et subiciant (offertorium et consecratio), atque magis magisque Deo in Christo Iesu coniungantur (communio).

32. Opus esset Missam celebrari posse qualibet nocturna vel diurna hora, saltem ad Ordinarii iudicium; idem dicatur de SS.mae Eucharistiae distributione.

33. Optandum praeterea videtur ut ex Oecumenici Concilii celebratione explicita profluat doctrinalis, moralis ac liturgica formula de « mundi consecratione », ut aiunt, quaeque existat ut positiva religiosa professio contra atheismi et laicismi negationes.

34. Optandum denique ut Caeremoniale Episcoporum et Liber Pontificalis emendentur.

De clericorum, religiosorum et populi christiani disciplina

35. Utile videtur Concilii Patres clericos, religiosos, christifideles urgere ad certae fidei testimonium reddendum vitae sanctitatis ut nostrae homines aetatis ad salutem perveniant.

36. Hoc inde consequitur perutile omnes saepius commonere christianae vitae finem non in compromisso niti intra huius vitae commoda et sui servandi in hora mortis spem, verumtamen in cruce sui ipsius abiectionis quotidie ferenda et in Salvatore nostro summa cum deditione sequendo.

37. Maxime vero in animis colendis eorum qui ad Sacerdotium vel ad religiosam vitam contendunt, certa ac definita norma iuxta Evan-

gelii dictamina proponenda est: vera et firma et magis magisque intima rerum humanarum, carnis et sui ipsius abiectio ut thesaurum intimae cum D. N. Iesu Christo unionis assequantur.

38. Attamen aequum videtur huiusmodi renuntiationem (vota religiosa) Ecclesiam tantum suscipi ab iis qui manifeste eam libenter faciunt, quippe qui miram huius thesauri pulchritudinem et ineffabilem excellentiam invenerint, magnique aestimaverint atque quodam modo experti sint.

Saepius vero Sacerdotes et utriusque sexus Religiosi abstinentiam vix ferre videntur: miseri potius quam pauperes, abstinentes potius quam casti, disciplina assuefacti potius quam oboedientes.

39. Cum autem vera atque intima cum D. N. Iesu Christo vitae communio sine perseverantia in oratione esse non potest, iustum videtur numquam assentiri ut vita activa, quae dicitur, a vita contemplativa seiuncta fingatur.

Vitae coniunctio autem profluit in curarum communionem, quae Domino Nostro sunt; salus mundi ad maiorem Patris gloriam.

40. Hinc necessitas instituendi Sacerdotii et vitae religiosae candidatos ut animum non recusandi officii et ad experiendum promptum acquirant, illos vero reiciendi qui incapaces videntur.

41. Omnibus, pro rata parte, omnino opus esse censetur, et quo melius ipsi instituantur ac in suscepta via perseverent et quo efficacius apostoli munus exerceant, summam possidere doctrinam in theologicis, pastoralibus etiamque profanis disciplinis.

42. Sacerdotibus maximo auxilio esse habeo firmiorem Sacrae Scripturae scientiam et pastoralis doctrinae, quin, uti par est, scientia theologica ordinaria neglegatur.

43. Profecto denique curandum videtur ut in populo christiano piae fidelium associationes floreant et crescant, qui vitam christianam vivant authenticam et integram ut consulto, ad modum grani sinapis et fermenti, omnibus locis et coram omnibus hominibus, D. N. Iesu Christo testimonium reddant.

44. Ad gravem expediendam quaestionem de ecclesiasticis vocationibus, censeo crebriores puerorum adulescentulorum societates constituendas esse, quae ad uberiorem spiritualem vitam sodales praesertim exerceant.

45. Dioeceses, plerumque egentes, in quibus tamen vocationes permultae sunt, opitulandum esse, ut Sacerdotes instruere possint etiam pro Dioecesibus clero carentibus.

46. Ad hoc autem clericorum incardinatio alienis Dioecesibus faci-

lior reddenda esset et in Seminariis candidati instituendi essent ad magis catholice sentiendum.

Haec dum submittere audeo, cuncta fausta Eminentiae Tuae Reverendissimae necnon Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico laboribus a Domino adprecor, omni quo par est obsequio.

Eminentiae Tuae Ill.mae et Rev.mae
obsequentissimus
✠ CAROLUS FERRARI
Episcopus Monopolitanus

136

ECX.MI P. D. FRANCISCI CARPINO
Archiepiscopi Montis Regalis (Monreale)

Monreale, 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Exceptis litteris ab Eminentia Tua Rev.ma datis die 18 iunii 1959, prot. N. 1/59-864, en quae consilia et vota mihi proponenda videntur circa res et argumenta quae in proximo Concilio tractari poterunt.

1. Praemitto aetatem nostram duobus, ut modeste opinor, *positive* notari: studio erga Ecclesiam « signum levatum in nationes », et ferventi erga Beatissimam Dei Genitricem devotione; quae ultima ex sollemnibus definitionibus de Conceptione Immaculata B. M. V. et de eiusdem gloriosa in coelum Assumptione vehementer aucta et provecta est.

Ex his concludendum mihi videtur nostrorum temporum expectationes, ad futurum Concilium quod attinet, circa Ecclesiologiam et Mariologiam praecipue versari.

2. Quoad primam, omnium desiderium est ut varia doctrinae capita quae inclusa erant in schemate Constitutionis « De Ecclesia Christi » Concilii Vaticani, quaeque ob notas circumstantias discuti et promulgari non potuerint, nunc definiantur.

In particulari valde optatur ut sequentia puncta enucleata declarentur, prae oculis habito subsequenti magisterio Summorum Pontificum Leonis XIII, Pii X, Pii XI et Pii XII:

a) Ecclesiae magisterium eiusque definitiones ac perennis earum valor, reiecto relativismo dogmatico;

b) Ecclesiae magisterium eius obiectum et ambitus, reiecto laicismo;

c) Ecclesia Romana, Corpus Christi mysticum, reiectis erroribus qui ei adversantur, et praesertim falso irenismo;

d) Vita Ecclesiae liturgica, reiectis exaggerationibus quae circumferuntur;

e) Sacerdotium hierarchicum et sacerdotium fidelium, reiectis falsis interpretationibus;

f) Doctrinae socialis Ecclesiae principia, reiectis liberalismo et communismo.

3. Ad meliorem Ecclesiae organizationem quod attinet, valde optatur:

a) Ut pro iis omnibus qui pastorali ministerio in animarum cura funguntur (Archiepiscopi, Episcopi, Parochi ...), aetatis termini statuantur ultra quos ab omni officio recedere teneantur, congrua pensione accepta. Experientia enim teste, notum est neminem ultra certos aetatis limites pastorali officio provehendo parem esse: quin immo satis constat multos saepe in senectute destruxisse quod iuvenili aetate construxerant;

b) Ut parochi omnes amovibiles declarentur;

c) Ut in dioecesibus Sacerdotes utriusque cleri, religiosi nempe et dioecesani, impensius socio opere Domini vineam excolant, sub Episcopi auctoritate.

4. Ad Mariologiam quod attinet, exoptatur a fidelibus ut gemmis quibus Beatae Mariae Virginis caput exornatum refulget, nova addatur gemma per definitionem Universalis eiudem Mediationis. Huius definitionis occasione, omnibus fidelibus gratum erit si Concilium declaraverit quid Beatissima Virgo, nova Eva, Socia Christi Redemptoris, ad nostram redemptionem obiectivam contulerit.

5. Quoad recentioris aetatis *errores* qui catholicae doctrinae fundamenta subvertere conantur, iam Pius XII in encyclica *Humani Generis* sapientissime sequentes enumeravit: evolutionismum, existentialismum, et historicismum. Ex his, tanquam ex triplici fonte, omnes aliae dimanant aberrationes quae campum scientiae philosophicae, theologico-dogmaticae et biblicae pervadunt et inquinant. Huiusmodi aberrationes in eadem encyclica enumerantur et illustrantur.

Ut hi omnes errores a Concilio enucleentur et formaliter damnentur, vehementer propono.

Consilia haec et vota Eminentiae Tuae Rev.mae ex corde subiciens, pergratum habeo impensos animi sensus devote profiteri, ad osculum Sacrae Purpurae humiliter provolutus.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus
✠ FRANCISCUS CARPINO
Archiepiscopus Montis Regalis

137

EXC.MI P. D. IRENAEI CHELUCCI
Episcopi Ilcinensis (Montalcino)

Ilcini, die 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Dum ardenti animi desiderio et sollicita prece faustos exitus auspicor proximi Concilii Oecumenici, quod divino quodam afflatu, Summus Pontifex congregandum statuit, haec vota mihi promere liceat:

Concilium inde videtur opportune initia sumpturum ubi Concilium Vaticanum susceptum opus interrumpere debuit, ita tamen ut ea quae in illo mirabili consessu decreta fuere pro mutatis temporum necessitatibus compleantur et perficiantur. Multi errores qui deinceps, velut turgidus torrens contra orthodoxam fidem et bonos mores irruperunt, etsi iam reprobati et damnati in luculentissimis Summorum Pontificum documentis, praesertim in Litt. Encycl. *Pascendi Dominici gregis* S. Pii X et *Humani Generis* Pii XII, haud abs re tamen erit eos exponi et censura notari, una cum eis qui nuper propagari coepti sunt, ut indeterminismus physicus, neomechanicismus, energetismus, situationismus moralis, pansexualismus, materialismus practicus, divismus, effrenata et impudens licentia.

At cum non tam necesse sit ut errores damnentur, quam ut errantes ad lumen veritatis perducantur et fideles confirmentur, tota doctrina christiana ex ordine proponatur, et si quae remanent quaestiones non solutae, proximae fidei aut theologice certae, definiantur.

Inter quaestiones quae libere inter theologos disputantur tempus iam advenisse videtur ut eae praesertim dirimantur quae materiam et formam Sacramentorum necnon subdiaconatus et minorum ordinum, essentiam Sacrificii et Sacramenti Eucharistici, scientiam divinam, prae-

destinationem, gratiam actualem respiciunt. Rationes haud parvi momenti suadent ut dogmata Christi regalitatis et mystici Eius corporis contra grassantem laicismus definiantur una cum universali B. M. V. mediatione et regalitate.

Ad captiosa effugia praecludenda eorum qui magisterio ordinario cum Ecclesiae tum maxime Summi Pontificis nihil vel parum auctoritatis tribuunt, eius valoris et ambitus pressior explanatio desideratur. Ad quem finem optabile videtur ut veritates etiam virtualiter revelatae *de fide divina* credendae proponantur. Episcopalis dignitas et auctoritas in clariore luce ponatur asserendo Episcopos superiores esse presbyteris *iure divino,* quod implicite tantum in definitione tridentina continetur.

Ad incrementum quod attinet vitae christianae sine dubio cleri saecularis ingravescens in dies penuria magnae quidem est sollicitudini.

Tria maxima remedia, ni fallor, urgent, quorum unum vocationes ecclesiasticas respicit, alterum magis aequam cleri distributionem, tertium actionem catholicam.

Summo enim studio cleri educationi prospiciendum, ut par sit oneri angelicis humeris formidando. Nemo neget multos reperiri sacerdotes qui praedicatione atque exemplo aedificant domum Dei, at, dolor, non desunt qui nedum aedificent subruant.

Totis viribus niti decet ut Scholae creentur ubi futuri cleri educatores convenienti institutione didactico-paedagogica praeparentur ad tantum munus rite fungendum. Adulescentes in sortem Domini vocati inde ab initio disciplina vere ecclesiastica imbuantur oportet nec tantum ii qui theologiae vel philosophiae, sed etiam ii qui humanis litteris et scientiis operam dant.

Cum autem alumni in Seminariis quasi in hortis conclusis crescant, priusquam Diaconi ad presbyteratum promoveantur, expedire videtur ut in sacro ordine aliquantum temporis sub idonea disciplina et in omni apostolatus genere exerceantur ut sufficienti experimento probari possint, maxime in castitate servanda.

Neminem vero considerantem quot et quanta pericula e vita solitaria oriri soleant effugiet necessitas vitam communem instaurandi et aptis regulis moderandi ad maiorem etiam efficaciam sacri ministerii propter congruam laboris divisionem et mutuam fraternitatis operam.

Quo facilius orationi et ministerii sacri officiis sacerdotes intendere valeant liberi a negotiis et sollecitudinibus temporalibus, optandum ut unica fiat in unaquaque dioecesi, vel provincia aut regione, administratio omnium bonorum sive beneficialium sive ecclesiasticorum, et administrationis onerumque satisfactionis deductis impensis, reditus aeque inter omnes distribuantur iuxta normas statuendas, odiosis inae-

qualitatibus prorsus sublatis et quantum fieri possit taxis cuiuslibet generis abolitis.

Quod ad aequiorem cleri distributionem spectat maior commendatur facultas sacerdotum translationis non solum intra fines, sed etiam extra fines dioecesium, terris inclusis etiam sacrarum expeditionum, necnon temperatio quaedam privilegii exemptionis, ita ut religiosi quoque exempti, ubi eorum opera necessaria sit ad animarum curam gerendam, Episcopo petenti superiores facile annuant, salva religiosa disciplina.

Forsan etiam iuvabit melior dioecesium divisio, ut nec nimis amplae nec minus parvae habeantur et omnes sibi ipsae sufficiant.

Actio denique catholica magnam feret opem si et numero et spiritus fervore crescat. Ad numerum augendum adscriptorum desideratur ut multiplices associationes actioni catholicae affines minuantur, eorum muneribus actioni catholicae demandatis. Nimiae enim associationes videntur non minima esse causa cur omnes vitam languidam ducant tum adscriptorum paucitate tum maxime eorum penuria qui iisdem regendis idonei sint. Neque illud est praetereundum quod clerus tot diversisque occupationibus distentus minor ad singula evadat.

Ad spiritum autem fervoris alendum accuratior postulatur selectio, diligentior praeparatio, simplicior forma, magis expedita magisque locis, temporibus, personarum condicionibus accommodata. In votis etiam est ut arctioribus vinculis actio catholica Episcopo subiciatur utpote gregis pastori oves suas probe noscenti.

Praeter haec alia corollarii instar summatim proponam:

a) Ministerium pastorale more missionali exerceatur divina officia celebrando ubicumque plures congregari possint sive in aliquo Oratorio, sive etiam in aula decenti, sive sub divo, si necessitas postulet.

b) Optabile est ut praecepto Missam audiendi satisfieri possit quolibet die intra hebdomadam ab iis qui non valeant sine difficultate Ecclesiam paroecialem adire.

c) Ad eum finem ut cum pleniore conscientia Sacramentum Confirmationis recipiatur et firmiore proposito officiis adnexis satisfaciendi, opportunitas consideranda proponitur differendi eius administrationem ad duodecimum vel undecimum annum aetatis. Praeter hoc motivum aliud quoque rem suadere videtur, ne videlicet eodem prorsus tempore ad primam Communionem pueri admittantur et ad Confirmationis Sacramentum, qui usus invalescere iam coepit non sine animarum detrimento.

d) Finis primarius matrimonii vindicetur adversus recentiores er-

rores et foecundatio artificialis damnetur quatenus etiam adulterii possit inducere malitiam.

e) Versio Veteris et Novi Testamenti ex textibus primigeniis in studiis theologicis et in sacra liturgia adhibeatur.

f) Breviarium reformetur non solum iuxta Decretum S.RR.C. « De rubricis ad simpliciorem formam redigendis » sed etiam quod attinet ad alias partes praesertim lectiones secundi nocturni. Missale quoque opportune revisatur. Ad « Communicantes » post nomen *B. M. V.* nomen castissimi Eius Sponsi inseratur.

g) Nonnullae ceremoniae Pontificalis Romani nimis longae et complexae ad simpliciorem formam redigantur.

h) Usus linguae vulgaris qui modo permittitur in Sacramentorum administratione extendatur ad alias partes non stricte sacramentales.

i) Lex ieiunii et abstinentiae redintegretur ad spiritum poenitentiae et mortificationis excitandum.

l) Pro institutione catechetica unicus textus completus doctrinae christianae paretur ad instar Catechismi ex Decreto Conc. Trid. ad parochos.

m) Relationes inter scientiam et fidem, inter societatem et Ecclesiam, inter Statum et Ecclesiam, inter cives et Statum, inter opifices et conductores ad lumen evangelicae doctrinae a Summis Pontificibus enucleatae dilucide exponantur.

Inops inter magnas opes ingenii et doctrinae quibus fulgent tot Praesules Sanctae Dei Ecclesiae meae parvitatis veniam humillime imploro et qua par est veneratione ac devotione me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum servum

✠ Irenaeus Chelucci
Episcopus Ilcinensis

138

Exc.mi P. D. VINCENTII RADICIONI

Episcopi Montis Alti et Ripani (Montalto e Ripatransone)

1. *Doctrinae capita maioris momenti examinanda*

a) Ecclesiae mandatum plane universale seu revera catholicum ita confirmandum profecto videtur, ut nulla natio ac gens inferioris condicionis vel ab ipsa Ecclesia aliena, quasi « hospes et advena » esse videa-

tur; id quidem assequendum sive modo veritatis proponendae, sive regulis liturgicis, sive disciplina generali. In re insistendum opportunum ducitur quatenus populi extraeuropaei, qui hisce nostris temporibus omnino participes fiunt bonorum omnium quae cultus et vitae humanitas omnibus afferunt, maxime difficiles immo suspiciosi evadunt. Vitetur quidem relativismus dogmaticus sed omnibus sit facultas fidem et quaestiones quae ex fide oriuntur iuxta suam humanitatem exprimendi.

b) Mystici Corporis doctrina, in qua enucleanda plurimum theologorum investigatio nostra aetate se exercuit, fuse illuminanda est et explicanda. Ex quo fundamento — vel etiam, si placet, hac re seposita — diligenter et commode doctrinam de Ecclesia recognoscere:

1. Ad sacrae hierarchiae auctoritatem solemniter affirmandam;

2. Ad rite asserenda, ex dogmatum principiis, hinc primatus, auctoritas, magisterium Romani Pontificis, illinc auctoritas et magisterium episcoporum. Una et sola hierarchia defendenda et vindicanda videtur contra quasdam diarchiae species quas religiosi admittere conantur, quasi Religionum superiorum hierarchia extet episcoporum hierarchiae parallela.

Circa Romani Pontificis electionem opportunum videtur ut mens Episcoporum totius orbis catholici audiatur, forma quidem magis apta et idonea.

3. Ad solidum fundamentum ponendum ut laicorum sors et condicio in Ecclesia sedulo definita evadat, salva auctoritate sacrae hierarchiae, laici qua laici proprium locum obtinere debent; eorum iura et officia positive stabilienda sunt super theologica principia. Relate autem ad adiumenta quae laici in Actione Catholica militantes, vel Diaconi, vel in Ordinibus minoribus constituti apostolatui, vel sacro ministerio, afferre possunt, contendere oportet ut sacerdotum proprium et praecipuum munus sit instare orationi, ministerio verbi, Sacramentorum administrationi, sacris disciplinis, quam maxime procul a saecularibus negotiis, quae alioquin, Ecclesia duce, laici gerere possunt.

Notandi hic offertur occasio ut laicorum sodalitates quae Ecclesiae oboedire volunt et in paroeciae vel dioecesis ambitu agunt, directae episcoporum territoriali iurisdictioni sint subiectae ut minime possibilis sit evasio a regimini ipsorum episcoporum, prout, nunc numquam evenit de consociationibus quas A.C.L.I. appellant vel C.I.F., quippe quae conformationem vel structuram habeant quam provincialem dicunt.

c) Rursus populus christianus in Ecclesiae vita ita inserendus videtur, ut plurimi aestimentur bona quae ex communi consuetudine oriuntur, cum nostra aetas huius vitae communis consuetudinem magni faciat. Optime quidem hic ratio investiganda videtur qua fideles ad vi-

tam liturgicam reduci possint omnibus attentis quae societatis evolutio praestat (v. analphabetismi, quem vocant, depulsio), et novi vitae mores postulant (v. sport quod vocant, ex urbibus fugae quae diebus dominicis vel festis fiunt etc.). Hiatus existens inter populum christianum et clerum prorsus removendus apparet.

2. *Errores reprobandi*

Eadem ratione qua in Concilio Tridentino adversus Protestantes doctrina de gratia enucleata evasit, ita nunc videtur, contra communismi athei principia et praxim, summopere exercitandae esse Patrum vigilantia et attentio ita ut haec maxima nostri temporis haeresis, una cum liberalismo et capitalismo, quos vocant, plane detegatur et Ecclesiae doctrina circa personam humanam, laboris dignitatem, et quaestiones quae vitam socialem spectant lucide exponetur et tractetur.

Etiam iuris publici ecclesiastici principia videntur iteranda et errores depellendi qui communiter sunt recepti circa relationes quae inter Ecclesiam et res publicas intercedere debent. Idem dicatur quod ad iuventutem christiane educandam attinet, ad ius quod ad Ecclesiam spectat, contra Laicismum, regulas dictandi in rebus politicis vel oeconomicis. In huiusmodi regulis vel principiis determinandis pretium operis erit ut omnia diligenter sapienterque resumantur et elaborentur, aut in synthesim redigantur, quae magisterium ordinarium iam expressit et subindicavit non tantum circa politicas atque oeconomicas disciplinas, sed etiam circa ius possidendi, circa aequam operariorum mercedem et circa iustitiam, ad quam relate nostra aetas singulariter difficilis apparet.

3. *Vota circa quaedam doctrinae capita vel negotia quae Ecclesiae obeunda hisce temporibus videntur.*

a) Necesse est ut principia definiantur apta ad errores praecavendos circa S. Scripturae interpretationem ita ut, dum magni quidem facimus archeologica reperta, scientiarum profectus, praeteritae aetatis notitia, doctrina de sacra inspiratione intacta permaneat, neque certos fines, ab Ecclesiae magisterio et traditione statutos, transire liceat.

b) Votum exprimitur ut, affirmata quidem poenitentiae necessitate ad vitam aeternam assequendam formam abstinentiae et ieiunii hucusque impositam ut legem sub gravi obligantem, suadeat Concilium ut actum religionis, concessis statutis diebus peculiaribus indulgentiis. Quae mutatio, dum plurima devitabit peccata, ampliorem meritum observantibus conferre videtur.

c) Sensus sacer diei festi rursus adfirmare oportet. Quaestio revera magna et vexata apparet ratio reperienda qua dies dominicus, vel festus, a christifidelibus sanctificetur, cum vivendi institutum et disciplina nostra aetate maxime et assidue immutetur sive facili hominum a locis translatione, sive ingenti numero urbium incolarum, sive omnium confluentia statutis diebus festis in rusticationis loca, sive necessitudine cogente publica servitia et bona providendi; attamen congruum videtur ut distinctio recepta inter opera servilia et non servilia recognoscatur et laboris idea opportunius definiatur. His positis et etiam sacerdotum exiguo numero considerato, votum fit ut Patrum Concilium extendat ad horas vespertinas sabbati tempus utile ad praeceptum Missae festivae satis-faciendum.

4. *Quae tractanda proponuntur circa cleri et laicorum disciplinam vel rerum actuositatem.*

1. Ratio studiorum et morum quae in Seminariis viget ita emendanda videtur ut Constitutioni « Menti Nostrae » omnino adhaereat ea mente ut iuvenes ad sacrum ministerium explicandum revera parentur et eorum institutio temporum necessitatibus respondeat.

Ubi Seminaria Regionalia extant opus est ut eorum status iuridicus ita definiatur ut certo agnoscatur cui competat eorum regimen.

2. Ad perniciosum dualismum inter clerum saecularem et regularem vitandum et ad virium unitatem obtinendam omnia eo modo concilianda et ad concordiam adducenda videntur ut dum sacerdotes regulares quoad vitam religiosam Constitutionibus sui Ordinis seu Congregationis, necnon suis Superioribus plene sint subiecti, quoad vitam activam, intra fines dioecesis, ab Episcopo dependeant. Ratio etiam exquirenda est qua Religiosi inceptis dioecesis faveant et operam praestent quin ipsi, intra fines dioecesis, inscio Episcopo, nihil ineant quod in dioecesim redundet.

3. Novae facultates Episcopis tribuendae videntur, sedulo definitae, quibus nunc recursus ad Congregationes Romanas requiritur, ea mente ut burocrazia, quam vocant, imminuetur.

4. Conveniens videtur ut novae leges condantur circa modum paroecias et beneficia conferendi, circa administrationem et distributionem bonorum et praeterea circa ius parochorum ad inamovibilitatem.

Ecclesiae minime desunt bona, attamen ratio qua haec administrantur et fructus distribuuntur est omnino obsoleta, immo prorsus feudalis. Opus est ut hac in re animose ratio instauretur nostrae aetatis accommodata, qua provisum fuerit necessitatibus omnium et labor et condi-

cio personarum aeque ac eorum muneris momentum et gravitas digne remuneretur. Deprecabilis et inexcusabilis inaequalitas quae nunc viget, qua sacerdotes pauperrimi cerni possunt, absolute est eliminanda.

5. De antiquissima lege aliquid derogando, usus linguae vernaculae permittendus videtur in parte cathechetica Sanctae Missae.

6. Conveniens videtur ut legislatio Sacramentorum in quibusdam immutetur vel perficiatur hoc consilio ut facilius mens Christi auctoris et Ecclesiae ministrantis comprehendatur, non excluso recursu ad linguam vernaculam.

7. Quod ad matrimonii Sacramentum attinet, quae vigent leges circa formam, impedimenta, consensum etc. recognoscere opus est, ut matrimonia nulla vitentur et etiam difficilis evadat recursus ad nullitatis declarationem. Nonnunquam leges alicuius ordinamenti iuridici civilis rigidiores legibus ecclesiasticis hac in re videntur.

8. Etiam Kalendarium ecclesiasticum recognoscendum videtur et exinde novus ordo instituendus relate ad Missale et Breviarium, praesertim quoad lectiones.

Optime quidem si lectionum ordo in Missis ita disponetur ut triennali vel quadriennali cyclo praecipua fidei capita exponantur cum fere sola Missa praebeat nunc sacerdoti occasio populum docendi.

9. Benigne respiciat Concilium sortem sacerdotum infeliciter lapsorum, qui scilicet coelibatus votum non custodierunt. Omnibus cautionibus adhibitis idest, remoto scandalo, prout casus fert, a susceptis oneribus dispensentur, non exclusa lege sacri coelibatus.

10. Votum fit ut Sacrae Romanae Congregationes munere activo fungantur, non tantum scilicet vigilando et defensionem exercendo vel rectam et ordinariam administrationem curando, sed etiam incepta suadendo et urgendo et omnes quibus spectat admonendo de rebus quae ad bonum Ecclesiae efficiendum videntur.

Tandem orbis catholicus, praesertim Episcopi, hac nostra aetate qua notitiae etiam reservatae celerrime publicae fiunt ubique terrarum, parum certiores fiunt de eventibus, ideis, moribus quae in dies fidem et ecclesiastica negotia et mores afficiunt. Saepe evenit ut nuntia vulgent diurni commentarii qui independentes vocantur, ex quibus notitiae, mutilae et incertae, haurire oportet. Quare votum exprimitur ut privatim et prudenter Episcopi, vel saltem Conferentiae Episcoporum, certiores fiant de rebus maioris momenti quae vitam religiosam et adnexas quaestiones attingant.

✠ VINCENTIUS RADICIONI
Episcopus Montis Alti et Ripanus

139

Exc.mi P. D. ANTONII BERGAMASCHI
Episcopi Feretrani (Montefeltro)

Pinnaebilii, die 28 augusti 1959

1. Votum facio quod in S. Liturgia Sancti Sacrificii Missae Sanctus Ioseph ponatur in maiore evidentia nomenque Eius ponatur in Canone Missae.

2. In recitatione Divini Officii, quantum fieri potest, ad veterem disciplinam redeatur. In particulari lectiones S. Scripturae, quae ad mores referuntur, qui Hebraeos et Orientales spectant et a Nova Lege abrogati sunt, omnino tollantur et novae lectiones magis consentaneae Novae Legi introducantur. Insuper lectiones, quae pertractant de vita Sanctorum, desiderantur magis consentaneae criticae; quare omnia expungenda sunt, quae aliquando puerilia et vix credibilia apparent.

3. Clerici Spiritualibus Exercitiis vacent non tertio quoque anno, ut in can. 126 *C.I.C.*, sed quotannis.

4. Firma manente inderogabili subiectione Episcoporum S. Sedi, videtur potestas Ordinaria Episcoporum in regimine dioecesis magis perspicua esse debere, praesertim in re administrativa et disciplinari.

5. Propono impedimentum matrimoniale consanguinitatis in tertio lineae collateralis gradu abrogandum, vel minus facultatem in eo dispensandi Ordinariis Locorum concedendam a iure, quin necesse sit recurrendum ad S. Sedem.

6. Optatur quod S. Sedes aliud decernat in provisione paroeciarum in illis regionibus in quibus provisio fit per concursum specialem (can. 459 § 4 *C.I.C.*).

7. Valde optatur parochos sint liberi a curis materialibus beneficii, ut spiritualibus curis magis magisque vacent. Quam ob rem necessarium videtur, firma manente proprietate beneficiorum, liberare parochos et sacerdotes in cura animarum ab eorumdem administratione, iis alio modo providendo ad honestam sustentationem et ad ministerii paroecialis necessitates. Ad hoc mihi optimum videtur diaconibus, ut in primaeva Ecclesia curam rerum materialium et necessitates materiales fidelium concredere. Proinde Institutum Diaconale oportet reviviscat: diaconi manent in Ordine diaconali saltem usque ad trigesimum aetatis annum, et postea, si bene egerint, promoveantur ad Sacri Presbyteratus Ordinem. His temporibus, in quibus multa et graviora pericula adsunt

pro castitate Clericorum, ista videtur bona probatio, ita ut ascendere possint ad Presbyteratum et votum castitatis et sacri coelibatus, quod numquam pro presbyteris dispensatur, definitive et irrevocabiliter confirmare possint.

8. Religiosi omnes sint subiecti Ordinariis Locorum in omnibus quae respiciunt necessitates sacri ministerii pro fidelibus, exclusivo iudicio ipsius Ordinarii loci, salva lege exemptionis pro sola vita interna religiosa.

9. Reservationes circa collationem beneficiorum, quae a can. 1435 recensentur et ab Instructione S. Datariae Apostolicae diei 1 ianuarii 1942 (*A.A.S.*, vol. XXXIV, 1942, pag. 113 et seq.) explicantur et confirmantur, ad minimum reducantur, praesertim eae, quae concernunt beneficia canonicalia et curata. Pro Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum reservationes omnino abrogantur, vel saltem ad Primam Dignitatem limitentur.

Praeterea pro expedita provisione paroeciarum propono abrogandum can. 1436 *C.I.C.*

10. Institutum inamovibilitatis beneficiariorum, praesertim parochorum, puto reformandum esse, ita ut Episcopi possint parochos et beneficiarios in genere, amovere, in casu necessitatis et debitis sub conditionibus, quam maxime expedite, simulque Episcopi procedere possint cum plena potestate discretionali, quae salvet Episcoporum auctoritatem et Dignitatem itemque naturalem aequitatem pro amotis. Tituli enim XXVII-XXXI Lib. IV *C.I.C.* requisitis expositis non videntur respondere.

Hae mihi in Domino humiliter proponenda visa sunt et preces Deo Optimo Maximo et Beatissimae Virgini effundo, ut Concilium Oecumenicum, a Beatissimo Patre auspicatum et volitum, vitam Sanctae Matris Ecclesiae crescat, augeat sanctificet.

✠ ANTONIUS BERGAMASCHI
Episcopus Feretranus

140

Exc.mi P. D. ALOYSII BOCCADORO

Episcopi Faliscodunensis et Aquipendiensis
(Montefiascone e Acquapendente)

Faliscoduni, die 12 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Epistolae tempus est ut respondeam, quae ad me missa est die 18 mensis iunii de futuro Concilio.

Cum inter omnes constet, Dei Ecclesiaeque hostes maxima cum arte et sollertia Ecclesiae damna moliri; cum pro certo haberi possit, in Episcoporum capita recidere quidquid damnorum contra animarum salutem intra suos fines acciderit, mea humilis itemque firma est opinio, Episcopum, ut malas hostium artes compescat et fidere possit, se a Deo adiuvandum esse, debere omnes Christianorum phalanges, quas quisque in sua Dioecesi habeat, opportuno tempore convocare, agmina conferre, resistere, progredi.

Quod tamen Episcopi ob religiosorum immunitatem facere non possunt.

Etenim haec immunitas ab Episcoporum auctoritate religiosis permittit, ut multi alii atque alii possint aliud praescribere non solum extra, sed etiam contra praescripta Ordinariorum loci, in quo religiosi ipsi vivant, ministerium suum exerceant, alantur.

Insuper consentit, ut religiosarum foeminarum praepositae, aliquoties parum idoneae, congregationum suarum commoda curent, extra metas ab Episcopo statutas etiam in operibus, quae cum fide et bonis moribus sint coniunctae.

Persuasum est mihi, non secus ac omnibus aequalibus meis, has Episcoporum difficultates eorumque iurisdictionis coarctationem defectum esse gravissimum, quin immo latam et commodam malorum portam.

Quae porta claudenda est, ut omnes unum sentiant.

Sancto Patri, Quocum usque in finem esse volo una mens, una caritas, una precatio, gratae sint meae omniumque subditorum meorum preces pro Concilio Generali.

Sacram Purpuram osculans me Eminentiae Vestrae profiteor

devotissimum

✠ Aloysius Boccadoro
Episcopus Faliscodunensis et Aquipendiensis

141

Exc.mi P. D. AEMILII GIORGI

Episcopi Montis Politiani (Monte Pulciano)

Montepolitiano, die 30 mensis septembris a. 1959

Eminentissime Domine,

Vehementer gaudeo quod SS. Dominus noster Summus Pontifex Ioannes XXIII fel. regn., iam ab ineunte Suo Pontificatu, ad Ecclesiae universae necessitates respiciens, Concilium Oecumenicum proxime celebrandum proposuerit, atque iam Commissionem Antepraeparatoriam instituerit, eidemque Eminentiam Tuam Rev.mam feliciter praefecerit.

Admiranda quoque Sancti Patris benignitas, qua de argumentis in Sacro Concilio tractandis Excellentissimos Episcopos atque Praelatos, meque ipsum humillimum, consulere dignatus sit.

Iamvero, cum menti consideranti innumera argumenta sponte obveniant, quorum tamen nullum praesumere audeam praeclaris Excellentissimae Commissionis Viris effugere posse: velis, quaeso, ut ipse, cum Christifidelibus mihi commissi, totus impendar in precibus effundendis, ut Sacro Concilio eiusque Auctoribus omnibus copiosa adsit Spiritus Sancti gratia.

Ad Sacram Purpuram deosculandam inclinatus, Eminentiae Tuae Reverendissimae obsequentissimum me profiteor.

✠ Aemilius Giorgi
Episcopus Montis Politiani

142

Exc.mi P. D. ANTONII R. MENNONA

Episcopi Murani (Muro Lucano)

Muro Lucano, 14 novembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Non mi era riuscito possibile preparare per il 1° settembre u. s. le proposte per il prossimo Concilio Ecumenico e pensavo che, avendo fatto tardi, fosse stato inutile trasmetterle in tempo posteriore. Ma, avendo appreso dalla Sua recente conferenza-stampa, che si è ancora in attesa di altre risposte, mi sono deciso a inviare alcuni voti.

Formulando fin d'ora i più fervidi auguri che il prossimo Concilio

Ecumenico, come è nei voti del S. Padre, serva a un salutare rinnovamento delle anime, al bacio del lembo della Sacra Porpora e con profondo ossequio mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
devotissimo nel Signore
✠ ANTONIO ROSARIO MENNONA
Vescovo di Muro Lucano

Haec pauca vota, quae profutura videntur ad animarum salutem, maxime illorum qui fidelium duces doctrina et exemplo esse debent, humillime expono, ut, si videatur, in proximo Concilio Oecumenico prae oculis habeantur.

A) *De Seminariis*

1. Vestem talarem clerici ne induant nisi studiis humanitatis expletis, servata tamen consuetudine eam induendi in sacris functionibus aliisque sollemnioribus circumstantiis, quo maiore libertate, si dato tempore se vocatos non esse animadvertant, a vita ecclesiastica retrahere se possint et, recedentes, non odium sed amorem vitae in Seminario transactae servare possint.

2. In Philosophiae et S. Theologiae studio methodus sequatur magis nostris temporibus consentanea: non supervacanea forma academica, sed nisus veritatis assequendae vel in ea intimius legendi; non explanatio et confutatio errorum tempus praeteritum respicientium, sed praesens; non inutiles disquisitiones vel quaestiones parvi momenti, sed clara et methodica doctrinae expositio.

3. Loco Cursus philosophici adiecti tribus annis Lycei, praescribatur ut, expleto S. Theologiae curriculo, omnes ad Presbyteratum promoti saltem unum annum transigant apud aliquod Institutum Pastorale (Istituto d'orientamento pastorale ecc.), apud quod ad sacrum ministerium parentur studio atque usu disciplinae pastoralis et socialis.

B) *De sacerdotum disciplina*

1. Inhibeantur sacerdotes, praesertim ob Cleri penuriam, ne in publicis scholis doceant, exceptis scholis ab Auctoritate ecclesiastica vel a Religiosis Institutis, sive quod id sacerdotum proprium munus non est, sive quod non raro sacerdotes in publicis scholis docentes vitam degunt non irreprehensibilem vel non difformem a laicorum vita, quibus quandoque scandalo sunt. Sin autem munus docendi in illis scholis exerceant, ipso facto beneficium ecclesiasticum, si quod habeant, cum suis reditibus amittant, ne plura stipendia cumulent ditioresque fiant. Praeterea sacerdoti-

bus interdicatur lectiones privatas puellis cuiusque aetatis omnino impertire, puerisque autem non plus binis horis in die, ut ministerio sacro per congruum tempus vacare possint.

2. Ordinariis facultas concedatur beneficiorum reditus in sua Dioecesi peraequandi vel saltem avocandi reditus ultra praefinitum limitem, ut pro operibus dioecesanis vel ad pauperiores sacerdotes adiuvandos erogentur.

3. Ne parochus inamovibilis sit, sed Ordinario ius sit eum ad alteram paroeciam transferendi, si dioecesis necessitas id postulet. Saepe variae causae, etsi non graves, ut canonicus remotionis processus instituatur, postulant vel saltem suadent ut parochus de una in alteram paroeciam migret vel ad alterum munus explendum adhibeatur. Eiusmodi causae esse possunt, exempli gratia, quod parochi commoratio in aliquo loco parum utilis facta est vel non a periculis aliena, quod necesse sit addicendi alicui paroeciae sacerdotem magis ad id munus et ad eum locum idoneum, quod taedium in ipso sacerdote vel in fidelibus ex diuturna in eodem loco commoratione exsurrexerit.

3. Excepto tertio quoque anno ad Exercitia spiritualia assignato (can. 126), singulis annis sacerdotes eiusdem dioecesis in unum ineant duabus vel tribus vicibus (in due o più turni) per quattuor saltem dies, quorum duo ad animam fovendam instar spiritualium exercitiorum transigantur et duo ad quaestiones vel problemata illustranda cum pastorali ministerio connexa.

C) *De religiosis*

Religiosi sint magis in servitium addicti dioecesis, ubi commorantur magisque Ordinario dioecesano subdentur, ut cum Clero saeculari, sub Ordinarii ductu, viribus unitis ad animarum salutem adlaborent. Exemptio autem ab Ordinarii iurisdictione, quod est aliquorum religiosorum privilegium, ad minimum redigatur, ne quandoque causa sit ministerii munera exercendi contra aut praeter Ordinarii voluntatem vel, quod saepius accidit, iurgii cum Clero saeculari causa sit.

D) *De fidelibus*

Praecepti satisfactio se in anno confitendi et sacram Eucharistiam tempore paschali recipiendi extendatur ad integrum annum absque ulla temporis praefixione, ita ut fideles ei satisfaciant si saltem semel in anno ad Paenitentiae et Eucharistiae sacramenta accedant.

✠ Antonius Rosarius Mennona
Episcopus Muranus

143

Em.mi P. D. ALFONSI Card. CASTALDO

Archiepiscopi Neapolitani, Ep. Puteolani (Napoli e Pozzuoli)

Prot. 1326/59/A Neapoli, 30 m. aug. a. D. 1959

Em.me ac Rev.me Domine mi obs.me,

Litteras quas, die 18 iunii 1959, mihi misisti, reverenter accepi.

Circa res et argumenta quae in futuro Oecumenico Concilio, a Summo Pontifice, feliciter regnante, die 17 maii c. a., in festo Pentecostes, indicto, pertractari poterunt, meam opinionem vel sententiam humiliter significo:

I. Circa Doctrinae Capita

A) *Solemnis pronuntiatio Ecclesiae,* quoad doctrinae capita attinet, circa errores in ordine theologico, morali, sociali et oeconomico,

1) Evolutionismi extremi;

2) Existentialismi;

3) Praxis inseminationis seu fecundationis artificialis in homine;

4) Praxis limitationis filiationis;

5) Acceptationis vel collusionis tantum cum materialismo historico et dialectico, etiam si pro experimento politico-oeconomico;

6) Nationalismi immoderati.

B) *Proclamatio vel definitio dogmatica Universalis Mediationis Beatae Mariae semper Virginis.*

C) *Edicetur ad rem compendium seu brevis cathechismus dialogatus* doctrinae socialis christianae, inserendus in textibus communibus pro catechesi instituenda.

D) *Imploratio unionis* populorum ad Unitatem Fidei Christianae et Catholicae. Deum in mundo arma terribilia parantur pro materiali et totali destructione rerum et hominum, Unitas mentium in Veritate et universalis motus Charitatis communem salvationem aget et prosperum iter signabit humanitati peregrinanti in saeculo.

Desiderium et motus *ad unificationem,* maxime his temporibus, ab omnibus advertitur, sed sola Christi Ecclesia gratiam perfectae *Unitatis* certo praestat et servat.

Implorationem etenim Unionis in veritate Fidei et animorum sensuum in Caritate maxime favebunt, ni fallor,

1) Integra *cognitio veritatis* semper succrescens;

2) Costans *actio amoris* generosioris;

3) *Plena et fidelis observantia* Ecclesiae disciplinae Eiusque praeceptorum.

Insuper efficaciora inter media haec habeantur:

a) *Universalitas* intentionum et actionum populorum in precibus fundendis;

b) *Profundior* scientia et intelligentia significationis rituum Ecclesiae;

c) *Participatio frequens* fidelium actionibus liturgicis.

Hoc fideles facilius consequentur si per Codificationem Iuris Liturgicis lex orandi et lex credendi sese ad invicem illuminent et adiuvent.

II. Ad disciplinam Cleri quod attinet, haec mihi consideranda et proponenda videntur:

A) *Ratio studiorum,* in seminariis accepta, compleatur:

1) Per *praxim pastoralem* in biennio, post studia theologica, in aliqua paroecia, vel in collegio ad hoc determinato, peragendam. Praxis illa habenda erit uti *necessaria habilitatio* ad ministerium pastorale fructuose incipiendum;

2) Per sociologiae christianae *studia ampliora,* quoad principia et doctrinam, et per exercitationes practicas sive in exponendis sive in defendendis doctrinis contra adversarios;

3) Per profundiora studia ad *Ecclesiae historiam et iura* quod attinet;

4) *Maxima cura* pro Ecclesiasticis habenda in sustinenda et augenda eorum Fide in auxiliis spiritualibus et in operationibus supernaturalibus.

B) *Beneficia paroecialia inamovibilia*:

1) Nec instituenda nec ultro sustineantur: ideoque lex concursus, ut nunc in Italia observatur, reformanda in seligendis vel dimittendis beneficiariis.

2) Ipsa beneficia choralia et similia, cum officiis et numeribus, vertenda videntur in sustinenda activitate pastorum animarum.

C) *Religiosi omnes* in dioecesi commorantes, si exquisiti ab Ordinario nec reluctent nec recusent, ulla ratione, pastorale officium forte eis oblatum; Sacerdotes omnes, praeter officia alia, sensum animi pastoralis habeant tamquam inobliterabile munus.

Et hic opportunum sentio aliquid significare circa locorum, personarum et entium exemptionem. *Exemptiones* cuiusque generis non admittantur amplius *tamquam privilegium.* Potius, si aliquando servandae

erunt, ipsae clare oriantur et admittantur propter bonum animarum verum et probatum.

D) *Habitus clericalis* servetur, ratione habita, ad formam quod attinet, realis distinctionis a vestibus laicorum. Fideles in hoc novitatem ullam non patiuntur; imo ius sibi vindicant ad facile recognoscendum proprium Pastorem inter laicos, etiam per habitum exteriorem, cum ad eum recurrunt pro Sacris agendis et obtinendis. Notum satis est populum fidelem reprobare nempe rem quamcumque novam quoad vestem traditionalem; praesertim non accipit abrogationem sacri habitus; hoc retineret uti tendentiam clericorum ad laicorum agendi rationem vel tamquam propositum facilius sese liberandi a vinculo alicuius exterioris segregationis.

E) Opportunis *studiis Sacerdotes incumbant* ut aptiores sint in veritatibus Fidei divulgandis, prae oculis praesertim habito fine efficacioris artis oratoriae: populum nempe ad meliorem praxim vitae christianae ducendae, spectatis temporum ac locorum moribus et circumstantiis.

F) Utilitas asseratur observandi *Caelibatum ecclesiasticum,* contrariis non obstantibus opinionibus illorum qui sustinere conantur impossibilitatem huius observantiae, attentis difficultatibus temporum et locorum necnon circumstantiis personarum, praesertim consideratione habita de irregulari vivendi ratione quorumdam, sed paucorum, ecclesiasticorum. Revera non minores deordinationes deprehenduntur in laicorum vita matrimoniali, quia matrimonium, per se, sine gratia Dei et hominum cooperatione nec sanat omnino nec eliminat eorum libidinem. *Relaxatio voti castitatis* seu caelibatus, dum non proprium remedium afferret ad omnia scandala removenda, certo suo maximo honore Sacerdotes catholicos privaret et ministerium redderet minus efficax et, in casibus quibusdam, certo difficilius.

Attamen Ecclesiae Matri commendanda est infelix conditio ecclesiasticorum apostatarum, praesertim eorum, qui prolem habuerunt.

G) *Votum castitatis uti temporaneum* habeatur pro clericis qui ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem admittuntur; quod quidem *perpetuum* erit, quando ad Presbyteratus Ordinem elevantur, *completo vigesimo quinto aetatis anno.*

Quoad laicos ad Diaconatum tantum admittendos, opportunum ducerem ipsos uti tales constituere *pro aliquibus tantum officiis explendis,* non tamquam ad Sacerdotium promovendos. In locis praesertim missionum et *ubi forte deest praesentia Sacerdotum,* admitti poterint Diaconi, seligendi, opportuna praeparatione praemissa, inter coadiutores probatos Ordinum vel Congregationum religiosorum et ad haec officia tantum, nempe:

1) ad baptismum solemne administrandum;

2) ad valide adsistendum fidelium matrimonio;

3) ad SS. Eucharistiam administrandam vel distribuendam, etiam per Viaticum;

4) ad Verbum Dei praedicandum in Ecclesiis, maxime tempore et modo catecheticae instructionis accommodato;

5) in rebus administrativis et oeconomicis gerendis.

Hi vero Diaconi votum castitatis emittant, quod validum et firmum exstabit, munere durante.

III. Ad populi christiani disciplinam quod attinet

A) Fideles *Ecclesiae praecipienti oboediant* non tantum ut testimonium propriae Fidei perhibeant, sed etiam ut veram fidelitatem confirment, etiam si praecepta Ecclesiae non directe argumenta Fidei tangant, sed unitatem disciplinarem totius corporis mystici obfirmare studeant.

B) Praeceptum *audiendi Missam,* in diebus festis, retineatur ad urgendam, non ad finiendam obligationem, ita ut eius observantia suppleri possit intra octo dies sequentes, quin hoc ad peccatum imputetur.

C) *Praeceptum Paschale,* infra tempus utile, urgat semper conscientiam fidelium. Attamen tempus admittatur utile *etiam infra annum,* omnibus diebus festis de praecepto, *sine ulla omissionis peccati imputatione.*

D) Statuatur pro *catechetica instructione* puerorum et adultorum tempus opportunum, sed gravi discentium obligationi respondeat *docentium obligatio,* in primis Ecclesiasticorum et asseclarum Actionis Catholicae. Pro Ecclesiasticis cuiusque conditionis et gradus, qui tenentur divinum officium recitare, addatur, *pari gravamine,* catecheticam instructionem munus praebendi, saltem singulis hebdomadis et per unam horam, modo, loco et ordine ab Ordinario statuendis.

Ecclesiastici, idest omnes religiosi, etiam si non primi ordinis et Sacerdotio non aucti, munus catecheticam instructionem tradendi acceptare debent, nec quamvis exemptioni religiosa gaudeant, dispensari possunt. Dispensatio, si datur, expresse hoc fiat a loci Ordinario. Ceterum omnes religiosae vel moniales, etiam si clausura obstrictae, intra saepta, vel in ecclesiis propriis catecheticae incumbant instructioni, *per horam in hebdomada,* non tantum subditorum, sed et populi christiani, puerorum scilicet puellarum et adultorum, modo et tempore ab Ordinario dioecesano, auditis superioribus singularum familiarum religiosarum, determinandis. Laici, tandem, praesertim in adiutorium Sacrae Hierarchiae vocati, in

hoc munere sese praestent, edocendo alios, praevia pro ipsis necessaria acquisitione doctrinae.

E) *Ministri Sacri* in Ecclesia Christi uti dispensatores mysteriorum Dei habeantur eosque omnes venerentur; obsequio, auxilio et orationibus sustineantur, nec ministris altaris desint quae necessaria sunt victui et vitae decori. Praevidentiae, nostris temporibus, subvenientes his omnibus qui mente et opere laborant, praesto sint ministris Ecclesiae et sufficientes eorum necessitatibus, praesertim in infirmitatibus, in senio vel inhabilitatis casibus.

F) *Dies universalis supplicum precum* ad Deum, in Ecclesia, intercessione Beatae Mariae omnium gratiarum Mediatricis interposita, vocationes ecclesiasticas impetrandas, in memoriam revocando preces quas Ecclesia primaeva fundebat pro Petro, pro ipsis vocationibus confirmandis, pro Cleri sanctificatione, pro illis qui persecutionem patiuntur, pro propaganda et conservanda Fide.

G) *Lex generalis ieiunii relaxanda videtur,* nec forte cum abstinentia coniuncta maneat; solius abstinentiae legis observantia, sine ieiunio, omnibus tantum feriis sextis maneat.

IV. Circa actuositatem Ecclesiae, etc.

A) *Vita religiosa*: ipsa magis augeatur praedicatione Verbi Dei, catechesi, administratione sacramentorum. Sacerdotes incumbant omnis generis ministerio nec sint qui doctores dicuntur, qui praedicatores, qui educatores, qui scriptores, qui rectores, sed omnes sancti et sanctificatores sint, in sacro pastorali ministerio, praecipue incumbendo. Quaecumque actuositas *extra ministerium* vana extat, imo et periculosa pro clericis. Sacerdotes negotiis oeconomicis non sese immisceant.

Ab operibus, quae communiter « affarismi » sapiunt Sacerdotes abhorreant nec in actionibus sic dictis « industriali » pecuniam habeant impensam, quaerendo immoderatum foenus.

B) *Actio politica,* uti aiunt, est admittenda, sed in defensione Fidei, iurium Ecclesiae Christi, verae libertatis et personae humanae.

C) *Actio socialis* magis promoveatur et sustineatur pro bono fidelium sive morali sive materiali; ad cavendam operam atheistarum et communistarum; actio socialis sustinenda videtur doctrina et operibus verae Charitatis.

Negotia maioris momenti, etc.

Universalitas naturae et missionis Ecclesiae Christi urget ipsam Ecclesiam eiusque ministros in studio systematum et problematum indolis oeconomicae; quaestiones tamen et solutiones horum problematum pro-

moveant actionem Ecclesiae, in ambitu tantum suae missionis, ut, ex una parte, omnibus bene pateat Ecclesiam ad fidelium utilitatem esse intentam et ipsi fideles agnoscant Ecclesiae sollicitudines ad valores spiritus semper et solum esse directas.

CONCLUSIO

Perennis Ecclesiae vita novas non ignorant temporum exigentias et experientias ideoque locis, temporibus, personis, et circumstantiis suas Ecclesia aptat leges. Idcirco necessarium videtur et urgens:

A) Instituere aliquam sacram Congregationem de dilatanda, sustinenda vel promovenda seu alenda Charitate, ut ad unum cogatur omnis activitas in re adsistentiae publicae;

B) Cum inhonestas, scandala, corruptio et similia ubique furunt atque saeviunt, tamquam morbus ingruens et contagium, maximam adhibere curam circa « stampa, cultura, sport, televisione ecc. » pro defendendis Ecclesia et fidelibus in integritate veritatum, in sana et morali agendi ratione in societate, in familia, in individuis, prudenter et severe moderando, in spiritu amoris et respectu humanae dignitatis, media et manifestationes sive pro corporis sanitate tuenda, sive pro animi solatio procurando.

Mihi interim officio habui consideranda ut supra exponere, dum Manus Eminentiae Tuae humillime deosculor et me profiteor magno cum obsequio

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mum et dev.mum servum verum

✠ ALFONSUS Card. CASTALDO
Archiepiscopus Neapolitanus
Episcopus Puteolanus

144

Exc.mi P. D. CONRADI URSI
Episcopi Neritonensis (Nardò)

Nardò, 25 gennaio 1960

Eminenza Reverendissima,

A causa del ministero che svolgo in Diocesi — vivendo continuamente nelle singole parrocchie — e fuori diocesi — ciò che non mi consente neppure una giornata di riposo anche durante la stagione estiva — non mi è stato possibile formulare e rimettere alla Eminenza Vostra Reverendissima le proposte per il prossimo Concilio Ecumenico in ossequio alla venerata lettera in data 18 giugno 1959 N. I C/59-900.

Faccio caldo appello alla comprensione ed al compatimento della Eminenza Vostra Reverendissima, Cui esprimo gratitudine e sensi di profondo ossequio, mentre, chino al bacio della Sacra Porpora, mi professo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
devotissimo
✠ Corrado Ursi

I. *De re dogmatica*

1. Perutile videtur pietati fidelium doctrinam de Mediatione Universali B. M. V. definire.

2. Iuvat ut magis explicite ac distincte doctrina de Episcopatu declaretur postquam Vaticana I Synodus doctrinam de Romano Pontifice clarissime et opportune definivit.

3. Doctrina de statu et natura apostolatus laicorum in Ecclesia — uti membra Corporis Christi Mystici — magis ac magis declaretur, ita ut periculum exorbitantiae actionis laicorum relate ad regimen quod in Ecclesia solae Sacrae Hierarchiae competit, precaveatur.

4. Circa effectus Sacramentorum magis enucleandus videretur aspectus uti dicitur, socialis.

Etenim, praeter relationem vitalem quam Sacramenta instaurant vel restituunt vel adaugent inter fideles et Deum — uti signa productiva Gratiae divinae — instaurant et corroborant relationem inter fideles et Ecclesiam, uti vera Sacramenta Ecclesiae. Quae doctrina actioni pastorali Sacrorum Pastorum iuvaret et insuper vitalem actuosam communionem fidelium cum Ecclesia et in Ecclesia instauraret.

II. *De re morali*

1. Doctrina « naturalismi » et « existentialismi » quae ducit ad theoriam vulgo dictam « morale della situazione », quaeque nunc temporis multos allicit et mores corrumpit, videretur formaliter damnanda.

III. *De re pastorali*

1. Modus institutiones catecheticas tradendi fidelibus bono vitae supernaturalis eorum non respondet. Aliquibus enim parum, aliquibus vero in locis multum doctrinae religiosae traditur, sed potius confuse ita ut instructio religiosa fidem non pariat neque ad vitam gratiae ducat.

Praeterea cultus persaepe non videtur mores fidelium sufficienter alere.

Optandum igitur ut Sacris Pastoribus sapientiores dentur normae de doctrina christiana tradenda pueris et adultis et occasione administrationis Sacramentorum et extra. Pars catechetica enim in Ritibus Sacris magna exstat.

2. Quia facile non est mores religiose ducere, Ecclesia per multa saecula catechumenatus disciplinam ante Baptismi susceptionem, instituit et in vigorem tenuit; catechumenatus enim aequari potest tum tempori probationis quod fit in statu religioso, v. g. novitiatus, tum tirocinio in exercendis artibus liberalibus: laurea enim doctoralis in Universitate Studiorum consecuta non sufficit.

Magis ac magis videretur necessarium nostris temporibus ut aliqua forma catechumenatus restituatur. Fideles enim christiani vitam gratiae negligunt et communionem cum Ecclesia minimi faciunt quia ab infantia non initiati sunt vitae communitatis paroecialis.

Non videtur difficile veram initiationem christianam ab adolescentibus duci antequam ad Sacramentum Confirmationis admittantur. Quod Sacramentum enim baptizatos confirmat in gratia Christi eosque adultos in Ecclesia facit, ideoque obligationem parit viresque confert ad perfectionem vitae christianae adipiscendam iuraque Ecclesiae tuenda atque vindicanda: quae officia *idoneitatem* exigunt.

Pueri confirmandi itaque per quatuor annos initientur:

a) *doctrina religiosa,* ita tamen ut veritates traditae fidem et mores christianos in ipsos inducant;

b) *vita communitaria Paroeciae,* praesertim per actuosam participationem ad cultum liturgicum;

c) *caritate* exercenda erga egenos;

d) *apostolatu.*

Quapropter videtur Sacramentum Confirmationis dandum esse pueris — praeter periculum vel articulum mortis — circa nonum vel decimum aetatis annum, non vero circa septennium ut can. 788 *C.I.C.* praescribit.

3. Ratio studiorum praesertim in scholis Seminariorum *non academicis* utriusque Cleri non videtur efficere completam sacerdotalem formationem.

Doctrina enim dogmatica satis apologetice exhibetur. Kerygmatice potius doceantur alumni ita ut facilius veritas dogmatica animos alumnorum vivificare possit aliasque disciplinas, v. g. moralem, asceticam, sociologiam, historiam etc. inspirare.

Sacra igitur praedicatio, quae nunc temporis de re dogmatica parum agit, magis solida ac effulgens evaderet, veluti animi ingeniique pabulum; praeterea, periculum errorum, ab iis qui doctrinam theologicam in scholis apprehensam per theseos, publice conantur exponere, caveretur.

Theologia Moralis quasi veluti ethica traditur alumnis, ita ut multum absit a spiritu Sermonis Montani D. N. I. C. Norma moralitatis ad vitam supernaturalem, immo ad perfectionem christianam iuxta monita Christi: « ut filii Dei sitis » (*Mt.* 5, 45) et « estote perfecti sicut et Pater vester perfectus est » (*Mt.* 5, 48), ducere debet. Methodum scholasticam et studium principiorum et casuum non parvi facio, sed — ut mihi videtur — studium theologiae moralis ne doctrinam asceticam praetermittat.

Modus exponendi Sacros Libros non videtur aptus ad intelligentiam et venerationem et nutritionem Verbi Dei primum ex parte alumnorum dein vero ad actionem pastoralem agendam.

Maxima cura danda est cognitioni completae et exegesi Sacrorum Librorum eorumque muneri ad animarum aedificationem moresque informandos. Critica textualis potius in Athenaeis exercenda videretur.

IV. *De re disciplinari*

1. Ius exemptionis Religiosorum adaptandum videretur Ecclesiae necessitatibus nostrae aetatis. Requiritur enim, stante penuria Sacerdotum et auctis necessitatibus fidelium, ordinata et concors actio pastoralis omnium Sacerdotum duce Ordinario Dioecesano, ita tamen ut ipse in regimine interno Communitatis Religiosae nullum ius exercere valeat.

2. Regimini Dioecesium videretur Archiepiscopis Metropolitis activum ius vigilandi in sedes episcopales tribuere.

Dioeceses quoad sedes numero reducendae sunt. Parvae enim dioeceses bonum regimen ducere nequeunt quia desunt qui officiis Curiae,

Seminarii et multorum organizationum actionis socialis incumbant vel adsistant; desunt denique et opes.

Si reordinatio Dioecesium pro tota Natione Italica simul instauratur, etsi gradatim, cives fideles obnoxi animi non essent.

3. Recursus ad Romanam Curiam ut facultates dispensationesque obtineantur casibus gravioribus restringendus videretur. Quod ab Ordinariis accuratius examen quaestionum postularet et cogeret ad magni suscepti officii rationes.

4. Disciplina poenitentialis adhuc necessaria ad animarum salutem moresque corrigendos videretur; sed temporibus nostris aequanda.

5. Obstantibus penuria Sacerdotum et necessitatibus in dies crescentibus curae animarum necnon negotiorum parum vero convenientium sacro muneri Sacerdotum, utile videtur officium Diaconorum qui negotiis Curiae, administrationi beneficiorum, directioni scholarum paroecialium Doctrinae Christianae, institutioni religiosae in scholis publicis, operibus Charitatis erga aegenos et pueros, administrationi Sacramentorum Baptismi et Eucharistiae praesertim in Sanctuariis, alicui curae fidelium in partibus agricolis incumbant, in Ecclesia restituere. Quod possibile videretur, cum plures Congregationes Saeculares laicorum qui consilia evangelica amplexi sunt, exstant.

✠ Conradus Ursi
Episcopus Neritonensis

145

Exc.mi P. D. IOSEPHI GORI

Episcopi Nepesini et Sutrini (Nepi e Sutri)

Nepi, 1° settembre 1959

Prot. N. 3467

Eminenza Reverendissima,

Prostrato al bacio della Sacra Porpora, vengo a dare risposta al venerato foglio di cui sopra, dopo aver consultato anche i due Vicari Generali delle due Diocesi:

Ad can. *C.I.C.*: Petimus ut Sedes Apostolica dispensationem concedat a concursu etiam in regionibus in quibus paroeciarum provisio fit per concursum ad normam Const. Ap. Benedicti XIV *Cum illud,* 14 dec. 1742. Can. 459.

Parochus sciat sibi relinquendam esse Paroeciam, cum ad annum sexagesimum quintum pervenerit.

Solum in casu necessitatis Episcopus remittere potest ad aliud tempus huius legis observantiam.

Parochus qui, cum ad 65 annum pervenerit Paroeciae renuntiat, ius habet ad modicam, sed dignitati suae congruam pensionem.

Superior Religiosus nequeat removere nimia cum facilitate Parochum suae Religioni addictum. Auctoritas Episcopi praevaleat voluntati Superioris Religiosi, adeo ut voluntas Episcopi semper praevaleat etiam in removendo Parochum Religiosum.

Parochi sint omnes amovibiles ad normam can. 2157 et Episcopo detur maior possibilitas amovendi Parochum, cuius Ministerium inefficax remanet (quod cum Processu canonico difficilius probatur), graviter onerata Episcopi conscientia.

Indultum iubilationis pro fruentibus praebenda, semper ab Apostolica Sede impetrandum, extendatur in computandis annis etiam ad servitium Paroeciale absolutum.

Sancta Sedes efficiat demensionem Dioecesium, ut vitales sint: earumdam necessitates valde differunt a saeculis praeteritis. Valde opportunum erit Episcopum habere Vicarios, qui etiam sine Episcopali dignitate, facultate polleant administrandi Confirmationem et in quibusdam Religiosis caeremoniis cum quadam sollemnitate participent.

Episcopi novas Paroeciarum demensiones statuant, ut praesentibus temporibus idoneae reddantur ad hodiernas Apostolatus necessitates.

Curent ut vita communis inter Sacerdotes eiusdem Paroeciae et si possibile est eiusdem Vicariatus foranei ad normam can. 134 *C.I.C.* instituatur.

Aequationem beneficiorum Episcopi curent. Regulae statuantur, quibus Episcopus obtemperare debeat sine praecursoria S. Sedis approbatione. S. Sedes interveniat post recursum cuius intersit.

Can. 1481 habet: « Fructus beneficii vacantis, pro altera dimidia parte accrescunt doti beneficii vel massae communi, pro altera parte cedunt fabricae Ecclesiae seu sacrario, salva legitima consuetudine qua fructus omnes in bonum commune dioeceseos erogantur ». Valde opportunum videtur erogare fructus beneficii vacantis pro altera parte in bonum commune dioeceseos pro omnibus dioecesibus, sine recursu ad S. Sedem.

Concedatur persona iuridica Assistentibus Ecclesiasticis Actionis Catholicae.

Habitus Religiosorum et Religiosarum sint communes, cum aliquo signo diverso pro unaquaque Religione.

Concilium Oecumenicum statuat principia socialia praecipua, quae semper firma sint.

Aetas pro recipiendo Confirmationis Sacramento sit prorogata post decimum annum et melius ad ultimum annum scholae obligatoriae.

Cum fines religiosi per quos Patrini instituti sunt non amplius obtinentur, Parochi non pauci quaerunt ut in Baptismo et in Confirmatione necessarii non sint. Pater respondeat in Baptismo, et unus vel una tantum pro omnibus in Confirmatione.

* * *

Porgendo i più distinti e devoti ossequi mi pregio confermarmi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo servitore
✠ GIUSEPPE GORI
Vescovo di Nepi e Sutri

146

EXC.MI P. D. VINCENTII M. JACONO
Episcopi Neocastrensis (Nicastro)

Prot. N. 75/59 Neocastren., 22 mensis aug. a. 1959

Eminentissime Princeps,

Ut Summi Pontificis Ioannis XXIII menti, a Te nobis relate cum litteris d. 18 iunii, huius a., N. I C/59-913 obsequar, quaedam vota, quae pastorale officium et salus animarum suggerunt in Domino, humillime Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico propono, ad gloriam Dei et bonum Ecclesiae Christi, quod — Deo favente et B. V. Regina opitulante — est in votis.

Ad osculum S. Purpurae provolutus, impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus servus in C. I.
✠ VINCENTIUS M. JACONO
Episcopus Neocastrensis

In re dogmatica

1. *Munus Mariae in Ecclesia Christi,* ut consectarium « corredemptionis doctrinae », quae saltem enucleanda videtur.

2. *Sensus Ecclesiae* in evolutione dogmatis.

3. *Valor historicus* Librorum Sacrorum et varia genera litteraria in Scripturis Sanctis.

In re morali

1. In quaestionibus disputatis de medicina et morali, *quaenam normae firmiter tenendae* pro bono familiae et societatis.

2. *Iustitiae socialis* principia ab omnibus admittenda.

In re iuridica

1. *Episcopi* septuaginta annos nati, vel antea si graves adsint rationes, humiliter petant a Romano Pontifice *Coadiutorem cum iuribus peculiaribus,* nisi aliter in Domino videatur, ad bonum dioecesis promovendum.

2. *Inamovibilitas Parochorum laxanda* videtur ob necessitates vitae paroecialis nostri temporis.

3. *Bonum animarum suprema norma habenda in componenda exemptione Religiosorum cum iurisdictione Episcopi* in Dioecesi.

In re liturgica

Vita liturgica magis magisque incrementum sumat ut fideles vitam habeant et abundantius habeant ex sacrosancto Sacrificio Missae et administratione Sacramentorum.

✠ VINCENTIUS M. JACONO
Episcopus Neocastrensis

147

EXC.MI P. D. CLEMENTIS GADDI

Episcopi Nicosiensis (Nicosia)

Nicosia, 24 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Collatis consiliis cum quibusdam viris ecclesiasticis peritis et prudentibus, qua decet reverentia quaedam doctrinae et disciplinae capita proponere audeo, digna — ut censeo — quae tractari mereantur in futuro Concilio Oecumenico.

A) *Doctrinae capita*

a) Schemata Concilii Vaticani videntur resumenda et definienda: ratione habita praesertim eorum quae infallibilitatem Ecclesiae et Romani Pontificis respiciunt quoad obiectum secundarium.

b) Perutile videtur et desideratur syllabus quidam qui:

1) errores laicismi et communismi tam late grassantes exponat, citatis praecipuis fontibus ecclesiastici magisterii;

2) doctrinam, ut aiunt, socialem Ecclesiae in unum collectam breviter perstringat, pariter citatis fontibus.

c) Plures Sacerdotes et fideles expostulant definitionem de universali gratiarum mediatione Beatae Mariae Virginis.

B) *Disciplinae capita*

Desiderantur:

a) Maior et intimior coordinatio inter religiosos et sacerdotes dioecesanos in iis quae spectant ad curam animarum et ad consociationes quibus vita christiana fovetur et propagatur; ergo minus ampla exemptio religiosorum et proinde maior dependentia ab auctoritate dioecesana.

b) Amplior facultas Ordinario concessa, praesertim relate ad parochorum amotionem, servato prorsus, ut patet, omni parochorum iure.

c) Expeditior et amplior facultas relate ad quaestiones de re administrativa et ad legata pia minoris momenti;

d) Unio saltem ad personam dioeceseon quae nimis parvae sint: haec providentia magnae utilitatis esset sive Clericis melius excolendis in Seminariis; sive Actioni Catholicae efficacius provehendae; sive Curiae of-

ficiis ordinandis; sive officiis, beneficiis, muneribus in dioecesi distribuendis; sive rei oeconomicae administrandae.

e) Amplior usus vulgaris sermonis in Sacramentorum administratione, ut fideles melius, quae aguntur, agnoscant et pro merito in aestimatione habeant.

Sacram Purpuram humiliter exosculans, Eminentiae Tuae Reverendissimae in Domino me profiteor

add.mum
✠ CLEMENS GADDI
Episcopus Nicosiensis

148

EXC.MI P. D. AUGUSTINI SABA
Episcopi Nicotriensis et Tropiensis (Nicotera e Tropea)

Prot. N. 1037/59

Tropien., a. d. IV Idus augustas A. D. MCMLIX

I. *De Episcopis*

Episcopi sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus Ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis (can. 329).

Ex Apostolorum Epistolis atque Actibus clare satis apparet praepositos ab Apostolis selectos fuisse ut, modo stabili, in variis Ecclesiis, sive docendi sive regendi munus exercerent.

Quam doctrinam veneranda omnium Ecclesiarum traditio confirmat.

Praeterea Episcopi Apostolis successerunt ut fidei unitas tempus in omne servaretur.

S. Ignatius aperte docet Episcopum locum Dei tenere, atque a Deo esse missum. Inde concludit: « Manifestum est quod Episcopum respicere oporteat ut ipsum Deum, eique oboedire, siquidem Iesus Christus revera ad fideles per Episcopum loquitur ».

Et alibi: « Episcopus est pastor, quem oves sequi debent, cui omnes oboedire debent, sine quo nihil fieri potest ».

Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei (*Act.* 20, 28).

Novatores, duce Luthero, hanc doctrinam oppugnaverunt affirmantes regere atque gubernare fideles tantummodo ad civiles moderatores pertinere atque tribuentes rei publicae cultum veluti divinum, originem dederunt Caesarismo quem vocant.

Nemo sane ignorat quot et quantas luctas egerint Pontifices Romani ut plenam ac perfectam independentiam Ecclesiasticae Hierarchiae a civili potestate vindicarent et defenderent in regendis gubernandisque christifidelibus egerint.

Numquam putassem nostra aetate huius libertatis negatores et adversarios futuros.

Nam, Episcopus et expertus nunc dico, in omnibus fere canonicis provisionibus, gravibus paroeciarum necessitatibus exigentibus, non desunt qui, etsi se catholicos profitentur, ab his dissentiunt, atque Episcopi decretis obtrectent, praesertim rei publicae administrandae rationis, christianis praeceptis innixae fautores, ut legati populares legibus ferendis, syndici, consociationum ab actis..., qui non solum in omnibus rebus ad Religionem pertinentibus se immiscere audent, at in parochorum remotionibus se defensores praebent, et in populo rumores, irreverentiam, odium in Episcopum serunt, quae, adiutore inobsequente Clero, non modo in popellum redundant, at etiam in Actionis Catholicae sodales (praesertim in pias mulierculas) qui, cum spiritali formatione careant, auctoritatem Episcopi, qui fidelium necessitates reapse videt et apostolico spiritu eas cognoscere et comprobare potest, imminuunt et eam cum quadam civili auctoritate componunt.

Non est qui non videat quot et quantum detrimentum haec interpositio Religioni afferat, aestimationem extirpet erga Episcopum, quem omnes christifideles defendere debent, nisi incrementum dare volunt aut Francomurariorum aut Communistarum calumniis, Episcopalem dignitatem alligare et minuere.

II. *De Parochis*

Quamvis omnem curam omnemque operam demus ut sacerdotes pie sancteque vivant, sunt qui aliquando tam materiam praebeant sermonibus, ut in bonis populis Redemptionis efficaciam infringant.

Residentiae lex (de dioecesibus nostris pastoralibus curis commissis dico) parum a parochis servatur. Nam, ut se ipsi ad huius legis observantiam adstringant, nobis necesse est a negligentibus petere poenas, quae vero ad oboedientiam obtinendam, magno cum nostro dolore, parum valere videntur.

Alii autem, praeter satutum temporis spatium post S. Missae celebrationem, officio paroeciali iam satisfecisse putantes, non in templo curis indulgent, sed alia expediunt. Alii, exceptis bonis parochis omni laude dignis, catecheticam institutionem pueris puellisque impartiri et catechismum fidelibus adultis, ut can. 1332 *C.I.C.* praecipit, explicare omittunt.

De his sacerdotibus quam bene Ieremia: « Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam: dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis » (*Ier.*, 12, 20).

Non omnes omnibus legibus promulgatis ab Episcopo parent, qui eas non saepe, sed saepius ad *C.I.C.* normas, imponere cogitur. Quod irreverentiam atque odium gignit in Praesulem, ad S. Romanas Congregationes causa est recursuum, qui generatim rebus falsis et mendaciis abundant, litteras sine nomine scriptas lacessit, quibus SS. RR. Congregationes et cursum dant et de rebus in illis litteris scriptis semper ab Episcopo rationes reposcunt, quae omnia tempus ad apostolicas curas utilissimum auferunt.

Universitatis Catholicae Sacrae Historiae tradendae doctor atque primordiorum Ecclesiae studiosus, maximo affectus sum dolore, cum argumentis certisque rationibus confirmavi, maiorem numerum varietatumque officiorum et sodalitatum, in fidelibus verae et perfectae christianae vitae sanctissimam haud auxisse laetitiam.

III. *De clericis*

Castitas sacerdotii candidatis maxime necessaria est.

Nam castitas est pulchritudo inviolata sanctorum. Est securitas mentis et sanitas corporis. Caste viventes, ait Apostolus, templum Dei sunt, et Spiritus Sanctus habitat in eis (*1 Cor.* 6). Castitas iungit hominem Caelo (S. Bernard., *De Contin.*, 2, col. 843).

Sed ego pariter sacris alumnis maxime necessarias Caritatis et Oboedientiae virtutes esse fateor et existimo.

Quantumlibet venustate sui Castitas eminere appareat, sine Caritate nec pretium habet nec meritum.

Eadem equidem sentio de Oboedientia, quam divus Augustinus « matrem omnium virtutum » dicit (cf. *De Bono Coniug.* tom. 6, col. 336). Et Apostolus omnibus oboedientiae exemplum proponit in Servatore nostro Iesu Christo dicens: « Factus est oboediens usque ad mortem » (*Philipp.* 2, 12). Igitur moderatoribus et praeceptoribus elaborandum est ne quisquam ad sacerdotium promoveatur, nisi prius caste pieque vixerit.

Impediant, onerata conscientia, sacerdotes fieri iuvenes inoboedientes, sine imperio, inconstantes, volubiles, qui non solum animas suas perdere sed etiam in summum periculum animas sibi commissas deducere possunt, atque Episcopo non saepe sed saepius gravibus doloribus sunt.

Saepe accidit ut sacerdotes novensiles frenum mordeant et perduelles fiant; admoniti perturbentur, reprehensi irascantur, iubenti adversentur;

Episcopi iussa in contemptionem adducant, et de his rebus inani quadam ostentatione in popello glorientur.

Ii, sacerdotii primordiis, se pauperes ostendunt, dein, non satis intellego quomodo id fiat, brevi tempore, magno cum fidelium scandalo, et contra leges Conciliares, automatariam raedam emunt, qua huc illuc volitant et errant.

Reprehensi, tercentas causas concinnant, quia illis sensus Christi deest.

Haec omnia Episcopi aliquando aegre ferre coguntur, ne experiantur extrema, quae, ut supra diximus, multa odia et incommoda gignunt.

Congrue et opportune Sacra Congregatio de Seminariis et de Studiorum Universitate, mense iunio, a. D. MCMLIX ad Episcopos litteras misit ut multa reiceret et improbaret.

Sacra Congregatio animadvertit multa adhuc esse facienda pro Seminariorum alumnis. Nam volutans et rationes et vias et spiritum, in rebus ad Apostolatum pertinentibus adhibita, praesertim a sacerdotibus novensilibus, quaeritur nonne principia aut normae tradita praetermittantur.

Verum est ut plerumque iuniores et animo et corpore in sacrum ministerium se conferant, at nisi Deum orent, domitas habeant libidines, passiones gubernent, fit fere ut sudent multum frustraque laborent atque in animi languores dimissionesque incidant.

Nemo enim verus et perfectus Christi apostolus esse potest, nisi qui vitam continenter pietatis studio sanctaeque precationis flamma alat.

Rumores, strepitus, ut ita dicam, etsi apparatibus atque instrumentis artium utuntur, paucos fructus dant et inutiles.

Verus Christi apostolus, cum conscius sit tantummodo Dei administrum se esse, penitus cognoscit alia instrumenta habere potentissima, non viribus et effectibus artium coniuncta: pernoscit enim spiritalia, gratia Dei atque precationibus maxime florere et vigere, fructus esse abundantes et utiles prout ipse his rebus confidit, neque sibi arrogat ut in earum locum se reponat.

Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus... Dei enim sumus adiutores (*1 Cor.*, 3, 7; 9).

Et alibi, primo exeunte saeculo a pientissimo obitu S. Ioannis Mariae Baptistae Vianney, hortatur moderatores et praeceptores sacrorum tironum ut vitam et opera Sancti Arsiensis Parochi ante mentis oculos habeant, praesertim oboedientiae virtutem, quae est quasi fundamentum firmissimum omnium institutionum, quas ii sacris alumnis impartiri debent.

Oboedientiae habitus et consuetudo, Sacra commendat Congregatio, penitus in sacrorum alumnorum mentibus inhaereant et quasi in animis sint insculpta, praesertim temporibus nostris, in quibus homines, sublato

Dei metu legumque divinarum verecundia, despecta moderatorum auctoritate, se student superbe, arroganter, inflate vivere, atque omnia permiscent, ne normis aut vitae rationibus pareant.

Haec omnia, proh dolor, quae nostra aetas laudibus ad sidera effert, non solum in vias atque rationes docendi, sed etiam in hominum mentes ita irrepunt, ut nihil praetermittatur quin doctrina catholica de pueris instituendis atque erudiendis ab imis fundamentis evertatur.

Sacra Congregatio de Seminariis legitimum quidem atque necessarium esse existimat opus eorum, qui non modo diligentissimi sunt multis argumentis ad persuadendum iuvenibus in spem Ecclesiae vocatis, sed etiam student quo modo in eis potestatem suis legibus vivendi, perspicaciam, intellegentiam, privatam et communem navitatem augere queant, at, quod ut deleterium inauditumque improbat, est quies moderatorum, qui suis iuribus abdicantes atque evertentes cunctas vivendi normas, timent ne imperium personam discipulorum laedant, velut si indebita insinuatio esset in interius animi sacrarium.

Nemo est quin videat quantum ii a veritate abhorreant!...

Nam dumtaxat normis et vitae rationibus sacerdotii candidati fieri possunt fortes viri, ad omnem sacrificium subeundum parati, magna caritate praediti et ornati, quae necessaria condicio est eis, qui reapse et sponte et pone subire volunt D. N. Iesum Christum ut omnes Passionis cruciatus cum Eo partiantur.

His tantum normis et regulis veri et perfecti sacerdotes procreantur, ad indoles, ingenia, libita vincenda prompti, qui quae Deus eos per moderatores iubet, faciant.

Cohortari oportet denique sacros alumnos ut normas et vitae ecclesiasticae rationes diligant.

Sit quod supra diximus quasi index silex, quo moderatores, ut aurum igne, sacram comprobent vocationem alumnorum, a quibus oboedientiam non tantum theoricam petant, at veram, integram, limpidam, perfectam, ad statutorum normas, etiam in rebus parvi momenti.

Moderatores illam non solum exigere, sed proponere sciant, alumnorum ante mentis oculos altiores et supernas causas afferentes.

Illa efflorescat oportet ex vita D. N. Iesu Christi, qui in mundo hoc unum perfecit: « Facere, Deus, tuam voluntatem » (*Hebr.* 10, 7).

IV. *Si Sacerdotes mutua inter se concilientur oporteat officiorum coniunctione.*

Sacerdotum partitio in dioecesibus impar est.

Nonne oportet celeriter reperire quae opus sunt has graves condiciones sublevare? Nonne tempus est legibus sancire ut Episcopi, qui sacerdo-

tibus abundet, eos cedant Episcopis qui reapse parochis indigent? Qui possunt Religiosi sacerdotibus saecularibus auxilium ferre?

Non est dubium quin Religiosi (delecti et ad paroecialem apostolatum parati) maximae utilitati esse possint Episcopis, qui parum prospiciunt quid agendum sit ut in paroeciis longioribus et accessu difficilioribus, diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto, Missa celebretur.

Hoc quam maturrime expediendum est, ne illud Prophetae fiat: « Filii petierunt panem, sed non erat qui frangeret eum! »...

V. *De consociationibus quibusdam a Sacerdotibus fundatis*

Persaepe accidit ut parochus quidam, vel religiosus, bona voluntate praeditus, sed non semper in caritate radicatus et fundatus, parva sacerdotum manu, consociationem piorum hominum piarumque mulierum instituat, qui perfectionis vias facilius atque expeditius ingredi queant.

Quamvis consociationes ab Episcopo probatae non sint, tamen conditores, Episcopi tacitum consensum supponentes, vota temporaria sodalium recipiunt. Cum, proh dolor, progressiones et incrementa non semper sint bonis constitutorum voluntatibus consona, propterea quod sodales et magistris et rigida novitiatus institutione carent, fere incompositi fiunt inoboedientesque Antistiti.

Difficillimum est has consociationes ordinare atque restituere; nam asseclae omnia exspectant a conditorum voluntate, quam saepissime Dei voluntatem esse putant.

Res magni momenti est atque digna quae perpendatur.

Quid faciendum est ne illae iam constitutae, frustrando Episcopum, fructus malos dent, earumque sodales, non semper ecclesiastico spiritu ornati, inconditi et inoboedientes exstent atque appareant?... Potestne effici ut non sacerdotes aut religiosi aut pii viri consociationes condant, nisi expresse ab Episcopo eligantur?...

VI. *De rebus ad sacrum cultum pertinentibus*

Cum maior pars fidelium catechisticis institutionibus non intersint, ignorantiae causa, pietatis ac devotio erga SS. Eucharistiae Sacramentum languescit; at contra in tota Calabra regione, festa et processiones in dies augescunt, quae saepissime profana, indecora, sacro et liturgico characteri contraria sunt.

Processiones aliquando per plures horas et usque ad horas serotinas protrahuntur. Sanctorum imagines ante fidelium domos ad eleemosynam

colligendas sistunt, et, quod peius est, qui imagines ferunt, in cauponas ingrediuntur ut satientur vino.

Totius regionis Episcopi multo ante haec reprobaverunt, sed eorum obiurgationes tum a sacerdotibus cum a locorum auctoritatibus, qui timent ne favorem popularem amittant, male acceptae fuere.

Nocerae Terinensis, exempli gratia, etiam in praesens tempus, feria sexta Maioris Hebdomadae recurrente, homines rudes et quasi corpora nudi, coram populo, se flagris usque ad sanguinem caedunt.

Supremum Sacrum Consilium cleri populique disciplinae praepositum « flagellantes », quos vocant, damnavit et reprobavit, sed illi fortiter et contumaciter resistunt atque in incepto perstant.

Quid faciendum?...

VII. *Si fideles dies festos sancte religioseque agant*

Tum mercatus cum nundinae pluribus locis efficiunt ut ex animis serena dulcisque requies operum et laborum per dies festos habenda evanescat.

Nemo sane perturbatur, nemo putat in Deum peccare.

Parochi, ut fideles diebus festis S. Missae intersint, Sacrum peragere primo mane debent.

Perpauci autem sunt qui vesperis participent.

VIII. *De lucifuga francomurariorum factione*

Francomurariorii fere in omnes magistratus atque in omnia publica munera insinuati sunt. Magna cum fraternitate, ut ita dicam, alius alium adiuvat et defendit.

Proh dolor, latius in dies lucifuga secta diffunditur. Officiales publici factioni adscripti Episcopis ficte obsequuntur, at quidem, omnia quae ad eos pertineant, tum retinent tum impediunt.

Sermo datur per totam regionem nonnullos hierarchas Democratiae Christianae nomen sectae dedisse. Quae voces non omnino falsae esse videntur, cum non desint documenta eas comprobantia.

Igitur secta bene et feliciter provenit, propterea quod in communistarum factiones comminus et gladiis, ut ita dicam, rem gerimus.

Saepe illi in suffragiorum contentionibus communistarum factionibus communitate iunguntur.

IX. *De communistis*

Cum iam ab Ecclesia doctrina eorum damnata fuerit, asseclae vana adminicula adnituntur atque in Sanctam Ecclesiam Dei et hierarchiam rem gerunt.

X. *De socialismo*

Huius factionis fautores dicunt se non ab Ecclesia damnatos esse. Secta magnas utilitates adipiscitur conspiratione atque consensu christianorum quorumdam atque eorum hominum, qui Democratiae Christianae non contenti, benignis oculis hanc factionem aspiciunt. Ii minime anxii sunt et pro pietate erga Deum et pro rebus spiritalibus.

Etsi Ecclesia damnavit omnes qui una cum communistis operantur, multi tamen christiani minime conturbantur.

Necesse est — res enim instat — sive communistarum sive socialistarum ita doctrinae studere, quae communem ex atheismo et materialismo quam vocant, originem ducit, ut non amplius quisquam decipiatur.

XI. *De falsa novatorum religione*

Novatores longe lateque suos errores diffundunt, populorum ignorantiae et indigentiae causa. Ii autem non solum multam pecuniam multaque cibaria, quae ab America important, dispensant et in sodales partiuntur, sed etiam in pagis et in urbibus (e. g. Falerna et Catànzara) templa aedificant.

Eis leges italicae maximas libertates largiuntur, atque in praesentia difficillimum est eos temperare et domare, ne doctrinam latissime divulgent.

Sacerdotes non sunt omnino parati ad pugnaces et quasi bellatorias orationes, qua de causa Episcopi paucis usitatisque defensionibus hostes aggredi debent.

Utinam omnes errantes, depulsa mentium caligine, ad Patris domum redeant, ut sit unum ovile et unus Pastor!

✠ AUGUSTINUS SABA
Episcopus Nicotriensis et Tropiensis

149

Exc.mi P. D. FORTUNATI ZOPPAS
Episcopi Nucerini Paganorum (Nocera dei Pagani)

Nuceriae Paganorum, die 21-IX-1959

Eminentissime ac Reverendissime Princeps,

De venerata Epistula N. 1 C/59-924, quam mihi Eminentia Tua, die XVIII iulii MCMLIX misit, sequentia vota et animadversiones audeo Tibi communicare:

Quoad doctrinam catholicam

1. Ad pietatem erga Beatissimam Virginem Mariam in animo christifidelium magis magisque fovendam, perutile est definire dogma fidei Mariam Sanctissimam Mediatricem omnium gratiarum esse.
2. Ut doctrina iam communis confirmetur, Consecrationem Episcopalem esse sacramentum definiatur.
3. Auxilio naturalium supernaturaliumque mediorum, castitatis virtutem possibilem esse, quam doctrina moralis catholica in variis statibus postulat vitae, definiendum est.

Quoad disciplinam cleri et populi christiani

1. Parochi omnes amovibiles ad nutum Episcopi declarentur et beneficiorum ecclesiasticorum collatio sine concursu fiat, auditaque speciali commissione singulis vicibus.
2. Reservatio beneficiorum Sedi Apostolicae auferatur, sed gratia obsequii Sanctae Sedi, eidem omnia beneficia canonicalia reserventur.
3. Religiosi utriusque sexus, cuiuscumque Ordinis et Congregationis, in omnibus, excepta stricta disciplina religiosa, Ordinario loci subiecti sint in quo domicilium vel quasi domicilium habent, ita ut Ordinarius loci libere iisdem pro necessitatibus pastoralibus suae Dioecesis uti possit.
4. Conversi, in religione clericali, ad Ordines Minores, servatis statutis condicionibus, admittantur.
5. Necesse est ut pro sororibus praesertim et monialibus opportunam formationem sive relate ad spiritum votorum totamque vitam religiosam, sive quoad scientiam theologicam et profanam praecipiatur prout tempora postulant.

6. Pro omnibus seminariis materiae studii compleantur prout tempora cum novis praesertim erroribus et progressu scientiae postulant, itemque eaedem studiorum disciplinae constituantur.

7. Promptuarium Liturgicum qui colligat omnes liturgicas leges desideratur.

8. Paenae latae sententiae minuantur ad decem circiter.

9. Disciplina de impedimentis matrimonialibus simplicior reddatur.

10. Perutile videtur ut nullus sacerdos ad officia Curiae dioecesanae aut Sacrarum Congregationum designetur nisi prius ministerium pastorale per aliquot annos exercuerit.

11. Sancta Sedes, bene perspecta in singulis dioecesibus copia Cleri, numerum illorum sacerdotum qui designandi sunt in servitium dioecesium Clero carentium statuat.

Quoad actuositatem

Actio Catholica actuositas ordinaria ministerii paroecialis organisatioque prima et dux reliquarum organisationum catholicarum, in omnibus subiecta Episcopo, recta a Sacra Congregatione Romana iam constituta vel constituenda, declaretur.

Interim, Eminentissime Princeps, Te precor ut testimonium meae venerationis accipias, dum Tuam Sacram Purpuram deosculor et ex corde me profiteor

humillimum famulum

✠ FORTUNATUS ZOPPAS
Episcopus Nucerinus Paganorum

150

EXC.MI P. D. IOSEPHI PRONTI

Episcopi Nucerini Tadinensis (Nocera Umbra - Gualdo Tadino)

Eminentissime Domine,

Pergrato quidem animo cognovimus Summum Pontificem Ioannem XXIII feliciter regnantem exoptatum nuntium universo catholici orbi attulisse, Concilium Oecumenicum sollemniter celebratum iri.

Dum interea Deum impensa praece exoramus ut ex hac universali congregatione laetos uberesque fructus percipiantur in Ecclesiae et civilis consortionis bonum atque incrementum, animum nostrum libentissime pandimus, opiniones seu sententias quas in Domino accurate perpen-

dimus, Tibi, Eminentissime Domine, praesentibus hisce litteris patefacientes.

Inter plures quaestiones magni momenti quae in proximis coetibus agitandae et exolvendae extant, praesertim ad fidei integritatem moresque christianos tuendos contra laicismi, materialismi et paganismi minas, hac mihi in Domino humiliter praeponere videntur.

1. Alumni in sortem Domini vocati optime instruendi sancteque educandi sunt.

Quapropter in Seminariis summa cura cuicumque disciplinae ea quae dicitur sensu specifico *theologia spiritualis,* praesertim *ascesis* praeponatur, ad ministros Ecclesiae parandos qui sint vere lampades Sanctuarii *resplendentes et lucentes.*

Non numeri sed qualitatis ratio habeatur.

Ordinandi praesertim onus castitatis quam maxime et diligentissime perpendant.

Aliquo modo consulatur conscientiae eorum qui lacrimabili casu defecerunt et nunc angore animi premuntur.

2. Circumstantiae temporum suadent spiritualium exercitiorum obligatio non tertio quoque anno sed quotannis.

3. Foveatur — iuxta possibilitatem — vita communis Cleri.

4. Omnes Parochi sint amovibiles ad nutum Episcoporum, et provisio beneficiorum sit ad beneplacitum Ordinarii absque concursu.

5. Quo parochi maiori gaudeant libertate in exercitio pastorali ad bonum animarum, administratio beneficiorum subtrahatur a singulis parochis et unico officio administrativo dioecesis demandetur.

6. Ampliores facultates Ordinariis tribuantur quo melius et expeditius Cleri necessitatibus consulere ipsi possint.

7. Iuridicas relationes Ordinarios inter et Religiosos universos eo modo ordinentur ut iuxta genuinum sensum Ecclesiae « exemptio » interpretetur, et Episcopis facultates tribuantur quibus ipsis liceat suae iurisdictioni praesertim activitatem religiosorum externam subiicere.

8. Ritus *confirmationis* et *matrimonii* ceremoniis maioris splendoris et significationis locupletentur. Quae sacramenta — necnon *extrema unctio* — vernacula lingua conferantur.

Interea, qua par est reverentia et observantia, amplitudinis Tuae me profiteor

addictissimum

✠ IOSEPH PRONTI

Episcopus Nucerinus Tadinensis

151

Exc.mi P. D. ADULPHI BINNI
Episcopi Nolani (Nola)

Prot. N. 12/60 V Nola, 25 marzo 1960

Eminentia Rev.ma,

Humillimas quaero exscusationes de tardivo responso circa quaestiones in proximo Concilio Oecumenico proponendas ab Eminentia tua requisitas d. 18 iunii 1959.

Hae mihi maximi ponderis videntur:

1. Reiciendus est novus modernismus qui serpit in erroribus de auctoritate Ecclesiae Dei, in rebus dogmaticis et moralibus, in praedicatione Verbi Dei, in statuendis ritibus et variis pietatis exercitiis.

2. Definitio doctrinae socialis Ecclesiae; quaenam principia immutabilia; quae pars rerum fluxui obnoxia; damnatio doctrinae marxistae leninistae sub quovis aspectu.

3. In scholis theologicis doctrina marialis latius profundiusque pertractanda est.

Ordinarie tractatus « De Mariologia » evolvitur anno scholastico ad finem vertente paucis diebus paucisque verbis. Consequenter Sacerdotes iuniores in S. Praedicatione veritates dogmaticas mariales neglegunt et devotionem *sentimentalem* fovent.

4. Inveniendus est modus quo privilegium exemptionis, quo omnes Ordines et Congregationes Religiosorum gaudent, ne istos subtrahet a potestate Ordinarii loci, praesertim relate ad apostolatum. Aedificationi populo christiano certe non est considerare quot laboribus exagitentur Sacerdotes cleri saecularis, dum saepe saepius plures Patres in conventu nihil vel fere nihil habent quid faciant.

5. Episcopis residentialibus maior libertas tribuatur de parochis instituendis et removendis, de bonorum administratione, de aetate necessaria ad S. Ordines suscipiendos, de cursu philosophico et theologico instituendis in illis Dioecesibus, ubi ad rite eos peragendos media apta inveniatur.

Qua par est venerationem et oboedientiam me profiteor

add.mum in Domino
✠ Adulphus Binni
Episcopus Nolanus

152

EXC.MI P. D. HILARII ROATTA
Episcopi Nursini (Norcia)

Prot. N. 8378 Nursiae, 2 februarii 1960

Eminentissime Princeps,

Mea desiderata, ad veneratissimam Pontificiam Commissionem pro Oecumenico Concilio celebrando, perfero.

Ut par et iustum est, mihi in primis videtur meum patefacere devotum obsequium in Summi Pontificis Ioannis XXIII, f. r., sententiam de Concilio Oecumenico Vaticano II celebrando. Quam quidem sapientissimam vereque inspiratam, atque Ecclesiae necessitatibus et fidelium expectationibus certe accomodatam, sentio atque confiteor.

Ut in Synodo Romana, nuper celebrata, conclamantibus atque laetantibus omnium fidelium ordinibus, novis ordinamentis, apte et sapienter provideri voluit Urbis necessitatibus, quas magnum progressum intulit, ita magnae rerum mutationes, progressa, miranda aetatis huius nostrae inventa, ipsa Sanctae Ecclesiae propagatio, novae spiritus causae quas nostra aetas exagitat, populi et nationes qui inter se coniunctissime vivunt ... magnum et profundum iudicium exigunt ut consilia fidelium recte gerendorum suscipiantur. Quae quidem dum christifidelibus maiorem securitatem in agendo praebebunt, coeteris Ecclesiae Catholicae magnum spectaculum unitatis vitae et operositatis dabunt.

Quaestiones quae, ut mihi videtur, sunt considerandae, quippe quas ego expertus sim, haec sunt:

I. *De doctrina revelata*

a) Necessitas oppugnandi et debellandi errores qui contra veritatem omni tempore serpent, causa fuit ut in singulorum doctrinae capitum progressione, apta partium compositio non servaretur. Etenim, aliqua quae ad essentiam Dominici Nuntii pertinent, sive in theologiae scholis, sive in textibus fidelium, iacent, ut ita dicam, in umbra.

En exemplum: Doctrina de Paternitate Domini, quae ad ipsum Evangelium attinet, in libris cathechesis, paene deeest; nec aliter dicendum de Doctrina Corporis Mystici D. N. I. C., etc.

b) Neminem fugit ut « Magisterium », quod in Ecclesia est, radices agat in fidem et vitam fidelium; sed, mea sententia, desunt apta instituta

quae hoc Ecclesiae fundamentale munus promoveant: deest in primaria publica Ecclesiae auctoritate, ubi vix exiguum Officium cathechisticum viget apud S. Concilii Congregationem; etiam in Curiis Dioecesum officium cathechisticum illa auctoritas, quae suapte natura habet, deficit.

II. *De Officio sacerdotali*

a) Officium sacerdotale, in legislatione quae nunc viget, saepe « Beneficium » dicitur, sed id nec nobilitati Officii respondere videtur, nec Salvatoris menti, qui « ministerium » definit.

b) Quod autem attinet ad ministerii sacerdotalis necessitates, haec mihi videtur necessaria signanda esse:

1. Necesse est ut Clerus, in sortem Domini vocatus, liberior evadat e curis rerum temporalium administrationum, quippe quae in exercendo apostolatu, multis de causis, sacerdotem minus acceptum faciant.

2. Distribuitio bonorum, quibus Paroeciae, Dioeceses, etc. uti possunt, oportet magis aequitati consona sit.

III. *De Episcopi Potestate*

a) Episcopo loci in sua Dioecesi fruendum est maiore libertate de Clero disponendo; qua de causa institutum de inamovibilitate Parochorum mihi videtur necessarium retractari et corrigi, dum ad eorum firmitatem provideri potest aliis modis, scilicet praeceptis quibus Ordinarius uti debeat.

b) Experientia autem constat quantum exemptionis Religiosorum privilegium, ut in Codice iacet, actioni Ordinariorum in regenda Dioecesi obsistat; ex quo sequitur necessitas hoc privilegium moderandi.

c) Eadem causa, ut Ordinarius loci agere possit in bonum Dioecesis, Ei concedi debet amplior potestas dispensandi, nominandi, etc. reducendo numerum casuum S. Sedi reservatorum.

IV. *De divino Cultu exercendo*

In divino Cultu exercendo necessaria videtur caeremoniarum in simpliciorem formam reductio, ut ipse Dominicus Cultus expeditior fiat. In S. Liturgia, praesertim in Missa, amplius adhiberi debet S. Scriptura; praeterea necessarium est modum invenire ut sensus sacrae lectionis et orationis, quae Sacerdos nomine et ad instructionem fidelium legit, patefiat. Urget autem in S. Liturgia novas recipere expressionis formas, aetatis nostrae progressioni et in mundo Ecclesiae propagationi aptas.

V. *De Cleri formatione*

In formatione Cleri mihi videtur necesse est, in proponendis disciplinis, rem magis consentaneam spiritui christiano et ecclesiastico, idque ab ineunte gynnasio et lyceo, adhibere.

Mihi detur venia, si mea desiderata mittere moratus sum.

Una cun fidelibus meis, bonis ac rectis corde, preces effundere pergam ut Spiritus Sanctus eos adiuvet qui simul operam dent Romano Pontifici in Concilii Oecumenici praeparatione.

Gratum tibi sit, Eminentissime Princeps, meum devotum obsequium.

✠ Hilarius Roatta
Episcopus Nursinus

153

Exc.mi P. D. ANGELI CALABRETTA
Episcopi Netensis (Noto)

Neti, die 16 augusti 1959

Fere nihil ex hac parva mea Dioecesi, in extremis Italiae nostrae finibus sita, haberem subiciendum pro exoptatissimo proximo Oecumenico Concilio.

Veruntamen, et pro oboedientia tantum, haec humillime et subordinatissime subicio:

1. Unitatem Ecclesiae enixis precibus omnes a Domino postulamus et ominamur, praesertim quoad illud quo omnes hic affligimur, scilicet, protestanticas sectas quotidie magis magisque hic invalescentes.

2. Perutilem, immo necessariam, pro pastorali munere, viderem clarificationem theologicae doctrinae de infinita Dei Misericordia: Devicta namque iansenistica haeresi, in opposito excessu hodie sensibiliter labitur. Iustissime celebrantes Misericordiam Dei, quae vere est « super omnia opera Eius », saepe obliviscuntur illud S. Spiritus monitum: Bonus est Dominus ..., animae quaerenti Illum (*Thren.* 3-25); et fideles nostri temporis, nihil aliud amplius Deo volentes praestare, magis magisque relaxantur in observantia divinae legis.

3. Attenta deficientia Sacerdotum quae verificatur et in magnis et in parvis Dioecesibus, de proposito provideatur ne remissum maneat singulis Ordinibus Religiosis eligere quibus in locis ipsi suum auxilium prae-

stent: constat, enim, ipsos habitualiter refugere a parvis Dioecesibus, suam praeferentiam praestando potioribus locis, etsi ibi vera non adsit necessitas.

4. Pro infimo et semper submisso meo iudicio, urgens mihi videtur revisio praesentis disciplinae circa exemptiones Religiosorum sacra ministeria in Dioecesibus gerentium.

5. Quoad, autem, arduum illud problema de ministris pro sacro ministerio animarum inveniendis et de adhuc maiore incremento praestando Vocationibus Sacerdotalibus in singulis Dioecesibus, videtur, saltem in hac mea Dioecesi, non parum influere, cum aliis gravioribus elementis, ad illarum semper crescentem diminutionem, illam actualem oeconomicam depressionem Cleri quam singulae, etiam bonae, familiae de facili non possunt non constatare. Ex hac, enim, constatatione omnibus apparet hodie Clerum peius oeconomice se habere quam omnes alii, etiam infimi, coetus sociales.

Si res ita se haberet etiam in aliis Nationibus, videtur quod tantum ope alicuius universalis et radicalis innovationis perveniretur ad congruam illam solutionem, quam adhuc inaniter in nostra Italia abhinc tot decennis quaeritur.

✠ ANGELUS CALABRETTA
Episcopus Netensis

154

EXC.MI P. D. G. VINCENTII GREMIGNI
Archiepiscopi Episcopi Novariensis (Novara)

N. 109/59 - V Novara, 5 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Le spedisco i miei voti per il prossimo Concilio Ecumenico.

Ho avuto un mese di agosto così colmo di lavoro e di preoccupazioni, che ho dovuto preparare le mie proposte proprio a pezzi e bocconi.

Mi perdoni il lieve ritardo e la povertà dell'esposto.

La ricordo sempre con l'antico affetto e le auguro ogni bene, mentre, baciando la Sacra Porpora, ho il piacere di ripetermi

✠ G. VINCENZO GREMIGNI
Arcivescovo Vescovo di Novara

Eminentissime Domine,

Perlibenter obtemperans, uti praeceptis, desideriis Augusti Pontificis, sententias Episcoporum exquirentis de Concilio Oecumenico proxime habendo, nonnulla vota hic exponere audeo quae, forsan — quatenus Ecclesiae animarumque bono profutura videntur — in Concilio tractari poterunt.

Argumenta, iuxta consilia quae in tuis litteris continentur, in quattuor dividam capita: I. De doctrina christiana; II. De disciplina cleri; III. De fide et moribus populi christiani; IV. De quibusdam difficultatibus in episcopali munere obeundo.

I. *De doctrina christiana*

1. Accuratius catholica doctrina de hominis elevatione ad ordinem supernaturalem — velut anima totius vitae christianae — exponatur, praesertim contra errores materialismi nunc temporis serpentes, ut ubique terrarum vel scripta vel per catechesim, conciones, lectiones, etiam atque etiam vulgetur.

Quapropter fortiter impugnentur hedonismus, materialismus, vaga quaedam mere naturalis religiositas, item ac paedagogia naturalismi placitis imbuta.

2. Catholica doctrina de praestantia ordinarii Magisterii ecclesiastici illustretur, sicut de officio quo theologi adstringuntur ad illius normam Sacras Scripturas explanandi religiosasque doctrinas declarandi.

3. Maxima cura exponatur doctrina catholica de re sociali, adversus principia et praxim tum socialismi et communismi, tum capitalismi, uti dicitur, atque circa mutuam inter classes sociales cooperationem.

4. Catholica enucleetur doctrina de relationibus Ecclesiam inter et civiles Statuum potestates, ita ut in posterum vitentur perniciosi errores qui aliquo iam modo huc illuc irrepserunt.

5. Ad doctrinam de catholica Ecclesia maxime tutandam — cum inimici fidei omni nisu contra immaculatam Christi Redemptoris Sponsam coalescant — praecipue ne plurimi Christifideles a sinu Sanctae Matris separentur, addere censeo in Symbolo fidei, uti a plebe christiana de more profitetur, quattuor Ecclesiae notas: « Credo ... unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam ».

6. Similiter mihi videntur, explorata ratione, esse exponenda officia laicorum in Ecclesia, ne auctoritas Pontificis Summi itemque et Episcoporum in factis pessumdetur.

7. Definite exponatur doctrina de vitae consuetudinibus Catholicae

Ecclesiae Christifideles inter et aliarum christiani nominis confessionum dissidentes fratres.

8. Ad maiorem Dei gloriam atque Christi Iesu Redemptoris, ad Christifidelium fovendam pietatem necnon ad devotionem erga Beatam Dei Genitricem augendam atque gratias salutares populo christiano impetrandas, exoptandum mihi videtur ut sollemni iudicio doctrina definiatur quam, ab immemorabili, ordinario et universali magisterio, iam tenet ac docet *Sancta Mater Ecclesia de Beata Maria Virgine, omnium gratiarum Mediatrice.*

9. Insuper damnandum puto *cultum personalitatis,* quo freti, nonnulli sacerdotes libertatem vindicando eiusque iura exaggerando, auctoritatem Sacrae Hierarchiae protervo ausu despiciunt eique debitam denegant obedientiam, dicta et facta Episcoporum superbe iudicantes atque spernentes.

Fideles moneantur divinum Ecclesiae Fundatorem *methodum,* ut dicunt, *democraticam* pro regimine suae sanctae Societatis reiecisse, quam Petro et Apostolis usque ad consummationem saeculi voluit esse concreditam.

Foveatur ergo episcopalis auctoritas, ita ut singuli Episcopi in sua quisque dioecesi habeantur, ut vere sunt, Apostolorum successores, a Spiritu Sancto ad regendam propriam Ecclesiam positi, sub ductu et in communione Successoris Principis Apostolorum.

10. Publice etiam plectatur maxime perniciosus error « morale della situazione » uti appellatur, qui in clerum et populum christianum in dies magis magisque grassatur quique distinctionem inter bonum et malum — pro dolor! — omnino in animis delet.

II. *De disciplina cleri*

1. Valde optandum ut Concilium peropportunis et urgentioribus monitis sanctitatem Cleri commendet, ut veram, essentialem et perennem ad munus sacerdotale dispositionem, adversus iam frequentem consuetudinem, qua Clerus, praesertim iunioris aetatis, facile anteponit quaestiones sociales et profanos habitus rebus asceticis et spiritualibus. Nullum enim aliud opus praeire debet huic ferventi studio sanctitatis, ex quo aeterna salus populi christiani unice et maxime pendet.

2. Provideatur igitur — omni cura — habitualis spiritualis et ascetica assistentia pro sacerdotibus omnibus per aptas institutiones, quibus a crebris et quotidie imminentibus periculis clerus tempestive arceatur.

3. Quapropter valde desideratur ut regimen et actuosa opera loco-

rum Ordinariorum ut magis magisque coordinentur per opportuna instituta regionalia, nationalia et, si utile videatur, supernationalia, ita ut apostolicum ministerium ampliorem adipiscatur virtutem.

4. Similiter coordinanda videtur operositas Cleri Dioecesani cum operositate Cleri regularis, tum circa consuetam animarum curam, tum circa alia peculiaria et extraordinaria apostolatus incepta.

Statuenda idcirco, in presentibus rerum adiunctis, ampla inter dioeceses communicatio et distributio sacerdotum, certis regulis a Sancta Sede moderandis, quibus efficacior cura pastoralis ubique terrarum in commodum Christifidelium impendatur.

5. In unaquaque dioecesi urgenda est specialis quaedam institutio, cui spectet varia apostolatus opera disponere omnium piarum associationum, etiam Cleri regularis, quae Sacrae Hierarchiae devotum auxilium intendant reapse praebere.

6. Studio peculiari consideranda sors quorundam Christifidelium qui, multiplici ex causa, ab ordinaria animarum cura subducuntur, ut nova quaedam inveniatur forma pastoralis curae ad eorum provehendam salutem.

7. Denique ad decorem status clericalis, ad reverentiam populi christiani conciliandam atque ad virtutis praesidium ipsiusmet sacerdotis usus vestis talaris, ubi haec iam defertur, minime obsolescat.

8. Sacerdotes inflammentur ut totis viribus se dent sacramenti Poenitentiae piae administrationi: in praemium vero tanti laboris, in hoc salutifero opere exercendo, ut aliqua partialis et plenaria indulgentia pro confessariis erogetur dignum mihi videtur.

9. Pauca hic addere iuvabit de voto perpetuae castitatis, quod in actu ordinationis ad sacram subdiaconatus ordinem suscipitur. Frequens est enim casus quorundam sacerdotum qui ad infirmandam ordinationis validitatem asserunt se, propter iuvenilem aetatem atque inscitiam rerum saecularium, onera sacrae ordinationis ignorasse, proinde voto sacri coelibatus non teneri.

Nonne ergo prudens ac sapiens esset aetatem sacrae ordinationis ad presbyteratum aliquot annos procrastinare et votum perfectae et perpetuae castitatis in ipsa tantum ordinatione sacerdotali suscipere?

Diaconi interdiu temporario castitatis voto adstricti, donec praescriptam aetatem habuerint ad ordinem presbyteratus suscipiendum, sacrum ministerium exercere possent, in auxilium et sub ductu parochi, praesertim apud scholas, « oratoria » et similia atque in operibus socialibus — uti vocatur — assistentiae et caritatis.

Ita opportunitatem haberent, in actu sacri ministerii, difficultates

et obligationes vitae clericalis perspicue cognoscendi propriamque vocationem explorandi, ad onera sacerdotalia statuto tempore ex animo accipienda.

III. *De fide ac moribus populi christiani*

Tria sunt in praesentiarum maxime animadvertenda circa fidem et mores Christifidelium: *a*) frequentissima ignorantia de rebus fidei; *b*) defectus, quotidie succrescens, sensus moralis, praesertim in pluribus familiis, quamvis christianae dicantur; *c*) defectus sensus Ecclesiae et sacrae Liturgiae.

Quibus praemissis:

1. Necesse est doctrinam christianam efficaciori quadam ratione pueris et puellis tradere, etiam, immo praecipue, post ludos « elementari », quos aiunt, ita ut scientia Christi et aeternae vitae passibus aequis scientiam hominum sequatur (cf. can. 1331).

Firmo can. 1332 de explicando catechismo fidelibus adultis, valde utile erit, ex parte associationum ab Actione Catholica, quaedam ratio studiorum de doctrina christiana omnibus adultis omni nisu accommodanda.

2. Propterea diligenter consideranda vexata quaestio de una tantum ephemeride quotidiana a Christifidelibus uniuscuiusque Nationis edenda, legenda et propaganda, typis et methodica ratione nostris apta temporibus; nam cum hoc perefficax subsidium deficiat, maxima, quotidie invalescentia, mala exoriuntur.

Quae cum acriter augeantur variis immoralitatis vehiculis — uti pravae librorum editiones, cinematophea et teleorasis, nulla cautione adhibita ad sanos mores tutandos, fabulae scaenicae inhonestae, corporum exercitationes spretis legibus christianae verecundiae — mihi videtur necesse esse etiam istas contra mores violationes lege positiva plectere, sicut iam est de pravis libris.

Forsan iuvabit quintum generale Ecclesiae praeceptum quod nunc sonat: « Non celebrare solennemente le nozze nei tempi proibiti », in hoc mutare: « Non frequentare spettacoli e non leggere libri e giornali contrari alla legge di Dio e della Chiesa ».

3. Doctrina catholica de sacramento matrimonii — uti familiae christianae unicum atque stabile fundamentum — a plerisque Christifidelium penitus ignoratur ita ut fallaces serpant sententiae, specialiter circa divortium, quae domesticam societatem funditus evertunt. Quare perutile, immo necessarium, ducitur condere « Summulam familiae christianae » quae munia perentum, maxime circa fidem sacramenti servandam atque filiorum procreationem atque educationem declaret et com-

mendet, quaeque a parochis in ecclesia statutis temporibus et a sacerdotibus ad hoc deputatis in congregationibus sodalium Associationum ab Actione Catholica vel aliarum piarum societatum frequenter et diligenter explanentur, ita ut de doctrina illa in processiculo a parocho conficiendo, antequam matrimonium contrahatur, interrogari valeant.

4. Quod iam superius dixi de munere Christifideles circa Ecclesiae constitutionem et finem imbuendi, hic etiam atque etiam urgeo, cum persuasum habeam plurimos fideles ab exercitanda fide ob ignorantiam doctrinae Ecclesiae Catholicae — ut est societas humano-divina a Christo Domino constituta et ad salutem humani generis ordinata — defecisse.

Ad quod vitandum maxime iuvare videtur intelligens et fervidum apostolicum opus contra placita noxia communistarum, qui praecipue contra Catholica Ecclesiam totis viribus dimicant, ut animis a Christo redemptis noceant ipsosque necent.

5. Ad fovendam vero Christifidelium pietatem, quasi maternam Ecclesiae Sanctae vocem et fidei firmissimam tutelam, cognitionem et amorem Sacrae Liturgiae pervulgare iuvabit, iuxta doctrinam a Pio XII f. m. in Encyclicis Litteris *Mediator Dei* expositam.

Similiter commendatur ut Christifideles, qui nec mane nec in Missa vespertina forte ad Sacram Mensam accedere possint, valeant ad Sanctam Communionem accedere etiam horis pomeridianis, nulla ratione habita cum Missa vespertina.

Ut facilius vero a Christifidelibus Sacra sumatur Communio, etiam a neglegentioribus et rudioribus, forsan valde proderit alterum Ecclesiae praeceptum in hanc formulam vertere: « Confessarsi e comunicarsi almeno una volta l'anno, preferibilmente nel tempo pasquale ».

Urgeantur omnes Christifideles ad lectionem et meditationem divinarum Scripturarum utriusque Testamenti, item ac Missalis et Ritualis; quidam vero eruditiores etiam Breviarii Romani.

IV. *De nonnullis difficultatibus in episcopali munere obeundo*

Munus episcopale hisce temporibus in dies difficilius evadit, tum materialismi, naturalismi, hedonismi et communismi irrumpentibus doctrinis, tum ob conflictum in dies acriorem inter varias partes civium, ut dicitur « lotta di classe tra capitale e lavoro », sed imprimis ex defectu illius spiritualis institutionis, quae sacrorum Seminariorum alumnos ad sacra munia recte capessenda sancte disponat.

Non raro — proh dolor! — sacerdotes quidam a sua vocatione deficiunt, magno cum maerore Ecclesiae et gravissima cum iactura populi

christiani. Lugenda quaestio, quae in corde Sanctae Matris misericordiam quaerit: ne multi, qui amici Christi fuerunt eiusque ministri, in aeternum damnentur.

Oportet igitur ut sacri ephebei alumni omni cura instituantur ad officium sibi iniunctum, omni tempore, honeste ac fideliter sub oculis Dei, Patris caelestis, obeundum, dies noctesque solliciti animabus aeternam salutem comparare.

Obedientia tamen uti maxima sacerdotalis virtus inculcetur. Episcopo, sicut Christus Iesus Patri, subditi sint, spiritu fidei ducti, filiorum in modum, ne onus eidem Episcopo nimium sit grave atque gemens portet, quia hoc nulli expedire videtur.

2. In primis maxime ad rectum regimen animarum obstat illa *inamovibilitas parochorum,* quae, quamquam prudentibus fulciatur rationibus, nimis auctoritati Episcoporum obstat, praesertim quando, senescente parocho, munia sacerdotalia impediuntur bonumque spirituale fidelium magnopere imminuitur. Processus vero de remotione plerumque odiosum apparet atque in innumeras difficultates incurrit.

3. Ad salutem animarum comparandam arctior desideratur cooperatio Ordines et Congregationes Religiosorum inter et Episcopos, ita ut isti latiore polleant iurisdictione in viros quoque Religiosos, qui ab ea exempti sunt, quando de sacro ministerio agitur et opera stricte consociata exigitur ne omnes nisus in irritum cadant vel ecclesiastici et religiosi sibi invicem impedimento sint.

4. Valde opportunum apparet in nonnullis casibus facultates Episcoporum amplificare. Ex. gr.: *a*) habitualiter dispensandi a lectura librorum in *Indicem* relatorum, item ac pro singulis casibus facultatem ipsam subdelegandi; *b*) dispensandi alumnos sacrorum ab interstitiis ad ordines suscipiendos; *c*) eosdem ordinandi in diebus particularibus ab iure communi prohibitis; *b*) dispensandi religiosas mulieres in Istitutis iuris dioecesani a votis temporariis; earum novitiatum transferendi; et similia.

Quoad vero Sacram Congregationem de Religiosis addere cogor nullius fere ponderis esse testimonium Episcoporum, qui de facto in magni consilii rebus — uti ex. gr. foederatio vel confoederatio Institutorum monialium; abrogatio clausurae episcopalis et alia huiusmodi — neque interrogantur neque quidem certiores fiunt, ita ut rescripta, statuta etc. a Superiorissa accipiant ad eadem exsecutioni mandanda!

5. Fas mihi esto votum promere circa processus et formulas consuetas in Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii, non certe quoad substantiam sed quoad formam. Nam omnia ista exempla magna cum

admiratione vulgi nimis protracta apparent, rigida aliquando probrosa et extra consuetudinem.

6. Ad munus episcopale aliquo modo levandum, peropportuna existimatur attenta recognitio Caeremonialis Episcoporum, quod in nonnullis prolixius videtur et valde onerosum.

Optanda pariter ulterior recognitio aliorum librorum liturgicorum, ut ex. gr. Ritualis et Missalis Romani, praesertim post novam psalmorum latinam conversionem, a Pio XII f. r. laudatam et commendatam atque re ipsa, in psalterio Breviarii Romani recitando, adhibitam.

7. A pluribus desideratur ecclesiasticis viris peraequatio beneficiorum, sed cum res spinosa et gravis appareat, Episcopi saltem amplioribus facultatibus donentur in ipsis beneficiis administrandis, ita ut rectius sacerdotes pauperiores iuventur.

Quorum saepe nonnulli anxia sollicitudine afficiuntur, tum instante senectute, tum infirma valetudine, et tamen animarum curam, etiam atque etiam rogati, remittere nequeunt et nolunt, aliquando cum maxima Christifidelium iactura.

Ratio quaedam de providentia sociali, uti dicunt, aliquam daret securitatem istis bene meritis sacerdotibus et facilior atque utilior evaderet paroeciarum provisio in commodum christianae plebis.

8. Episcopi non raro permultis conscientiae sollicitudinibus atque anxietatibus gravantur, administrationis causa piarum fundationum. Saepe enim propter imminutos reditus, bonorum permutationes, parochorum neglegentiam et fidelium quoque incuriam, onera ipsa tantis dubiis atque erroribus implicantur, ut eorum iusta absolutio, fere impossibilis, evadat.

Necessarium videtur proinde totam disciplinam de piis fundationibus, penitus revisam, in simpliciorem formam ad quietem et Episcoporum et parochorum redigere.

9. Plurimi denique exstant canones *C.I.C.* qui diligentem revisionem postulant. Censeo tamen de istis hic non esse pertractandum.

Sacram interea Purpuram pie deosculans, impensi animi sensus ex corde Eminentiae Tuae profiteor, fausta quaeque Tibi a Domino adprecatus.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus in Christo

✠ G. VINCENTIUS GREMIGNI
Archiepiscopus Episcopus Novariensis

155

Exc.mi P. D. IOSEPHI MELAS
Episcopi Nuorensis (Nuoro)

1314/59 Nuoro, 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris datis die 18 iunii 1959, quae ad me die 13 iulii 1959 pervenerunt, responsionem daturus, argumentorum ordinem iuxta *C.I.C.* canones secutus, haec quae in adnexis foliis continentur communicanda putavi.

S. Purpuram humilis dosculans et observantiam ex corde Tibi tribuens, Eminentiae Tuae Rev.mae.

servum in C. I. me profiteor
✠ Ioseph Melas
Episcopus Nuorensis

1. *Breviarium*: eius recitatio diebus ferialibus reducatur et paene diebus festis aboleatur.

Sacerdotes, diebus nostris, perpauci facti sunt, dum quotidie agenda amplius multiplicantur: iidem ergo studere debent, legere, conventibus praesidere, acroases lectionesque habere, fere quotidie et quasi sine interruptione, ideoque necessitatem habent multa cognoscendi quae his temporibus problemata proponuntur ut de his cum auctoritate loquantur. Quae necessitates tales sunt hodie quibusdam praesertim diebus et temporibus, ut animum vix relaxare queant.

Districte potius imponenda videtur ut magis fructuosa, rerum spiritualium quotidiana commentatio, saltem ad dimidiam horam, quae multis in casibus utilior erit fortasse quam ipsa vocalis oratio.

2. In *concursibus* ad beneficia ecclesiastica conferenda necesse est ut maxima detur Ordinariis libera facultas. Tempora enim, ad praeteritam relate aetatem, nimis immutata sunt.

« Quando agitur concursus perpauci sacerdotes sese exhibent, nec semper apti sive aetate, sive ingenio, sive scientia. Olim concursus probandus, cum clerus copiosus ac frequentissimus erat, et inter tantos facile erat meliores aptioresque seligere. Nunc autem res aliter se habent. Sacerdotes enim idonei examini aegre aut nullimode se subiciunt, etiam cum agitur de potioribus paroeciis, quae caeterum in dioecesi non

multa sunt. Nullus prorsus se exhibet cum de paroeciis agitur minoris vel minimi momenti ... Episcopis concedatur parochos inter meliores sibi visos designare sine ullo examine, ratione tantum habita laboris praesertim et industriae ac peritiae in exercendo munere patefacti, quod facillimum cognoscere est, quin concursus peragatur » (Ex Relatione ad Limina pro quinquennio 1951-55 n. 67, p. 17).

Ne autem sacerdotes desides fiant in ecclesiasticis disciplinis colendis, examina quoque identidem facienda proponantur ab omnibus sacerdotibus, usque ad quamdam saltem aetatem, ut ad sacrae disciplinae studia urgeantur, ita tamen ut sciant omnes Ordinarium de his etiam certaminibus rationem habiturum in beneficiis conferendis, non vero promovendos hac tantum ratione fulciri.

3. Item *inamovibilitas* parochorum aboleatur; immo potius tempus generatim statuatur ut decennio ad maximum in eadem paroecia transacto, parochus alio trasferendus sit.

Insuper aetas et condiciones definiantur ultra quae nemini liceat paroeciis, dioecesibus, aliisque officiis curandis incumbere; ad maximum usque ad 70-75 aetatis annum, vel ad summum usque ad 80, et non amplius.

4. Quoad *coelibatus* legem quaedam innovanda videntur.

Sacerdotes cum e Seminario post multos annos egrediuntur et ad sacra implenda ministeria mittuntur, primo tempore bene generatim sese gerunt. At aliquot post annos quidam claudicare quandoque incipiunt.

Urgendum igitur esse videtur ut in Seminario melius firmiusque clerici efformentur et ad provectiorem aetatem ordinatio remittatur (30 annorum?), vel coelibatus lex temporaria tantummodo praevideatur (quinquennalis, decennalis?) saltem in principio, nec perpetuo observanda imponatur nisi post quoddam tempus (v. g. decennium).

Decem annorum spatio muneris sacerdotalis peracto, praevideatur ut omnes in Seminarium per aliquot menses vel per annum redeant, sive ut suam quisque agendi rationem excutiat, sive ut sacrarum disciplinarum studia iterum instauret earum praesertim rerum quae in pastorali ministerio magis necessariae sunt, sive ut res invisant quas aetas novas proponit.

Quidam insuper nimis imbecilliores se produnt et forsan quaedam a lege coelibatus dispensatio aliquando concedenda erit. Melius enim minusve malum esse videtur ut a lege quis dispensetur quam ut pessimos gerens mores, cum animarum discrimine, in ministerio vivere pergat.

Nonne denique, in quibusdam gravioribus casibus, degradatio proponenda esset, ut qui indignos omnino se praebent et insignis coram populo infamiae e clero pariter publice expellantur?

5. Permittatur sacerdotibus ut si quando longa aggrediuntur itinera, praesertim ad exteras plagas, *habitum sacerdotale* non gerant, sed more laicorum vestiantur, quibusdam statutis cautelis.

6. A *beneficiaria cautione* praestanda parochi aliique beneficiarii liberentur: nam ut propositus finis attingatur ea esse debet ut damna et pericula omnia praecavere queat, secus enim nihil prodest; sacerdotes autem generatim in paupertate degunt ut aptam cautionem exhibere valeant.

Ut discrimina omnia in Clero in re oeconomica tollantur, omnesque revera fratres appareant et sint, disponendum erit ut unica habeatur in dioecesi pro omnibus *communis capsa* ita ut qui altari deserviunt eodem pariter modo eademque dignitate de altari vivant, quibusdam tantummodo servatis differentiis quoad diversum laborem diversaque munia, ita tamen ut nemo in egestate inveniatur.

7. Optandum ut facultates quae a *Sacris Congregationibus* peti debent quam citius impetrari possint, vel saltem responsum festinanter obtineatur etiam si quando petita denegentur. Quinimmo ad pauciores reducantur casus cum facultates a S. Sede peti debeant.

8. Cum semel vel saepius Ordinarii fides probata fuerit penes sacra Dicasteria ne nimis aestimentur sive *libelli,* sive *Recursus* qui persaepe Ordinarii auctoritatem et dignitatem adoriuntur, quique plurimum animum produnt sive ignorantia criminatorum sive perfidia plenum.

9. *In Codice redigantur* quas S. Romana Rota, Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, Suprema S. Congregatio S. Officii, aliaeque Sacrae Congregationes, variis temporibus, *sententiae* vel *monitiones* ediderunt.

10. *Interpretationes* pariter authenticae quae a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos hucusque datae sunt in ipsum Codicem transferantur, mutatis igitur propriis canonibus.

11. *Codex Liturgicus* conficiatur in quo omnia Decreta per articulos distributa referantur.

12. *S. Officii* severitas aliquantum mitigetur, ac faciliores reddantur normae ad eos citius absolvendos qui primo praesertim peccaverunt, ita ut breviores statuantur fines ut errantes ad suas possint restitui facultates.

13. Ne a *parvis dioecesibus* eadem requirantur quae a maximis; fieri non potest ut qui exiguo sunt numero eadem obeant officia quae multi solummodo complere possunt.

Nimia hodiedum consilia praescribuntur multiplicibus praesentis aetatis rebus curandis. Optandum ut ad pauca et praecipua et necessaria

reducantur. Non enim praetereundum est parvas dioeceses, nedum consilia omnia ad cuncta fungenda munera habeant, ne sufficientes quidem ad eadem componenda consilia habere posse sacerdotes.

Idem dicendum de diversarum rerum relationibus quae pariter nimiae sunt, quibus apparandis conficiendisque ipsiusmet Episcopi industria vix sufficere potest.

Ut munera omnia implenda imponantur apta quoque officia necessaria sunt, ut v. g. quae technicam disciplinam respiciunt, vel legum aut bonorum administrationem: quae generatim deesse omnes norunt.

Nonne igitur reducendae numero dioeceses ut quae remanent pauciores melius undique instruantur?

14. *Dioecesium fines* ita statuantur ut cum civilis ditionis finibus apprime conveniant: ita multa vitabuntur fidelium incommoda quibus multum confert ut in eodem loco et Sacerdotes convenire possint et civilem magistratum, cum munia sua obeunt.

15. *Episcopus facultates* omnes, utpote Apostolorum successoribus, iure suo dentur quae quandoque ex privilegio cuidam sacerdoti vel religioso aut sacerdotum coetui tribuuntur.

16. Cum *capitulum* consuli debeat vel ut audiatur vel ut eius impetretur consensus, maxima detur Ordinario libertas: ut quid consulendum praescribitur Capitulum cum plerique canonicorum nec discutienda aliquando bene percipiant, de quibus tamen percontandi sunt?...

17. Cum, Sacerdotes nimis imminuti sint, laboresque e contra multiplicati, suadendum videtur ut etiam divina officia in *choro* ad minimum reducantur, ferialibusque diebus ipse chorus prorsus aboleatur.

18. *Ecclesiae cathedralis parocho* maxima detur in suo obeundo munere libertas, nec in fidelibus curandis eum Capitulum perturbet, quin etiam Canonici Parocho adiumentum praebeant.

19. Quoad *religiosos* utriusque sexus, qui in dioecesi utcumque commorantur ampliores Ordinariis concedantur facultates.

20. In *baptismatis* collatione vulgaris sermo adhibeatur ut fideles bene intelligere possint quae ad hoc Sacramentum pertinent, aut saltem imponatur ut Baptismus numquam administretur nisi prius patrini vere instructi sint.

21. Certae dentur normae ut sacerdos recte sese gerere valeat in collati *Baptismatis adnotatione,* cum ipsi certo constet baptizatum ex artificiali foecundatione natum esse, vel alterius esse patris ab eo qui coram declaratur.

22. Ordinariis facultas concedatur *asservandi SS. Sacramentum,* iusta de causa, etiam in aliis quibusdam Ecclesiis praeter *C.I.C.* dispositionem (can. 1265 § 2).

23. Facultas item iisdem Ordinariis communiter concedatur ter, vel amplius, *Sacrum permittendi* sacerdotibus curae animarum addictis, quoties fidelium necessitas postulet.

Permittatur insuper omnibus sacerdotibus sacrosanctum *Missae Sacrificium in Coena Domini* litare, in Feria V hebdomadae Sanctae.

Animadvertendum his diebus animarum numerum maxime auctum esse, sacerdotes numero imminutos, et aedificia sacra paene insufficientia.

24. *Ordinatio in Sacris* de qua in can. 1006 § 3 *C.I.C.* permittenda edicatur etiam quibusdam diebus festis non de praecepto, qui certis in locis sollemniores quandoque quam caeteri celebrantur.

25. *Preces post missam* quae nunc latine proferuntur, italico sermone dicendae deinceps permittantur, et diebus festis omittantur.

26. Non raro dantur dies festi in quibus sacerdotes impares omnino fiunt confessionibus fidelium audiendis: densa quandoque mulierum ac puerorum agmina ab uno sacerdote saepe absolvi petunt ut Eucharistiam sumere possint. Desideratur ut tum *forma absolutionis* pro sacerdote, cum et *Poenitentiae forma* pro fidelibus ad pauciora essentialia verba reducantur ut omnium confessiones alacriter perficiantur.

27. Ampliores Ordinariis concedantur facultates quod attinet ad *matrimoniales dispensationes;* quinimmo *impedimenta matrimonialia* ad paucos tantum reducantur casus, et impedimenta consanguinitatis in tertio lineae collateralis gradu, necnon affinitatis lineae collateralis omnia prorsus aboleantur.

28. Maxima quaeque Sacramenta paucis omnino verbis conficiantur, brevibusque ritibus, nimis contra longiora quaedam sacramentalia. *Sacros* igitur quosdam *ritus* revisendos et immutandos esse putarem, ut v. gr. ecclesiae vel altaris consecrationem, quae nimis diuturna extat quaeque fideles taedio afficit, et plerumque difficiliores evadunt prae cleri et inservientium paucitate.

29. *Fidei professio* et *iuramentum antimodernisticum* ad pauciores tantum reserventur casus, et si quando coram populo proferenda erunt vulgato sermone permittantur ad omnium audientium captum.

30. Festivis functionibus serotinis perpaucae animae intersunt; parochi igitur a *Catechetica fidelium institutione* liberentur si fidelibus utriusque sexus et cuiuscumque aetatis qui in Actione Catholica inscribuntur lectiones in sua quaque sede impertiantur, statutis diebus per hebdomadam.

31. *Rerum Novarum* tantus hodie numerus (doctrinae, errores, problemata, difficultates) ut omnia sacerdos vix attingere possit; nec sufficere videntur quae in ephemeridibus legere est: optandum igitur ut

clerus identidem de his iterum instruatur ut magis in fide solidetur, caeterosque ab errore defendere aut in veritate confirmare queat.

32. *Casus reservati* sive quoad *peccata* sive quoad *censuras* vel omnino aboleantur vel ad minimum reducantur ut facilius et a clero et a fidelibus cognosci possint et absolvi.

Ad summum praecipi potest ut Ordinario vel S. Sedi quotannis rationes dentur de numero casuum ut animarum status percipi possit.

33. *Pia legata* quorum onera nequeunt amplius adimpleri consentiendum est ut in perpetuum aboleantur; nulla quippe spes affulget ut praeterita tempora reviviscant et census ut in pristinum valeant.

34. *In litaniis Sanctorum S. Ioseph* primus invocetur inter Sanctos: multimodis enim constat eius prae omnibus Sanctis celsitudo.

35. Ex omnibus orbis partibus cunctisque Dioecesibus plurimi continenter fideles et Sacerdotes Romam conveniunt, templaque sacra adeunt.

Mirantur autem valde cur in ipsa Urbe Romae, quae cunctos docet homines, quaeque speculum et exemplar apud omnes lucet nullibi fere nec unquam *normae* in praxim reapse deducantur quas Romanus Pontifex suis Instructionibus *pro tota* statuit *Ecclesia* (ut v. gr. quae Pius XII i. m. die 3 sept. 1958 *De Musica Sacra et Sacra Liturgia* disposuit), et dominicis praeterea et festis diebus, cum plurimae in Ecclesiis etiam paroecialibus in eadem urbe Missae celebrentur, nunquam fere verbum annuntiatur, ut plerique expetunt et ita ignorent quae Christifideles cognoscere decet, quodque saepe nobiscum vehementer quaeruntur.

36. Pro universa Ecclesia, toto orbe, una statuatur *linguae latinae enuntiandae ratio,* ita ut quicumque hoc norunt idioma sese intellegere queant.

Non pauci enim quandoque casus dantur in quibus et ipsi Sacerdotes et Episcopi, qui idioma omnibus gentibus cognitum nullum norunt, nec latino sermone sese intellegant prae verborum peregrina et barbara nec prorsus perspicua locutione.

✠ IOSEPH MELAS
Episcopus Nuorensis

156

EXC.MI P. D. GUIDONIS M. CASULLO

Episcopi Nuscani (Nusco)

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Pergratus Sapientiae infinitae Domini nostri Iesu Christi, qui Vicario Suo Ioanni XXIII, Summo Pontifici nostro ac Patri Sanctissimo, dedit Sanctam Ecclesiam laetificare optime accepto nuntio de Oecumenico Concilio in Aedibus Vaticanis secundo habendo, Commissioni Antepraeparatoriae, cui praesidens Eminentia Tua condignum decus confert, nunc demum humiliter suppono quaedam circa sive doctrinam sive ius sive liturgicas et quasdam alias res, licet non maximi momenti, sed forsan haud parvae utilitatis ad parandam « *Deo plebem perfectam* ».

Iure enim putanti pleraque maximi momenti, iuxta communiorem Episcoporum sententiam, iam abunde proposita esse, ab his hic memorandis, non certe ad dissentiendum, liceat, quaeso, mihi abstinere et pauca, forma non quidem scientifica, neque scholastica, sed mere indicativa adnotare.

In hoc labore conficiendo non defuit mihi discretum consilium virorum ecclesiasticorum sive Dioecesis Nuscanae sive Salernitanae Regionis.

Si quod vel quaedam inter haec ad Concilii propositum non erunt, spero grave non fore Pontificiae isti Commissioni ea deferre aptiori sedi pro congrua, si quam videntur mereri, consideratione.

Dum enim fateor interim iuges preces ubique a Clero et a Fidelibus Deo effundi ad lucem et vires amplissimas impetrandas, quae Commissarios confortent in tam praetioso opere persolvendo, Eminentiae Tuae pergratos animi sensus pando, et S. P. devotissime deosculor

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimus

✠ GUIDO M. CASULLO
Episcopus Nuscanus

IN DOCTRINA

Praeiudicialis animadversio

Loco novarum Definitionum, si quae videntur proferendae, potius praeferendae viderentur Declarationes doctrinales, quae minus augent obiectivas et subiectivas difficultates Schismaticorum et aliorum Christianorum, quorum reditus est in votis.

De Supernaturali Maternitate

Peropportuna apparet Declaratio (aut etiam Definitio, cum sit veritas valde communiter credita) de Universali ac Supernaturali Maternitate B. M. V., ut futurae Definitioni de Universali Mediatione Eiusdem Matris Sanctissimae melius via paretur.

De Sancto Ioseph

Enixior commendatio videtur proponenda specialissimi Cultus erga Sanctum Ioseph, Ecclesiae Universalis, Familiarum atque Opificum Patroni praecipui: talis cultus enim videtur ita divinitus praeordinatus — etsi debita proportione — ne unquam seiungatur a cultu erga Christum Dominum et Mariam Immaculatam. Aliter: adsunt adhuc plerique Laici et plures Clerici et Nationes, qua tales, qui certe colunt S. Ioseph uti Patronum peculiarem opificum aut morientium, at minus Eum honorant uti primum Amicum Ss. Cordium Iesu et Mariae. (Nationibus forsan exemplum praebere poterit populus canadiensis, qui prae ceteris, a tribus saeculis — ut omnes norunt — in hac salutari devotione et simul serena prosperitate crevit).

De quibusdam ulterius illustrandis

Uberior desideratur enucleatio theologica de Confirmationis Sacramento, necnon de Episcopatu, de Clero ac de Laicatu Catholico: in luce doctrinae Mystici Corporis, cui vulgandae nunquam satis fiet, multum haec et alia clarescent.

Doctrina de toto Supernaturali Ordine, licet sufficienter nota in terminis suis theologicis, expectant adhuc... versionem in terminos didacticos, rudiorum menti idoneos, quibus assecutis sanctitas omnium baptizatorum efficacius in dies promovebitur.

Ob silentium super haec et ignorantiam plerique Christianorum naturalismum sapiunt et proinde vitam ducunt et terminant, quasi Christi membra non essent, nec Ipsius ineffabili Gratia coagmentati!

Solutiones datae aut dandae

Plurium quaestionum et solutionum circa moralem familiarem, coniugalem, socialem et « situationis » ex professo elucubratio utilis videtur.

« Quod superest date... »

Perutilis apparet clarior determinatio reditus seu proventuum, temporis atque operis partis dandae pauperibus et causis piis: etiam gradualis indicatio causarum piarum, quas inter certe eminet *catechesis,* Seminaria et Missiones, in partibus sive infidelium sive fidelium.

De perfectiori circa Dei Voluntatem catechesim

Generalior atque efficacior etiam populo christiano (non tantum, uti fit in religiosis Communitatibus) exquiritur illustratio de Voluntatis Dei nobis adimplendae excellentia ac morali necessitate, non solum quando sub gravi iubet sed etiam quando sub laevi praecipit: imo etiam quando invitat ad maiora vel minora sacrificia: animae omnes optime nosse debent docilitatem Dei desideriis seu beneplacitis viam esse tutissimam pro ipsius legis adimpletione et consequenti animae salute: de facto et ordinarie salvi fient qui, ad melius et securius gravia vitanda, habitualiter abhorrent etiam a laevibus legis trasgressionibus et pro viribus nituntur ea amplecti « quae placita sunt Deo » iuxta divina exempla Christi: latet enim in vulgari catechesi maximum obiectivum esse mortalia (fere) semper vitare. Quod plures nec faciunt quia viae altiores ipsis non fuerunt sufficienti luce et fiducia indicatae.

Liquet enim praesentem generationem magni facere tantum valores positivos, quos vocant.

Huc tendit certo peropportuna et amabilis insistentia, verbo et exemplo, Ss.mi Papae nostri, circa *misericordiae opera,* supra quae ultimo iudicabimur, passim omnibus peragenda.

In iure

De finium revisione et periodica Pastorum translatione et ab Officio quiescentia.

Praemissa necessaria ac generali revisione (Provinciarum) Dioecesium ac Paroeciarum finium, sive ad Fidelium bonum sive pro aequiori onerum, virium ac subsidiorum distributione, videtur omnino introducenda omnium Parochorum amovibilitas ac periodica (sexto quoque anno?) eorumdem translatio ad aliam paroeciam sive mansionem, necnon eorum quiescentia ab officio, anno 65° expleto: qui aetatis limes, Ordinarii iudicio, opportune produci poterit.

Analogice, at maxima qua decet submissione, congrua congruis refe-

rendo, idem proponi posset de ipsis Episcopis sive transferendis (post decennium) ad alteram, etiam non maioris amplitudinis, Dioecesim: sive pensionandis, post 70um aetatis annum, salva possibili prorogatione a S. Sede motu proprio concedenda.

De Episcopalibus Commissionibus et Secretariatibus

Eiusdem Nationis aut Ecclesiasticae Provinciae Ordinariorum activitatum exigitur perfectior et alacrior concertatio, ope Commissionum seu Comitatuum Episcopalium et relativo Secretariatu permanenti, etiam totius orbis: Comitatibus et Secretariatibus studendae ac solvendae variae quaestiones maiores demandentur, in Episcoporum Assemblea dein probandae atque uniformiter adoptandae: Huiusmodi aliqua alicubi iam extant: sufficiet extendere ac perficere. Huiusmodi Commissionum in unaquaque natione erit, inter alia, omnia adnotare quae ad meliorem pastoralem rationem faciunt: leges etiam civiles et adsistentiales, quas vocant; experientias varias ac methodos adhibendas: Tot utiles notiones complectens volumen, etiam pro manuscripto edendum (cui titulus *Pastoralis Praxis*) in usum Episcoporum, eorum praesertim qui pastorale gubernium, primo adgrediuntur perutile servitium praebebit.

De Religiosorum Moderatorum Comitatu

Ad fovendam actionis unitatem animorumque caritatem inter utrumque Clerum improrogabilis videtur institutio Comitatus Praepositorum Religionis Familiis moderandis et etiam Institutis Saecularibus regendis cui praesit Em.mus Cardinalis Praefectus de Religiosis vel Eius Delegatus: sufficeret etiam *adunatio plenaria annualis vel biennalis*, et eorum Secretariatus item permanens. Eorum Delegatus, praesertim si charactere episcopali insignitus, optime relationes necessarias curabit cum Episcopali Conferentia Centrali aut Nationali. Analoga dicenda de Comitatu Moderatorum Provinciarum in unaquaque Ecclesiastica Regione domos habentium.

De Corepiscopo Administrante

Ad tuendam totalem deditionem Episcoporum « *orationi et ministerio verbi* » opportuna videtur institutio Corepiscopi, qui sit Praelatus aut Protonotarius a. i. p. (forsan etiam titulo Excellentiae gratificandus) cui demandanda sit tota maior administratio, Ordinario legitimo subordinata, personarum, beneficiorum et rerum: unus in una Dioecesi maiori aut unus et idem pro pluribus dioecesibus minoribus ac limitrophis.

De Cleri vita communi

Communitas vitae, aut saltem ministerii, inter Parochos et Sacerdotes eiusdem Foraniae valde exquiritur: nunc facilior haec vita videtur ob auctum in annos paroecialium domorum numerum, ob multiplicata locomotionis servitia inter vel minora oppida, quibus addenda machina, quae ad ipsam Communitatem pertineat.

De meditatione et aliis Ecclesiasticis arctius imponendis

Maximi momenti videtur aliquam sanctionem clericis imponere pro omissa meditatione saltem per quadrantem, quo tempore cuique integrum erit uti quolibet inter probatos vel probandos libros: Ecclesia enim interiora praecipere potest, attamen ad culpam, gravem vel levem, vitandam, sufficeret fidelitas exterior, sicut nunc sufficit vocalis recitatio horarum canonicarum ad praecepto satisfaciendum. Ad novam quae invocatur dispositionem, opportunitatem praebebit probabilis Breviarii reformati maior... brevitas.

Una cum meditatione quotidiana, videtur imponenda Clericis *lectio biblica* et *ascetica* (per quadrantem) necnon *catechesis activa* per duas horas (aut saltem unam horam) *quotidie* (sive pueris, sive adultis, sive adsociationibus, sive categoriis variis, maxime ad catechistas seu Religionis magistros efformandos, necnon *sessio* per certum tempus *in confessionali* (v. g. horae dimidium ante et post missae celebrationem), etiamsi poenitentes — quod fere nunquam fit — absint.

De Ecclesiasticorum testamentis

In quinquennali relatione ad Limina, Ordinarii interrogentur etiam de legitimo ac formali testamento redacto et in manibus vicinioris Episcopi aut Metropolitae deposito; quae circumstantia sit nota Officialibus propriae Curiae, ne ulla incertitudo oboriatur quando cognoscendae sunt ultimae voluntates et dispositiones, nec indebitae investigationes fiant in archivis... Analogice disponendum pro Sacerdotibus et praesertim pro Beneficiatis, in manibus proprii Ordinarii...

De Cleri Patribus Spiritualibus

Aliqua Religiosa Communitas Sacerdotalis (seu etiam Communitatum Societas ad hoc) concreditam habeat curam adsistentiae spiritualis Cleri Dioecesani et Religiosarum Communitatum in unaquaque Dioecesi

existentium: ut in tuto ponatur constantia *Recollectionis Menstruae* et fervens ac progressiva Spiritus Directio. Talis enim adsistentiae diuturno defectui imputari etiam debent plerique ac lacrimabiles lapsus... necnon carentia efficientis Laicatus.

In re liturgica

Doxologia mariana per totum Adventum

Christi ac Matris honori necnon psallentium pietati certe conferret idonea doxologia mariana in hymnis totius Adventus temporis, fere sicut est post Nativitatis Festum, eo vel magis quia cessavit octava de B. V. Immaculata Conceptione.

De Sancti Ioseph Nomine loco suo ponendo

Ad cultum S. Ioseph augendum non videtur excludenda insertio Eiusdem S. Nominis, non solum in Confiteor, sed etiam in Missae Canone, v. g. in « Communicantes » statim post nomen B. M. V., cuius singulari cultui honor Sancti Ioseph non minus coniungendus, videtur quam cultus Sancti Pauli Apostoli cum S. Petri memoria et vicissim. Item de collocatione S. Ioseph Nominis ante Archangelorum invocationes aut certe ante Ioannis Baptistae, in Sanctorum Litaniis.

Concelebratio in feria V Maioris Hebdomadae

In feria V Maioris Hebdomadae, ad manifestandam fontalem unitatem Sacerdotii primi et secundi ordinis et commemorandam vividius institutionem in ipso die divinitus facta Ordinis Sacerdotalis cum Eucharistico Sacrificio, optabilis videretur concelebratio omnium vel plurium Sacerdotum (qui non sint parochi) cum Episcopo in Ecclesia Cathedrali, pro Chrismatis Missa: grave enim solet esse abstinere a Sacro litando praecise in die quo Sacerdotium nostrum ortum habuit. Posset etiam praecipi (nullo accepta stipe) generalis intentio v. g. ad impetrandam sanctitatem et unitatem totius Ordinis Sacerdotalis.

De conscientiae examen in Completorio inserendo

Si per quinque momenta psalmodia taceat et fiat conscientiae devota discussio, coram Deo, salvaretur optime hoc indispensabile quotidianum pietatis opus.

Oremus pro Ecclesia nostra N.

Ad fovendum amorem pastores inter et eorum gregem, si « preces feriales » supererunt in futuro Breviario, loco versus: *Oremus pro Antistite nostro N.,* Ordinarii qui nunc praedictum versum omittere debent, tunc poterunt dicere: *Oremus pro Ecclesia nostra N.,* responsione congrua addita.

In Coeremoniali Episcoporum aliqua optabilis simplificatio esset facultatem concedere Episcopo, qui pontificaliter celebrat, omittendi sandalia et calzaria, praesertim tempore hiemis... Alia parva simplificatio rubricalis esset uniformatio perfecta orationum ad induendas vestes presbyterales: v. g. cum lavat manus Episcopus: videtur redundare illud « immundam »; sic ad manipulum et alibi: variationes sunt, ut patet, minimi momenti. Praeterea: non faciliter explicatur cur Episcopi et alii Praelati manipulum induant ad « Indulgentiam ». In schemate utriusque Memento (prouti extat in « Canone Missae » et aliis foliis, pro Sacerdotum utilitate): videretur perutilis insinuatio, si omnium praeponatur memoria totius Ordinis Sacerdotalis: siquidem Sacerdotium est maximum vinculum unionis, omnem cognationem naturalem aut supernaturalem superans.

De indulgentia pro adsistentia Functionibus Pontificalibus

Hoc tempore S. Sedes largius indulgentiis ditat varia bona opera et etiam parvas invocationes; quod certe optimum, etsi adhuc non satis aestimatum a plerisque Christifidelibus. At certe plures inter eos mirantur, quando — post sollemnem Functionem Pontificalem — audiunt sollemniter declarari ipsos lucratos esse centum (vel ad summum bis centum) dies de vera indulgentia... Etiam nullimode aucta praesenti facultate Ordinariorum, consideret S. Sedes utrum opportunum sit congruam indulgentiam addere, pro his qui — certe notabili sacrificio — Pontificalibus intersunt.

De indulgentia annulo nuptiali adnexa

Indulgentia nuperrime concessa coniugibus annulum deosculantibus die Nuptiarum acceptissima erit familiis futuris. Non minus accepta erit — Sanctissimo gratiose annuente — si extendatur filiis, lucrabilis quolibet die anniversario Nuptiarum aut saltem X, XXV et L annuali die recurrente.

VARIA

De Sacerdotibus lapsis ad Sacramenta admittendis

Videtur a potestate et a misericordia Ecclesiae non alienum nec imprudens indultum exceptionale et singulare, conditionibus in Concilio probe examinandis et statuendis, de presbyteris, qui sacrilege familiam quamdam condiderunt, absolvendis et etiam ad Sacramentum Matrimonii admittendis, amissa spe ad ministerium sacrum aliquando redeundi et, nisi aliter visum fuerit, imposita poenitentia, v. g. in Religione rudes catechizandi (ubi ignota sit praecedens eorum historia) vel infirmis in nosocomiis visitandi et ad sacramenta disponendi etc. de Ordinarii loci mandato et beneplacito...

De Patrinorum instituto reformando aut frequentius dispensando

Parvo casuum numero excepto, talis Patrinorum vel Matrinarum functio, in praxi fere nullam utilitatem spiritualem solet afferre; immo pluries ipsa est ratio praecipua, cur differatur sine die, quandoque per annos plures, Sacramentorum, Confirmationis praesertim, receptio... Quin a iure deleatur, institutio haec posset quibusdam conditionibus circumdari, vi quarum uti praemium concedatur sive Christianis exemplaribus sive pueris Confirmationem recipientibus non ultra decimum quartum aetatis annum...

De Laicorum Collegiis

Ad profundiorem christianam institutionem Laicorum, qui erunt dirigentes Societatis, commendari poterit Episcopis fundatio Collegiorum, quibus praesint optimi ecclesiastici viri. Plures dioeceses ad hoc uniri poterunt, maxime si — ut speramus in Italia — subsidiis quaedam, directa aut indirecta, istis scholis Gubernium adsignabit.

De domibus rusticationis aestivis pro alumnis Seminariorum et Scholarum Apostolicarum.

Ad minorum Seminaristarum praeservationem, indispensabilis videtur domus rusticationis aut saltem « tendopolis » aestiva (per mensem). Item pro Adsociationum Catholicarum Dirigentibus intensa formatione, uti felix at adhuc insufficiens experientia docet.

De Religiosa « Statistica »

Ad melius studium quaestionum pastoralium videtur omnino providendum toti Ecclesiae *officium statisticae centrale,* quod supponit in omni natione officium nationale, et item in Regione, Dioecesi et Paroecia: ad hoc requiritur melior redactio « registrorum » paroecialium et curialium, quibus addi debent paginae pro annuali synthesi Curiae mittenda (huiusmodi paginarum specimina poterit haec Curia redigere et, si expedit, exhibere).

De incardinatione in Ecclesiastica Regione

Desideratur melior normatio de Clericorum incardinatione, quae sinat magis liberam translationem subiectorum inter varias dioeceses v. g. eiusdem Regionis.

« Ut amoveatur promoveatur »

Si quando oportebit ad amovendum ab Officio suo ecclesiasticum virum, eumdem promovere, nemo audeat (quod de facto solum raro accidit) a S. Sede pro amovendo Episcopatum expetere: ne forte indebita praemiatio unius multorum fiat diuturna mortificatio, ipso promoto non excepto...

De Missa domi « transmissa »

Pro infirmis et aliis qui ab adeunda Ecclesia die festo excusantur salutaris forsan erit dispositio peculiaris, quae commendet vel etiam iubeat sacri auditionem domi radiophonice aut telephonice transmissi.

De Sacerdotibus specializandis

Pro variis Animarum categoriis, quoad fieri potest, « specialisatio presbyterorum » magnum spirituale emolumentum afferre poterit.

✠ GUIDO M. CASULLO
Episcopus Nuscanus

157

Exc.mi P. D. LAURENTII BASOLI

Episcopi Oleastrensis (Ogliastra)

Lanusei, 1° novembre 1959

Eminentissimo Cardinale Tardini,

Un po' in ritardo mando le mie umili e poche proposte per il Concilio Ecumenico, più che altro in spirito di obbedienza e per manifestare la grande letizia del mio Clero e mia per questa felicissima iniziativa del nostro Santo Padre Giovanni XXIII.

Auguro di cuore a Vostra Eminenza Reverendissima che in questo Concilio Vaticano II possa acquistarsi i meriti e la gloria che si acquistò San Carlo Borromeo nel Concilio di Trento.

Con profondo ossequio bacio la Sacra Porpora e mi professo di Vostra Eminenza Reverendissima

dev.mo servo

✠ Lorenzo Basoli
Vescovo di Ogliastra

Eminentissime Domine,

Gratissimus mihi, nec non Rev.mo Clero fidelibusque huius Dioecesis nuntius pervenit de Concilio Oecumenico proxime celebrando.

Res, absque ulla dubitatione, maximi momenti erit, diesque in historia Ecclesiae Catholicae celebrandus; fructusque saluberrimos ac optimos afferet, cum ad Fidem confirmandam vitamque christianam in populis fovendam, tum ad sanctitatem animarum, praesertim Sacerdotum nec non Religiosorum, nutriendam, augendam, perficiendam.

Clerus omnis ac fideles omnes huius Dioecesis preces mecum offerunt, hoc postulantes ut Concilium, a viris doctrina ac rerum usu illustribus, praeparatum, in pace celebretur et sic sese feliciter explicet, ut votis ac desideriis Beatissimi Patris Ioannis XXIII Summi Pontificis respondeat, augensque gloriam et laetitiam Sanctae Ecclesiae, admirationem studiosamque voluntatem erga Illam suscitet in iis qui foris sunt, ita ut, divino flante Spiritu, in unicum ac verum ovile, sub unico ac vero Pastore, ingredi velint ac redeant.

Ut litteris Eminentiae Tuae ac invitationi, dulci caritate perfusis, ob-

sequar, etsi intellego mea consilia et vota nihil esse si ea comparem consiliis quae a viris multo me prudentioribus exponentur, tamen, pro mea humilitate et simplicitate, nonnulla et ego exponere audeo quae ad Concilium Oecumenicum referri possunt, cui interesse, si Dominus voluerit, maximo mihi erit honori et gaudio.

Omni cum obsequio et officio, reverenter S. Purpuram osculans, Eminentiae Tuae addictissimum in Christo servum me profiteor

✠ LAURENTIUS BASOLI
Episcopus Oleastrensis

PROOEMIUM

Cum diurnarii, qui vocantur, oculos apertos et aures intentas habeant ad vel secretissima ac intimae cuiusque vitae res perscrutandas, ut dein in vulgus eadem proferant, omnia saepe falso corrumpentes, multamque confusionem, suspiciones et calumnias producentes, ipsi longe fiant a secretis discussionibus ad Concilium pertinentibus; simulque cavendum est ne iidem utantur instrumentis radiophonicis atque audiovisivis.

Omnes qui ex officio eiusmodi discussionibus interfuerint inviolabile secretum servent.

Pro omnibus discussionibus autem adsit officium artis librariae (Ufficio stampa) ex viris probatae fidei ac scientiae coalescens, qui quotidie, vel cum opportunum videbitur, recte et fideliter quae in Concilio aguntur vel acta sunt, palam faciant per « communicationem officialem » quas viderint et adprobaverint viri quibus rationes sint muneris suscepti in Concilio.

Nihil impedit quominus Diurnarii adsint sessionibus publicis.

I. *De Clero*

1. Concilium confirmet sollemniter coelibatus legem pro sacerdotibus Ecclesiae Latinae; eamdemque commendet pro sacerdotibus Ecclesiarum Orientalium.

2. Omnibus viribus renovanda est exhortatio ad Clerum ad consuetudinem vitae communis amplectendam; consilia opportuna atque practicae instructiones dentur ut res tanti momenti prospere succedat.

Concilium declaret ac statuat quibus in casibus Episcopus imperare possit determinatis sacerdotum coetibus vitae communis consuetudinem.

3. Praecepta dentur ut in Seminariis alumnorum animi, a primis annis, ad hoc tendant, ut magni aestiment atque diligant vitae communis

consuetudinem Cleri, ita ut, sacerdotio aucti, vitam hanc communem praeferant, illa posthabita vita quam generatim sacerdotes, vel soli, vel apud familiares degere solent.

II. *De Seminariis*

Normae atque praecepta dentur ad renovandas et accommodandas regulas a Maioribus acceptas circa alumnorum educationem necessitatibus hodiernae vitae, ut optime muniantur adversus plurima pericula quae hodie contra perseverantiam vocationis et sanctitatem sacerdotalem in mundo obiiciuntur.

III. *De Matrimonio*

Denuo confirmetur sanctitas Sacramenti Matrimonii, eiusque unitas atque indissolubilitas.

Item foecunditas matrimonii defendatur simulque damnentur doctrinae et illicitae consuetudinis limitationis prolis.

Sollemniter affirmetur cum ius, tum officium gravissimum parentum educandi prolem iuxta doctrinam catholicam.

Concilium praecipiat, aut saltem commendet, ut in omnibus paroeciis quotannis cursus lectionum habeatur circa matrimonium atque familiam Christianam, ad instructionem eorum qui matrimonio se praeparant ac sponsis iunioris aetatis.

IV. *De Communione puerorum*

Cum semper in memoria retinenda ac exequenda sint dispositiones ac praecepta Sancti Pontificis Pii Pp. X de puerorum admissione aetate tenera ad primam Communionem, iubeantur parochi quotannis Diem specialem Festi instituere pro « Renovatione sollemni Primae Communionis » pro adulescentibus qui decimum quartum annum attigerint, praemissa congrua et diligenti praeparatione saltem quadraginta dierum.

Huiusmodi sollemne festum « Renovationis Primae Communionis » hunc habebit finem: ut ad Ecclesiam atque ad Sacramenta illi adulescentuli revocentur qui forte, pro dolor! recessissent; ut omnes perfectiore scientia instituantur circa sacramenta, praesertim circa Communionem Eucharisticam atque Poenitentiam, deque modis quibus fructuose recipi debeant; ut adulescentuli illi quos dixi, aetate illa tam periculosa qua florem iuventutis ingressuri sunt, prospectum perfectiorem christianae vitae adquirant atque officiorum quae ipsa postulat; itemque suae vocationis problemati studeant et iuxta voluntatem Dei illud feliciter resolvant.

V. *De apostolatus officio*

Fideles omnes Concilium commonefaciat de gravi apostolatus officio quo tenentur in salutem animarum, ut plebs tota Christiana reddatur; itemque ut omnes qui christiano nomine gloriantur operam dent pro Fidei propagatione toto orbe terrarum.

VI. *De Civitate*

Civitatem gravis obligatio tenet plurimi facere Dei et Ecclesiae leges in sua ipsius legislatione, nec quidquam admittere quod contra easdem sit, praesertim cum maior pars civium Religionem Catholicam profiteatur.

Speciali modo quae hic sequuntur adfirmentur:

Civitas officium habet scholae libertatem defendendi adeo ut parentes libere illas possint eligere scholas quae magis conformes sint suis principiis circa educationem Christianam suorum filiorum.

Item Civitas habet officium honestatem morum, praesertim puerorum atque iuvenum, defendendi, prohibendo omnes divulgationes inhonestas sive artis librariae ope, sive instrumentis televisionis.

Edoceantur Catholici, cum agitur de eligendis viris ad rempublicam gerendam atque administrandam, se gravi obligatione teneri dandi suffragia illis tantum candidatis qui integra conscientia catholica praediti sunt et propositum sincere exprimant se tales exhibere in republica administranda.

Concilium sollemniter adfirmet, et sua auctoritate confirmet, Ecclesiae ius inesse ad plenam libertatem in sua explicanda divina missione quam a Christo accepit in bonum animarum et salutem.

VII. *De Communismi damnatione*

Etsi multa extant documenta plusquam sufficientia a Sede Apostolica iam prolata nec non ab Episcopis damnantia doctrinas materialismi, socialismi et communismi, opportunum videtur, ne dicam valde necessarium, ut huiusmodi damnationes a Concilio maiore vi renoventur, ut omnibus eluceat Ecclesiam Universam simul cum Episcopis omnium nationum, hodiernis temporibus, unanimiter has pravas doctrinas damnare, quam quae pessimae, ob inumerabilium perditionem animarum atque omnium cardinum humanae societatis, non Ecclesiae tantum, labefactationem quam secum ferunt.

VIII. *De obsequio Beatissimae Virgini tribuendo*

Velut officium filiale Beatissimae Virgini Mariae praestandum atque velut liturgicum momentum Concilii Oecumenici, haec quae sequuntur proponenda puto:

Schemata renoventur Missarum de S. Maria in sabbato, ita ut quod a maioribus traditum est conservetur, at magis varia ac splendidiora reddantur ratione habita, hodiernis temporibus, illius admirabilis doctrinae quam « Mariologiam » dicunt.

Sacerdotibus autem facultas tribuatur celebrandi Missam de S. Maria in sabbato omnibus sabbatis, dummodo ne occurrat officium primae classis.

✠ LAURENTIUS BASOLI
Episcopus Oleastrensis

158

EXC.MI P. D. MAURITII RASPINI
Episcopi Oppidensis (Oppido Mamertina)

1 septembris 1959

Emimentissime Princeps,

Tuae benignitati nostras rogationes acceptas habere placeat, quas submittimus ac subiicimus ad Petri Cathedram, Nostram facientes monitionem Christi Imitationis:

« Bene opus esset, quod adhuc iterum instrueremur, tamquam boni novitii, ad mores optimos, si forte spes esset de aliqua futura emendatione et maiore spirituali profectu ».

Demisso obsequentique animo, in osculo S. Purpurae provoluti Eminentiae Tuae Rev.mae devotissimos Nos in Christo profitemur.

✠ MAURITIUS RASPINI
Episcopus Oppidensis

I. QUAENAM DOCTRINAE CAPITA

Catechismi elementa quae in libro a S. Pio X confecto continentur, ad dogma et ad doctrinam moralem spectant, uti abhinc quinquaginta annis erant.

Necesse est ut Catechismus ex nostris temporibus reducatur in dogmatica atque morali evidentia nostrae aetati congruenti.

Ita, exempli gratia, necessarium est ut expressa significatio Assumptionis dogmati detur; et pari modo copiose expedienda essent, iuxta Encyclica Pontificia, officia ac iura circa exercitium sociale proprietatis, capitalis ac laboris.

II. Disciplina Cleri et Populi Christiani

A) *Disciplina Cleri*:

a) Seminariis Regionalibus, quae supplent penuriam et finitam Dioecesium facultatem perficiunt, praecipua cura adhibenda esset in formatione ac proxima Sacerdotum institutione, in consensu perfecto et concordia cum Ordinario Dioecesano (cui manus supra Consecrandorum capita imponendae sunt) et cum necessitatibus morum saeculi propriae Dioecesis.

Denique Praeceptores Dioecesani et Examinatores Prosinodales interesse ac participare deberent in formatione et institutione futuri Sacerdotis.

b) Quod ad Nos attinet, ex Nostra sententia est ut Gymnasii et Licaei alumni idonei sint ex studiorum Status testimoniis; et hoc ut ampla libertas et sinceritas vocationis in tuto ponatur; ne apostolatus auxilia desint, quae in libertatis Scholae genere, necessaria essent; ad publicas Scholas accedendas, ut Religionis Magistri, servatis servandis disciplinam in publicis scholis impertiant cum iisdem studiorum testimoniis quae Civiles Professores habent; et hoc modo maiore evidentia et gravitate ipsa scientiae Religionis institutio ponitur.

c) Quod ad Nos attinet hortamur ut titulum Ordinationis tantum « ad servitium Dioecesis » sit, ut Sacerdos totaliter filium Dioecesis se existimet, ad Apostolatum Dioecesanum deditum et consecratum, removens ita ab origine quamlibet inclinationem ad privatas et personales Sacerdotis industrias.

d) Omnes industriae quae ad Dioecesim spectant et ad animarum salutem pertinent, sint semper et solum ad nutum Episcopi, et hoc ex divino mandato Eiusdem in Can. 127 et 128 *Codicis Iuris Canonici* iam statuto.

Haec agendi ratio summo beneficio erit non tantum Ecclesiae, sed praecipue Sacerdotibus ipsis, cogitandi rationem Professionalismi et inamovibilitatis amovens, quamvis haec inamovibilitatis lex circumscribatur et moderetur ex praesentibus Iuris Canonici Codicis legibus.

e) Spirituales exercitationes frequentius fiant, saltem intra biennium.

f) Ab administratione Rei Sacrae, sive Cultus, sive Beneficii, sive Paroeciae absolute et omnino arceantur parentes cuiusvis gradus affinitatis et consanguineitatis.

g) Societates securitatis cautionalis pro Clero infirmo et inhabili, in ambitu propriae regionis vel nationis ipsius Cleri tributis instituendae essent, semper in societate tantum clericali hierarchica.

Hoc ut vitetur se interponendi cupiditas ex parte Status, qui dissensionem creare posset (quod Ecclesiae societati perfectae est incongruens) inter dispositiones cautionales civiles et practicas normas quae disciplinam Cleri dioecesani erga Ordinarium decernunt.

B) *Disciplina populi Christiani.*

a) Sacramenta propter homines.

Propter spirituales necessitates quae ad Missam vespertinam concedendam persuaserunt, concedatur logice, ubique et qualibet hora, S. Communio Eucharistica, servatis de iure servandis et rationabiliter petentibus.

b) Congruentius arbitramur esse petitionem in « Orate fratres » elata voce dicere usque ad « Deum Patrem omnipotentem ».

c) Rogationem facere audemus, ut oratio post « Pater noster » Libera nos etc. uti iam in aliquibus Liturgiis mos est, etiam in Liturgia Romana elata voce a toto populo recitetur, sive propter ipsam orationis significationem, sive praesertim ut debitum obsequium B. Mariae Virginis intercessioni praestetur, quae ita diserte ab Ecclesia Patristica habita est.

d) Regula uniformior atque elatior in moralitate morum aestimanda. Speciatim in maioribus urbibus quae affluunt peregrinabundis (turisti) delectationis causa, notatur (non tamen sine mali exempli repercussione in minoribus pagis) perniciosa dispersio in aestimatione moralitatis vestiendi.

Immo saepius praxis non interveniendi exstat, quasi S. C. Concilii normae omnino deessent.

Instructio universalis utilitatis, non tantum ad malas consuetudines corrigendas, sed praesertim ut positivum iudicium S. Modestiae Christianae redintegretur, certo certius utilitati et beneficio communi esset.

e) Faciliorem reddere commentarium « de delictis et poenis »; amovere censuras « nemini reservatas »; obiectum animadversionis et codificationis eae censurae sint quae magis errores graviores saeculi spectant et speciatim eorum fautores et adiutores.

Exortamur etiam ut in Catechismi appendice ad usum fidelium, includatur brevissimum commentarium « de delictis et poenis » quod ignoran-

tiam amoveat et pro lapsis reconciliationis desiderium foveat, et ita confirmatur totalis potestas Ecclesiae quae in maiore cognitione, aestimatione, timore et amore venit.

III. Actuositas multiplicis generis

a) Faciliorem reddere et ad Paroeciam dirigere multiplices Societates Religiosas etiam Tertii Ordinis, quae quamdam pietatem fovent et generatim originem trahunt ex Congregationibus Religiosis et quae in pastorali actione dioecesana vel paroeciali, Ordinario vel Parocho minime subiiciuntur.

Omnes haec laudabiles activitates, quando a fidelibus coluntur, in actione paroeciali vel dioecesana subiciendae essent Parocho et consequenter Ordinario Dioecesano sine diminutione naturae ac privilegii spiritualis uniuscuiusque.

b) Pari modo in multiplici atque varia activitate Actionis Paroecialis expeditiores reddendae essent, unificandae et componendae essent ad unicum verticem variae formae Actionis catholicae, Actionis socialis, Actionis Professionalis sive genericae sive specificae, ita ut etiam solutio pecuniaria annualis pro tesseris, adhibita sit pro multiplicibus subordinationibus, ideoque minus onerosa fit.

c) Mirum Nobis videtur speciatim in Societatibus Christianis Opificum Italicorum (A.C.L.I.) (et pari modo etiam extra Italiam) quod post omnes Litteras Encyclicas Pontificias, tam instanter opera fiat ad dandam formationem et actionem praecorporativam categoriae tantum, a priori excludens ipsam formationem et actionem Operae classium sic dictae Capitalis, quod semper et solum contra opificum iura animadvertitur.

In doctrina christiana, opera complectitur officia et iura omnium, etiam domini, eorum qui operam dant, operarum conductoris, sive in praecipuis principiis, sive in eorum definita exsecutione. Ideoque isti Consociationi A.C.L.I. non excludenda esset haec pars praecipua laboris quaestionis, quae concilianda esset iuxta normas pontificias erga classim operariam et numquam separatim, sed simul, quantum fieri potest, uti eodem tempore fiunt officia ac iura Opificum et Operarum Conductorum.

d) In nostra societate italica casuales quaestiones operae perscrutantur et efficiuntur ex aliqua parte opera opificum Collegiorum (Sindacati), quae areligiosa se declarant, ex alia parte opera Opificum Collegiorum quae disciplinam clarae ideologiae marxistae profitentur.

Catholicorum consortium in opificum Sodaliciis aconfessionalium condicio graviter inferior nobis videtur coram ceteris.

Demonstrat hoc veritas numericae dubitationis et actionis haesitationis C.I.S.L. coram operae formationis et ideologiae actionis Operariorum doctrinae communistae fautorum.

Quaestio perscrutanda est utrum Albae Societates (Leghe Bianche) restituere prodesse possit, ut Christianismi doctrina socialis denuo referatur in laboris ambitu, non tantum uti praesidium contra marxismum, sed uti sententiarum nostrarum reale factum et consequens formatio pro opificum conscientiis.

IV. Negotia maioris momenti

a) Novum studium et subsequens dispositio finium aliquarum Dioecesium.

In nonnullis rerum condicionibus animadvertuntur Dioeceses late patentes praeter modum, dum e contra sunt Dioeceses immodice minores.

Rationes historicae ac rerum locorumque adiuncta plerumque iam absoluta facta sunt, innumeris viis, incolis qui eiusdem naturae sunt omogeneitate incolarum et praesertim novis necessitatibus spiritualibus earum.

Quapropter ad Fidelium maius bonum promovendum, hoc instans officium animadvertendum esset ut congruens et pastoralis finium subdivisio dioecesium assequatur.

Huius negotii et huius sententiae tam magni momenti curam demandando singulis partibus quarum interest, idem esset ac sententiam ad infinitum demandare et ita sine intermissione incommodum plurimarum gentium persequitur.

Post prudens examen de statu quo, aliqua solutio assequenda est, quia hodie necessaria evadit propter novissima et plurima religionis officia ac vitae pastoralis; parvis dioecesibus facultas non est omnibus officiis curialibus suppeditare, neque possibilitas est activitates pastorales ac formativas constituere quas temporum progressus absolute requirit.

b) Quis custodit custodes?

Non est novum Rempublicam hominibus clarae fidei catholicae, apostolicae, romanae committere ab iis quibus suffragii latio est et qui sunt et ipsi fidei catholicae, apostolicae, romanae.

Sed ne novum quidem est quod hi homines, in necessitatem operam dandi legibus ferendis, incurrant de rebus quae interfuerunt et quae moralis ac doctrinae christianae intersunt, et hoc non semper perfecta vera doctrina fit.

Quomodo quaestio solvenda est?

Certo semper et tantum remedium petere bonum non est, e contra

opportunum tamen ac debitum est de dictis praemonere; non tantum relate ad id quod principium doctrinale spectat, sed etiam relate ad id quod earum practicam actuationem fortuitam spectat; nam haud saepe legis exsecutio effici potest plus minusve convenienter cum principio doctrinali.

Exemplum referimus: « Iuxta causa in quaestione agraria ».

Venerabiles Patres Ecclesiae Magisterii omnia experiri possent uti institutionem hominum peritorum Superioris Consessus, qui non se immiscens negotiis ad gubernium pertinentibus, horum problematum maximi momenti incrementum comitetur, quae in actu concursum vel dissensionem definiunt de rebus quae ad fidei, doctrinae, moralis catholicae integritatem spectant.

✠ MAURITIUS RASPINI
Episcopus Oppidensis

159

EXC.MI P. D. SEBASTIANI FRAGHI
Archiepiscopi Arborensis (Oristano)

Aristanei, die 30 septembris 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Nobis visum est quosdam ex Nostro Metropolitano Capitulo, necnon nonnullos ex dioecesano Clero, coram Nobis adunare ut Em.morum Patrum eventuri Oecumenici Concilii doctrinae et prudentiae quaedam quae ad Cleri disciplinam et ad populi christiani meliorem vitam parandam opportuna visa sunt, subiicere; nempe:

1. Ut procurationes Ordinariorum peragiles et efficaciores reddantur, tum in Clericorum regimine et disciplina, tum in tempestivitate animarum boni obtinenda, proponere placuit facultates Ordinariorum locorum augere, latius extendere et iuris sanctione firmare. Item quoad dispensationes pertinet.

2. Quoniam Episcopo in dioecesis regimine multum confert adiumentum virorum scientia et prudentia praeditorum, praesertim qui de gremio sunt Capituli, qui tamen Chori obligationibus et residentiae legibus obstringuntur, opportunum nedum necessarium videtur Capitulorum institutum nonnihil immutare.

3. Cum necessitates animarum in dies succreverint et dioecesanus Clerus palam minuerit, necesse omnino videtur Religiosos viros Episcopis

auxilio esse debere in omnibus quea ad Sacrum Ministerium pertinent.

4. Aegre quidem et inviti, humiliter postulamus ut onus diei, Breviarii nempe, aliquantulum reducatur, praesertim diebus festis de praecepto, quando Sacerdos ter Missam celebrare debeat.

5. Omnibus compertum est hodiedum tum rerum inopia, tum corporum debilitatione, plurimum apud omnes invaluisse negligentiam in observatione legum ieiunii et abstinentiae et frequentius dispensationes postulari; itaque ad nimia peccata praecavenda opportunum videtur legem abstinentiae simul et ieiunii ad solam Parasceves diem reservari.

6. Ut autem in dies magis augeatur Eucharistiae frequentia, etiam apud eos qui diuturno labori indulgent, optimum esset ut Sacram Communionem quavis hora diei distribuere fas sit, servata quoad ieiunium lege quae nunc viget.

Humiliter Sacram Purpuram deosculor et me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum filium
✠ SEBASTIANUS FRAGHI
Archiepiscopus Arborensis

160

EXC.MI P. D. FRANCISCI PIERI
Episcopi Urbevetani (Orvieto)

Urbeveteri, 18 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteras istius Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, sub N. I C/59-961 datas, et 18 iunii anni currentis expeditas, obsequio quam maximo prosequutus, quaestionibus ab iisdem propositis humiliter respondens, puto, mea ingenii tenuitate, in Concilio, proxime habendo, esse, inter alias quaestiones excutiendas, declarandas, vel definiendas, has quoque inserendas, quas concinnatim, uti sequitur, expono:

I. *Quoad doctrinam christianam*

a) Esse definiendam oraculo infallibili Summi Pontificis veritatem circa Beatissimam Virginem, Mediatricem omnium gratiarum, quam universim ecclesia populusque christianus corde firmiter tenet.

b) Laicismum iterum iterumque, uti supremum nostrae societatis malum, esse damnandum, ab eiusque consectariis, uti existentialismo, problematismo ac materialismo, fideles aptis idoneisque verbis defendendos.

c) Audaces deformatasque conclusiones circa Sacrae Scripturae interpretationem, quae saepe audiuntur et quae a viris etiam ecclesiasticis et clari nominis originem petunt vel adprobantur, excutere, perpendere et nota theologica certa afficere.

d) Veritatem circa aeternitatem poenarum inferni denuo confirmare.

Veritas haec nostris temporibus in dubio ponitur, negatur, ob influxum, praesertim, quorumdam scriptorum non integre catholicorum.

II. *Quoad moralem christianam*

a) Matrimonii unitatem, indissolubilitatem ac praesertim sanctitatem denuo defendere ac extollere, et circa eosdem errores patefacere ac acerrime profligare.

b) Dierum festorum sanctificationem urgere, cum magis magisque in populo obsolescat.

III. *Quoad ecclesiasticam disciplinam*

a) Urgere ut sacerdotes moribus et externa quoque vita fideles aedificent.

Ad hunc finem suggerere audeo ut quaestio de habitu ecclesiastico claris verbis tandem ponatur et obligatio de exercitiis spiritualibus, quae nunc alternis annis clericos urget, singulis annis e contra eosdem teneat.

b) Insuper, quo magis ecclesiastica disciplina splendeat uberiresque fructus afferat necessarium puto: ut sacerdotum *specializatio* curetur, maxime in iis disciplinis quae in fideles, recte et christiane excolendos, vertunt, ut catechetica traditio et Verbi Dei praedicatio hodiernis temporum hominumque indigentiis accommodentur, ut bonum praelum uniatur, ita ut quod in extensione dissipatur in unum congregetur.

c) Hoc etiam addere his velim: ut concludatur Breviarii reformatio, et Missa, etiam lecta, legibus liturgicis regatur, quae sublimitatem actionis collustrent et quaedam, optima quidem in se, auferant.

Mea pauperrima sententia esset ut Sanctum Sacrificium absolvatur, data a sacerdote benedictione post « ite missa est ».

d) Nec omnino spernenda est illa opinio a pluribus prolata, quod saltem collatio Sacramentorum lingua, cuique populo propria, fiat.

e) Cuperem denique ut in Concilio Oecumenico resumatur exemptio virorum religiosorum, eum in finem ut Ecclesia eam aboleat vel mitiget.

Vi exemptionis praefati religiosi viri solis suis commodis non raro indulgent, spretis vel sepositis necessitatibus animarum et desideriis Ordinariorum locorum.

Cuperem quoque ut status oeconomicus clericorum ad examen, quo definiatur, revocetur, ita ut possibile sit omnibus clericis aequa forma, repulso quocumque odioso discrimine, ratione tantum habita necessitatis vitae, digne, honeste et perpetuo consulere, non omissis iis cautionibus contra pericula senectutis vel infirmae valetudinis.

f) Quo haec faciliori modo assequantur Ordinarii, reputo esse abolendam inamovibilitatem paroeciarum.

Haec, minimus episcoporum, humiliter subiicio, fisus ex optato Concilio Oecumenico plura adventura, quae bono animarum prosint ac unitatem Ecclesiae iuvent.

Unitatem, dixi, pro qua potissimum preces fundere placet, ut omnes errantes redeant, ovile petant Petri, ibique tandem tuto placidoque ore cubant.

Omni quo par est obsequio Purpuream Vestem Eminentiae Tuae humiliter ac reverenter deosculor ac me profiteor,

Eminentiae Tuae Reverendissimae
umil.mum ac addictissimum servum

✠ FRANCISCUS PIERI
Episcopus Urbevetanus

161

EXC.MI P. D. DOMINICI BRIZI

Episcopi Auximani et Cingulani (Osimo e Cingoli)

Auximi, die 2 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Epistulam sub die 18 iunii 1959 Prot. N. 1 C/59-963 qua Eminentia Tua Reverendissima a me petebat ut communicarem animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, tempestive habui.

Maximum momentum tribui epistulae et, fretus etiam auxilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium, quasdam adnotationes exaravi quas mihi honorificum est mittere ad hanc Pontificiam Commissionem, cui Eminentia Tua dignissime praeest.

Intra diem septembris id facere non potui: veniam peto et benignitati Eminentiae Tuae mea vota committo.

Pergratum mihi est profiteri Eminentiae Tuae impensos animi mei sensus ex imo corde.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ DOMINICUS BRIZI
Episcopus Auximanus et Cingulanus

A) *Doctrinae capita*:

1. Ut doctrina quae tenet Mariam semper virginem Mediatricem universalem omnium gratiarum dogma definiatur.

2. Ut doctrina mystici corporis Christi maius momentum in exponendo dogmate christiano habeat.

3. Ut systemata philosophica quae vocantur criticismus kantianus, existentialismus qui Deum esse negat, relativismus moralis, laicismus damnentur ut incompossibilia cum revelatione christiana.

4. Ut enchiridion conficiatur in quo disponantur:
a) praecipuae veritates theologiae dogmaticae;
b) praecipua principia theologiae moralis;
c) praecipua principia iuris publici eccles. et canonici;
d) praecipuae normae liturgiae;
e) praecipuae lineae historiae ecclesiasticae;
f) praecipua principia doctrinae socialis christianae.

B) *Disciplina Cleri et populi christiani*:

1. Ut Episcopis augeantur facultates relate ad celebrationem trium missarum in die festo, ad altare portatile, ad reductionem legatorum pro causis piis, etc.

2. Ut omnes sacerdotes saeculares quotannis vacent spiritualibus exercitiis per tres saltem integros dies.

3. Ut Parochi sint amovibiles ad nutum Episcopi, aut saltem ab Episcopo, audito Capitulo.

4. Ut fines dioecesium, in specie exiguae extensionis, corrigentur methodo praesertim geographica.

5. Ut clericus alicuius dioecesis canonice transferri possit ad aliam dioecesim, praesertim eiusdem regionis ecclesiasticae, ubi maior est necessitas pro salute animarum.

6. Ut exemptio quae competit religiosis magis ac magis delimitetur

relate ad Episcopum, et, si fieri potest, abrogetur in eo quod pertinet qualicumque modo ad curam animarum.

7. Ut ius patronatus revocetur.

8. Ut bona ecclesiastica maiore aequitate distribuentur.

9. Ut sacramenta administrentur, quam maxime, lingua vernacula.

10. Ut officium chorale emendetur ita ut psalmi nova versione recitentur et lectiones veritate historica nitantur.

11. Ut in officio private recitato nocturna quotidie ad unum reducantur.

12. Ut natura, officia, fines et momentum actionis catholicae declarentur.

13. Ut instructio religiosa pro adultis magis ac magis foveatur.

14. Ut studia ecclesiastica in Seminariis methodicius disponentur.

15. Ut in iis maius momentum detur studio theologiae asceticae et pastoralis.

16. Ut scholae ab auctoritate ecclesiastica dependentes multiplicentur, provisae docentibus bene paratis et adaequate retributis.

C) *Actuositas*:

1. Doctrina de relationibus inter Ecclesiam et Statum enucleetur.

✠ DOMINICUS BRIZI
Episcopus Auximanus et Cingulanus

162

EXC.MI P. D. RAPHAELIS CALABRIA
Archiepiscopi Hydruntini (Otranto)

Hydruntini, die 1 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Summa sollicitudo SS. D. N. Ioannis XXIII, sed et paterna benevolentia apparet atque extat in proposito convocandi Concilium Oecumenicum, cum in Pontifice et in Ipso solo suprema Petri in omnem Ecclesiam potestas, iurisdictio et primatus plenissime perseveret et vigeat.

At augustum desiderium cognoscendi prius sententias, consilia et vota eorum qui in sollecitudinis Suae partem vocati sunt, benevolentiae adhuc plenius est signum, cum ius et munus seligendi et proponendi

negotia, quae in sancta oecumenica Synodo tractari debebunt, nonnisi ad Petri Successorem pertineat.

Hac paterna benevolentia motus, mentem meam adaperiam meamque sententiam humillime manifestabo.

I. *Circa partem dogmaticam*

1. Utiliter resumi possunt quinque quae parata fuerunt schemata in Concilio Vaticano, de praecipuis fidei mysteriis: de Ss. Trinitate; de hominis creatione et natura; de hominis elevatione et lapsu; de mysterio Verbi incarnati; de gratia Redemptoris.

Solemnis revocatio istarum veritatum non solum erit complementum eorum quae in Concilio Vaticano acta sunt, sed necessaria mihi videtur generationi nostrae, problematibus terrenis fere unice intentae.

Nec defuerunt, etiam nostris temporibus, errores veritates istas impugnantes et evertentes, ut in Encycl. *Humani Generis* fas est videre.

2. In titulis de homine tractantibus, vel in explicitis addendis articulis, perutile mihi videtur urgere *aeternam* hominis destinationem et naturam *vialem* praesentis vitae.

Multi enim sunt hodie ingenui, qui, solliciti de utopistico paradiso fratribus in hac terra parando, coelestis Paradisi obliviscuntur, immo non desunt qui pudore deterrentur illum etiam commemorare.

3. In Mysterio Verbi Incarnati revocando, quae Summi Pontifices de cultu Ss. Cordi Iesu tribuendo, quae de Christi regalitate perlucide docuerunt addere oportet.

4. Digna huius primae partis corona et quasi recapitulatio, addenda mihi videtur tractatio de B. M. Virgine, in qua partes Deiparae in nostra salute et privilegia divina, quibus exornata fuit, recolantur, et, Summo Infallibili Magistro annuente, mediatio universalis Ipsius solemniter definiatur.

5. Paratum schema « De Ecclesia Christi » opus est etiam resumere in sua prima et tertia parte, aptandis certe novis temporum necessitatibus, ratione habita et pretiosi Summorum Pontificum Magisterii et errorum inde exortorum.

6. In prima parte, ubi sermo est de Ecclesia corpore Christi mystico, quae Pius XII abundanter exposuit in Encyl. *Mystici corporis* recolenda videntur.

7. Agendo de infallibilitate Ecclesiae, peropportunum opinor ut extensio obiecti infallibilitatis determinetur.

8. In tractatione de Ecclesiae potestate optandum est ut fusa de munere episcoporum expositio addatur.

Hoc, debili meo iudicio, valde utile erit:

a) ad conscientiam sublimis muneris excitandam in iis qui hac apostolica dignitate induuntur,

b) ad restaurandam disciplinam ecclesiasticam, quae in dies relaxatur,

c) ad evertendam falsam opinionem plurimorum, maxime orientalium, existimantium episcopatum iam parvi fieri.

9. Hic tractatio addi etiam potest de apostolatu laicorum et specialiter de Actione catholica, naturam illius, limites et necessariam subordinationem hierarchiae clare enuntians.

II. *Circa partem moralem*

1. Necessaria mihi videtur vindicatio valoris absoluti principiorum moralium.

2. Ad medenda mala quibus institutum familiare laborat, principia moralia familiam regentia, maxime ea quae fidem regulant et generationem prolis et prolis educationem, opus est revocare.

3. Principia moralia socialia fuse oportet exponere, et virtutes sociales inculcare, maxime vero caritatem.

Valde desideratur Codex in quo systematice integra doctrina socialis christiana contineatur.

4. Principia moralia professiones respicientia a pari revocanda.

5. De institutione christiana iuventutis quae Summi Pontifices perfuse docuerunt utile est recolere.

6. Problemata moralia ex novis scientificis inventis exorientia necesse est scrutari.

III. *Errores damnandi*

Communismus atheus.
Hedonismus.
Ethica situationis.

IV. *Circa disciplinam ecclesiasticam*

Prae oculis habens 28 schemata in Conc. Vaticano iam parata et ea quae in *Codice Iuris Canonici* continentur, haec humillime subicere audeo:

1. Quoad dioeceses et episcopos:

a) opportunum est considerare coram Deo actualem dioecesium circumscriptionem, et si ipsa Ecclesiae bono vere respondeat. Extant

hodie dioeceses amplissimae et aliae tam parvae, quae potius paroeciae dicendae sunt. In primis multoties efficacia vigilantiae desideratur; in aliis instituta varia vitam inopem generatim agunt: seminaria, officia, associatione etc.; ipsa auctoritas Episcopi deprimitur!

b) hoc mihi persuasum habeo: valde coram Deo et Ecclesia episcopos mereri, si ipsi, cum vires ob infirmitatem vel senium eos deficiunt, mandatum remittant in manibus Pontificis. Etenim quae a *Codice I. C.* praevidentur remedia his in casibus (coadiutor, auxiliaris, administrator) ordinarie bono Ecclesiarum non mihi videntur prodesse.

2. Quoad parochos.

Audivi multos conqueri inamovibilitatem parochorum a Codice statutam. Multoties bonum Ecclesiae expostulat ut mali sine cunctatione removeantur, sed etiam ut boni possint de una in aliam paroeciam transferri, attentis dotibus personalibus et specialibus necessitatibus locorum.

Non semper tamen boni sunt optimi, qui sciant causae Ecclesiae cetera subordinare; nec processus contra malos, quacumque forma confectus, moras vitare valet damnosas.

3. Quoad vitam et honestatem clericorum.

Lex ecclesiastici caelibatus sollemniter celebranda et confirmanda; vita interior enixe commendanda.

4. Quoad seminaria.

Opus est traditionales regulas formationis ecclesiasticae revocare, reprobata propensione, in dies invalescente, sequendi methodum quae nimis sapit naturalismum.

Studium linguae latinae inculcandum, et usus illius in disciplinis tradendis et addiscendis sive philosophicis sive theologicis.

Contra invadentes novitates doctrina S. Thomae et methodus scholastica iterum atque iterum commendari debent.

5. Quoad catechismum.

a) desideratur ut pro recentius enatis christianae societatis indigentiis nova concinnetur editio Catechismi Concilii Tridentini, in qua, quantum par est, opportunis additamentis ratio habeatur tum condemnatorum errorum quam doctrinarum quae solemni iudicio definitae sunt a tempore Tridentini ad hodiernos dies,

b) facilis transmigratio fidelium in diversas partes orbis expostulat ut novus conficiatur parvus catechismus pro universa Ecclesia, lingua latina elucubrandus, facilis, menti modernae aptatus, ad exemplar adhibito S. Pii X catechismo, atque etiam ob oculos habitis aliis in christiano populo pervulgatis catechismis. Illius textus in vulgarem linguam fidelis versio a singulis episcopatibus nationalibus curanda.

6. Quoad administrationem sacramentorum.

a) in ritibus mihi videtur retinenda lingua latina, praeter partes in quibus fideles respondere debent. Veteres traditiones, liturgica lingua religiose servata, efficaciter custodiuntur; et unitas Ecclesiae unicitate sermonis liturgici efficacius recolitur fidelibus,

b) pro baptismate: sollicita administratio urgenda; multis in locis enim baptismus per menses differtur, rationibus pure humanis,

c) pro confirmatione: utile videtur indicationem renovare temporis administrationis huius sacramenti, cum mos iam invaluerit non solum ministrandi confirmationem, ordine praepostero, iis tantum qui ad sacramentum Eucharistiae admissi iam fuerint, sed illam etiam differendi ad 12, ad 14 annum et amplius ob rationes, ut aiunt, pastorales,

d) pro matrimonio: scio multos desiderare faciliorem et expeditiorem rationem in praevio examine de statu libero contrahentium. Experientia tamen docet non recedendum a sapientissima actuali Ecclesiae disciplina, quae ideo confirmanda et commendanda.

7. Pro abstinentia et ieiunio: necessitas ieunii recolenda est; modalitates vero statuendae attentis conditionibus generalibus vitae hodiernae. Criterium quantitativum absolutum mihi videtur non iam retinendum.

8. Quoad praeceptum festivum: reprobanda diffusa et quasi systematica violatio ipsius.

9. Quoad libros liturgicos:
Exspectatur reformatio Libri Pontificalis et Breviarii.

10. Quoad opera caritatis:
Opera caritatis et educationis et instructionis multiplicanda; in illa tamen promovendo quaelibet vitanda est humana finalitas, vel lucri species; maxime vero abstinendum a debitis contrahentibus et a qualibet alia industria quae vitam vel libertatem ipsarum institutionum impedire possit.

V. *Circa ordines regulares*

1. Multos audivi, et non tantum episcopos, conqueri abusum privilegii exemptionis ex parte regularium.

2. Multi quaeruntur facilitatem qua novae multiplicantur institutiones religiosae, praesertim mulierum.

3. A multis reprobatur vita non regularis in parvis conventibus.

4. Maior desideratur conspiratio cleri saecularis et regularis, qualibet seposita certationis umbra, cum unica sit vinea idemque Dominus.

Dixi quia rogatus.

Velit Eminentia Vestra Summo Pontifici sensus filialis et grati animi mei offerre una cum plena et firma fide Magistro supremo et Pastori.

Manus tuas deosculans et purpuram, me profiteor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum servum
✠ RAPHAËL CALABRIA
Archiepiscopus Hydruntinus

163

EXC.MI P. D. FRANCISCI COGONI

Episcopi Othierensis (Ozieri)

Othieri, die 2 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Accepi veneratam epistulam die 18 iunii 1959 ab ista Pontificia Commissione antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico celebrando ad me missam.

Grati animi sensus Summo Pontifici Ioanni XXIII exprimo, atque ad responsiones concinnandas, reverenter et humiliter, pro mea submissa et simplici mente, in Domino procedo.

Omnia fausta a Deo tibi adprecor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ FRANCISCUS COGONI
Episcopus Othierensis

Argumenta circa quaedam doctrinae capita

Puto a theologis in re sacramentaria valde peritis, methodum excogitari posse ut non modo illicitae ac sacrilegae, sed etiam invalidae consecrationes Episcoporum in posterum reddantur quae fiunt ad schisma fovendum sicut hodierno tempore, proh dolor! apud Sinenses factum est.

Satis est ut summa Ecclesiae auctoritate, in materia atque forma quibus confertur sacerdotii plenitudo seu Episcopalis consecratio, introducatur tamquam ad essentiam consecrationis pertinens aliquod elementum ex explicita et expressa Summi Pontificis voluntate pendens.

Exempli gratia: introductio in praedicta materia atque forma sacramentali exhibitionis et lectionis per Episcopum consecrantem, Mandati Apostolici, ad Ipso Summo Pontifice subscripti.

Relate ad sacerdotalem perfectionem et sanctitatem, status sacerdotum dioecesanorum, qui suae dioecesi manent addicti, suis Episcopis oboediunt, sacrorum canonum et liturgiae normis et praeceptis obsequuntur, nullimodo inferior habendus est quam status Religiosorum, cui tamen, iuxta Ecclesiae doctrinam, nec laus minuenda est nec incrementum impediendum.

Circa disciplinam cleri

Episcoporum auctoritas, in sua quaque dioecesi, meliori quo possit robore atque efficacia muniatur.

Religiosorum exemptio, laudabilis utique et commendanda, ne largioribus interpretationibus amplietur: immo moderate temperetur.

In maiori Seminario Regionali, ultima decisio circa clerici vocationem et circa promotionem ad studiorum prosecutionem Episcopo eiusdem clerici relinquatur: nam in Seminario Regionali Sardiniae practice hac in re iudicium Episcoporum nihil fit: multo pluris fieri solet iudicium professorum, exempli gratia, linguam graecam vel mathesim docentium, qui saepe sunt iunioris aetatis nec ullam cognitionem habent necessitatum Dioecesium.

Inamovibilitas parochorum videtur abolenda.

Mehodus pro concursu ad conferenda beneficia paroecialia et canonicatus pariter abolenda vel saltem profunde immutanda est.

Vestis talaris, ubi viget eius consuetudo, servetur.

Facultates Episcoporum, circa reductionem et moderationem onerum Legatorum piorum, quae non amplius quadrant cum mutatis temporum condicionibus, aliquatenus amplientur.

In re liturgica, omnino servanda est lingua latina.

Pro Sacerdotibus insaniae morbo laborantibus, vel pervicaciter inoboedientibus, vel inemendabilibus, aliqua praesto sit domus curationis simul et poenae, ne ipsi, a plebe segregati, bono animarum impedimento sint.

Circa populi christiani disciplinam

Velim tertium praeceptum generale Ecclesiae sic reformetur:

Ad Sacramentalem Confessionem et ad Communionem accedere oportet saltem semel in anno, quolibet anni tempore: praeferendum tamen est tempus paschale.

Minime sequenda aut fovenda effrenata cupiditas ludorum qui religiosas festivitates comitari solent: moderanda potius atque imminuenda videtur.

Relate ad ephemerides et folia proelo impressa, ad rem catholicam tractandam (Riviste Cattoliche, Stampa Cattolica), multiplicitas minuenda et continenda erit; qualitas potius melioranda, diffusio augenda et, in peculiaribus adiunctis, etiam imponenda.

Circa actuositatem multiplicis generis
qua hodie Ecclesia tenetur

Collaboratio laicorum ad apostolatum hyerarchicum Ecclesiae, seu Actio Catholica, in ea peculiari forma quae praesertim per Summum Pontificem Pium XI enucleata fuit, servetur, roboretur, quam maxime propagetur.

Adsociationes semisecretae sive laicorum sive clericorum, etsi in finem bonum et utilem institutae, sive in sua ipsarum origine, sive in earumdem evolutione atque activitate omnino et totaliter ab Ordinario loci dependeant. Focolaria, quae dicuntur, coenacula et similia ne foveantur.

Circa negotia maioris momenti
quae ecclesia obire hodiernis debet temporibus

Quoniam aliquando fit ut viri quidam polytici, suffragiis catholicorum ad assequenda publica munia suffulti, reapse sive ob malitiosam astutiam, sive ob stultam fiduciam, colludant cum communistis atheis cumque amicis eorum, eorundemque ad summa rerum praeparent adventum; ad tantum periculum praecavendum, huiusmodi viri qui fundatae suspicioni dederint locum, subiiciantur secretissimae vigilantiae ex parte Supremae Congr. S. O. ita ut in subsequentibus consultationibus electoralibus priventur suffragiis catholicorum.

Circa nonnullas res quas exponere visum est

Optandum est ut ad simpliciorem et breviorem formam redigantur quidam ritus qui in Pontificali Romano continentur:

de Ecclesiae dedicatione seu consecratione,
de altaris consecratione,
de altaris portatilis consecratione,
de benedictione signi vel campanae,

de lapidis primarii benedictione et impositione pro Ecclesia aedificanda.

Circa distributionem SS. Eucharistiae, absente Sacerdote, haec humiliter examinanda propono:

Locis dissitis, ubi adsunt aediculae (Cappelle rurali di frazioni o stazzi) quo Sacerdos difficulter et aliquando raro accedere potest, facultas Sacram Communionem ministrandi tribui potest, pro determinatis condicionibus et modalitatibus, etiam selectis viris laicis, optimis moribus, pietate et congrua scientia praeditis, nec non sanctimonialibus Sororibus.

✠ FRANCISCUS COGONI
Episcopus Othierensis

164

EXC.MI P. D. HIERONYMI B. BORTIGNON
Episcopi Patavini (Padova)

Patavii, die XXX augusti 1959

Eminentissime Domine,

Humanissimis Tuis litteris, datis Romae XIV Kalendas iulias, haec obsequenti animo rescribo.

Singulari quidem omnium tum clericorum tum laicorum exultatione et consensu, nuntium accepimus de Oecumenico Concilio a Sanctissimo Domino Ioanne XXIII indicendo et convocando.

In tantis enim novandarum rerum consiliis tantisque exinde quaestionibus cotidie consurgentibus, uti anteactis temporibus quotiescumque ab Apostolica Sede Concilium congregatum est, sic nostra etiam aetate tum ovibus in Ecclesia pacatis tum aliis sine pastore vagantibus tranquillitatem et pacem populi christiani uno animo exoptant allaturum.

In quorum ego testimonium et fidem, dum sancto proposito non sine Divino favente Spiritu concepto, plaudens gratias refero meritissimas, etiam promitto precibus et curis, una cum Patavinae dioecesis filiis, illud esse prosecuturum; iam nunc piissimo cordis sensu et mentis obsequio omnia accipientes quae Pater et Pontifex, ea qua fungitur potestate, Concilio agenda et decernenda proponet, quodque opportunum videbitur de eiusdem Concilii praeparatione, convocatione, celebratione atque approbatione instituendum.

Quoniam vero, Eminentissime Domine, fraternis Tuis litteris benignissime nos admones ut « ... omni cum libertate et sinceritate, animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt » Apostolicae Sedi subiiciamus, Tuis hisce verbis unice ductus quaedam quae, meo iudicio, aliquo esse momento moderate opinor, submisso quidem animo significare audeo, simul tamen obtestans me id unum intendere atque sectari ut adhortationibus pareamt Tuis. Quin etiam, si quid non inutile in meis litteris forte invenias, non tantum ex rebus propositis, quam ex oboedientia suam qualemcumque virtutem radicitus trahere sentias.

Praenotanda

1. Quotiescumque mecum Concilii naturam ipsam revolvo, illud veluti rerum summam sive collectum admirabili quadam forma compositum animo fingo, quod errores damnandos colligat et bona proponat definienda; ad ea usque latissime pertingens ad quae se extendit mandatum a Christo Ecclesiae commissum; modis scilicet congruentibus hisce praesertim asperrimis temporibus, quin neglegantur superiorum temporum Litterae Encyclicae a Leone XIII, a S. Pio X, a Pio XII datae et omnia alia Sanctae Sedis edita documenta.

2. Qui tamen collectus animorum et operum ut vitae usibus prosit et animos vivificet, per eos qui Ecclesiae authentici Magisterii voces sunt et interpretes, perficiatur oportet.

3. Quapropter in conventibus et studiis quae Concilium praecedunt et praeparant, non solum Commissiones ad hoc electas, sed etiam, vehiculariis cursibus celeritate faventibus, omnes qui, iuxta can. 223 « in Concilium Oecumenicum ex iure vocantur », consuli opportunum videtur. Quibus exemplaria rerum tractandarum mitti poterunt, postea vero etiam conclusiones et decreta concordata, ea conditione ut Episcopi, et seorsum, et in suis quisque Conventibus Provincialibus, capitulatim examinent ac examinata Romanae Commissioni mittere curent.

4. Impensas maiores longiusque temporis spatium replebit abunde ea congruens et concors operis compositio, quae sapientiam Theologorum cum usu et prudentia Patrum coniungat, atque eorum doctrinam et praecepta in unum conflans nostris rerum vicibus consentiens, salutarem et faustam Ecclesiae reddat Concilii celebrationem.

Iamvero non maturius, sed efficientius opus populi christiani expectant, in quo Sanctae Matris Ecclesiae sollicitudo universalis et prudentia eluceat.

5. Si quaestiones scientificae exurgant, quae peritorum consilia et prudentiam expostulent, extra Concilium ipsi consulantur, cum, sessionibus Concilii, Ecclesiastici tantum adesse opportunum videatur.

Sectio Dogmatica

1. Excultos inter homines non raro erroris perantiqui nova quaedam species apparet cui nomen « problematicismus », habitudinem etiam in iis ingenerans intellectualem, qua doctrinae cuiuslibet notionem « problema » autument, de omni vero dubitare sibi licitum credant, idque unum verum adfirment in veri inquisitione hominum mentes perpetuo exagitatas vagari.

Contra quem peculiarem errorem, et contra eas omnes philosophorum disciplinae formulas quae in ordine psychologico, criteriologico et metaphysico errore aliquo laborent, ea principia definiantur quibus sublatis certitudo penitus aufertur.

2. Existentialismus, qui dicitur, itemque materialismus, communismus atque socialismus, peculiari studio examinentur in sua quisque doctrina atque vitae forma et expressione, ut iusta ratione definiantur iustaque sententia condemnentur.

3. Modernismus, qui licet in coetu sacerdotali, saltem in Italia, eradicatus videatur, tamen inter excultos laicos, usu et actione vitae, instanter serpit, denuo excutiatur atque in sua nova evolvendi forma nova damnationis sententia plectatur.

4. Verae theologiae processus atque natura, cui illa opponitur, quam vocant, nova theologia, plenius et effusius in suo ordine statuantur, atque altera quae vera est definiatur, altera reprobetur.

5. In Sacris quoque Scripturis elaborandis, ad ea praecipue animum intendere quae ad textus explanationem seu exegesim, et ad vitam et usum pastoralem pertinent, non vero tantum ad inquisitionem mere criticam, multoque minus ad investigandam earum venustatem ut in saecularium litterarum libris, necessarium esse duco, ideoque normas expresse et regulas emanare quae iusta methodo alumnos ad sacra studia sapienter et moderate instruant.

6. Cum haeretici novatores ad eorum errores propagandos, in regionibus italicis dico, Sacra Biblia late diffundant, necessarium videtur de duplici Revelationis fonte mentionem facere.

7. Cum disceptationes quae quasi quotidie exoriuntur de causis, ut aiunt, psychologicis et quaestionibus ad fidem pertinentibus, erroneam inveniant solutionem, perutile erit si tractatus de Fide, in iis quae huius

temporis quaestionibus respondent, congruam illustrationem et definitionem habuerit.

8. Ad errores contra Ecclesiam impugnandos et profligandos, inter gravia Concilii munera hoc praecipue iudico absolvendum, eas definire theses quae Ecclesiam ut societatem considerant cui Christi mandatum concreditum est; itemque quae in ea mysticum Christi Corpus contemplantur et vident; postremo quae suas rationes et usus cum societate civili pertractant (necessitudines et nexus inter Ecclesiam et Rem Publicam).

9. Contra atheismum quem vocant, eiusque varias species et nomina, Deum esse Eiusque existentiam ab hominibus cognosci et demonstrari posse, definiendum est.

10. Contra laicorum absoluta principia, in Dei plena potestate animas hominumque societates positas esse definiendum puto.

11. Sed illam quoque laicismi mitiorem et quasi adumbratam speciem, quae non doctrinam et principia, sed usum vitae et actionem respicere videtur, non consequentem esse neque dialecticam definiendum puto.

12. Contra rationalismum, quem vocant, et humanae rationis principatum, rerum ordo quae naturam exsuperant atque evincunt definiatur.

13. Contra quem dicunt naturalismum, quasi disciplinam ac formulam vitae, peccati originalis memoriam repetere eiusque praesentes in omnibus et per omnia noxios effectus, plurimum proderit.

14. Contra nostrorum temporum recentiores doctrinas de rebus Christologicis, doctrina de una Persona et duabus Naturis in Christo servanda ac subinde iteranda est.

15. Marialibus doctrinis doctrina quae Virginem hominum Mediatricem tradit et offert, ab Ecclesia si componatur atque auctoritate decernatur, omnium vota et expectationes expleri confidenter putamus.

16. Sunt qui nostra aetate, vel nimis dilatando vel nimis coarctando potestatem Ecclesiae ad ritum sacramentale quod attinet, in errorem inducant ita ut catholicis de hac re quid sentiendum sit statuere opportunum videatur.

17. Itemque, cum quidam immoderate sentiant de Baptismo et Confirmatione in iis quae ad Christum Sacerdotem pertinent et ad Eius Corpus mysticum quod est Ecclesia, quid catholici credere debeant statuendum puto, ne interdum ex angusto nimis vel latiore laborent iudicio.

18. Doctrina ab Ecclesia collustrata et decreta de Eucharistia in actibus Concilii revocanda videtur ne fallaciter fideles sibi fingant prae-

sentiam realem, transubstantiationem, accidentium species et tempus quo in sacramento permanent.

19. De S. Missae sacrificio, in iis praesertim quae ad ultimam Coenam attinent atque ad Christi in cruce divinum sacrificium, quid catholici credere debeant quidque eorum inquisitioni libere permittatur, expresse decernendum puto.

20. Quomodo sacerdotes confessarii et Extremam Unctionem ministrantes se gerere debeant, cum ad infirmum novus admoveatur curationis modus, quem « reanimationem » vocant.

21. Summopere interest ut doctrina de Extrema Unctione quam catholici sequi omnimodis oportet, definiatur, cum nonnulli sint qui autument eam administrari posse cuivis infirmo etiam si gravi morbo non laboret, eamque posse iterari.

22. Quid de matrimonio catholici servare et consentire debeant, contra pererrantes opiniones praecipue circa eius finem, praescribatur.

De inferni poenarum perpetuitate catholica memorentur principia, cum crebrius serpant errores circa earum quomodocumque terminum.

Sectio moralis

1. Ethicae naturalis quae sint praecipuae rationes ac principia definiantur.

2. Condemnationis sententia plectantur illae morum formulae ac disciplinae erroribus inquinatae, ut « moralis relativa » vel « circumstantiarum », « hedonismus », « utilitarismus », etc., quae nostra aetate grassantur.

3. Cum humanarum scientiarum, praesertim medicinae ac chirurgiae, processus totam vitam pertingant et amplectentur, necesse est ut simul principia moralia inde emanantia decernantur, in iis quae pertinent ad fecundationem artificialem, euthanasiam etc.

4. Quae sint principia catholica quique modus et fines, cum agitur de paedagogia, de psychoanalisi, de metapsychica etc.

5. De modo agendi cum iis qui « individua pathologica » dicuntur et nostra aetate numero quotidie ingravescunt, certae normae morales praescribantur.

6. Quae de librorum lectione principia et normae statuit Ecclesia, in desuetudinem prolapsa non esse fidelibus memorandum videtur, immo perpendendum utrum etiam Indicem librorum prohibitorum denuo cognoscere atque spectare conveniat.

De solaciis quoque atque oblectamentis normae morales revisere opportunum videtur.

7. In disputationem deducere videtur utrum disciplinam de Censuris ecclesiasticis probare denuo conveniat et spectare.

Sectio ascetica

1. Magni quidem momenti atque perutile mihi videtur singularem et propriam sectionem instituere quae nostrae aetatis rationes et modos asceticae vitae cognitos pertractet, cum sanctitas, et ordinaria et eximia et heroica, sit praerogativa et signum S. Matris Ecclesiae.

2. Postremis hisce temporibus, tum Summorum Pontificum documenta (Litterae Encyclicae praesertim *Haerent animo, Ad catholici sacerdotii, Menti nostrae, Sacerdotii nostri primordia*), tum provida ad spiritualis vitae incrementum proposita subsidia, ut scholae asceticae et mysticae in Seminariis, ut assiduae in recte instituendis alumnis curae et labores, ut exercitationes spirituales et recollectio mensilis, ut sacerdotum et laicorum frequentes congressiones, laicorum apostolatus, communio quotidiana, aliaque plurima, id effecerunt ut maioris perfectionis vitam non minus sacerdotes quam fideles vehementer agere exoptent.

Ad quam securius consequendam Concilium normas praescribat et rationes quae iter volentibus et petentibus pangant.

3. Germinant quoque hac nostra aetate coetus et conventicula, tamen pseudospiritualia, quae examinanda quidem sunt a Concilio et improbata fidelibus exponenda, ut caveant ab illis.

4. Normae praeterea praescribantur quae conventus quosdam spirituales et nascentes formas atque sodalicia interioris vitae compescant et dirigant.

5. Quo funestiora fiunt tempora sacerdotibus, eo firmioribus ipsi muniantur oportet praesidiis; inter quae praecipua eminent Exercitia spiritualia singulis annis absolvenda.

6. Asceticae vitae disciplina atque doctrina, quattuor illis adiuvantibus et adspirantibus Encyclicis (*Haerent animo, Ad catholici sacerdotii, Menti nostrae, Sacerdotii nostri primordia*), ut memorentur optamus, atque aperta improbatione damnetur illius haeresis species quam vocant agitationis haeresim et actionis.

7. Asceticae doctrinae et mysticae ut alacriore animo studeant moneantur sacerdotes, atque omnia sibi parent quae ad animarum curam et gubernationem eos reddat efficaces ministros et sapientes.

8. Quae noviter prodeunt et evulgantur contra sacerdotalem coelibatum, fortiter condemnanda sunt et catholica principia affirmanda quae a Pio XII in Encyclica *Sacra Virginitas* comprobantur.

Sectio liturgica

1. Matura iam vertunt tempora quibus in unum codicem collectae sacrae liturgiae normae et disciplina, ad liturgicam actionem simplicem, certam atque omnibus eamdem reddendam, tradantur.

2. Principia, si desint, decernere aut decreta redintegrare ut ars sacra in musicis modis, in picturis, in architectura, cum fine suo et cum nostra quoque aetate congruat, oportet.

3. Latinae linguae sollemnis usus atque verendus nulla unquam ratione deseratur.

4. Cum sacerdotes numero fere ubicumque deficiant. Missarum autem celebrandarum numerus quotidie augescat, trinationis facultatem Ordinariis locorum diebus festis utrum opportunum sit concedere videatur.

Sectio pastoralis

1. Pastorali methodo quae de iusta via deflectat atque aberret ut irenismus quem vocant, pragmatismus, naturalismus etc. expresse obstandum censemus.

2. Praecipua pastoralis vitae atque usus principia decernere oportet.

3. Novas quae aperiantur vias atque modos, quibus pastoralis experientia nostris hisce temporibus accomodatur et servit, significare diligenter opus est atque decet.

4. Monita subiiciantur et normae ad ea quae maiorem in dies vim et gravitatem assumunt directoria in re sacramentali, in re sociali, in Actione Catholica etc.

Sectio disciplinaris

1. Oportet quidem disciplinae normas esse definitas et certas; sint tamen generales, ita ut Episcopi, quibus errores et abusus inter oves serpentes propius discernere datum est et persequi, eos in Conciliis Provincialibus et Synodis, propria et singulari sententia plectere possint atque valeant.

2. *Sacerdotibus.* Utrum beneficiis paroecialibus novis modis providendum sit; itemque utrum temperanda sit aut penitus abroganda lex quae parochos facit inamovibiles.

3. *Seminarii alumnis.* Ad alumnos in Seminariis instituendos, moderatores pedagogicas tantum artes et principia sequantur, quae modis et usibus christianis congruant, reiecta nempe ea nostrae aetatis disciplina, cui nomen « autoeducatio ».

4. *Religiosis.*

a) Status religiosus quantum praestet quantaeque sit mundo utilitati nostris hisce temporibus, aequum atque bonum est ut adfirmetur; ad singulas autem congregationes et instituta quod attinet, si noviter prodeant, certis legibus severe consulendum est, ne inconsulte prodeant.

b) Ad eam vitae sanctimoniam quam dignissimus eorum status postulat excitentur religiosi, parentum leges et spiritum singulari cultu prosequentes.

c) Catholico sensu praediti atque imbuti, Ecclesiae serviant ac plenius se submittant.

d) In mansiones plurimas et loca operariis carentia, aequali et congruenti compositione distribuantur religiosi, ut Ecclesiae latius et validius deservire queant.

e) In apostolatu peragendo, Ordinariis locorum subdantur religiosi, quavis exemptione, si forte extet, abrogata.

f) Religiosorum exemptiones bene sint definitae et iis tantum circumscriptae rebus quae ad interiorem domus disciplinam et rationem pertinent.

g) Professione emissa, moniales in sua quaque domo vel alia per congruum tempus et continuum adhuc commorari libeat, ut aequa disciplina in suo munere fundendo aptius instruantur.

h) Quaestuandi licentia ulli instituto non concedatur nisi Mendicantibus, quibus utique in arctius reducta sit oportet et certa disciplina definita.

i) Religiosis sororibus quaestuandi licentia minime concedatur; neve quaevis alia instituta erigere fas sit quae, remota quaestua, stabilem et congruam dotem habere non constet.

5. *Laicis.*

a) Institutionis religiosae laicorum munus et praeceptum ut integre absolvatur commendare oportet.

Instandum est etiam ut, diebus festis praecepto satisfacere non contenti fideles, honestius se gerant sancteque vivant.

b) Vitae disciplina et probi mores in fidelibus ut reparentur urget et decet; atque turpia vitia quae miserandum in modum hodie perturbant populum christianum, expresse condamnentur.

c) Monendi sunt atque erudiendi fideles de periculis quae ex

vestium habitu inverecundo, ex foliis diurnis et libellis, ex cinematographo, ex radiophonia etc. oboriuntur quotidie et adoriuntur animas.

d) Utrum conveniat fidelibus suadere ut Communionis praecepto, paschali quidem tempore satisfaciant, quin tamen sub gravi peccet si quis alio quam Paschatis tempore sacram Communionem sumpserit.

Sectio de Magisterio

1. Utile videtur atque commodum conficere et edere catechesim quamdam ad parochos, quae, nostrae aetatis gravioribus curis respectis, summam doctrinae catholicae collectam deferat.

2. Utile quoque videtur et necessarium providere ut aberrationes quae interdum occurrunt in sacro verbo praedicando aequa condemnatione afficiantur; atque normae et disciplina instanti aetati accommodata, instituantur.

3. Recentiores artes et modos, qui boni sint, praedicandi, foveamus; adhibitis quoque iis praesentibus subsidiis quae ad veritatem communicandam adiuvare videantur.

4. Catechetica puerorum institutio instandum est ut assuetis modis experientia ratis, tradatur; neve novas rationes et formulas insequantur catechistae manifesto aberrantes.

5. Certae et praecipuae normae definiantur circa sacras missiones a laicis tantum habitas.

6. Inter varios modos et formas praedicationis, efficacissima semper se praebuerunt in aliqua pia domo ad haec accommodata Spiritualia exercitia, quae prorsus commendanda sunt atque fovenda.

7. Institutionum epitome seu rationem studiorum fundamentalem hisce nostris temporibus aptam pro Seminariis redigendam puto, ex qua unumquodque Seminarium suam particularem et propriam conficere studeat et inde sequatur.

8. Propedeuticae schola in annum constituta quasi tirocinium ad mentem christiane efformandam, et Theologiae quintus annus ad artem pastoralem praecipue effingendam, in Seminariis instituere opus est et urget, ut sacerdotes pietate, doctrina, apostolica navitate vere instructi atque exornati plenius evadant.

9. Normae fundamentales redigantur pro Directoribus spiritualibus et Confessariis in Seminariis suo munere fungentibus.

10. Facultates, in disciplinis theologicis, vel philosophicis, vel iuridicis academicos gradus extra Urbem conferentes, ut amplius et spendidius doctrina Ecclesiae collustretur studiaque sacra novo crescant incremento, restituendas utile esse putamus; hisce utique condicionibus:

ut in unam aliquam ex Pontificis Universitatibus Romanis singulae aggregentur; ut si non doctorum lauream saltem baccalaureorum gradus et licentiam conferendi iure cohonestentur; ut statuta denique Constitutioni « Deus scientiarum Dominus » accomodata obsequantur.

11. In pueris instituendis et educandis, nostra aetate nonnullae disciplinae et usus aberrantes invaluerunt qui condemnandi sunt, et principia firmanda de iure Ecclesiae in puerorum educatione, de libertate scholae, de christiana pedagogia.

12. Particulare studium et attenta vigilantia sunt impendenda ad ephemerides et libellos periodicos.

Sectio de laicatu catholico

1. Quinam sit locus et dignitas laicorum in Christi Corpore mystico « sive quoad esse sive quoad operari », normis certis et perspicuis illustrare oportet.

2. Associationes quae, quamvis in *C.I.C.* non memorentur, in Ecclesiae iure et potestate utcumque sunt, quaeque actionem quamdam sive ad apostolatum sive ad hominum societatem sive ad delectationem pertinentem, exercent, in sua natura et modis accurate definiendae sunt (*A.C.I., A.C.L.I. U.C.I.D., C.I.F.* etc.).

3. In laicorum Associationibus, illae primum locum obtinere debent, quarum praefecti et moderatores, quarum statuta atque agendi modus et forma ex ecclesiastica hierarchia immediate pendent (non est tantum nominis quaestio quam rei).

4. Ne nimis germinent laicorum Associationes, certis normis provideatur quae earum ortum atque progressum caute moderentur.

5. Magni vero momenti videtur curare ut omnes actionis socialis sectiones et formae in suo ampliore sensu acceptae (actio caritativa, actio oeconomica, actio sindacalis, actio politica), diligenti iudicio perpendantur; atque perspicuis normis consulatur earum vivendi et agendi rationi, ut quae obsint devitentur, quae vero prosint enixe foveantur.

De dissidentium fratrum unione

Ut Oecumenicum Concilium, adspirante Altissimo, vanas et praesumptas opiniones dissidentium fratrum dissolvat, eorumque animis benigne suadeat ut acrius intenti et amantes fiant verae Matris Ecclesiae, preces Deo admovendas ex imo corde promittimus, et votis exoptamus ferventibus.

Varia

1. *Missiones.*

a) Perspicuae statuantur normae quae missionalium operam apud acatholicos proponant, illustrent et suadeant.

b) Quae in quibusdam catholicis regionibus navitates inceptae sunt ad missionalium operam favendam, ut Patavii in Collegio Universitario Adspirantium Medicorum Missionalium (C.U.A.M.M.), ubi pie excoluntur atque ad christianos mores efformantur qui artem aliquam in partibus infidelium profiteantur, experiri opportunum duco.

c) Diligenter perpendatur inceptum quo, quibusdam dioecesibus, sacerdotibus instructis et oeconomicis subsidiis praeditis, locus demandatur in partibus infidelium, ut tamquam « dioecesis missio » excolatur.

2. *Congregationes Romanae.*

Inter Ecclesiasticos sunt qui, obsequenti animo, censeant mutationes quasdam in Congregationes Romanas inducendas esse, ad aequam officiorum et munerum distributionem.

Non desunt, ex. gr., qui exoptent ut uni tantum Congregationi causae beatificationis et canonizationis committantur.

3. *Beneficia ecclesiastica.*

Sunt inter Ecclesiasticos quidam qui efflagitent ut certis normis, nostrae aetati accomodatis, providatur, provideatur ad vitam oeconomicam cleri saecularis.

4. *Catechismus.*

Utrum, quo aptius catechetica institutio pueris tradatur, textus unicus conficiendus sit, qui praecipuas formulas Doctrinae Christianae colligat et preces in toto orbe catholico consuetas.

5. *De abstinentia et ieiunio.*

Sunt qui instent ut quaestio adoriatur et definiatur de ieiunii et abstinentiae lege.

6. *Emigrantes.*

Migraturis extra fines fidelibus, modis congruentibus provideatur, et normae ab Apostolica Sede traditae opportune memorentur.

Observatio generalis

E Concilii Vaticani temporibus ad haec usque nostra tempora, Sancta Mater Ecclesia humanarum rerum vicibus praesens, quaecumque ad incolumitatem faciunt et incrementa fidei morumque, tempestivis denunciavit monitis, hortamentis et legibus, in miris Summorum Pontificum et Romanarum Congregationum documentis contentis; ex quibus

Oecumenicum Concilium viventis doctrinae copiam et inexhausta argumenta abunde trahet, ad divina vera sollemniter adfirmanda, ad humanas hortationes, ad iustas leges diserte decernendas.

Propter laetitiam fructuum, quos allaturum fore Concilium largius et vehementius exopto, dum Romano Pontifici, qui Suo sapienti consilio illud voluit celebrandum, gratias ago iteratas, haec quantula ea cumque sunt desideria, Eminentissime Domine, Tibi subiicienda propono, licet indignus et impar ad tanta munera; et Sacram Purpuram, in signum venerationis, ad os refero devote.

Tibi addictissimus
✠ Hieronymus B. Bortignon
Episcopus Patavinus

165

Em.mi P. D. ERNESTI Card. RUFFINI
Archiepiscopi Panormitani (Palermo)

Prot. 37-XIV-60 Palermo, 11 febbraio 1960

Em.mo e Rev.mo Signor Mio Oss.mo,

Terminato il grandioso ed esemplare Sinodo Diocesano di Roma, oso manifestare all'Eminenza Vostra alcune proposte per gli studi preparatori del Concilio Ecumenico. Ne ho mandato copia al Santo Padre avendomi mostrato — con somma degnazione — nell'ultima udienza desiderio di averli.

Rinnovo fin d'ora il voto che la Santa Chiesa di Dio estenda sempre più la sua opera salvifica nel mondo, ancora tanto bisognoso di verità e di bene.

Con l'antico affetto Le confermo, Eminenza Rev.ma e Carissima, la mia profonda stima, anzi la mia venerazione mentre Le chiedo la carità di ricordarmi qualche volta nella Santa Messa.

Umilissimo, dev.mo, obbl.mo servitore
✠ Ernesto Card. Ruffini
Arcivescovo di Palermo

1. Estrarre dal modernismo biblico-dommatico-disciplinare, già riprovato dai Sommi Pontefici in vari documenti, gli errori principali per condannarli decisamente.

In questi ultimi tempi sono corse, anche nei libri scritti da cattolici e in alcune delle nostre scuole, teorie assai sospette e temerarie, per

non dir peggio: per es. circa l'ispirazione, la storicità e l'inerranza dei Libri Sacri ...

Richiamare la Pont. Commissione Biblica alla sua finalità originale (S. Pio X), che non è quella di promuovere ricerche o di appoggiare le nuove opinioni, anche ardite ..., ma di vigilare perchè il sacro patrimonio dei libri ispirati non venga comunque leso.

2. Chiarire bene quale sia l'autorità dei Ss. Padri nelle questioni attinenti la Fede, e quando il loro insegnamento sia da seguirsi.

3. Obbligare le Curie diocesane (almeno le Metropolitane) ad usare tempestivamente la censura per tutte le pubblicazioni locali che tocchino questioni riguardanti — direttamente o indirettamente — la Religione e la morale.

4. Costituire nella Chiesa un organismo che dirigga — per il mondo cattolico — la cultura, la stampa, la propaganda. Non basta riprovare o condannare ciò che è apertamente falso, occorre indicare quel che si deve ritenere teoricamente e quel che si deve praticare per esser conformi alla dottrina della Chiesa, tra le correnti dominanti del pensiero e dell'azione.

5. Aggiornare e coordinare le funzioni delle Sacre Congregazioni Romane. (Per es.: le Sacre Congregazioni del Concilio e la Concistoriale, questa e la Sacra Congregazione dei Religiosi).

6. Quali i diritti inalienabili della Santa Chiesa, qualunque sia la forma di governo.

7. Sanzionare i diritti della Chiesa nel campo dell'insegnamento e il compito dei Vescovi al riguardo; fissare l'obbligatorietà dell'istruzione religiosa e stabilire a chi spetti l'educazione dei fanciulli.

8. Inserire le norme minime essenziali per favorire il ritorno alla Chiesa delle cristianità separate d'Oriente.

9. Riaffermare il valore ascetico e pastorale del *celibato ecclesiastico*, onde stroncare ogni velleità contraria.

10. Regolare l'obbligo della recita del Breviario, dal quale non pochi si ritengono dispensati con grande facilità. È forse da preferire che se ne riduca il quantitativo, anzichè tollerarne frequenti trascuranze.

11. Unificare la disciplina ecclesiastica, stabilendo norme che tutti debbono seguire, salvo casi particolari a giudizio del Vescovo. Per es.: a Roma e in Sicilia c'è la sospensione per i sacerdoti che osassero entrare in cinema o in teatro, mentre a Praga e a Monaco di Baviera ho visto [1] che i preti si recano liberamente ai divertimenti pubblici.

[1] Prima dell'ultima guerra.

12. Definire quale sia la natura della vocazione sacerdotale, quali i segni e quali — in merito — i diritti del Vescovo.

13. Stabilire le norme fondamentali della formazione dei seminaristi: oggi vengono diffusi — al riguardo — sistemi errati.

14. Riservare il nome di « Seminario » — secondo la mente del Concilio di Trento — agli Istituti che preparano al sacerdozio diocesano. In alcune diocesi, oltre il Seminario diocesano, vi sono sei o sette Seminari di Ordini e Congregazioni religiose: questo fatto crea equivoci anche nel settore economico.

15. Prescrivere — nelle scuole di Teologia — l'uso della lingua latina, che è « *sermo catholicus* », come lo chiamava Pio XI. Inculcarne lo studio, sì che viva e serva anche come mezzo d'intesa tra gli ecclesiastici di differenti nazioni.

16. Definire chiaramente, in ordine alla perfezione, il valore del sacerdozio a servizio della diocesi.

17. Allargare il concetto di *parrocchia,* in corrispondenza alle nuove necessità. — Le mutate condizioni economico-sociali hanno creato delle organizzazioni stabili, che potrebbero essere reputate parrocchie. (Per es.: complessi industriali, sanitari [cliniche], villaggi speciali, ecc.) — Ridurre al minimo la inamovibilità dei parroci; oggi quasi tutte le autorità sono amovibili, a discrezione dei poteri superiori.

18. Sarebbe oltremodo utile che le diocesi venissero considerate in qualche modo intercomunicanti, per aiutarsi a vicenda, in maniera che una diocesi ricca di clero fosse tenuta a fornire sacerdoti a quelle che ne fossero considerevolmente scarse.

19. Mettere in maggiore rilievo l'autorità e la dignità del Vescovo, che — subordinatamente al Papa — è « Magister », mentre tutti gli altri constituiscono la Chiesa discente.

20. Rendere periodiche le Conferenze Episcopali nazionali, per suscitare maggior impegno nell'azione pastorale e armonia nell'esercitarla.

21. Rivedere le *esenzioni religiose,* limitandole al minimo indispensabile, e sottomettendo i Religiosi all'autorità episcopale nell'esercizio dei sacri ministeri. Per le Religiose non si dovrebbe ammettere alcuna esenzione dalla giurisdizione dell'Ordinario del luogo, salve le loro Costituzioni.

22. Le controversie che dovessero sorgere tra Religiosi, Religiose, Sodalizi, Confraternite, ecc., e il Vescovo diocesano, dovrebbero essere risolte dalla Sacra Congregazione Concistoriale e da una Commissione Cardinalizia, per un riguardo verso la Sacra Gerarchia.

23. Non è raro trovare Religiosi che non hanno mai occasione di

esercitare il voto di obbedienza: dare quindi un concetto soddisfacente dei voti religiosi.

24. I Religiosi siano tenuti a collaborare nelle diocesi dove risiedono, attenendosi alle direttive del Vescovo.

L'unione degli sforzi — riducendo le iniziative — dia origine ad attività che fioriscano e durino a vero vantaggio delle anime, massimamente nel settore della stampa.

25. L'aumento — per sè benefico — delle Congregazioni religiose e delle Organizzazioni cattoliche dà spesso occasione di lasciare in disparte il Vescovo, o di non considerarlo — praticamente — come Superiore.

26. Per le Indulgenze è auspicabile una norma che ne renda maggiormente comprensibile la distribuzione.

Vi sono piccole giaculatorie arricchite di larghe indulgenze, mentre ne sono prive — o quasi — opere di grande apostolato. Per es.: la partecipazione alle riunioni, tanto fruttuose, dell'Azione Cattolica, le beneficenze, ecc.; per l'insegnamento del Catechismo l'indulgenza dovrebbe essere maggiore.

Nella vita di S. Bernadetta Soubirous si legge che, invitata a baciare l'anello del Vescovo per guadagnare l'indulgenza annessa, rispose: « Non ho bisogno di far questo; con una piccola giaculatoria ne guadagno di più »! — Un motivo non trascurabile per le indulgenze è l'incoraggiamento a compiere opere buone, di zelo, di carità.

Le giaculatorie poi sono indulgenze senza alcuna regola.

27. Chiarire l'ambito e l'importanza della liturgia nella vita cristiana, e della preghiera personale.

28. Proibire nelle Chiese e nella liturgia tutte quelle forme d'arte che non solo contradicono alle sacre tradizioni, ma ripugnano altresì al senso comune dei fedeli.

29. Precisare che cosa s'intenda per libertà individuale, familiare e sociale; — quale sia il diritto di proprietà e i suoi limiti; — come debba essere rispettata la dignità della persona umana nei vari settori della società, specialmente nel campo del lavoro.

30. Stabilire quale sia il compito dei laici nell'apostolato e quale azione sociale sia da evitarsi dai sacerdoti, dissipando l'equivoco cui facilmente dà luogo il termine « politica ».

Oggigiorno la politica entra in tutti i settori, dove la Religione e la morale avrebbero sempre una parola da dire.

✠ Ernesto Card. Ruffini
Arcivescovo di Palermo

166

EM.MI P. D. BENEDICTI CARD. ALOISI MASELLA

Episcopi Praenestini (Palestrina)

Romae, 24 octobris 1959

E.me ac Rev.me Domine Mi Observandissime,

Ut Eminentiae Tuae Reverendissimae perhumanae invitationi faciam satis, animadversiones in adiecto folio digestas mihi visum est submissa veneratione subiicere.

Diutius immorari constitui super disciplina Sacramentorum S. Ordinis et Matrimonii, spectato eorum peculiari momento, et praesertim quia eorum firmitas nostris diebus acrius impetitur.

Super ceterorum iuris institutorum disciplinam me esse abstinendum duxi probe confisus eadem instituta consultius aptiusque ad examen revocatum ac moderatum iri in singulis SS. Congregationibus, pro sua cuiusque competentia ac navitate.

Quae dum sapienti iudicio Eminentiae Tuae submitto, manus Tuas humillime deosculatus, occasionem nanciscor me cum maximi obsequii sensibus profiteri eidem

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humil.mum atque obs.mum servum verum

✠ B. CARD. ALOISI MASELLA
Episcopus Praenestinus

I. *De sacrosanto Missae Sacrificio*

a) Fideles aptius instituantur de Sancti Sacrificii praestantia et dignitate deque salutaribus fructibus atque ritibus et caeremoniis, ut eidem maxima cum reverentia intersint.

a) Reducatur numerus Missarum quae applicari debeant « pro populo », eas contrahendo ad solos dies dominicos et festos de precepto.

II. *De catechetica institutione*

a) Spectata sat magna ignorantia religionis multorum fidelium, iniungatur clerici tum saecularibus tum religiosis ut impensius vacent institutioni religiosae, insistendo praescriptionibus pluries ad Apostolica

Sede datis et praesertim normis naviter traditis a S. Congregatione Concilii per Decretum diei 12 ianuarii 1935.

b) Inculcetur Moderatoribus Seminariorum observantia Epistolae circularis S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus diei 8 septembris 1926 « De catechetica disciplina in sacris seminariis impense excolenda » quae et methodum respicit qua christiana doctrina tradenda est.

III. *De assistentia oeconomica sacerdotibus inopia laborantibus*

In multis dioecesibus haud pauci presbyteri post longum, fidele et probatum servitium in ecclesiastico ministerio praestitum, per reliquos suae vitae annos in maxima indigentia reperiuntur et miseram vitam ducere coguntur ob inopiam rerum oeconomicarum, quae vix quidem, sufficientes sunt ad honestam sustentationem, adeo ut cum dedecore status clericalis quasi emendicare adstringuntur.

Nostris praesertim diebus ceteri omnes civium ordines fruuntur mediis idoneis ad honestam sustentationem ope institutorum vulgo « assicurazioni contro la vecchiaia e gli infortuni, pensioni, mutue di assistenza medica ». Unus reperitur clericalis coetus qui hisce necessariis adiumentis indigeat: quare urget ut et huic statui succurratur aliquo oeconomico adiumento quo postremi vitae anni hoc sub aspectu sereno animo decurrant.

IV. *Fundationes pro cultu exercendo*

Excitentur fideles ut sua stipe concurrant oeconomicis necessitatibus suarum ecclesiarum paroecialium domorum, aedificationem sacrorum aedificiorum provehant atque supelectibus quae ad divinum cultum requiruntur sufficienter instruant.

V. *Quod attinet ad Sacramenta S. Ordinationis et Matrimonii*

Sacra Ordinatio et Matrimonium duo sunt sacramenta quae ob eorum indolem socialem in futuro Concilio Oecumenico peculiarem attentionem merebuntur.

Compertum est ipsum populum fidelem valde nunc mirari quod status sacerdotalis et status coniugalis antiquitus reputati tamquam vincula gignentes perpetua et indissolubilia, nunc quadantenus relaxata videantur.

Causae contra sacram Ordinationem et causae matrimoniales quotidie multiplicantur ob maiorem forsitan spem quam proponentes nunc fo-

vent de faciliore ac feliciore earum successu. Et res eo devenisse videtur, ut etiam qui per plures annos in pacifico adimplemento obligationum sui status manserunt, experiri omnia audeant si forte ab exoso vinculo liberari contingat.

Optandum igitur est ut aliquod remedium huic malo proximum Concilium Oecumenicum afferat.

Circa Sacras Ordinationes.

a) Urgenda est executio Instructionis S. Congregationis de Sacramentis diei 27 decembris 1930 et Litterarum Circularium reservatarum eiusdem Congregationis diei 27 decembris 1955 ad Ordinarios locorum nec non Instructionis S. Congregationis De Religiosis diei 1 decembris 1931, ita ut omnes ad quos spectat, graviter onerata eorum conscientia, ea omnia quae in praedictis instructionibus habentur adamussim servare teneantur.

b) Urgenda pariter est observatio Normarum quae a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus datae sunt Moderatoribus spiritualibus et eae quae continentur in praefatis Litteris circularibus S. Congregationis de Sacramentis, eo vel magis quod in processibus adversus Sacram Ordinationem, oratores non semel Moderatorum spiritualium culpae adscribunt si iidem sacros ordines susceperunt, dum ab iisdem prohiberi arcendique debuissent. Pronum autem est hos spiritus Moderatores sese defendere nequire, ob inviolabile secretum, quo adstringuntur aut quia e vita decesserunt; proinde accidit ut vis consiliorum, quae sibi delata autumant, exaggerantur a sacrorum administris suae vocationi infidelibus et speciem quamdam eorum dictis moralis coactionis praesefert.

c) Proponitur ut causae contra S. Ordinationem non instruantur nisi ex praevia peracta inquisitione, de qua loquitur Instructio S. Congregationis de Sacramentis edita anno 1930: « Regulae servandae etc. » nuncupata, appareat spes fundata de probabili felici exitu causae. Proinde Ordinarii in suo voto non solum de probabili fundamento susceptarum precum S. Congregationem edocere debent, sed etiam de rationibus ob quas causae introductionem orator distulerit et de fundatae spei argumentis nanciscendi felicem exitum. Valde optandum est ut dispensationes a lege caelibatus sacerdotibus impertiendae ad minimum reducantur.

d) Praescripta a iure interstitia serventur, immo praestat statuere ut inter diaconatum et presbyteratum saltem sex mensium intervallum habeatur, quo tempore diaconus quae sunt sui Ordinis propria munia sub dependentia parochi vel Superioris religiosi rite exerceat.

De Matrimonio.

a) Parochi sacrique concionatores quadam cum frequentia fidelibus catholicam doctrinam de matrimonio recolent eosque inducant ad perpendendam germanam eius naturam, essentiales proprietates, egregios fines: id plurimum conferet summae aestimationi ac venerationi fovendae erga hoc « magnum Sacramentum » quod nostris diebus omnigenis conaminibus impetitur ab Ecclesiae inimicis. Ad haec improba molimina propulsanda valde praestabit observantiam urgere apostolicae Constitutionis « Casti Connubii » Pii Pp. XI.

b) Tempore congruo ante matrimonium parochi aliique sacri ministri peragant canonicas inquisitiones sponsorum ad normam can. 1020 et Instructionis S. Congregationis de Sacramentis (*A. A. S.* 1941, p. 297) ad praecavendam invalidam et illicitam nuptiarum celebrationem quae a sequentibus tribus capitibus procedere solet: ab impedimentis matrimonialibus, a vitiis consensus et a defectu canonicae formae.

Ad validitatem consensus in tuto ponendam sponsi sunt apte interrogandi si matrimonium libere et sponte ineant, si illud contrahere velint ad tramitem doctrinae catholicae, absque ulla intentione vel conditione contra matrimonium ipsum aut aliquam eius essentialem proprietatem.

c) Quaenam tantum adnotanda quoad applicationem can. 1098, qui formam matrimonii extraordinariam praescribit, cuius applicatio in quibusdam regionibus ab incommodis non paucis vacare non videtur.

d) Oporteret considerare denuo quaestionem an matrimonium admittere possit conditionem veram et propriam idest suspensivam licitam aut conditionem de praeterito vel de praesenti, et considerare etiam causas de nullitate matrimonii ob simulationem consensus.

e) Expedire videtur ut impedimenta dirimentia, quae hodie vigent, numero reducantur. Ad hunc finem forsitan aliqua impedimenta dirimentia gradus minoris reduci possent ad cathegoriam impedimentorum impedientium.

f) In iure processuali innuo tantummodo quod norma can. 1562 (peregrinus in urbe) opportune non extendatur ad causas nullitatis matrimonii ut vitentur abusus exinde procedentes.

✠ B. CARD. ALOISI MASELLA
Episcopus Praenestinus

167

Exc.mi P. D. EVASII COLLI

Archiepiscopi Episcopi Parmensis (Parma)

Parmae, 26 martii 1960

Eminentissime Domine,

Hic infrascriptus Archiepiscopus-Episcopus Parmensis venerandae epistolae ab Eminentissimo Domino Cardinali Commissionis Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici Praeside acceptae nihil omnino rescripsit ex eo quod opinabatur nullo eos singularis responsi dandi officio teneri, qui litteras a Regionis Aemilianae Episcopis simul exaratas missasque subscripsissent.[1]

Tamen, ut proprium suumque votum patefaciat, petit infrascriptus, ut quod futurum est Oecumenicum Concilium auctoritate sua Catechismum promulget, quo et ipsa fundamenta Ecclesiasticae doctrinae *de hominum societate* revocentur explanentur designanturque, et optima quaeque apte illustrentur ab Ecclesia tradita de *familia,* de *operibus impediendis suscipiendisque* de *iureque proprietatis,* nec perspicua documenta praetermittantur de Ecclesiae docentis iure muneribusque circa quaestiones definiendas de *publica nationum vita* administranda deque *nummariis rebus gerendis.*

Qui socialis Catechismus perficiat quodammodo et ad novissimas necessitates componat optamus edictum illum a Sacrosancta Tridentina Synodo *Catechismum ad Parochos.*

Eminentiae Vestrae obsequentissimum se profitetur ac

devotissimum
✠ Evasius Colli
Episcopus Parmensis

---

[1] Cf. Mutinen., pag. 383.

168

EXC.MI P. D. IOSEPHI PULLANO

Episcopi Pactensis (Patti)

Prot. N. 640-59

11 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Officium mihi est rescribere litteris Eminentiae tuae diei XVIII iunii nuper elapsae. Res quae, humili meo iudicio, in futuro Concilio, inter caetera omnia argumenta, mihi videntur pertractandae haec sunt:

1. Abrogatio inamovibilitatis parochorum (de qua in can. 454) ut Episcopi Ordinarii maiorem libertatem habeant consulendi, idoneis pastoribus, bono animarum.

2. Maiorem tribuere auctoritatem parocho super vicarios cooperatores et sacerdotes paroeciae; item rectori seminarii super praepositos et magistros; praesidi capituli super canonicos et mansionarios.

Hoc ad disciplinae magis consulendum his praesertim temporibus nimiae libertatis.

3. Cum nostris temporibus multa sint oblectamenta et animi relaxationes, imponere sacerdotibus ut quotannis vacent exercitiis spiritualibus et quotidie saltem per spatium unius quadrantis horae, sub gravi, ut pro horis canonicis, orationi mentali incumbant.

4. Aequior distributio bonorum paroeciarum sub vigilantia Officii administrationis Dioecesanae.

5. Consulere pensioni sacerdotum seniorum et adsistentiae infirmorum, omnium sacerdotum et non tantum, uti aiunt, congruatorum.

6. Loco quarti cursus philosophici instituere in seminariis quintum cursum theologicum pro praxi pastorali.

7. Postulare a religiosis ut operam dent bono animarum maiore concordia cum clero saeculari, praesertim his temporibus quibus deficientia cleri lamentatur.

Ad maiorem disciplinam promovendam et melius bono animarum providendum temperare exemptionem religiosorum.

8. Transferre ad diem vigesimam tertiam decembris ieiunium et abstinentiam vigiliae Nativitatis Domini, quia magna pars christifidelium hac die legi non satisfaciunt.

9. Facultas communicandi quacumque hora, etiam extra Missam, servata lege ieiunii nuper temperata.

10. Contrahere aliquos ritus longiores ex. gr. consecrationis ec-

clesiae, altarium, etc. ut facilius peragi possint et ad maiorem fidelium partecipationem obtinendam.

11. In missa pro sponsis, celebranti facultatem dare legendi benedictionem sponsorum lingua vulgari.

Interim gratias ago Eminentiae tuae cui, maxima cum reverentia, Sacram Purpuram osculor.

Eminentiae tuae Ill.mae ac Rev.mae
add.mus

✠ Iosephus Pullano
Episcopus Pactensis

169

Exc.mi P. D. CAROLI ALLORIO
Episcopi Papiensis (Pavia)

Prot. N. 324/60 Papiae, die 20 aprilis 1960

Declaratio praeambula

Quas nunc responsiones demum Romam mitto, scripseram quidem et paraveram iam infra limites mensis septembris elapsi anni 1959; sed eas serius et severius considerans, iudicaveram tales non esse quae mererentur Romam mitti.

Sunt etenim quamplurimi qui — probe adsueti — severioribus studiis incumbunt et quaestiones omnes ex professo tractant et consilia seu iudicia perutilia exprimunt; et hi videbantur mihi esse satis superque: et numero et virtute. Hisce perpensis, destiti, et ea quae paraveram, apud me retinui.

Nunc autem, recentibus iteratis sollicitationibus condescendens, quae iam paraveram mitto, adiiciens quasdam adnotationes, quas acceperam a Theologis bonae famae.

De meis moris et de insuffcientia mearum responsionum veniam enixe peto a charitate Vestra.

✠ Carolus Allorio
Episcopus Papiensis

Animadversiones circa quaedam doctrinae capita

Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei (*Act.* XX, 28).

Huic doctrinae sive interdum sive frequenter contradicere videntur:

1. Permultae limitationes episcopali auctoritati positae a SS. Congregationibus romanis quae ob hanc causam suos Officiales multiplicant et Episcopos quoque cogunt multiplicare suos Curiales ut negotia tractentur quae — demum — nonnisi scientia, conscientia et consilio cuiusque Episcopi solvi possunt.

Hisce negotiis accenseatur:

frequentiores causae dispensationis in 2° et 3° gradu, ad nuptias contrahendas;

concessiones facultatum pro missarum celebratione pro tempore feriato, pro tempore paschali; pro collatione beneficiorum affectorum post primum beneficium affectum, etc.

2. Concessio facta sive Religiosis, sive Curialibus, sive Adsistentibus quorumdam Coetuum, etc. etc. plurimarum facultatum specialium quas Episcopi ignorant *et quibus Ipsi non gaudent.*

Plerumque, pro usu talium facultatum, ab Episcopo loci — si commode fieri potest — requiri debet praeventivum *nihil obstat;* (sed generatim non petitur quia supponitur ...).

3. Concessio plurimarum indulgentiarum multis Familiis religiosis, multis adsociationibus, pro minimis praecibus, operibus; item pro Confessione, pro Comunione; infinitarum concessio indulgentiarum plenariarum vel partialium pro singulis festis diebus etc.

In favorem Episcopi autem — proh pudor! — in praemium adsistentiae praestitae sollemnibus pontificalibus conceditur et quidem — sollemni forma — indulgentia quinquaginta dierum (qui nunc duplicantur!) « *in forma consueta Ecclesiae* »; et pro hac gratia petuntur orationes fidelium pro Augusto Pontifice et pro Sancta Matre Ecclesia ...

4. Frequentia in unaquaque dioecesi Ordinum et Familiarum religiosarum — qui sive exempti sive non —, independentes se gerunt ab auctoritate Episcopi, et suum ministerium sacerdotale exercent et suam vitam oeconomicam adstruunt, non iam in servitium dioecesis, sed pro suo independenti iudicio, pro suo libitu, et in suam utilitatem oeconomicam.

Si sancte religiosi vivunt et operantur, dioecesi certe et animarum bono favent plurimum. Sed si aliter res se gerunt, quid de facto potest Episcopus? Facillime religiosi possunt piae plebi blandiri potius quam

obsistere: possunt eam artificiose allicere et inclinationibus quasi superstitiosis ipsius indulgere potius quam easdem corrigere.

Et si Episcopus de ipsis aliquid reprehendendum iudicat, haud raro spinas et tribulos colligit.

5. Aliud notari potest inconveniens, quando Religiosae Familiae domos promovent et regunt pro epheborum et puellarum educatione, in Scholis et Collegiis. Horum exercitium absque dubio fit valde lucrosum.

In hisce domibus ecclesiae eriguntur plerumque valde luxuosae. De die in diem, de anno in annum, sive domus, sive ecclesiae magnis expensis ampliantur, exhornantur, transformantur ...

Pecunia redundat; familia religiosa ditescit ... Nec debet nec potest Episcopus male ominari hisce familiis religiosis suae dioecesis.

Attamen liceat lamentari hanc suam sortem: Ipse enim tenetur rationem exigere uniuscuiusque vel minimae Administrationis dioecesanae et taxare quod residuum habent miserabiliores huiusmodi administrationes, pro necessitatibus dioecesis.

De grandi exercitio oeconomico horum collegiorum et harum scholarum, quae vivunt et operantur intra fines eiusdem dioecesis, nihil omnino scire, nihil exigere potest. Religiosi enim a potestate episcopali eximuntur et rationes nemini reddunt.

Unde ... saepissime decantare fas est illud S. Evangelii effatum: « *Qui habet, dabitur illi: et qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo* » (*Mc.* 4-23).

6. Insuper hoc quoque advertendum est, quoad Religiosas familias. Curam animarum directam difficulter acceptant. Tamen, si qua extraordinaria vel etiam ordinaria expensa subeunda est a religiosa familia, sive pro domo, sive pro oratorio suo, sive pro qualibet manifestatione cultus seu pietatis, stipes publice et privatim quaeritantur, foliis quoque et diariis adhibitis, immo et personis specialiter ad quaeritandum deputatis.

Et de his omnibus Episcopus nec tenetur nec potest aliquid cognoscere et iudicare, nec partem expostulare congruam, pro necessitatibus suae dioecesis.

Unde fit ut Religiosi et Religiosae persaepe suas domus augeant et sua oratoria marmoribus et praetiosis operibus ditent; dum plebs christiana, quae nunc catervatim ad margines cuiusque civitatis agglomeratur, caret ecclesia, caret oratoriis, caret omnibus, quae necessaria sunt et pro celebratione missae in festis, et pro erudienda in christiana doctrina et adsistendis rudibus seu operariis, praesertim pueris.

Dicit adhuc Apostolus: « *Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus* » (*Act.* 6-4).

Opportune hic tractari potest gravis quaestio *de vocationibus ad sacerdotium,* quas Deus suscitat, in servitium Ecclesiae suae.

Suntne sufficientes vocationes ecclesiasticae ad necessitates nostrorum temporum?

Potest disputari et de numero relativo, et de exigentiis hodiernis, et de conditionibus in quibus apostolatus sacerdotalis exerceri debet.

Sed omnes sincere tenentur confiteri hanc conditionem de facto existentem: *ingens sacerdotum numerus subtrahitur effectivo exercitio ministerii sacerdotalis.*

Si recenseatur *numerus dioecesium,* quae propter exiguitatem territorii non sunt vitales ad fines assequendos, qui hodie unicuique dioecesi assignantur, pro publica efficacia in bonum christianae reipublicae; si computentur seminaria, capitula, curiae dioecesanae, officia pro actione catholica; si recenseantur folia periodica, adsociationes cuiuscumque generis et coetera omnia, quae in unaquaque dioecesi, praeter Episcopum et suam domum, necessario exigunt praesentiam et impendunt operam personalem Sacerdotum, fateri debemus multitudinem magnam (quam dinumerare nemo potest), sacerdotum esse divino servitio vel subtractam vel coacervatam inutiliter in urbe, non iam in aedificationem Ecclesiae, sed in servitium ... mensae propriae et iam non in vineam Domini.

Pro hisce sacerdotibus, pro hisce inutilibus et vacuis seminariis, pro hisce Curiis episcopalibus, pro hisce capitulis, et pro hisce inutilibus dioecesibus insumuntur omnes reditus, qui valde rectius possent ad vitam Ecclesiae impendi. Et respublica ipsa sentit effectus horum conditionum sive in provinciis sive in sua vita totali.

Vocationes desiderantur numerosiores?

Utique: sed Deus qui in necessariis non deficit, in superfluis non abundat! Providendum est ut vocationes inserviant *corpori Ecclesiae, non membris minimis, in damnum Corporis.*

De Paschate - De Calendario Unico Universali - De praecepto paschali

1. Constat a sapientibus viris omnium pene populorum desiderari et postulari reformatio calendarii ita ut mensium, hebdomadarum et dierum numerus computentur instaurato ordine rationali et unico pro universo orbe terrarum.

Optimum foret occasionem Concilii felicissimam nancisci et arripere pro huiusmodi negotii solutione. Pro difficultatibus historicis et religiosis forsan praevalebunt utilitates, quae in hodierna vita civili ubique vindicantur.

Immo fas est sperare et dicere etiam eodem unico universali calendario facilius et opportunius omnes gentes vocari posse ad universalem unitatem, quae totis viribus et enixis praecibus imploratur ab Ecclesia Catholica.

2. *Calendarium Paschatis memoriam repetit; et Pascha memoriam petit paschalis praecepti.*

Praeceptum communionis « *intra tempus paschale* » — hisce nostris temporibus — non prodest amplius bono animarum.

Plures fideles ad communionem accedunt occasione:

a) Nativitatis Domini, quando de longinquo domum suam repetunt;

b) Occasione festi annualis Sanctorum Patronorum loci et occasione;

c) Peregrinationum ad Sanctuaria; vel occasione extraordinariae aut specialis praedicationis.

Optimum quidem est in Festo Paschatis ad sacramenta accedere.

Sed si tempore paschali ad sacram communionem fideles non accesserint, non amplius se accusant; nec se peccasse conscii sunt, nec facile suadentur de tali peccato, quia semel in anno communicant!

Pro fructuosa cura pastorali valde desiderabilius est ut numerus accurrentium ad confessionem, *occasione paschatis,* minuatur, ita ut confessio evadat fructuosior ex parte poenitentium et securior ex parte confessorum.

Occasione paschatis fere impossibile evadit quibusque parochis confessores reperire numero confitentium pares, dum in universo orbe confessores, eodem die, eisdem horis, desiderantur, et deficiunt omnino, propter solemnes functiones celebrandas; et certo certius impares sunt.

Huic rerum conditioni nullum apparet efficax et rationabile remedium. Magis *proderit summopere commendare* fidelibus, ut sponte accedant ad communionem tempore paschali, quando commemoratur passio et mors D. N. I. Christi « *qui pascha nostrum immolatus est* » et in memoriam eorundem fidelium revocare et urgere praeceptum communionis, *non quomodocunque, in die Paschatis, sed sancte et fructuose recipiendae semel saltem in anno.*

Monendi ergo per totum annum fideles, quia praeceptum *communionis urget omnes in anno.* Et hoc modo praeceptum *communionis annuae,* ante conscientiam fidelium melius et rectius componebitur cum conrelativo *praecepto « saltem annualis » confessionis.*

Quoad sensum dogmaticum festorum

Ecclesia festum Corporis Christi ad Eucharistiam publice adorandam et glorificandam instituit. Dein festum SS. Cordis adiunxit, ad Christi amorem pandendum, insinuandum et reparatoriis operibus glorificandum et perficiendum ad remissionem peccatorum et ad salutem animarum.

Fateri tamen cogimur in Christiano populo magis ac magis per haec festa insinuari permanens Christi praesentia in Tabernaculo; eius amor in Communione, et *multo rarius et multo minus* sacrificium iustitiae, oblatio munda et holocaustum pro peccatis, quod vere et perfecte renovatur in missa.

Haec doctrina evidenter patet in officio et in missa, quae S. Thomas composuit: et donavit Ecclesiae; liquet in oratione: « *Deus qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti,* etc. » et in quibusdam antiphonis; haec doctrina explicatur in officio SS. Cordis, quod ter iam mutatum fuit; sed in liturgia, quae in anno celebratur et pro populo praesentatur, nunquam apparet Christus uti in cruce adorandus est: *Sacerdos summus, aeternus, universalis,* cuius quotidie sacrificio homines indigent salvari.

Videat Sancta Mater Ecclesia, ut haec doctrina in ordinario cultu fiat evidentior et fructuosior, ita ut fideles curent et satagant Missae participare, potius et frequentius quam eucharisticae benedictioni assistere fugaciter et leviter, cum evidenti damno pietatis et rectae doctrinae circa veram Eucharistiae substantiam et valorem; nam harum benedictionum frequentia et sollemnitas Missae ipsi dignoscendae nocet et praestantiam Missae ante ignorantium fidelium oculos et conscientiam obnubilat.

Non datur efficax et rationabile remedium huic rerum conditioni: ... magis proderit summopere commendare fidelibus ut ad communionem accedant tempore paschali; et in memoriam eorum revocare et urgere praeceptum communionis non quomodocumque factae *in die paschatis,* sed Communionis sancte et fructuose receptae *saltem semel in anno*: et laudabilius *tempore paschali* quando commemoratur D. N. I. Christus qui Pascha nostrum immolatus est ...

Ita, praeceptum *communionis annuae,* melius componeretur cum conrelativo praecepto *confessionis annuae.*

De lege abstinentiae et ieiunii

Quaeritur quaenam est utilitas huius legis hisce nostris temporibus? Extra propriam domum hodie fere impossibile fit huic legi se conformare et parere.

Omnes fere homines hisce temporibus vivunt dies noctesque extra propriam domum.

Nec valet mutare diem obligationis. Quinimmo hac dierum mutatione augetur confusio conscientiarum et impossibilitas observantiae, quia hospites non obligantur praeceptis et frui possunt privilegiis et dispensationibus.

Nec consulendus est recursus *pro dispensatione*.

Dispensatio plerumque est inutilis et superflua; dispensarentur qui iam suapte conditione non tenentur ad observantiam legis. Talis dispensatio fieret causa erroris et periculum peccati formalis pro iis qui suapte conditione, iam de facto dispensati, dispensationem non provocent aut petant, et ignorent se non teneri ad legem.

Summopere *consulatur* observantia abstinentiae voluntariae, pro iis qui abstinentiam servare possunt; hoc satis erit ad bonum animarum.

Idem dicendum est de ieiunio.

Ab hisce considerationibus unicus casus eximitur feriae sextae mortis Domini.

Talis apparet opinio Sacerdotum, qui confessionis ministerio habitualiter sunt addicti.

* * *

Ad ea, quae hucusque tractaveram, haec adiungenda censeo, quae a quibusdam theologis affirmata ex ordine enucleare nequiveram.

I. *Quoad doctrinam*

Curet Concilium:

1. *Ecclesiam praesentare*:
   a) quoad suam intimam essentiam (Corpus Mysticum),
   b) quoad naturam suorum finium et suae missionis,
   c) quoad suas relationes necessarias et essentiales circa momenta omnia vitae individuae, vitae familiaris et vitae socialis (respublica, schola, oeconomia familiaris).
2. *Ecclesiam definire in sua structura essentiali*:
   a) quoad suam hierarchiam (Sacerdotium),
   b) quoad vitam religiosam eiusque munera et officia,
   c) quoad statum laicalem eiusque munera et officia.
3. Doctrinam circa matrimonium severius enuntiare et enucleare,

intuitu profundioris spiritualitatis et perfectionis in vita familiari adquirenda et fruenda.

4. Declarare amplius theologiam marianam (Mariam Conredemptricem-Mediatricem, Mariam et Ecclesiam etc.).

II. *Quoad disciplinam*

Curet insuper Concilium, quantum in humanis fieri potest:

1. Ecclesiam ita *instruere* et *organizare* ut servatis quae Christus de ipsa innuit, faveatur quam maxime unio, seu insertio Ecclesiae Orientalis: forsan administrative multa decentrando et autonomias ampliores inducendo.

2. Episcopis restituere evidentiorem ac realem functionem in suas Ecclesias; forsan fiet ut ita augeatur quoque spiritualitas sacerdotum atque laicorum.

3. *Curare* quoque ut clariores ac evangelio conformiores relationes existant inter Episcopos et religiosos exemptos.

4. *Fovere* summopere inter Sacerdotes formam vitae communis, ita ut ministerium sacerdotale collegialiter adimpleatur sive in regione, sive in dioecesi, sive in vicariatu.

Quae ratio vitae prodesset praesertim iunioribus sacerdotibus, sive quoad formationem spiritualem sive ad conservationem vocationis, sive ad efficacius exercendum ministerium sacrum.

III. *Quoad liturgiam et pastoralem scientiam*

Curet Concilium ut:

1. Codex liturgicus tandem prodeat, post revisionem liturgicam. Ad hanc curandam haec criteria servanda videntur:

a) *confirmare* intimam substantiam (scriptura et traditione),

b) *fovere* progressum doctrinarium et dogmaticum (v. gr. Mariae corredemptio in celebrationibus quadragesimali, et paschatis, etc.),

c) *fovere* formam simpliciorem hodiernis moribus et exigentiis aptatam (vulgari forma).

2. *Directorium conficere pro praedicatione,* nostris temporibus aptum, ad exemplum Concilii Tridentini, quod catechismum romanum decrevit et edidit.

3. *Catechismum* efformare vel reformare seu aptare quoad formam et quoad materiam ut efficaciter categoriae variae fidelium ad doctrinam necessario discendam iuventur.

IV. *Tractatus specialis quoad vocationes*

Curet insuper Concilium ut habeatur tractatus doctrinalis et practicus circa vocationes.

1. Omnes vocationes — quae sacerdotium respiciunt — (saeculares, regulares, missionariae) sunt quaedam divinae inspirationes quibus singuli vocati invitantur ad sequelam Christi in servitium Ecclesiae.

2. Ergo, qua tales, omnes subiici debent hierarchiae (id est Episcopis) qui singulos probant et consecrant ac in ministerium immittunt.

Ad Episcopum ergo competit de vocatione iudicium ferre; e contra Spiritualis Director potest et tenetur iudicare tantum de internis aptitudinibus.

3. Ipse Episcopus qua corresponsabilis evangelizationis totius mundi (v. « Fidei donum » Pii XII), iudex est etiam de Ecclesiae necessitatibus.

4. Nec dici debet in saeculo non esse possibile perfectionem religiosam attingere: Clerus namque saecularis — ut satis constat — attingere potest verticem sanctitatis et vitae contemplativae...

V. *Quaedam animadversiones circa iurisdictionem ad confessiones recipiendas.*

Intuitu hodiernarum conditionum vitae, in cunctis terrae, gentibus et locis, opportunum videtur iurisdictionem sacerdoti pro confessionibus ita conferre ut:

1. *Unus sit Ordinarius* (nempe *proprius cuiusque* sacerdotis) qui *sui Sacerdotis scientiam et vitam iudicet ac probet.*

2. Ita *probatus* Sacerdos valeat munus recipiendi confessiones exercere *ubicumque forte sit vocatus* — saltem in sua provincia ecclesiastica.

3. Iisdemque rationibus non amplius serventur reservationes casuum, nisi extendantur ad satis amplam regionem.

4. Si considerentur applicationis can. 522 eiusdemque interpretationes diversae et in se discrepantes et insuper ceterae facilitationes quae conceduntur, principium specialis iurisdictionis ad recipiendas confessiones monialium evacuatum dici potest et recte abolendum videtur.

5. Non amplius habetur criterium unde clare, secure et uniformiter enuntientur *opera* quae dicebantur *servilia.* Opus habent Sacertodes fideles et magistri ut Magisterium ecclesiae criterium ad iudicium ferendum clarius exprimat et patefaciat.

6. Rectius videtur solo a confessario (vel saltem a confessariis pri-

vilegiatis) dandum esse iudicium et facultatem consequenter legendi libros prohibitos: certe confessario reapse competit tale iudicium circa convenientiam talis concessionis, in singulis casibus ...

7. Certe necessaria est totalis revisio circa normas ieiunii et abstinentiae (de quo iam diximus).

8. Circa missas et circa communionis distributionem fidelibus multa rectissime iam innovata sunt: Desideratur ut quae concessa fuere guttatim, ordinentur et in codicem inscribantur clare ac quantum fieri potest definitive.

✠ Carolus Allorio
Episcopus Papiensis

170

Exc.mi P. D. ANTONII JANNUCCI
Episcopi Pinnensis-Piscariensis (Penne-Pescara)

Pescara, 5 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

In riferimento alla venerata lettera di codesta Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico, del 18 giugno 1959, prot. n. 1 C/59-1009, mi onoro rimettere alcune note che vorrei sottoporre alla benevola considerazione di Vostra Eminenza Reverendissima e degli alti Prelati competenti.

Chieggo scusa per aver ritardato l'invio di qualche giorno, a causa di alcuni strardonari impegni diocesani dell'ultimo mese.

Con i sensi di distinta stima mi confermo

di Vostra Eminenza Reverendissima
✠ Antonio Jannucci
Vescovo di Penne-Pescara

I

Riprendere il concetto della sess. III, cap. IV del Concilio Vaticano, che così si riassume:

« L'uomo con la rivelazione tende dall'umano al divino, con lo sforzo della propria mente, assistito dalla Chiesa, per la ricerca di una verità immutabile, ma suscettibile di chiarezza filosofica, storica, culturale ».

In base a questi concetti condannare i tre orientamenti della cultura moderna:

a) esistenzialismo;

b) storicismo;

c) evoluzionismo ideologico.

E precisamente:

a) contro il rifiuto della verità assoluta sia in campo naturale che in quello soprannaturale, riconfermare la universalità delle idee e la immutabilità delle essenze;

b) contro la tendenza a trasferire l'instabilità e il continuo divenire del mondo tecnico nel mondo delle idee e della verità, condannare il relativismo filosofico e teologico;

c) contro la tendenza a considerare ogni dottrina come problema ancora da risolvere, riconfermare la validità del pensiero umano a uscire dal perenne dubbio e ad accertare la verità;

d) contro la tendenza nuova di basare la teologia più sulla psicologia che sulla metafisica, più sulla storia che sulla teoria, più sul concreto che sull'astratto, più sul vitalismo che sullo schematismo, più sulla contemplazione che sulla speculazione, ribadire che lo sforzo del pensiero umano, sorretto dalla Chiesa, non è quello di porre, di manipolare, di ridimensionare la verità, ma quello di chiarire filosoficamente, storicamente, culturalmente, il dogma immutabile, per immetterlo nella circolazione del pensiero umano quale efficace scintilla del pensiero divino;

e) contro la tendenza a porre la bontà dell'opera solo nelle circostanze, ribadire che il bene e il male sono definiti simultaneamente dall'oggetto, dal fine e dalle circostanze.

II

Condannare la erronea tendenza ad attenuare il senso del peccato, specialmente del peccato originale, a sminuirne la responsabilità, ad attribuirne l'esistenza a impulsi incoercibili, a malattie ereditarie, a turbe mentali.

III

Di fronte alle tesi avversarie e al conseguente smarrimento delle coscienze, definire, in base ai principi che regolano le azioni con duplice effetto:

1) la illiceità dell'aborto, anche terapeutico, anche se legalizzato dalle leggi civili;

2) la illeiceità degli esperimenti medici, lesivi o gravemente pericolosi per la vita umana, quando non siano giustificati dal fine primario onesto;

3) la illiceità delle Rivoluzioni, quando non vi sia evidente tirannia;

4) la illiceità della corsa avventata degli autoveicoli nelle strade.

IV

Quando vi siano gravi difficoltà economiche, ambientali, sociali e fisiche precisare se sia consiglio e debba ritenersi obbligo morale grave limitare l'uso del matrimonio ai tempi « agenesiaci », qualora questi possano essere sufficientemente determinati.

V

Se l'affermazione evangelica: « *Ubi sunt duo vel tres coniuncti in nomine meo, ibi et ego sum* » (*Mt.* XVIII, 20), possa intendersi come presenza specifica, e quindi come grazia specificamente diversa:

1) nella Concelebrazione del divino Sacrificio?

2) nella Preghiera comunitaria o sociale?

VI

Definire in rapporto alle tesi marxiste e ai numerosi influssi che ne derivano alla mentalità moderna nel campo della giustizia sociale:

1) se il diritto di proprietà sia salvo, anche se si inserisse nei piccoli, medi e grandi complessi, in sostituzione della funzione sociale della proprietà, il principio della compartecipazione dello Stato in forma proporzionale;

2) se il « Quaerite primum » (*Mt.* VI, 33), debba intendersi solo priorità di importanza o anche priorità di urgenza.

VII

Riprendere in esame la dottrina del Corpo Mistico, alla luce della Enciclica di S. S. Pio XII *Mystici Corporis* del 29 giugno 1943 per precisare meglio i seguenti lati:

1) Corpus Christi mysticum quod est Ecclesia: Ergo « Unum Corpus, una Ecclesia »;

2) condannare la tendenza a considerare le interpretazioni auten-

tiche, le decisioni e le direttive della gerarchia come una « opinione », cui il cristiano « adulto » si sottomette « provvisoriamente » in attesa che la Chiesa gerarchica arrivi a comprendere i veri problemi attuali e le loro soluzioni inevitabili.

VIII

Precisare meglio le relazioni tra Chiesa e Stato.

Contro la dottrina liberale e marxista mettere in evidenza la natura della Chiesa, società perfetta, con fine, mezzi e persone propri, indipendente dallo Stato e prevalente in materia mista o contestata sull'azione di questo.

IX

Precisare meglio e inculcare contro il laicismo liberale, idealistico, esistenzialista e marxista, il campo e i limiti del magistero e della giurisdizione della Chiesa.

Il principio da porre in evidenza sarebbe il seguente: ogni attività umana, sia privata che publica, non per il lato tecnico, ma per l'aspetto dottrinale o morale è regolata dall'infallibile magistero della Chiesa.

X

Si ravvisa la necessità di istituire tre altre Congregazioni Romane:

1) una che presieda alla diffusione della verità: Catechismo, buona stampa, cinema, radio, televisione, ecc.;

2) una che presieda alle Organizzazioni cattoliche: Azione Cattolica, Terzi Ordini, ecc.;

3) una che presieda all'assistenza e alle attività sociali.

XI

Il Concilio Vaticano ha precisato le fulgide caratterestiche del Sommo Pontificato, maturando la definizione dell'infallibilità pontificia.

Il prossimo Concilio dovrebbe fermare l'attenzione sulla natura e sulle funzioni dell'Episcopato.

Particolarmente:

1) contro l'insorgere dell'autonomismo del Clero, anche nei riguardi del Vescovo, che porta a sottoporre a facile critica le decisioni dell'autorità diocesana, bisogna mettere in maggiore evidenza che l'origine divina dell'Episcopato importa, come derivante dalla stessa fonte rivelata, le qualifiche di *Maestro* (Potestà di magistero), di *Padre* (Potestà di santificazione), di *Pastore* (Potestà di giurisdizione).

Per tali considerazioni la inamovibilità dei Parroci e i concorsi canonici, come ostacoli alla pastorale, dovrebbero essere abrogati;

2) il nome di « Ordinarius » sino al presente esteso ai Vescovi residenziali e agli altri Prelati aventi giurisdizione ordinaria, si presta ad equivocazione. Esso deve essere riservato in Diocesi *soltanto* al Sommo Pontefice, al Vescovo e al suo Vicario Generale.

Nella Diocesi a nessun altro dovrebbe competere il titolo di « Ordinarius », anche se la giurisdizione ordinaria è estesa solo alle persone. I Generali e i Provinciali di Ordini e di Congregazioni religiose dovrebbero avere l'attribuzione esclusiva di Delegati della S. Sede per la sola tutela dello spirito, dei compiti interni e organizzativi, che detti Istituti si prefiggono: in dette mansioni il Vescovo non interferisce. Al Vescovo nella Diocesi, invece, compete a parità di diritto con le Chiese Diocesane la giurisdizione ordinaria incondizionata sulle Chiese regolari e sugli Oratori aperti al pubblico, tenuti dai regolari e a parità di diritto col Clero diocesano la giurisdizione ordinaria incondizionata sul Clero regolare residente in Diocesi, per quanto riguarda la vita attiva. Detta giurisdizione dovrà esercitarsi dal Vescovo tramite il Superiore locale e, in caso di sanzioni, dovrà esercitarsi « Monito Superiore maiore ».

Il concilio dovrebbe sancire il principio innovatore, atto a trasformare la natura dell'esenzione dai regolari, come lesiva ai nostri tempi dell'unità diocesana e della potestà del Vescovo e come di pregiudizio al maggior bene delle anime.

L'istituto della esenzione, nato da privilegi interni, atti a garantire lo spirito e l'ordinamento interno degli Ordini e delle Congregazioni Religiose, deve essere riportato alla originaria e modesta proporzione storica.

Il principio innovatore deve essere formulato così:

Nell'esercizio di ogni forma di apostolato il Religioso deve dipendere incondizionatamente dal Vescovo nella cui giurisdizione territoriale risiede. In ciò che concerne lo spirito e l'ordinamento interno dell'ordine o della Congregazione, il Religioso dipende dal suo superiore regolare.

La nuova edizione del Codice di Diritto Canonico dovrebbe dettare in materia le norme giuridiche determinate.

XII

Prolungare per anni, magari sino a 10, l'interstizio tra il Diaconato e il Presbiterato, a discrezione dei Vescovi.

I Diaconi potrebbero nel frattempo essere adibiti in Seminario e nelle Parrocchie in qualità di ministri del Battesimo e della Comunione,

di addetti all'Azione Catolica, al Catechismo, ai chierichetti, alle altre Organizzazioni, all'insegnamento della religione nelle scuole, all'Assistenza, all'Oratorio, all'Ufficio Parrocchiale, all'alta direzione del Culto, all'associazione dei defunti, ecc.

I vantaggi notevoli si avrebbero in una lunga prova della vocazione, specialmente in materia di castità e di doti apostoliche, non più solo nella vita di Seminario, ma nella relativa libertà e tra i numerosi pericoli della vita pastorale.

Si sa che attualmente i più gravi sbandamenti si verificano dopo due, tre anni e sino a circa dieci dall'Ordinazione Sacerdotale.

Il popolo dovrebbe sapere che i Diaconi i quali non si sentissero di accedere al Presbiterato, potrebbero ottenere facilmente le dispense dagli oneri, formarsi una famiglia, e inserirsi così nella vita civile e nell'apostolato dei laici.

Nell'interstizio dovrebbero conseguire tutti un diploma di Scuola superiore.

Il problema economico sarebbe alleviato sia sistemando i Diaconi in grandi Parrocchie, sia in piccolissime, quando il Sacerdote ne avesse due o tre contemporaneamente.

XIII

Si ravvisa la opportunità di redigere due altri Codici: uno liturgico e l'altro sociale, sia per rendere più organica e sintetica la materia, sia perchè siano di più facile consultazione.

XIV

Sarebbe molto fruttuoso per le anime rendere il S. Rosario un vero Psalterio mariano, in cui i Misteri comprendano tutta la vita del Signore e della Madonna e non solo una parte come è al presente, e siano distribuiti in numero di 5 al giorno per tutti i giorni della settimana.

I misteri dovrebbero essere perciò 35 (5 × 7).

Si dovrebbe poi inserire ogni giorno almeno in uno dei cinque misteri la lettura biblica relativa.

XV

Note sulla riforma liturgica del Breviario

I. *Osservazioni di carattere generale*

1. Le semplificazioni delle rubriche, disposte con decreto della S. C. dei Riti del 23 marzo 1955, sono molto attuali, e perciò dovrebbero es-

sere definitivamente accolte nella futura riforma del Breviario, salvo qualche modifica marginale, qui sotto indicata.

2. Sarebbe opportuno, rimanendo inalterati i doppi di I e II classe, ridurre il rito doppio dei Santi a rito semplice, ad eccezione di casi particolari, relativi specialmente alle feste del Signore e della Madonna.

3. Il rito semplice potrebbe mantenere sostanzialmente lo schema vigente, cioè i tre notturni con nove salmi e tre lezioni, le lodi, le ore minori, vespero e compieta.

4. Il rito domenicale e festivo di precetto potrebbe essere composto di un solo notturno e tre lezioni, più le lodi, le ore minori, vespero e compieta, in analogia dell'Ufficio di Pasqua e di Pentecoste.

Infatti, nella domenica e nelle feste di precetto, i Sacerdoti generalmente sono più occupati del solito nel ministero pastorale.

5. Il titolo 4, n. 12; b del Decreto S. C. dei Riti del 23 marzo 1955, potrebbe essere così semplificato:

Nelle feste di II classe e nelle feste doppie del Signore e della Madonna, a mattutino e alle lodi, Ufficio proprio e comune, *alle ore minori, ai vesperi e a compieta, salterio della feria corrente e proprio.*

Solo se i vesperi hanno le antifone proprie e la festa non gode dei primi vesperi, *a vespero e compieta i salmi saranno della domenica.*

6. Le lezioni sulla vista dei Santi dovrebbero essere più succinte e sfrondate di inesattezze storiche.

II. *Osservazioni sull'anno liturgico*

1. Dal 17 al 24 dicembre, in analogia con la settimana santa, si potrebbero introdurre ogni giorno, in preparazione al Natale, l'Ufficio e la Messa propria, di rito semplice, trasferendo ad altro tempo la festa di S. Tommaso Apostolo. Ufficio e Messa potrebbero essere intonati alle profezie messianiche specialmente di Isaia e di Daniele.

2. Ogni giorno dell'ottava di Natale potrebbe avere ufficio di un solo notturno e Messa propria, i primi due giorni di rito doppio di prima classe, gli altri di rito doppio, in analogia con le ottave di Pasqua e di Pentecoste. Ufficio e Messa sarebbero intonati al Mistero del Natale.

Le feste di S. Stefano, di S. Giovanni Evangelista, di S. Tommaso Martire e di S. Silvestro Papa si potrebbero trasferire rispettivamente al 2, 3, 4, e 5 gennaio.

Al 1 gennaio potrebbero celebrarsi unitamente le feste della Circoncisione e del SS. Nome di Gesù.

3. Sarebbe opportuno ripristinare l'ottava dell'Epifania o di rito semplice o di rito doppio con un solo notturno, durante la quale potrebbero

essere celebrate le feste dell'infanzia e della vita privata di Gesù (p. e. fuga e ritorno dall'Egitto, il ritrovamento nel tempio, la Sacra Famiglia, Gesù adolescente, Gesù operaio, Gesù nel deserto, il Battesimo di Gesù) e la festa dei SS. Innocenti.

4. In analogia con le funzioni della Purificazione, delle Ceneri, delle Palme, prima della Messa di Pentecoste si potrebbe introdurre una breve funzione liturgica per la rinnovazione delle promesse della S. Cresima.

5. La seconda parte del mese di ottobre e la prima parte del mese di novembre potrebbero essere dedicate alla celebrazione del Regno di Dio, nel seguente modo:

Penultima domenica di ottobre: festa di Cristo Re.

Ultima domenica di ottobre: festa di Maria SS. Regina.

Il 1 novembre: tutti i Santi, festa della Chiesa Trionfante.

Il 2 novembre: commemorazione dei fedeli defunti, festa della Chiesa Purgante.

La domenica successiva al 2 novembre, in sostituzione della festa della Chiesa Militante, con manifestazione di fede di tutte le forze, specialmente di Azione Cattolica.

Al 31 maggio, al posto della festa di Maria SS. Regina, si potrebbe introdurre la festa di Maria Mediatrice di tutte le grazie.

6. I doppioni, come le due feste di S. Stefano, di S. Giovanni Evangelista, di S. Giovanni Battista, delle due Cattedre di S. Pietro, potrebbero essere unificate.

III. *Osservazioni sulle Rubriche*

1. La « lectio brevis » a Prima potrebbe essere fissa con il psalterio del giorno.

2. I Responsori e i Versetti all'Invitatorio, dopo le lezioni dei Notturni, a Prima e Compieta dovrebbero essere semplificati, perchè gli attuali riguardano più l'Ufficio corale o in canto, che quello della recitazione privata.

IV. *Osservazioni sui testi liturgici*

Sarebbe necessario revisionare e semplificare, insieme al Messale e al Breviario, anche il Pontificale e il Cerimoniale dei Vescovi e il Rituale.

V. *Osservazioni sulla lingua nella liturgia*

È da tutti atteso che almeno gran parte delle preghiere liturgiche venga pronunziata in lingua volgare.

✠ Antonio Jannucci
Vescovo di Penne-Pescara

171

EXC.MI P. D. PETRI PARENTE
Archiepiscopi Perusini (Perugia)

Prot. N. 126

Perusiae, 25 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Pergratas Eminentiae Vestrae Litteras excepi, quibus, nomine Summi Pontificis f. r., meas iubeor sententias ac vota patefacere de argumentis in renuntiato proximo Concilio Oecumenico pertractandis.

At cum multae obversentur quaestiones, sive theoretici sive practici ordinis, omnia ex integro et apte redigere, et quidem correpte, non facile est negotium. Nihilominus, pro modulo meo, quae magis opportuna visa fuerint breviter exhibere nitar.

I. *In re dogmatica*

a) Contra recentes psychologicas de actu fidei theorias, quae novum quemdam fideismum instaurare contendunt, oportet rationalia fidei fundamenta revindicare, nempe certum iudicium credibilitatis signis externis innixum.

b) Contra conceptum Ecclesiae individualisticae et charismaticae (qui Lutheranismum redolet), structuram socialem hierarchicam Ecclesiae tueri, attenta Pii XII doctrina in Encyclica *Mystici Corporis.*

c) Nova contra dogmatis stabilitatem molimina reicere ac sanae evolutionis rationes et limites clare definire.

d) Munus rationis ad Dei exsistentiam e rebus creatis demonstrandam valide communire contra eos qui theodiceae cardines conquassare conantur, reiectis quinque viis S. Thomae omnique argumento indolis rationalis ac metaphysicae.

e) Integram recentem theoriam de psychologia Christi ad trutinam revocare, attenta personalitatis constitutione ontologica.

f) Satisfactio Christi vicaria, sub lumine Corporis Mystici, convalidanda.

g) De natura mediationis et corredemptionis B. Mariae V., attentis recentioribus Summorum Pontificum documentis, aliquid definiendum videtur.

h) Contra insidias et audaces aggressiones, tum historicas tum exe-

geticas, quorumdam auctorum, etiam catholicorum, doctrinam tridentinam eiusque fundamentum apud S. Paulum (*Rom.* 5) de peccati originalis transmissione recolere ac confirmare.

i) Recens symbolismum eucharisticum reicere, utpote qui in discrimine ponit realem Christi praesentiam in SS. Eucharistia.

II. *De re morali*

a) De valore absoluto principiorum moralium contra relativismum.

b) Doctrina de fine matrimonii, hodie labefactata, corroboretur.

c) Doctrina de materia et forma Sacramenti Ordinis, iuxta Constitutionem Apostolicam Pii XII, convalidetur.

d) Exoptandum est ut Concilium statuat Sacramentum Confirmationis, ordinarie, impertiendum esse adulescentibus non ante decimum aetatis annum.

III. *De re sociologica*

a) De iure proprietatis ac de eius usu et sociali functione.

b) De iure ad laborem ac de operariorum participatione in organismis industrialibus administrandis et fruendis.

c) De salario iusto ac de superfluo indigentibus impendendo.

d) Totius sociologiae christianae principia in tuto ponere et in luce contra Marxismum (materialismum historicum ac dialecticum) (cf. Decreta S. O.).

IV. *De re iuridica*

a) Religiosorum privilegia examini subicere ut coartentur.

b) Episcoporum iura ac facultates augere ac dilatare.

c) Quaestio de cultuum tolerantia resumenda ac determinanda.

d) Iura Ecclesiae, maxime ad animas lucrifaciendas et ad veram in christianos iurisdictionem exercendam, non obstante Status iure, recolenda et confirmanda sunt.

V. *In re disciplinari*

a) Seminariorum statuta ad normam recentium pontificiorum documentorum, sedulo expendenda ac, si opus fuerit, reformanda, attento disciplinae paedagogicae progressu.

b) Item methodus paedagogica in scholis et collegiis nostris sanis exigentiis hodiernis aptetur.

c) Cleri disciplina, quantum possibile est, ad unitatem redigatur.

d) Recognoscantur quaestiones de Parochorum inamovibilitate ac de Sacerdotum translatione ab una ad aliam dioecesim.

e) Diligenter expendatur gravissimum problema de coelibatu ecclesiastico et adnexis.

Haec, quae summatim tetigi, gravia apparent his qui res in suis fundamentis considerare valent et satagunt.

Sunt autem aliae quaestiones quae suum momentum habent, sed sine matura excussione exponi nequeunt.

Omnia vero quae adnotare ausus sum meliori iudicio libenter remitto.

Devota mente S. Purpuram deosculor.

Eminentiae Vestrae
addictissimus

✠ PETRUS PARENTE
Archiepiscopus Perusinus

172

EXC.MI P. D. ALOYSII C. BORROMEO
Episcopi Pisaurensis (Pesaro)

Pisauri, 6 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris die 18 iunii datis quas nuper accepi, ea qua par est submissione ac reverentia mihi rescribendum puto:

1. Videtur mihi in primis necessarium ut *futurum Concilium praestet Ecclesiae Dei contra Communismum atheum et oeconomicismum materialisticum id quod Sacra Tridentina Synodus praestitit contra protestantesimum.*

Ruinae iam latae iamque ingentes latiores procul dubio fient et ingentiores, nisi intercesserint definitiones clarae, consensus in idem omnium Pastorum, vigor disciplinae.

2. *Abstinendum censeo a declarationibus seu definitionibus quae causas dissensionum catholicos inter et protestantes aliosque dissidentes adaugeant.*

3. Declaranda seu revocanda mihi videtur doctrina de obiectivo sensu divinae revelationis, qui idem sit pro omnibus, certo cognoscibilis per magisterium ecclesiasticum, cuius officium est non tantum revelationem servare et tradere sed etiam interpretari.

Item mihi repellenda videtur doctrina eorum qui in rebus oeconomicis, socialibus, politicis, ius exclusivum vindicant laicis christianis iudicandi et docendi an leges, mores, instituta (strutture) revelationi respondeant vel non; aut quid de revelatione deducendum et immittendum sit in res sociales, oeconomicas, politicas; aut quid societas civilis in tali evolutionis momento apta sit ad recipiendum vel respuendum de divina revelatione. Quae omnia Ecclesia docere nequit utpote quae extra mutabilium rerum ordinem posita (fuori del divenire sociale).

4. *Exemptio Religiosis concessa revidenda et ex parte* saltem reformanda videtur. Quidquid sentiendum sit de singulis religionibus quatenus viam exprimunt et ostendunt ad personalem perfectionem asseclarum, cum de cultu publico exercendo agitur et de cura animarum, omnino desideratur in dioecesibus maxima uniformitas disciplinae, praesertim si Religiosi paroecias regant.

5. *Innovationes* quae ordinem librorum liturgicorum turbent, praesertim Breviarii et Missalis, *longo tantum et certo temporis intervallo fiant.* (exempli gratia 25° quoque anno - ogni 25 anni).

6. *Lex de concursu in paroeciarum provisione abroganda videtur.*

7. *Dioeceses* nimis parvae uniantur ita ut unaquaeque Dioecesis omnia habere queat quae ad vitam et ad rectam gubernationem requiruntur.

8. Non videtur relaxanda disciplina vigens de coelibatu Clericorum.

9. *Diaconi viderentur instituendi viri aetate iam provecta, qui ad Presbyteratum* non adspirent, quique utilem operam praestare queant in scholis doctrinae christianae, in operibus charitavis et adsistentialibus, in officiis Administrativis dioecesanis, in domibus episcopalibus, etc. ubi dignitas et potestas sacerdotalis non requiruntur. Huiusmodi viris non esset tamen imponendum tam longum studiorum curriculum quod eos deterreat; id quod in praesens accidit.

10. *Ordines Religiosi prohibeantur a venatione illa prope scandalosa* (ne prorsus scandalosam dicam) *puerulorum quibus scholas suas stipant;* quorum puerulorum magnam partem sponte dimittunt aliquot post menses; coeteros dimittere coguntur aliquot post annos ab ordinibus susceptis.

11. Publicae venerationi ne exponantur Sanctorum Reliquiae nisi insignes, ex ossibus vel carne. Reliquiae tam parvae quae microscopio tantum videri queant vel quae vix aut ne vix quidem a glutine distinguantur, privatae venerationi tantum relinquantur.

12. Est aliquid in processibus de canonizatione prouti nunc fiunt quod absonum videtur. Accidit enim saepe quod Promotor fidei formaliter

tantum ab Ordinario constituatur; reapse sit electus a Postulatione, cuius sit hospes et a qua etiam stipendia recipiat.

Hac procedendi ratione omnia quae causae obesse vel eius pertractationem in longum potrahere possent Postulatio vitat; at iura veritatis et causarum gravitatis non satis sarta tectaque videntur.

13. Televisivae machinae a domibus religiosis, sive virorum sive mulierum; a domibus paroecialibus et a domibus omnium Sacerdotum excludendae viderentur.

Sacram Purpuram reverenter deosculatus, Eminentiae Tuae Rev.mae me profiteor.

addictissimum in Christo Iesu
✠ ALOYSIUS CAROLUS BORROMEO
Episcopus Pisaurensis

173

EXC.MI P. D. DINI A. ROMOLI
Episcopi Pisciensis (Pescia)

Pisciae, die 20 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Veneratissimis litteris Tuis diei 18 iunii 1959 sub n. 1 C/59-1017 rescribens, peto in primis veniam ob involuntariam huiusce responsionis dilationem.

Plurimis quippe pastoralibus curis his mensibus detentus, necnon aliis gravatus laboribus, vix ad aliud attendere opus potui multoque minus in quaestiones tanti momenti, qua par est diligentia, animum intendere.

Nunc autem Tuarum litterarum summam spectans, humiliter haec mihi proponenda videntur in proximo Oecumenico Concilio tractanda:

I. *Quoad doctrinam*

a) Solemnis asseveratio et explanatio doctrinae de supremo dominio Dei Creatoris et eius mundi gubernatione, ac proinde de prioritate spiritus contra immoderatam propensionem nimium extollendi nostri temporis inventa necnon scientiae et technicae recentiores progressus, fide posthabita.

b) Expositio doctrinae de Corpore Mystico D. N. Iesu Christi, respectu habito praecipue ad problemata salutis sive infidelium sive aliorum omnium qui extra Catholicam Ecclesiam inculpabiliter versantur.

c) Propositio doctrinae catholicae de necessitudine Ecclesiam inter et Statum. Expressa et aperta damnatio marxismi, agnosticismi et laicismi.

d) Mens ac doctrina Ecclesiae de iure ad politicam libertatem pro unoquoque populo qui ad seipsum gubernandum maturitatem assecutus sit. In tanta enim gentium a coloniali iugo liberationis expectatione, in tam diris ac cruentis populorum, Africae praesertim, proeliis, peropportum apparet summum Ecclesiae Senatum prudenter suam edicere sententiam, ut in re tanti momenti, ex qua etiam tam graves pro civili societate promanant effectus, homines edoctos reddere valeat.

Optima insuper, ut mihi videtur, se praebet occasio iterum aperte declarandi plenum ad libertatem ius pro nationibus sic dictis satellitibus sive Borussiae sive Sinarum, id est pro populis illis qui sub communistarum regimine, qualibet colonialismi forma deteriore, adhuc oppressi vivunt.

Declarare, ex alia parte, qualiter doctrina Catholicae Ecclesiae non solum non exprobet, quin immo libenter approbet populorum Consociationem, dummodo hominis iura salva semper maneant, ea praesertim quae fidem in Deum veraeque religionis cultum respiciunt.

e) Summa socialis doctrinae eiusdem Ecclesiae.

Corporatorum hominum (artificum, opificum etc.) ratio seu doctrina.

f) Asseveratio explicita omnimodae certitudinis seu efficaciae asceseos christianae, contra praesertim relativismum moralem atque hedonismum, qui hodiernis hisce propagationis adiumentis, velut cinematographo, radiophonicis instrumentis, televisione etc. longe lateque divulgantur.

II. *Quoad ecclesiasticam disciplinam haec mihi proponenda videntur*

a) Revisio canonicarum ordinationum circa parochorum inamovibilitatem, non eo consilio ut iuris ecclesiastici praescriptum deleatur et parochi amovibiles reddantur « ad nutum Episcopi », sed ut aliquatenus mitigetur, ita ut cum Episcopus, pro sua conscientia, aliter providere necessarium vel tantum opportunum duxerit, hoc facilius magisque expedite fieri queat.

b) Statuere pro Diaconibus, antequam ad Presbyteratum promoveantur, aliquod temporis spatium, quo ministerium aliquod, iuxta eorum munus, exercere valeant; ad hoc praecipue ut vitetur aut saltem minuatur eorum numerus qui ab Ordine sacerdotali deficiunt.

Diaconi enim qui ad aetatem canonicam pervenerunt et ad sacrum Presbyteratum provecti sunt postquam in Seminario sine intermis-

sione iam inde a decimo vel undecimo anno fuerunt, non satis parati videntur quoad capacitatem tentationibus circa castitatem obnitendi. Ipsi, videlicet, nondum ostenderunt se agere necessaria prudentia ac debita circumspectione valere in necessitudinibus cum mundo, maxime cum personis alterius sexus; nec satis adhuc comprobarunt quaenam foret eorum agendi ratio, cum forsan a suo Praelato circa hanc materiam reprehendendi essent.

Et tamen, exceptis pathologicis casibus, de quibus hic non est sermo, quique ante Diaconatum iam soluti praesumuntur, castitatis sacerdotalis custodia his praecipue mediis innititur, praesupposito, ut facile intellegitur, divinae gratiae munere.

E Seminarii disciplina subducti ac per aliquod temporis spatium ad aliquod paroeciale ministerium vel ad alia pastoralia munera intenti, quae eos cum saecularibus personis in consuetudine ponant quibusque familiariter utì cogant, et sibimetipsis et Praelato suo indubia poterunt huiusmodi praebere testimonia.

Hoc modo certa et secura devenire posset sic dicta « conversatio probata », id est probati mores, qui a Romano Pontificali in iis qui ad sacerdotium sunt destinati requiruntur, et vocabulum « Presbyter » qui et ipsum animi maturitatem velut necessariam in illis significare videtur, eidem verius attribui poterit.

De coetero, Diaconus parocho ut minister adiunctus (parocho utique ad hoc accurate selecto) illum posset in variis paroecialibus officiis ac mansionibus adiuvare, velut: pueros catechesim docere, sacram Communionem distribuere, ab actis paroecialis Archivi munere fungi, quibusdam praesse Sodalitatibus, praesertim iuvenum, operam suam navare in nonnullis piis ac caritativis operibus etc.

III. *Quoad rem liturgicam haec magnae fore utilitatis censeo*

a) Totius Libri Pontificalis, necnon Coeremonialis emendatio et ad simpliciorem formam reductio.

b) Libri Ritualis expolitio.

c) Inductio in quorumdam Sacramentorum administrationem usus moderati ac temperati linguae vernaculae.

Interim, qua par est reverentia, Sacram Purpuram deosculans, me profiteor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimum

✠ Dinus Aloysius Romoli
Episcopus Pisciensis

174

EXC.MI P. D. ERSILII MENZANI

Archiepiscopi Ep. Placentini (Piacenza)

Piacenza, 24 marzo 1960

Rev.mo Monsignore,

In risposta alla Ven. Lettera della S. V. Rev.ma in data 21 marzo corr. mi reco a dovere di comunicare che gli Ecc.mi Ordinari della Regione Emiliana hanno deliberato di rispondere collettivamente alla Ven. Lettera dell'Em.mo Cardinale di Stato del 18 giugno u. sc. relativa al prossimo Concilio Ecumenico.

Non avendo potuto partecipare per la mia nota infermità alla riunione che — a tale scopo — è stata tenuta a Reggio Emilia il 4 settembre u. sc. ho pregato S. E. Mons. Arcivescovo Coadiutore di portare a conoscenza degli Ecc.mi Confratelli il nostro comune pensiero che fu pienamente accettato.

Aderisco quindi pienamente a quanto in quella circostanza gli Eccellentissimi Ordinari della Regione hanno deliberato e comunicato alla Ven. Commissione Antipreparatoria del Concilio.[1]

Con i più distinti ossequi

✠ ERSILIO MENZANI
Archiepiscopus Episc. Placentinus

175

EXC.MI P. D. ANTONINI CATARELLA

Episcopi Platiensis (Piazza Armerina)

Prot. N. 1022/55 6-9-1959

Litteris diei 18 iunii 1959 N. 1 C/59-1025 respondens, haec humillime propono:

1. Complere quae Concilium Vaticanum in sessione VI paravit, id est: definitionem de Ecclesiae Visibilitate; de Ecclesiasticae infallibilitatis obiecto secundario; de absoluta Ecclesiae independentia a civili potestate contra laicistas et statistas; de Corporis Christi Mystici doctrina.

---

[1] Cf. Mutinensis, pag. 383.

2. *a*) De ratione reipublicae administrandae vindicare Ecclesiae loquendi ius, tamquam si esset theologiae moralis pars.

b) Statuere regulas iudiciaque popularia et socialia de possessionibus circumscribendis, de iuribus humani operis, de reipublicae interpositione circumscribenda.

c) Instituere S. Congregationem quae regat omnem hanc actionem Catholicorum, quod attineat ad Apostolatum, ad vitae societatem, ad rem publicam administrandam.

3. *a*) Qui se parant ad matrimonium contrahendum erudiendi sint a parocho de natura et officiis ipsius sacramenti, catechismo de industria composito.

b) Constituere normam, quae apud nonnullas nationes viget, ut voluntatis assensus deficiens excipi nequeat, si pacifica cohabitatio aliquamdiu protracta fuerit.

c) Reservare Pontifici Maximo tantum impedimentum primi gradus consanguinitatis tangentis secundum in linea collaterali.

d) Abrogare feriatum tempus.

e) Preces quae ad baptismum et matrimonium, necnon orationes quae in Sacrificio pronuntiantur, patrio sermone utantur.

f) Episcopi Vicariis foraneis potestatem faciant Sacro Chrismate confirmandi necessariis temporibus.

4. *a*) Sacerdotum animi exercitia quotannis imperata sint.

b) Parochi sint ad nutum Episcopi; ut iis qui amoveantur consuli possit, instituatur tributum ex voluntariis quaestibus omnium ecclesiarum.

c) Regulares, regimine interiore excepto, sint in Episcopi potestate, qui eorum opera, ut sacerdotum saecularium, uti possit ad fidelium divinae religionis rationem; ad quod praeceptum, quantum fieri potest, Religiosae quoque subigantur.

d) Confirmare legem de ecclesiastico coelibatu; firmo necnon benevolo animo devios recuperandi rationem examinare.

✠ ANTONINUS CATARELLA
Episcopus Platiensis

176

EXC.MI P. D. GAUDENTII BINASCHI

Episcopi Pineroliensis (Pinerolo)

Pinerolo, 28-VIII-1959

Eminentissime Domine,

Acceptis debita cum reverentia litteris 1 C/59-1027 die 18 iunii 1959 datis, pergratum mihi est Tibi exprimere quae mea sint vota in ordine ad proximum Concilium Oecumenicum: ut nempe attingatur:

1. Doctrina de Corpore Mystico, de Ecclesiae unitate;
de Ecclesia et Statu, de schola libera;
de relativismo, de « ethica situationis »;
de familia, de filiorum educatione et praeservatione;
de publica moralitate.

2. Praxis de Parochorum amovibilitate;
de Religiosorum privilegiis et exemptionibus, in ordine ad curam pastoralem;
de revisione textuum liturgicorum;
de « Codice liturgico » ad obtinendam rituum uniformitatem;
de assumptione, et limitibus, linguae vulgaris in ritibus et Sacramentis;
de Clericorum sustentatione et aliquali saltem peraequatione, deminuta, quatenus fieri possit, directa administratione bonorum materialium ex parte beneficiatorum.

Et praeterea ut de finibus Dioeceseon emendandis (ubi ob populorum transpositionem id requiritur) aliquid saltem innuatur, quo facilius iniri possint de hac re tractatus, et recursus.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus

✠ GAUDENTIUS BINASCHI
Episcopus Pineroliensis

177

EXC.MI P. D. HUGONIS CAMOZZO

Archiepiscopi Pisani (Pisa)

Pisis, die 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Summae venerationis litteris datis e Civitate Vaticana die 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-1031, respondeo, gratissimi animi significationem exprimens Augusto Pontifici, qui, Concilio Oecumenico indicto, petere dignatus est opiniones et vota Excellentissimorum Episcoporum qui in Concilium ex iure vocantur, ut eorum subiecta consilia Pontificiae Commissioni Antepraeparatorie utilitati sint ad Concilii argumenta apparanda.

Itaque officium meum esse putavi tantum aliquas animadversiones, maxima cum humilitate, transmittere de his rebus quae in diuturna pastorali observatione utilia cognovi.

Interea, Sacram Purpuram osculans, peculiarem meam declaro observantiam et ex corde me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimum

✠ HUGO CAMOZZO
Archiepiscopus Pisanus

De Theologia Dogmatica

1. Communismi athei naturam certe et sollemniter definiri oportet, ita ut de quodam « christiano communismo » disputari iam non possit, cum communistarum doctrina essentialiter athea sit.

2. Rursus autem damnandus est laicismus ille francomurariorum, qui fere omnes civium primos ordines iam invasit (studiorum domicilia, Athenea Magna, nec non magistratus artes et artificia) in domesticam societatem acerrimos impetus renovans divortium propagando, nec non in scholasticam institutionem cui libertatem denegat, in Ecclesiasticam demum Auctoritatem quam ex publicis negotiis vult excludere.

De Theologia Morali

1. Severa admonitio renovanda est de gravitate coniugalis onanismi iam in Encyclica *Casti Connubii* condemnati.

2. Coërcenda summopere sunt summa nostrorum temporum pericula quae ex multis, aptis ad propagandam corruptionem, instrumentis, manant.

3. Doctrinae socialis Sanctae Ecclesiae « Summam » facere et in vulgus edere opus est.

De clericis

1. Optandum mihi videtur paroecias omnes amovibiles esse.

2. Item paroeciarum provisionem non per concursum specialem fieri, sed per periculum generale de doctrina non ante tertium a Sacra Ordinatione annum subeundum et ad Ordinarii loci prudens consilium sexto quoque anno renovandum, nisi candidatus interea paroeciale beneficium obtinuerit.

3. Omnes autem paroeciales concursus omnino abrogari mihi utile videtur.

4. Ordinario facultas, ut opinor, tribuenda est paroeciale beneficium cuilibet sacerdoti, suo prudenti iudicio, conferendi qui de doctrina, ut supra dictum est, periculo facto, probatus sit, auditis quidem synodalibus examinatoribus.

5 Ordinario etiam puto ius tribuendum esse omnes parochos, postquam amovibiles declarati sint, iusta de causa a paroeciali beneficio removendi, cum tamen provisum sit congrue parochi dimissi sustentationi.

6. Ipsi facultas concedenda est, ut mihi videtur, parochum ab una eiusdem Dioecesis paroecia ad aliam transferendi, tantum prudenti ipsius consilio, auditis maxime examinatoribus.

7. Quod si quinque et sexaginta vel septuaginta annos expleverit, simplici decreto, sine ulla iudicii forma, a paroecia dimitti possit, postquam eius victui necessario cautum sit.

8. Item ius, mea sententia, tollendum est, parochis nunc reservatum, Viaticum et Extremam Unctionem ad infirmos deferendi.

9. Numquam vero, ut opinor, parochus negare debet gratuito Christianae Doctrinae in primariis scholis institutionem pueris tradere, ubi hoc ministerium concessum sit.

11. Ordinarius autem, audito Capitulo, quemlibet sacerdotem debitis cum honoribus suo munere solvere possit in quacumque Dioecesi, quolibet sacerdotali munere functum, postquam quadraginta vel quinquaginta sacerdotii annos exegerit.

De Sacramentis

1. Quod ad patrinos Baptismi et Confirmationis attinet, ut adhibeantur mihi videtur suadendum esse, non vero iubendum.

2. Confirmatio autem, si mortis periculum adsit, non solum a parocho, sed a quolibet sacerdote qui ad visendum infirmum occurrerit, conferri possit.

3. Quod ad poenitentiam attinet, reservationem peccatorum omnino tollendam esse opinor, cum iam in desuetudine sit.

4. Aetas autem canonica ut quis licite Presbyteratum recipere possit, ad vigesimum tertium annum reducatur.

5. Item in Sacris Ordinationibus temporum interstitia prudenti Episcopi consilio, meo iudicio, componenda et statuenda sunt.

6. Titulum autem patrimonii aut pensionis aut etiam beneficii in Sacris Ordinationibus puto abrogandum esse. Unus titulus servitii dioecesis aut missionis servari poterit.

7. Ordinationes in sacris quolibet die dominico aut festo de praecepto haberi possint, nulla etiam gravi causa intervenienti.

8. De Matrimonio haec mihi expedire videntur:

a) omnia gradus minoris impedimenta abrogentur;

b) dispensatio super impedimentum « mixtae religionis » a locorum ordinariis, quin opus sit ad Sanctam Sedem recurrere, concedi possit.

De abstinentia et ieiunio

Tota abstinentiae et ieiunii disciplina, duobus bellis gravissimis plagis vulnerata, novis legibus atque institutis et corrigenda et emendanda est.

De Cultu Divino

1. Parti Tertiae *Codicis Iuris Canonici quae* « De Cultu Divino » inscribitur, titulus specialis adiungatur: « De Cantu et Musica Sacra ».

2. Properanda est, ut videtur, Breviarii Romani et Missalis emendatio certa et definita.

3. Contra res novas autem quae ad arbitrium in sacris ceremoniis et in liturgicum sermonem experimenti nomine inductae sunt, cum cultus unitati et disciplinae detrimentum afferant, magna severitate utendum est.

4. Item reliquiarum cultus moderari oportet prohibendo quominus reliquiae, quas dicunt, B. M. Virginis, exponantur.

5. Pontificales vero coerimoniae praesertim Missa Chrismatis feria quinta in Coena Domini, ut puto, expediendae sunt.

De disciplina

1. Hoc summopere inculcandum est ut fideles plene oboediant Summae Ecclesiae auctoritati, etiam in rebus ad Fidei et morum disciplinam

non pertinentibus, Augustum Pontificem profitentes revera non solum infallibilem (inerrantem) Religionis interpretem in veritate definienda, sed et christianae familiae pastorem et communem magistrum ad totius Ecclesiae gubernacula cotidie moderanda.

2. Item utile valde puto Oecumenicum Concilium maxima sua auctoritate clericos graviter monere ut debitam reverentiam et oboedientiam eorum Episcopis praebeant.

3. Expedit, humili meo iudicio, ut Episcopi per ephemeridem statutis temporibus, certiores fiant a superiori auctoritate de maioris momenti quaestionibus necnon de erroribus qui oriri possunt; nam eorum notitia Episcopos iuvare in dioecesis regimine valde potest.

4. Item librorum prohibitorum Index renovetur, partem veterem a nova secernendo; nuntium in actis diurnis ponatur quomodo iustis de causis adhuc quaedam scripta prohibenda sint ut prohibitionis apud vulgus aequa existimatio fiat ita ut librorum censura inconsultarum oppugnationum impetum sustineat.

5. Tunicae talaris usum apud latinas nationes a clericis servari valde mihi optandum est.

6. Item optandum est cuiusvis dioecesis clericos, post aliquot a sacris ordinibus annos, ad pastorale ministerium, pro temporum necessitate, accuratius et perfectius institui.

7. Definiri et statui oportet quomodo religiosorum ministerium in dioecesibus inserendum et componendum sit distincteque fines certos designari terminosque exemptionis ab Ordinarii iurisdictione.

8. Legatorum piorum leges, ad novam rerum condicionem compositae, expediantur.

9. Convenit ut confessariis facultas concedatur poenitentes dispensandi, iustis de causis, ab ieiunio et abstinentia.

10. Elenchus Ecclesiae praeceptorum ad novas horum temporum condiciones componendus et perficiendus est.

11. Gravem quaestionem de clericis suspensis a divinis sine die aut apostatis, peculiari modo examinari oportet.

12. Examinanda autem est possibilitas ut sacerdotale ministerium adiuvetur ab iis qui parati sint in Ordine Diaconatus manere, iis condicionibus quas Sancta Ecclesia posuerit.

Humiliter sentio solutionem huius quaestionis affirmative peragi, debitis cautionibus, posse.

13. Emendari videtur beneficiorum administratio ut, quantum fieri potest, inter clericos stridentia discrimina tollantur.

14. Novum catecheseos textum patrui sermonis, emendatum et ad nova tempora accommodatum, in lucem edi optandum est.

De iudiciis

Testes atque partes in actionibus processualibus unum tantum ius iurandum emittere teneantur ante aut post interrogationes, non vero semel atque iterum.

De poenis ecclesiasticis

Numerus reducatur delictorum quae excommunicationem secumferunt.

Facultates autem quinquennales Episcopis, beneficii gratiaeque causa concessae, ex Codicis iure concedantur.

✠ HUGO CAMOZZO
Archiepiscopus Pisanus

178

EXC.MI P. D. MARII LONGO DORNI
Episcopi Pistoriensis (Pistoia)

Pistoia, 4 settembre 1959

In risposta alla pregiata N. 1 C/59-1032, invio l'allegata mia esposizione di alcuni argomenti e voti che mi pare, modestamente, opportuno siano trattati nel prossimo Concilio Ecumenico.

Ho solo fatto accenni e mi scuso della brevità e della modestia delle mie proposte.

Protesto la mia piena adesione alla santa iniziativa del S. Padre per il Concilio e mi tengo a disposizione nella mia pochezza per dare la mia opera.

Accompagno con fervide preghiere l'attività di codesta Commissione e della Eminenza Vostra Rev.ma e con sensi di profonda venerazione mi dico

della Eminenza Vostra Reverendissima
ossequientissimo

✠ MARIO LONGO DORNI
Vescovo di Pistoia

I. *De re dogmatica*

1. Definiatur et vindicetur natura spiritualis hominis eiusque finis transcendens, aeternus, supernaturalis; conficiatur aliqualis « Summa et professio fidei » cui titulus conveniat « Anthropologia Christiana ».

Nam hodie maxime serpentes errores sunt de homine: ita

a) materialismus atheus aut technologicus;

b) existentialismus qui hominem sine vero et sine spe derelinquit et cum anxietate damnat ut « stipulam ante faciem venti » scilicet viribus caecis et fatis inhumanis;

c) errantia systemata de re sociali ex falsa notione de homine oriuntur et ex negatis iuribus personae humanae;

d) nova inventa et scientiae progressus rationem vitae mutant, sed ultra et supra haec bona, finis et ratio hominis sunt;

e) huic fini transcendenti subordinentur et ut media acceptari poterunt et debent res et bona, scientia et ars, progressus et novitates, quae cum oeconomia divina et salute hominum aptari poterunt, scilicet actualis civilis ratio et propriae cuiusque gentis ingenium et vita;

f) causae bellorum et iniustitiae inter populos vel membra societatis ita fugari poterunt et fundamenta pacis in veritate et caritate instaurari.

2. Damnetur negatio ordinis supernaturalis qui aperte vel per aequivoca verba obscuratur vel reicitur;

a) Laicismus, immanentiae innixus errore, exaltat solum et unice rationes et modos (valori) terrenos, storicos, humanos, psychicos et scientificos;

b) novus pelagianismus, sc. naturismus negat peccatum et redemptionem a Deo et propugnat redemptionem hominis ex suis viribus tantum et naturalem;

c) storicismus et syncretismus agnosticus negant revelationem et transcendentiam religionis christianae;

d) quoddam studium psychologiae repellit studium theologiae et confundit vel ignorat sensum verborum et rerum.

3. Vindicetur doctrina de Ecclesia, de sacra Hierarchia, nam:

a) errores patent quibus religio ut factum individuum dicitur;

b) quaedam forma i. d. democratica laicis tribuit nimia iura et falsa;

c) facile a quibusdam Ecclesia damnatur ut causa malorum, schismatum et iniustitiae socialis aut reicitur eius auctoritas et actio in rerum humanarum gestione et vitae socialis cursu dirigendo.

4. Definiatur veritas de peculiari cooperatione Mariae Virginis in Redemptione hominum cum Christo et per Christum, scl. de *Maria Corredemptrice* et *Gratiarum Mediatrice*. Videtur enim veritas mature perpensa et universaliter accepta et quodammodo stricte adnexa iam

definitis dogmatibus de M. Immaculata et Assumpta; insuper bene apta videtur ad illustrandam naturam hominis eiusque nobilissimi finis ex Redemptione et gratia accepti.

II. *De Re Morali*

1. Definiatur existentia, natura, vis et extensio legis moralis, aeternae, divinae et damnetur duplex error scilicet sive negatio legis sive negatio cognitionis huius legis:

a) ex philosophis recentibus per scriptores fabularum vel dramatum in mores publicos descendit systema autonomiae actionis humanae, voluntatis et ita studium vivendi pro modulo suo vel ad rationem utilitatis et voluptatis propriae;

b) docent vitam esse extra et supra rationem boni et mali; omnis legis expertem et contemptorem modum exaltant, etiam violentum et obscenum, dummodo audacem et personalem electionem contineat;

c) omnem scientiam et regulam morum destruunt et peccatum ut puerilem fucum despiciunt, eius malitiam negando;

d) quod etiam aequivalenter faciunt qui docent « morale della situazione » ita dictam, scl. reponendo in subiectivo et omnino personali iudicio ultimam regulam actionis et vitae, absque regula obiectiva.

2. Illustretur et clare proponatur quaedam « Summa actualis » circa officia, iura, obligationes, regulas de variis speciebus actuum humanorum, scl. quam vocant « morale professionale »; de qua plura et mira Pius XII praecepta et regulas dedit, occasione data; nam circumstantiae hodiernae vitae quaestiones excitant et responsa clara et secura postulant in rebus gerendis.

III. *De re Sacramentaria et liturgica*

1. Praecipue declaratur doctrina de duplici natura Ecclesiae scl. de elemento mystico et hierarchico, interno et exteriore, cum notis sanctitatis et universalitatis etc. et defendatur primatus vitae interioris et spiritualis et orationis et sacramentorum;

a) nam ex rerum adiunctis Ecclesia etiam de publicis et externis muneribus temporibus his operam et curam impendere debuit suam; periculum adest sese terrenis rebus praecipue dare;

b) etiam in mediis apostolatus quidam nimis fidere videntur viribus technicis et externis, ut pecunia, ludi, sapiens societas et ars bene ordinandi maxime videntur;

c) itaque cognitio sacramentorum et participatio sacrae actioni

liturgicae diffundantur ut fideles vitam gratiae aestiment et alant, cultum Dei foveant.

2. Sacra Auctoritas Concilii perficiat et compleat quae optime Pius XII ordinavit et concessit ad innovandam rem sacramentariam et liturgicam, ad fovendum novum motum circa res divinas ex parte fidelium;

a) iuris communis pro tota Ecclesia fiant privilegia concessa aliquibus gentibus et locis, ita verbi gratia Rituales bilingues, latino et vulgari sermone exarati ad intellegentiam fidelium pro rebus iis spectantibus; ita etiam pars didactica et catechetica S. Sacrificii Missae aliquo modo fidelium captui adaptetur;

b) de minoribus ordinibus et de Subdiaconatu et Diaconatu disciplina melius studio subiiciatur ut hodiernis adiunctis aptetur ad incrementum servitii Ecclesiae, servatis servandis;

c) In simpliciorem modum reddantur caeremoniae pontificales quae ob varietatem nimis interrumpere et extendere videntur actiones sacras, cum damno interioris orationis et attentionis; ita v. gr. ritus de consecratione Ecclesiarum, Missae Pontificales etc.

IV. *De re oeconomica et disciplinari*

1. Instauretur Codex Iuris canonici et renovetur ad normam constitutionum et legum successive editarum.

2. Auctoritas Romani Pontificis firmetur et unitas Ecclesiae intime defendatur; attamen cum varietate gentium et circumstantiarum quae hodie maxime crevit ob temporis progressus, consonet maior auctoritas Episcoporum qui non ut simplices executores fiant, sed ut successores Apostolorum vere et illico dioeceseos administrent et peculiaribus necessitatibus obveniant.

Auctis itaque facultatibus Ordinariorum in legibus condendis vel dispensandis, per onus referendi et per inspectionem hodie faciliorem, servetur unitas.

3. Dies festus de praecepto et dominicae extendantur quoad Missae obligationem, ad vesperas sabbati, ita ut facilius fideles adimpleant praeceptum Missae et catechesis.

4. Disciplina paenitentialis reformetur quoad abstinentiam et ieiunium; nam vel studiorum vel operae causa plurimi fideles domum et sedem relinquunt, itinera adgrediuntur, cibos extra domum in mensis communibus vel cauponibus, ita ut valde ardua et pene impossibilis evadit observatio legis ecclesiasticae, quae in destructionem vertit et occasionem peccati.

5. Gestio oeconomica ecclesiastica simplicior fiat:

a) pia legata reformentur et reducantur, saltem, si aliquo modo non substituantur ex thesauro Ecclesiae; nam onera saepius fiunt importabilia ob redituum deminutionem, eorum administratio exigit tempus, personas, errores causat, dubia conscientiae creat, omissiones et anxietates; exactio redituum saepe odia provocat, onerosas inquisitiones importat et frequentes recursus ad reductiones petendas; saepe res incertae manent;

b) limitibus brevibus acceptentur et Episcopi polleant facultate sanandi ad consulendum conscientiae;

c) census et livelli et alii reditus huiusmodi ex antiquis modis hodie reducantur, quia odium excitant, rerum actionem impediunt.

6. Reformetur exemptio religiosorum.

✠ MARIUS LONGO DORNI
Episcopus Pistoriensis

179

EXC.MI P. D. FRIDERICI PEZZULLO
Episcopi Policastrensis (Policastro)

21-VIII-1959

Eminentissime Ecclesiae Princeps,

Honori et sollicitudini mihi est responsum dare epistolae, quae e civitate Vaticana, die 18 iunii volventis anni, n. I C/59-1040, ad me missa est.

His praesentibus litteris fere summatim exposui res et argumenta, quae mihi videntur tractari posse in futuro Concilio Oecumenico.

Osculo Sacrae Purpurae Eminentiae Tuae Reverendissimae provolutus, maximo cum obsequio me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum

✠ FRIDERICUS PEZZULLO
Episcopus Policastrensis

I. Quoad Doctrinam

a) *De Re Dogmatica.*

1. Divulganda doctrina de *Mystico Corpore Christi* (*Mystici Corporis*) et de eius unitate, ut fideles suam dignitatem aestimare discant et mutua charitate inter se diligantur.

2. Explananda doctrina de *liturgia* (*Mediator Dei*), ut populus ritibus sacris et praesertim divino sacrificio maiore intelligentia et sollertia adsit, et uberiorem utilitatem spiritualem ex ipsis percipiat.

3. Censeo confirmandam esse damnationem errorum, qui vulgo dicuntur « Comunismo, Materialismo ateo », necnon doctrinarum, quae appellantur « Naturalismo, Laicismo, Esistenzialismo ateo ».

b) *De Re Morali.*

1. De doctrina, quae dicitur « relativismus moralis », quam censeo esse damnandam.

2. De moribus familiae, praecipue quoad tabem latissime diffusam onanismi.

3. De moribus personarum, quae varia vitae genera profitentur (vulgo « morale professionale »).

4. De moribus civium communitatis (vulgo « morale sociale »).

5. De periculis, quae praebent publica spectacula, id est: « cinema, televisione, radio », necnon ludi, qui ad animum relaxandum diriguntur (vulgo « sport »), et ephemerides obscenae, quae singulatim ab adolescentibus et iuvenibus morbosa curiositate leguntur.

6. Firmissime asseveranda et laudanda spiritualis virtutum pulchritudo, praesertim castitatis, secundum praecepta et consilia Evangelii.

c) *De Re « Sociali ».*

1. Censeo opportunum esse summarium Ecclesiae doctrinae, quae civium convictum respicit (vulgo « dottrina sociale della Chiesa »).

2. Puto non negligendas esse quaestiones, quae pertinent ad bonum oeconomicum personarum, quae officiis et muneribus variis vacant (vulgo « Movimenti sindacali ») et ad rei publicae administrationem (vulgo « Movimenti politici »).

II. Quoad disciplinam

1. Abroganda lex de inamovibilitate Parochorum: ut, ad nutum Episcopi, ob rationabilem causam, pro bono animarum Parochi transferri possint ad aliam paroeciam, vel, si indigni, beneficio privari, sine iudicis ecclesiastici sententia.

2. Quoad sacerdotes, qui nullo beneficio gaudent: ut, mutato Ordinationis titulo, praevio consensu Ordinarii proprii, nihil obstet quominus aliquis sacerdos transferri possit ad aliam dioecesim, maxime si in sua dioecesi, propter sacerdotum abundantiam, nullum officium peculiare exercebat.

3. De relationibus inter Episcopos et Sacras Congregationes Romanas: censeo posse concedi Ordinariis locorum facultatem dispensandi saltem ab impedimentis minoris gradus, necnon permittendi trinationem divini sacrificii, in diebus festivis de praecepto, onerata ipsorum conscientia, quando hoc requiratur ob sacerdotum penuriam et bonum animarum.

Praeterea, in Dioecesi mihi commissa (et hoc accidit in aliis dioecesibus, quibus non est sacerdotum numerus sufficiens) unus parochus duas paroecias curare debet; est in votis, ut ipsi concedatur facultas iterandi Missam etiam in diebus ferialibus, ut fideles utriusque paroeciae eucharisticam pietatem fovere et ministerio parochi frui possint, uti iam pro plurimis Sororum Communitatibus concessum est, etiam in urbibus magnis, a S. Congregatione de Sacramentorum disciplina.

4. De Clero Regulari: Sacerdotes Cleri Regularis sint semper subditi Ordinariis, in iis, quae ad regimen animarum et ministeria sacra exercenda pertinent; exempti sint solummodo quoad regulam internam suae Congregationis. Ordinarii locorum sacerdotes Cleri regularis non negligant, immo ipsos adhibeant in muneribus sacerdotalibus et pastoralibus, in singulis paroeciis et in dioecesis servitio.

5. Plene confirmanda lex de coelibatus obligatione, quae incipit a suscepta Subdiaconatus Ordinatione, et de habitu clericali servando ab iis, qui Presbyteratus ordinem sunt promoti.

6. De sacerdotibus, qui a sacerdotio defecerunt vel ad statum saecularem reducti sunt a Sede Apostolica: censeo non esse relinquendos, sed adiuvandos, ut resurgere possint, si velint, vel saltem, si coniugium inierint, ut ad sacramentum Eucharistiae accedere valeant, remoto scandalo, sub conditione simul vivendi tamquam frater et soror.

7. De sacerdotibus, qui nondum maturitatem attigerunt, in re spirituali adiuvandis, ne forte dispergantur, sed ut sacerdotium vivere valeant exemplaribus moribus et pietate ferventi.

8. De magis aequa distributione beneficiorum ecclesiasticorum in dioecesibus, in quibus possibilis est.

9. De providentiis oeconomicis pro Clero Italico, qui in magna versatur indigentia.

10. Statuenda praxis communis in administranda Confirmatione et Prima Communione pueris.

11. Statuenda lex communis de ieiunio et abstinentia, sine disparitate vel discrepantia, in omnibus dioecesibus.

12. De Legatis Missarum: cum redditus annuus Legatorum sit valde exiguus (e. g. minor libellis mille), censeo posse concedi Ordinariis locorum, pro ipsorum arbitrio et conscientia, facultatem eos cumulandi vel commutandi in pium opus.

III. Quoad Liturgiam

1. Est in votis revisio et simplificatio:

a) Pontificalis et Cerimonialis pro Episcopis, ut breviores formulae et preces adhibeantur in consecrandis Ecclesiis et altaribus;

b) Breviarii: ut psalmi ad Matutinum sint semper novem continui, cum tribus Lectionibus;

c) Ritualis Romani: ut dentur sacerdotibus aliquae facultates, usque adhuc reservatae Episcopis;

d) Missalis: ut adhibeatur nova interpretatio latina e textibus primigeniis, Pii Pp. XII auctoritate edita, in Introitu, in Graduali et Tractu, in Offertorio et Communio.

2. Praeterea, mihi videtur opportunum tres *Ave Maria* et *Salve Regina,* post Missae celebrationem, recitari lingua italica, et omitti, cum sacerdos infra Missam verbum Dei praedicaverit.

IV. Quoad praxim pastoralem

1. Normae statuendae, quae tractent de laicis in Ecclesia et eorum cooperatione cum Ecclesiae ministris in apostolatu exercendo.

2. De Actione Catholica: singulis parochis cordi sit, ut qui huic militiae sacrae nomen dederint, exemplum bonorum operum praebeant, sive in doctrinae catholicae studio, sive in christiana vita ducenda, excellentiore prae ceteris fidelibus.

3. Maxima cura adhibeatur a parochis, ut pueros et adultos erudiant in doctrina christiana: optabilis, si possibile est, textus unicus catechismi pro Italica natione.

✠ Fridericus Pezzullo
Episcopus Policastrensis

180

Exc.mi P. D. IOSEPHI FENOCCHIO

Episcopi Apuani (Pontremoli)

Apuae, die quarta novembris 1959

Dioecesis Apuanae Episcopus, Sacerdotes, christicolae Summo Pontifici ob opportune nuper indictum non sine aliquo divino instinctu Concilium gratias habent, quod ut felicissime ad exitum adducatur, novos favores velut ex quodam superno fonte derivet, maiores in dies vires ac sollertiam dominici corpori gregis praebeat efficiatque ut dissidentes ad unicum tandem velint remeare Pastorem, Deo fervidas adhibere preces non desinunt.

Inter illa, quae vel in futuro possint concilio, commode tractari vel in *Codice Iuris Canonici* reformando perpendi, ea mihi, summopere observanti, proponenda videntur:

1. B. Virgo dogmate definiatur omnium conciliatrix gratiarum. Hisce enim superioribus annis quae ad Christi Matrem studia spectant ea incrementa ceperunt, tam miri prorsus ex Mariae Virginis cultu ac veneratione in christicolarum vitam moresque fructus dimanant, ut nemo sit qui hoc dogma sanciendum esse, quod sit plurimum christianae plebi profuturum non censeat.

2. In christianae doctrinae praeceptis tradendis illud dilucide pateat in bonoque lumine ponatur, sacra Confirmatione christianos et ad ingenium religioni congruens conformari et in vitae consociationem produci; pueros igitur ea aetate iniungendos censemus, cum coelesti sint primum dape refecti, omneque christianae doctrinae curriculum emensi, quod fere fit post institutionem puerilem nec ultra mediae, quae dicitur, scholae terminum. Cuius si rei ratio habeatur, et alia utilia proveniant et religionis dogmata altius explorentur luculentisque percipiantur.

3. Nostris saepenumero diebus de sacris a compluribus simul sacerdotibus peragendis agitur, praesertim frequenti sacerdotum conveniente coetu. Non absurdum id perscrutari videtur, possitne, pro Episcopi conscientia, mera, quam dicunt, « concelebratio » ea lege concedi, ut praesul praesideat certique sint ritus constituti.

4. Firmo stabilique sacrae Dapis praecepto manente Paschatis sumendae tempore, ob intimam vitae christianae et Paschatis cohaerentiam, altero postulamus ut praecepto christianorum populus eucharistico pascatur cibo, vel nati tempore Christi vel quo Sancti Omnes coluntur et

defuncti christicolae pie commemorantur. Nam cum crebriore divinae mensae consuetudine facilius explicari, tum hisce temporibus, quibus et religio et vitae mores insidiis tentantur, nova lex expostulari videtur.

5. Vigente caelibatus norma sacrorum imposita administris, dubitant nonnulli, an opportune ea lex laxetur, dummodo numquam, qui privilegium hoc poscat, ad laicorum ordinem in perpetuum non deducatur.

Hac enim putant ratione et melioribus notis maioreque auctoritate sacris addictos praestare posset et periculum amoveri, ne in dies saepius ad id delabantur, quod sanctimonialibus evenire videmus.

In re tam gravi quid ipse sentiam promere vereor.

6. Cuiusque dioecesis sacerdotes arctius vitae societate copulentur, ea ratione ut, permissa in fidem atque potestatem episcopi facultate vitam, si res postulet, singularem agendi, sacerdotes tamen, sublata causa, vitae communionem amplecti agereque cogantur.

7. Norma mihi abolenda videtur, quae per pericula publica sacerdotibus curionum tituli assignari soleant, uni episcopo eligendi quos ipse statuerit arbitrio concesso, id tamen post trium Synodalium examinatorum duorumque curionum consultorum suffragium, consultandi tantum causa, latum.

8. Mihi item abolenda videtur norma, qua beneficiarii titulis amoveri non possunt: satis enim superque eius tutelae consultum est, cum episcopus, consultandi scilicet ratione, suffragium exquirere cogatur trium examinatorum Synodalium ac duorum curionum consultorum, si quis vel transferatur vel titulo amoveatur.

9. Episcoporum, qui dioecesibus praesunt, aetatem LXXV annorum modo, curionum LXX terminandam esse dixerim, ita tamen ut neuter dignitatis gradus, neque episcopus neque curio trigesimum annum egredi possit, eoque elapso titulus vacans renuntietur.

10. Quae vis sit requietis per dies festos habendae diligenter perpendatur, quae, ad nostram usque aetatem manuum labore contenta, cum novis vitae moribus atque institutis adaequanda ita videtur, ut homines, potius quam ab una corporis defatigatione, ab iis in primis, quae quaestuosa sunt, revocentur.

11. Cum ieiunii atque abstinentiae praeceptum ea sit nostris temporibus perscriptione prolatum, ut minus in dies apud ipsos religiosos christicolas posse videatur, pervestigandum diligentius censemus, ut, id quod plebis potissimum christianae vita moresque postulant, ea continentiae forma vitaeque asperitas proscribantur, quae nostrae respondeant aetati.

12. Magna nonnullae dioeceses sollicitudine afficiuntur ob pecu-

niam sacris faciendis antiquitus legatam, cuius cum de vi oneris tum etiam de reditu summopere titubatur. Peropportunum itaque videtur bonis omnibus usque ad exitum XIX saeculi legatis mederi, singulis demandato episcopis munere exiguum in posterum onus definiendi.

Perpetuitatem ipsam legatorum iterum pensandam censemus, quippe cum, nostra quidem sententia, commodius ad vitae rerumque usum legata certo tempore, quo elapso intercidant, terminentur.

13. Dioeceseon italicarum et fines et amplitudo retractentur atque corrigantur; ordinare enim multas dioeceses atque componere, locorum angustiis perspectis, perdifficile animadvertimus. Quae si ea amplitudine donentur, qua singulis satis et hominum suppeditetur et opum et instrumenti, insigni procul dubio navitate augeantur et viribus.

Utile denique quis esse neget fines, tam absone definitos atque absurde, corrigere?

14. Hoc est postremum in omnium votis, ut et in Italia titulorum proventus aequentur et reditus.

✠ IOSEPH FENOCCHIO
Episcopus Apuanus

181

EXC.MI P. D. AUGUSTI BERTAZZONI

Archiepiscopi Episc. Potentini et Marsicensis
(Potenza e Marsico)

1 septembris 1959

His inclusis responsiones remitto, iuxta petita istius Pont. Commissionis litteris sub die 18 iunii 1959 exaratis de re in S. Concilio Oecumenico tractanda.

Omni qua par est reverentia cuncta bona ominans, me profiteor

Add.mum in Domino
✠ AUGUSTUS BERTAZZONI
Archiepiscopus Episcopus Potentinus et Marsicensis

De re dogmatica

1. In Concilio tractetur de Ecclesia, sive ut invisibili Mystico Corpore Christi, sive ut ordinata per hierarchiam. Tractentur quaestiones de disciplina clericorum et christifidelium ut sentiant omnes cum Ec-

clesia docente; de actione catholica, de laicorum officiis, de relationibus inter Ecclesiam et rei publicae gubernationem.

Damnentur doctrinae de idealismo, de modernismo, de existentialismo, de materialismo logico et historico, de evolutionismo integrali.

Plura inveniuntur in Litteris Encyclicis Summorum Pontificum a Leone XIII ad Pium XII.

2. Ex modernismi erroribus novissimis temporibus nonnullae promanarunt falsae sententiae quae praesertim inter clericos serpunt maximumque periculum praeseferunt; decernat constituatque Concilium verum intra fines reducens.

3. Patres Conciliares hodiernas erratas doctrinas, quae circa Ecclesiae auctoritatem serpunt condemnent, et doctrinam sanam proponant, tum de natura hierarchiae tum de relationibus inter hierarchiam et Christifideles.

4. Sollemni et infallibili proclamatione definiant Patres Conciliares dogma de munere B. M. V. divinae gratiae universalis Mediatricis.

5. Pro voto denique commendatur ut S. Concilium de singulari S. Ioseph sanctitate disceptet, utpote qui iam inde a sinu matris omni labe actuali deliberata vel semideliberata immunis exstiterit.

De re morali

1. Cum progressu scientiarum ingenti novae doctrinae ad rem moralem spectantes exortae sint et plurima instrumenta inventa sint, de quorum usu disceptant varieque sentiunt moralistae, a Patribus Concilii petimus ut de veritate, liceitate, liceitatis condicionibus et adiunctis decernant.

De re et iure canonico

1. Peropportunum est Concilium Oecumenicum spirituales poenas Codice statutas ad pauciorem numerum reducere, iuxta mutatas temporum circumstantias, ut efficaciores reddantur necnon faciliores in applicatione. Multae etenim poenae, praesertim latae sententiae, ob diversas causas — sc. inadvertentia vel ignorantia confessoris — irritae fiunt.

2. Quod vero ad canonicam matrimoniorum disciplinam attinet auspicamur ut largiores facultates Ordinariis locorum concedantur, praesertim dispensandi super impedimenta minoris gradus ordinaria potestate ob rationabiles causas, necnon instituendi Delegatum Episcopalem qui delegatione generali delegari possit matrimoniis assistendi, quique alios subdelegare possit.

3. De disciplina clericorum demum ordinanda decernant Patres largiores Episcopis facultates in regimine Dioeceseon remitti.

4) Extendatur, salva plenitudine Potestatis Romani Pontificis, omnibus omnino clericis quodam beneficio fruentibus obligatio canonis 1473, nulla tolerata exceptione.

5. De communicatione et cooperatione cum acatholicis disciplina canonica hodiernis condicionibus moderetur et aptetur.

✠ Augustus Bertazzoni
Archiepiscopus Episc. Potentinus et Marsicensis

182

Exc.mi P. D. PETRI FIORDELLI
Episcopi Pratensis (Prato)

D. Prati, die 25 octobris 1959

Beatissime Pater,

Cum Sanctitas Tua paterno animo rogaverit consilia et vota Episcoporum circa res et argumenta, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari valeant, haec argumenta humiliter proponerem:

1) ea quae in Encyclica *Mystici Corporis Christi* et praesertim eas veritates, quae omnium christifidelium unitati in una catholica Ecclesia favent;

2) ea quae matrimonii sacramentum respiciunt, praesertim eiusdem sanctitatem, excelsum finem supernaturalem, locum quem tenet in mystico corpore Christi, quod est Ecclesia;

3) naturam, sublimitatem, et necessitatem vocationis ecclesiasticae, religiosae, et, in genere, ad statum perfectionis;

4) naturam, qualitates, munera sacerdotii catholici, cum sollemni confirmatione ex parte omnium Episcoporum de sanctissima ecclesiastici coelibatus disciplina;

5) ea, quae respiciunt mediationem B. M. Virginis matris Christi et omnium nostrum, aliaque capita maximi momenti doctrinae marianae;

6) sollemnem confirmationem doctrinae spiritualisticae in genere et sollemnem novam damnationem materialismi in genere;

7) damnationem naturalismi et laicismi in genere, uti consectarium doctrinae revelatae de fine supernaturali hominis a Christo re-

dempti deque vocatione omnium hominum ad finem supernaturalem et ad sanctitatem;

8) expolitiorem tractationem de doctrina sociali christiana.

Circa disciplinam haec argumenta proponerem:

1) ut omnes parochi declarentur amovibiles;

2) ne quidquam praetermittatur ad rationem aliquam inveniendam ut dioeceses, quae clero, abundant, reliquis dioecesibus et praesertim exteris Missionibus auxilium pro viribus praestent;

3) ut revisioni subiiciantur omnes libri liturgici;

4) ut media parentur ad maxime fovendam perseverantiam et formationem asceticam sacerdotum, praesertim iuniorum.

Beatissime Pater: ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, maximas gratias ago, etiam omnium meorum sacerdotum et fidelium nomine, pro felicissimo huius Concilii nuntio; devotas orationes pro fructuoso eiusdem exitu promitto; et tandem me profiteor.

Add.mum in Christo
✠ PETRUS FIORDELLI
Episcopus Pratensis

183

EXC.MI P. D. FRANCISCI PENNISI
Episcopi Ragusiensis (Ragusa)

Eminenza Reverendissima,

In risposta alla veneratissima del giorno 18 giugno 1959 prot. n. 1 C/59-1090 umilio le proposte per il prossimo Concilio Ecumenico, annunziato da S. S. Giovanni XXIII felicemente regnante, che tante speranze ha suscitato in tutta la Chiesa Cattolica.

Parecchie di queste proposte saranno forse ingenue o sproporzionate alla grandezza di un Concilio Ecumenico; tuttavia noi, con molta semplicità le abbiamo esposte, perchè fosse completo il nostro pensiero.

Con l'espressione della più profonda venerazione e con la assicurazione delle preghiere di questa giovane e religiosa Diocesi per la riuscita del Concilio Ecumenico, mentre imploro la Pastorale Benedizione, al bacio del S. Anello, mi protesto.

dell'Eminenza Vostra Ill.ma e Rev.ma
Devotissimo
✠ FRANCESCO PENNISI
Vescovo di Ragusa

QUAESTIONES MORALES

I. *Mendacium, secretum, restrictio mentalis*

Doctrina quae conciliare desiderat secreti observantiam arcendo mendacium ope restrictionis mentalis est emendanda quia videtur teoretice difficilis et in praxi Christifideles nesciunt ea uti.

Forsitan resolvitur satius quaestio quadam diversa definitione, v. g. « Oratio contra mentem secreti non defensiva ».

II. *Servilia opera*

Superata videtur notio quae respicit ad « servile opus » quia clare non elucit definitio operum vitandorum ad festos dies celebrandos.

Satius est illa vetari opera quae festi finem decipiant, qui est: quies, doctrina animae ornamentum, obsequium Dei.

III. *Ecclesiae praecepta*

Quoniam duo praecepta: « Subvenire necessitatibus ecclesiae etc. » et « Prohibitum tempus » ad nuptias celebrandas, in praesenti parvi existimantur a fidelibus et quasi nullius momenti, desideratur ut alia praecepta eliciantur ad haec tempora magis adherentia, ut: « Officium ornandi animum ad noscendam divinam religionem », etc.

ECCLESIAE INSTITUTIONES

1. Dioecesium fines ut in praesenti apparent, sunt emendandi.

2. Instituatur aetas (seu numerus annorum) praeter quam episcopus vel parochus et quisquis habet curam animarum, munus detinere minime possit.

3. Non desunt Dioeceses quae plurimos habent sacerdotes, dum aliae vero omnino privantur. Aequabilior partitio esset magis utilis et efficax, etiam in regionibus infidelium et in ceteris nationibus.

4. Saepius plurimi sacerdotes praeter necessitatem in collegiis degunt, dum e contra sunt latissimae paroeciae cum paucis sacerdotibus; opportunum videtur ut sacerdotes collegiis addicti quam qui pauci sint, demandando, v. g. doctrinam rerum naturalium laicis magistris catholicis, et destinando ceteros curis animarum.

5. Praecepta ac leges de religiosorum exemptione excutienda ac omnino sunt innovanda: nam cura animarum est nunc commissa episcopis,

qui sacerdotibus carent, et sacerdotibus saecularibus qui pauci sunt et muneri apostolico impares.

6. Omnes administrationes bonorum temporalium sunt colligendae in unum officium dioecesanum, quod apte ac diligenter curet nummos aeque inter omnes distribuendos et onera custodiendorum rerum Ecclesiae spectantium, subveniendi necessitatibus religionis et sacerdotum.

7. Parochorum inamovibilitas est abolenda.

8. Perpendatur gravissimus casus clericorum in sacris, qui lapsi sint: leges ut nunc habentur ad finem ineptae sunt, quinimmo inutiles illos ac inertes faciunt.

9. Modus consideretur utilior et aptior ut novicii sacerdotes sensim ad pastoralem vitam immittantur: et hos transire ignaros vetetur ex genere vitae distincto ad vitam moderationis expertem.

10. Sacrae Congregationes Romanae non tantum inspiciant, sed, quantum potest, concitent atque curent studia, colloquia, certamina, et editiones librorum, saltem ad illa quae pertinent ad S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

11. Ordinarii locorum habeant ampliores facultates, praesertim de his quae Apostolica Sedes solet ipsis concedere ad septennium, ad quinquennium, ad triennium etc.

12. In unum cogantur coetum collegia, sodalicia et piae societates ad evitandas reduplicationes, flagitiosa certamina, perniciosissimas evitandas reduplicationes, flagitiosa certamina, perniciosissimas fracturas. Vestes religiosorum et religiosarum semplificentur quam maxime ut ad praesentia tempora sint magis aptae.

Sodalitates catholicae ordinentur: redigendo in unum omnes coetus qui eundem finem habeant; vel saltem sint sub uno regimine.

Abolendae vel radicitus reformandae illae quae nominantur « Confraternitates », excepto quod in can. 711, § 2 dicitur.

Sacramenta

1. Confirmationis Sacramentum conferatur tantummodo his, qui in spem inducunt ut sint integri Cristifideles et milites D. N. I. C.: id est, aetatem habeant illam ad doctrinam quae inducant ab bonam spem confirmatos futuros esse bonos milites Christi.

Corrigatur mens quod Confirmationis Sacramentum necessarium sit ad matrimonium contrahendum: quare indiscriminatim indoctis et incredulis impertitur. Ad mala maiora vitanda patrini abolentur et in Baptismatis et in Confirmationis Sacramento: nam eorum praesentia quasi pro forma habetur.

2. Leges ad contrahendum matrimonium in graves inducunt difficultates cum nubendi producere debent documenta quae fidem faciant sui liberi status. Modus inspiciatur ut haec documenta facilius obtineantur.

3. Numeris computetur annorum praeter quem illicitum sit inire causam ad obtinendam sententiam de nullitate matrimonii ob defectum consensus.

4. Scholae sint in unaquaque paroecia quae doctrinam christianam necessariam nubendis impertiant.

5. Ex integro innoventur leges quae pertinent ad causas sollicitationis; in praesentiis enim ponunt confessarium tali in discrimine ut impossibile sit omnis ratio quae defendat ac declaret suam innocentiam, et ipse saepius manet sub arbitrio accusatorum et sub malevolentia monitorum.

APOSTOLATUS

1. Subsidia ac rationes excogitentur ut praedicationes sacrae sint efficaciores, magis idoneae ad docendum ac propriores menti fidelium.

2. Necesse est ut institutiones ad religionem cognoscendam et in paroeciis et in scholis efficaciores evadant et magni habeantur.

3. Oportet ut liber docendi doctrinam christianam sit unus, utilis scholis paroecialibus, sodaliciis catholicis etc.

3. Pro infidelium regionibus hortamur ut praeparentur et mittantur, una cum praedicatoribus fidei et virginibus sacratis, medici, architecti, technici catholici in scholis idoneis praeparati.

5. Inspiciatur et altius perscrutetur quaestio de apostasia opificum coetus a Sancta Catholica Apostolica Religione.

CODIFICATIONES

1. Codificatio principiorum moralium Decretorum S. Officii desideratur.

2. Pariter desideratur codificatio Decretorum Sacrorum Rituum Congregationis.

✠ FRANCISCUS PENNISI
Episcopus Ragusiensis

184

EXC.MI P. D. AEMILII BARONCELLI

Episcopi Recinetensis-Lauretani (Recanati-Loreto)

Prot. n. 11452 - Posiz. n. 13 Recanati, 26 agosto 1959

Eminentissime Domine,

Gratissimum mihi ad Tuas rescribere Ven. Litteras e Civitate Vaticana diei 18 iunii 1959, Prot. n. 1 C/59-1100 de futuro Concilio Oecumenico a Summo Pontifice Ioanne XXIII fel. regn. indicto.

Animadversiones meas invenies in folio huic epistulae adnexo (Alleg. unicum). Illas cum omni libertate et sinceritate proposui, usus etiam consilio virorum ecclesiasticorum peritorum, omni discreta ratione et reservatione.

Ad osculum Purpureae vestis provolutus, omnia fausta Tibi adprecans, me profiteor

Eminentiae Tuae
in Domino addictissimum

✠ AEMILIUS BARONCELLI
Episcopus Recinetensis-Lauretanus

1. Doctrina Corporis Mystici Christi maius habeat momentum in expositione et praecisatione dogmatica.

2. De relationibus Ecclesiam inter et Statum plane notiones declarentur, necnon conceptus de « tolleranza » ut dicitur.

3. Damnatio Communismi materialistici et athei necnon systematis existentialismi athei.

4. Ut promissio oboedientiae quae in susceptione Presbyteratus Ordinis emittitur, in votum, religione stringens, mutetur.

5. Delucide et uno tenore doctrina socialis Ecclesiae declaretur.

6. Ut exemptio Religiosorum in ordine ad ministerium abrogetur.

7. Ut translatio clericorum ab una ad aliam Dioecesim facilis reddatur etiam cum tituli Ordinationis variatione.

8. Relationes inter Episcopos et Romanas Congregationes magnopere expediantur.

9. Revisio finium Dioecesium iuxta geographicam positionem fiat.

10. Ut officium et beneficium cuiuscumque gradus perpetua non sint.

11. Radicitus recognoscatur beneficiaria administratio ut inter Sacerdotes aequa fiat distributio bonorum redituumque.

12. Lex abstinentiae tantum ad feriam sextam Adventus, Quadragesimae et quatuor Temporum reducatur.

13. Ut Liturgia ad simpliciorem formam redigatur, omnibus expurgata elementis supervacaneis.

14. Revisio Breviarii: unicus nocturnus stylistice et historice emendatus fiat.

15. Sacerdotes omnes Kalendario Ecclesiae Universalis exarato utantur, una exceptione facta pro Officio Patroni Principalis uniuscuiusque Dioecesis.

16. Administratio Sacramentorum maiore ex parte caeremoniarum in lingua vulgari fiat.

17. Natura, momentum et officia Actionis Catholicae declarentur.

18. Fines inter Ecclesiam et actionem doctrinamque politicam sectae catholicae (partiti politici) ad removenda aequivoca et pericula determinentur.

19. Scholae a Sede Apostolica dependentes foveantur atque adiuventur, consulendo maxime docentium dignitati.

20. Instructio catechetica adultorum modis nostro tempori aptis magis magisque foveatur.

✠ AEMILIUS BARONCELLI
Episcopus Recinetensis-Lauretanus

185

EXC.MI P. D. IOANNIS FERRO
Archiepiscopi Rheginensis, Ep. Bovensis
(Reggio Calabria e Bova)

19 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Ob gratissimum nuntium Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico gratias plurimas ago tibi, atque consilia quae a me humanissime quaeris humiliter expono.

A) *In doctrina catholica tradenda* alumnis Seminariorum ac Christifidelibus haec censeo esse retinenda:

1. Expungantur notae polemicae. Amor veritatis nunquam excludat amorem errantium.

2. Studio S. Scripturae ac theologiae asceticae magis est incumbendum, iuxta sensum Ecclesiae.

3. Mira doctrina Ecclesiae de re sociali clarius ac fusius exponenda videtur.

B) *Ut unum sint*:

1. Fraterna caritas in omnibus intendatur.

2. Clerici in dioecesi solum ad servitium dioecesis ordinentur et « dioecesani » appellentur (non « saeculares »).

3. Religiosorum exemptio plena servanda est in eorumdem interno regimine, in institutione novitiorum ac clericorum iuxta Constitutiones; non autem in sacro ministerio exercendo pro Christifidelibus.

C) *Disciplina Cleri*:

1. Vita communis promovenda, praesertim ubi extant vicinae parvae paroeciae.

2. Exercitia spiritualia quotannis vel alternis annis peragantur.

3. Inamovibilitas parochorum videtur tollenda.

D) *Administratio bonorum temporalium*:

1. In administrandis bonis Ecclesiae prorsus arceantur consanguinei et affines beneficiarii.

2. Adsociationes pro Clero infirmo vel inhabili et quae « assicurazioni et pensioni » dicuntur, in Ecclesia absque dependentia — quoad fieri potest — a civili potestate constituantur.

Preces assiduas effundam una cum Clero ac populo huius Archidioeceseos ac Dioeceseos Bovensis ad gratiam obtinendam Sancti Spiritus et maximam reverentiam Tibi profiteor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus

✠ Ioannes Ferro
Archiepiscopus Rheginensis, Episcopus Bovensis

186

Exc.mi P. D. BENIAMINI SOCCHE

Episcopi Regiensis in Aemilia (Reggio Emilia)

Regio Lepidi in Transfiguratione Domini nostri I. C., 1959

Em.mo Principi Dominico Card. Tardini plurimam in Domino salutem.

Si vales bene est, ego quidem valeo. Quod ad me scripsisti (cf. litt. prot. 1 C/59-1104), videlicet Augustum Pontificem, quem Deus sospitet, sententias Episcoporum cognoscere ac consilia colligere valde desiderare, haec Tibi de argumentis Concilii Oecumenici causa apparandis referre mihi videtur.

Ad quaedam doctrinae capita quod primum attinet, ego quidem hoc potissimum *sentio Iesu Christi primatum et absolutum et universalem plane definire iuxta S. Pauli apostoli ad Colossenses* (I et II), et ad *Ephesios* (I et III) necnon et summi Angelici Doctoris haec duo excerpta: « De ipso restat dicendum quod quidem inter divina opera maxime rationem excedit: nihil enim mirabilius excogitari potest divinitus factum quam quod verus Deus Dei Filius fieret homo verus. Et quia inter omnia mirabilissimum est, consequitur quod ad huius maxime mirabilis fidem omnia alia mirabilia ordinentur, cum id quod est in unoquoque genere maximum causa aliorum esse videatur » (*Summa contra Gent.* IV, 27). « Ut ergo evangelista hanc singularem plenitudinem redundantiae et efficientiae de Christo ostenderet dicit: De plenitudine eius omnes nos accepimus; scilicet omnes apostoli, patriarchae et prophetae et iusti qui fuerunt, sunt et erunt, et etiam omnes angeli. Nota quod haec propositio *de* aliquando quidem denotat efficientiam, seu originalem causam, sicut cum dicitur: *radius est vel procedit a sole;* et hoc modo denotat in Christo efficientiam gratiae seu auctoritatem; quia plenitudo gratiae quae est in Christo causa omnium gratiarum quae sunt in omnibus intellectualibus creaturis » (in *Io.* I, 16). Ex quo innuitur Iesum Christum esse caput etiam Angelorum cum participes sint *Corporis Mystici, cuius* ipse est caput. Huius veritatis definitio, prout sentio, secum allatura est Christi triumphum, quod S. Ioannes, super immanissimum monstrum (lege communismum) una cum triumpho Romae christianae.

Non minoris est momenti, ex Patrum Apostolicorum traditione, additis Summ. Pontificum (a Pio IX ad Pium XII f. r.) litteris encyclicis,

Beatae Deiparae et conredemptionem et mediationem publice sancire supremo Ecclesiae magisterio.

De erroribus contra fidem autem ut agam, sine ulla cunctatione affirmo communismi doctrinam et actionem simul cum aliis omne genus simulationibus sub quibus se palam ostendit, cui respondendum aperte sicut Cerintho rogitanti: « recognosco primogenitum diaboli », cum se profiteatur agnum, at est intus lupus rapax, stirpitus reiiciendum et anathematizandum esse eadem vi qua Concilium Tridentinum Protestantium sectam et haeresim suis fortibus telis confregit, ne forte denuo, prout S. Athanasii temporibus, si licet S. Hieronymi verbis uti, « totus orbis ingemiscat et se esse Arianum miretur ». Faveas mihi, quaeso a Te ut proximi Concilii Patres et Doctores admoneas rem enimvero postulare hoc temporis recurrendum esse « ad illud extremum atque ultimum senatus consultum (videant consules ne quid respublica detrimenti capiat) ». Nunquam enim antea, mea equidem sententia, quandoquidem ab assuetis non fit passio itemque consuetudo omnia exaequat, haeresim id genus minus horruit res publica Christiana aeque ac in illa silva « selvaggia ed aspra e forte » primae beluae occursum antea vehementer tremuit Dantes Aligherius, quem deinde pedetemptim metu exuit « di quella fera alla gaietta pelle — l'ora del tempo e la dolce stagione » ; aliis verbis hinc quod vulgo dicitur « l'offensiva del sorriso », inde Italicum illud « il diavolo non è poi così brutto come lo si dipinge », in hoc, mi Carissime, in hoc « mala bestia » nos decipit et fallit. Ostendans, amabo Te, periculum, ne quid, quod Deus avertat, insanabile contingat, si « dormiunt multi ».

Si extra fidem intendo mentem, item censeo, quod ad Ordinarii potestatem spectat, eundem posse parochorum remotionem minus difficulter peragere, cum nempe ex informata conscientia id aut bonum animarum aut institui rectoris indignitas admoneat, Concilium statuere oportere, nisi forte satius illi rei provideat *Codicis Iuris Canonici* adaequatio mox exsequenda.

Ut deinde veniam ad alias res, illud addere possum quod tempus nostrum una cum periculis quae secum affert contra sacerdotum « a mundo servatione » solidius in iisdem praesidium requirit sive vitae methodo sive nobilium exemplorum auxilio sive etiam pietatis actibus; proinde:

a) videant Patres si *aliqua vita communis saltem ad minimum reducta* inter parochos statuenda expediat, ubinam fieri possit;

b) Martyrum acta, historico tamen fundamento probata, ad fortitudinem reficiendam, melius est in Breviario Romano restituere in omnibus festorum classibus, simplicibus non exceptis, saltem cum lectione contracta;

c) praestat sacerdotibus praesertim in cura animarum, tum *exercitia spiritualia quotannis* tum mensilem recessum sub gravi praecipere.

Denique, cum plerumque matrimonii celebratio, apud nos haud dubie, si diebus festis et matutinis horis fiat, plurimum ordinariae animarum curae officiat complurium Episcoporum et mea est sententia Concilii Patres illud opportune auferre offendiculum.

In omnibus nimirum, ut brevi rem praecidam, Tu, eminentissime mi, plenius intelligis quam exhibeo; finem igitur scribendi facio omnia Tibi bona peramanter cupiens et optans in amplexu Domini. Vale.[1]

Sum Tibi addictissimus
✠ BENIAMINUS SOCCHE
Episcopus Regiensis in Aemilia

187

EXC.MI P. D. RAPHAELIS BARATTA
Episcopi Reatini (Rieti)

Reate, 28 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Receptis ab Eminentia Tua litteris debitam responsionem dando, haec pauca in oecumenico Concilio pertractanda humiliter propono:

quod ad doctrinam attinet, opportunum existimo in s. synodo doctrinam de B. M. Virginis mediatione enucleare et definire;

quod ad praxim: *a*) privilegium exemptionis quo Religiosis fruuntur ita mitigare ut Ordinarii locorum Religiosorum sacerdotali ministerio libere uti valeant iuxta christiani populi necessitates;

b) Institutum iuridicum Beneficiorum ecclesiasticorum, maxime cum cura animarum, penitus abrogare; et novam disciplinam instituere qua clerici — salvis congruis aemolumentis unicuique officio proportionatis — nullo iure immobilitatem in suo officio vindicare valeant;

c) christifidelium officia erga civilem societatem enucleare et urgere.

Reverenter et humiliter Sacram Tuam Purpuram deosculor et me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ RAPHAEL BARATTA
Episcopus Reatinus

[1] Cf. etiam Mutinensem, pag. 383.

188

Exc.mi P. D. AEMILII BIANCHERI
Episcopi Ariminensis (Rimini)

Pridie nonas sept. 1959

I. *De religiosa vita populi christiani*

1. Cum haec nostra aetas naturalismi afflatu penitus inficiatur, quo fere unice vis atque momentum tribuitur hominum actuositati, eorum dexteritati in inceptis moliendis ordinandisque, ac generatim rebus omnibus quae ad naturalem ordinem pertinent, necesse imprimis omnino est ut christifideles ad supernaturalem agendi sentiendique rationem efficaciter revocentur.

Quod quidem postulare videtur, ut clericorum institutio in Seminariis tradenda itemque catechesis fidelibus impertienda opportune renoventur, magisque nostris temporibus respondeat. Peculiarique modo opportunum est, ut sacrorum dogmatum explicatio atque traditio ad pastoralis ministerii necessitates accomodetur.

2. Opportunae normae exoptantur, quae christiana ratione regant ac moderentur peculiares quosdam nostrae aetatis status ac condiciones. Exemplo sint oblectamenta ad populum recreandum destinata, gimnica exercitia, vivendi ratio ac spectaculorum actoribus servanda, medica ars et cetera eiusmodi.

3. Ad christiani coniugii sanctitatem restaurandam, cavendum est ut a supernaturalibus gratiae auxiliis atque subsidiis, potius quam ab humanis adminiculis remedia quaerantur.

4. Curandum est, ut in universis humanae navitatis campis sacra dignitas personae semper prae oculis sit, eademque maxima qua par est aestimatione habeatur.

5. De socialibus quaestionibus, quae hodie maximum momentum habent, definitae normae ac legum quasi codex edantur.

II. *De apostolatu ac vita liturgica*

1. Cum clerus hodie nimis occupationibus distineatur, opportunum prorsus est ut, officiis ac muneribus stricte sacerdotalibus clero reservatis, alia plura officia ac ministeria in quibus sacerdotes magnam virium et temporis partem impendunt, laicis viris committantur qui iis obeundis sint idonei riteque instruantur.

2. Variae divini cultus celebrationes id efficiant, ut paroecialis vita quam maxime promoveatur.

3. Opera danda est ut fideles conscio modo sacram liturgiam participent.

4. Necesse est ut sacramentorum susceptionem accuratior praeparatio praecedat, quae quidem christifidelium aetati congrua sit eosque adducat ad debitam religiosam institutionem sibi comparandam et ad probe cognoscenda onera et officia, quae e susceptis sacramentis derivant.

5. Liturgici ritus, ac praesertim Officii Divini recitatio, ad simpliciorem formam redigantur.

6. Lex de abstinentia et ieiunio aliis poenitentiae operibus substituatur.

7. Prorogetur tempus utile ad implendum praeceptum de S. Communione paschali tempore recipienda.

8. Abrogetur quintum generale Ecclesiae praeceptum, quartum vero magis perspicue declaretur ac definiatur.

III. *De disciplina ecclesiastica*

1. In votis est, ut ampliores facultates a Sacris Congregationibus ad locorum Ordinarios transferantur.

2. Expedit ut Ordinarii locorum maiore polleant auctoritate erga clerum sibi subditum. Huc spectant beneficiorum collationes, interventus cum agitur de urgenda disciplina ecclesiastica, ac praesertim omne genus inamovibilitates iure sancitae, quae abrogandae videntur.

3. Ad unitatem et concordiam tuendam inter varia apostolatus opera et incepta, ut eorum efficacitati satius consulatur, expedit ut in Dioecesi omnes catholicorum vires de iure et de facto Episcopo subdantur, eiusque potestati ad pastoralem navitatem quod attinet, etiam clerus regularis Ordines et Congregationes religiosae subiciantur.

4. Ut christianus populus sacerdotis opera ac ministerio quam maxime perfrui possit, in votis est ut ecclesiastica beneficia ad eam formam deveniant, qua sacerdotibus necessaria ad honeste vivendum suppeditentur, iidemque a quavis eorum administrandorum cura eximantur.

5. Opportunum est ut sacerdotibus obligatio imponatur quotannis spiritualia exercitia peragendi.

6. Salva ecclesiastici coelibatus lege, consulendum videtur conscientiae tranquillitati eorum sacerdotum qui a caelibatu servando morbosa corporis complexione evidenter impediuntur.

✠ AEMILIUS BIANCHERI
Episcopus Ariminensis

189

Exc.mi P. D. IOANNIS RIZZO

Archiepiscopi Rossanensis (Rossano)

Rossanen., die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteras diei 18 iunii huius anni, Prot. n. 1 C/59-1128, recepi et dum gratias ago Summo Pontifici de institutionis Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, mihi gratum erit aliquas animadversiones, consilia atque vota maioris momenti significare quae tractanda mihi videntur et Ecclesiae animarumque bono profutura:

Capita doctrinae

Dogma:

a) Dogmatica definitio mediationis universalis B. M. Virginis;

d) Dogmatica definitio Regalitatis D. N. Iesu Christi et B. Mariae Virginis;

c) Expositio doctrinae de Corpore Christi Mystico, eiusque consectariis socialibus;

d) Idem ... de Sacra Liturgia;

e) Clara enucleatio relationum inter Rem publicam et Sanctam Ecclesiam Catholicam.

Errores damnandi:

1) Atheismum materialisticum communistarum;

2) Neo-modernismum, iuxta indicationes Encycl. *Humani Generis,* idest naturalismum, laicismum, exsistentialismum atheum.

Moralis:

1) Relativismus moralis et moralis vulgo dicta « della situazione »;

2) Quaestiones moralis familiaris: malthusianismus, onanismus, deficientia responsabilitatis;

3) Moralis professionalis;

4) Moralis socialis;

5) Nostri temporis pericula publicae moralitatis e cinema, radio-TV, sport, ephemeridibus, « moda », « camping » promanantia;

6) Notanda elementa positiva et ascetica moralis Christiana.

Doctrina socialis:

1) Conficienda synthesis doctrinae socialis Ecclesiae;
2) Movimenta socialia, sindacalia, politica.

Disciplina cleri et populi christiani

1. Amovibilitas parochorum.

2. Possibilitas et facilitas transitus ad aliam Dioecesim cum mutatione tituli S. Ordinationis, speciali modo in auxilium dioecesis sine copia Cleri.

3. Relationes inter Episcopos et Sacras Congregationes: mihi videtur multa, vulgo dicta « burocrazia » adesse; necessaria, ex altera parte, maxima vita interior in officialibus inferioribus.

4. De Seminario Dioecesano et cura alumnorum eius: Fovendum est Opus Vocationum Sacerdotalium; insuper curanda particulari animo Seminaria Dioecesana reductis Seminariis interdioecesanis et regionalibus pro urgenti ac vera necessitate.

5. Relationes inter clerum saeculare et regulare cum animadversione de immissione cleri regularis, maiore cum alacritate, in pastorali ministerio dioecesis, limitando iura « exemptionis ».

6. *Quaestiones de apostasia sacerdotum*:

a) videtur opportuna restauratio « instituti diaconalis » pro substitutione sacerdotis in operibus apostolatus, idest in bonorum Ecclesiae administratione, in aliquorum sacramentorum administratione, in catechetica praedicatione, sine coelibatus obligatione, et cum possibilitate sustentationis vel occupationis in vita civili;

b) pro candidatibus ad statum diaconalem et ad presbyteratum videtur opportunum — post regularem diaconatus ordinationem — spatium unius vel trium annorum extra moenia seminarii in auxilium vitae ministerii sacri ita ut habeatur propositum validum, omnibus bene perpensis, ante sacerdotalem ordinationem;

c) Circa apostatas sacerdotes actuales, Mater Ecclesia sit clemens in dispensatione oneris coelibatus et reductione ad statum « instituti diaconalis », ut supra n. 6, *a*);

d) fovenda, pro sacerdotibus, dignitas et excellentia obligationis coelibatus;

e) Omni cura fovenda obligatio orationis mentalis sacerdotum;

f) Facultas substitutionis Divini Officii cum recitatione SS.mi Rosarii, in itineribus.

7. Cura iuvenum sacerdotum per pia sodalitia.

8. Reformatio in bonorum ecclesiasticorum administratione, ex. gr. cum abolitione bonorum immobilium et constitutione, favore paroeciarum vel dioecesis, redituum vel melius « actionum » et earundem administratione ex parte « Istituto delle Opere di Religione - Città del Vaticano ».

9. Convenientia providendi sustentationi cleri, prae oculis habitis praevidentiis necessariis hodiernis temporibus circa senectutem, salutem, curas corporis etc.

10. Ieiunium et abstinentia.

11. Renovatio legatorum et limitatio temporis durationis eorum.

12. Vita communis sacerdotum: domus Cleri.

Sacra Liturgia

1) Revisio et semplificatio:
— Pontificalis et Coeremonialis Episcoporum;
— Ritualis;
— Missalis;
— Officii Divini.

2) Usus etiam linguae vulgaris in sacramentorum administratione et in quibusdam locis S. Sacrificii.

Pastoralis

1) Positio laicorum in Ecclesia et eorum apostolatus.

2) Actio Catholica.

3) Doctrina catechetica et textus nationalis et instrumenta magis efficacia ad formationem fidelium.

✠ IOANNES RIZZO
Archiepiscopus Rossanensis

190

Exc.mi P. D. AURELII MARENA

Episcopi Rubensis et Bituntini (Ruvo e Bitonto)

Bitunti, die 28 ianuarii 1960

Eminentia Reverendissima,

Aequo animo attentis veneratis Tuis Litteris, num. 1 C/59-1134, animadversioni istius Commissionis subiicio quaedam consilia collecta in conventu virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium harum Dioecesium Rubensis et Bituntinae, pastorali sollicitudini meae concreditarum.

In primis, ardenti tenemur desiderio, submisse expresso, debitum obsequium praestandi ad Pedes Solii Augusti Summi Pontificis gratissimi animi sensus, quia convocare voluit futurum Concilium Oecumenicum, cuius vox iam usque ad ultimas terrae partes resonuit et gaudium magnum attulit, laeta cum spe. Ad consolationem Paterni Cordis nobis concedatur dicere sacerdotes et fideles peculiaribus precibus ad Dominum et supplicationibus Eum prosecuturos ad mentem Sanctitatis Suae, praecipue ut optatos exitus Concilium retrahat.

Quod ad argumenta tractanda pertinet, omni cum libertate et sinceritate, ad Pontificiam Commissionem sequentes quaestiones proponimus collustrandas de *Codicis Iuris Canonici* accommodatione ad hodierni temporis adiuncta consona:

1) instare et virtute corroborare interiorem hominem et disciplinam cleri;

2) dilatare negotia paroecialia ad novos apostolatus campos et ad opera socialia caritatisque congruenter aptata;

3) ubi fieri potest, efficere promptiores executiones ad parochorum amovibilitatem inhaerentes;

4) propter magnam sacerdotum penuriam, inter clerum saecularem et regularem maiorem collaborationem inculcare, ita ut sacerdotes ac religiosi sodales fiant;

5) recognitio privilegiorum religiosorum, quo facilius viri religiosi in vita apostolica et in dioecesana disciplina adiutricem operam libenter praestent, salva semper privilegiorum suorum historica origine;

6) in magisterio ecclesiastico suadere sacerdotibus ad praedicationem catecheticam et hodiernam;

7) iuvenes in sortem Domini vocati in disciplinarum studia in-

cumbant magis atque magis; non tantum in spiritu sanctitatis et humilitatis formentur, sed etiam in disciplinis liberalibus non minus laicis et in speciali modo in scientia sacra;

8) nimis ad communem salutem interest ut repellantur errores moderni, serpentes ubique terrarum, in comparatione cum veritatibus revelatis et ab infallibili Ecclesiae magisterio illustratis.

Benedicat et adiuvet Dominus vota et desideria Sancti Patris et ad sanctam Ecclesiam fratrum distantium et dissidentium reditum concedat, ita fiat unum Ovile et unus Pastor.

His pro rebus significatis, mihi periucundum est Eminentiae Tuae sacram Purpuram humillime deosculari et maxima cum veneratione me profiteri

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mum
✠ AURELIUS MARENA
Episcopus Rubensis et Bituntinus

191

EM.MI P. D. MARCELLI CARD. MIMMI

Episcopi Sabinensis et Mandelensis
(Sabina e Poggio Mirteto)

Roma, 2 febbraio 1960

Eminenza Reverendissima,

Ho l'onore di inviare alla Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico, le unite proposte che possono valere o per il Concilio, oppure anche per l'aggiornamento del Codice di D. C.

Colgo l'occasione per porgerle i miei profondi ossequii, mentre ho l'onore di professarmi

della Em.za Vostra Rev.ma
✠ MARCELLO CARD. MIMMI
Vescovo di Sabina e Poggio Mirteto

Aperta profecto ac salutaria verba ab oecumenico celebrando Concilio universi Orbis christifideles expectant, quatenus a fluxis hisce terrenis rebus ad aeternarum valeant adduci comparationem.

Saevit hac aetate, quod omnes norunt, nefarius laicismus, saevit et

impius communismus, unde fit ut bene cordati homines id ardenter appetant, idque instanter exquirant ut nempe iterum iterumque nuntientur ac edicantur, imo et sollemniter proclamentur — quasi numquam auditae — praecipuae christianae doctrinae veritates, et praecipua christianae doctrinae veritates, et praecipua christianae religionis praecepta.

1. Quocirca, quin nova definiantur dogmata, recolantur ac proclamentur oportet antiquae illae veritates fidei quae in Symbolo Apostolorum « Credo », et antiquae illae leges quae in decalogo continentur, et in Evangelio, cui tamquam custos ac interpres est constituta Catholica Ecclesia, exhibentur ac proferuntur.

2. Quae de Catholica Ecclesia deque eius immunitate habentur in Romanorum Pontificum Encyclicis, a superiore congregato oecumenico Concilio usque ad hodiernum diem editis, opportune recolantur.

3. Religiosae libertatis iura apprime repetantur et restauretur privatorum ac publicorum morum severitas, damnatione plectendo neopaganismum (quem vocant), iniuriae ac cupiditatis parentem. Sollicitae insimul moveantur adhortationes ut recentia et superiora inventa, prelum, radiophonica ac televisifica ars, humanae ipsae excultae litterae, neque erroribus neque vitiis unquam faveant, sed christianam doctrinam sapiant, quae non tantum iustitiam et caritatem alit, sed etiam suimetipsius contemptum et adversarum rerum patientiam extollit.

Peculiariter

1. Confirmentur ac premantur quae in libro II, tit. 3 Codicis Iuris Canonici « De obligationibus clericorum » praecipiuntur.

2. Abrogetur praesens parochorum inamovibilitas, vel saltem facilior reddatur, ubi necessaria, remotio.

3. Decernatur ut Episcopi ac parochi qui ad septuagesimum quintum aetatis annum pervenerint, et etiam ante hoc tempus si morbo vel festinata senectute praepediti, renuntiatione facta, officium deponant.

4. Quo aptior et aequabilior evadat cleri partitio, piis ac probis sacerdotibus detur libenter licentia discedendi a dioecesi in qua crebriores adsunt sacri operarii, et aliam adeundi quae sacrorum operariorum laboret penuria.

5. Commoneantur Episcopi, praesertim si dioeceses gubernent in quibus frequens est emigratio et immigratio, ut quam studiosissime curent spiritualem ac moralem emigrantium adsistentiam, ita quidem ut qui domum compulsi reliquerunt, neque christianam fidem amittant, neque rectam agendi praxim, iuxta evangelicas normas derelinquant.

6. Curetur ut religiosi viri in suis ineundis ac perficiendis consiliis ac operibus et in apostolatus rationibus suscipiendis, Episcopi auctoritati arctius subiciantur obnoxii; inter clerum saecularem ac regularem plena voluntatum ac laborum conspiratio instauretur ac confirmetur oportet.

7. Ita efformetur saecularis ac regularis clerus ut qui ad alterutrum pertinent sciant recogitentque apprime se non tantum pios esse cultus administros, sed etiam divinae religionis magistros.

8. Excitentur universi christifideles ut ecclesiasticas ac religiosas vocationes maximo favore prosequantur ut sacri operarii apostolatum gerentes et in fidei conservationem ac propagationem incumbentes, magis magisque numero augeantur.

9. Laici christifideles enixe alliciantur ut Actionis Catholicae consociationes aliaque pia sodalicia celebrent ac frequentent, ecclesiasticae hierarchiae validum auxilium submissae allaturi.

10. Instanter commendetur dierum festorum sanctificatio quatenus sacris omnibus, Missae praesertim sacrificio, intersint fideles, evangelicam praedicationem obaudiant, noxiosque ac illicitos ludos omnino devitent.

11. Cum tempora adiuncta ac vitae condiciones frequenter obstent quominus abstinentiae et ieiunii lex adamussim adimpleatur, quod hactenus ut praeceptum viguit consilii tantum habeat deinceps formam: christifideles tamen admoneantur de Christi Domini instituto: « Qui vult venire post me, abneget ».

12. Primarium quoddam constituatur aerarium ut ecclesiarum in egestate versantium possit occurri necessitatibus. Hac in re aptae possunt exquiri et adhiberi rationes quibus Petriana Stips a populo conferenda amplius foveatur.

13. Quod et Tridentinum Concilium instituit, conficiatur catechismus quidam, christianae doctrinae capita, tum in rebus fidei tum in rebus morum, proferens, erroresque hisce nostris temporibus effusos sapienter diluens ac refellens.

✠ MARCELLUS CARD. MIMMI
Episcopus Sabinensis et Mandelensis

192

EXC.MI P. D. DEMETRII MOSCATO
Archiepiscopi Salernitani (Salerno) *et Admin. Perp. Acernensis* (Acerno)

Salerni, die 3 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

A Tua benignitate iussus, oboediens exposui, pro modulo meo, haec informia elementa.

Patres doctrina, aestimatione et merito me longe maiores sua auctoritate proponere poterunt leges pro temporis necessitate ferendas et omni studio ea indicare quae bona et utilia recensentur, mutatis humanae consortionis ideis et moribus.

Quantum in me est, praecibus totius Ecclesiae humillime et instantissime adhaereo, supplicans ut, intercendente Maria, dulcissima Matre Ecclesiae, Spiritus Sanctus superveniens mentes illuminet, corda inflammet, unissonas reddat voces, foecundet labores et opera atque ianuas adaperiat novi aevi veritatis, unitatis et pacis in Regno Christi.

Interim humillimos animi sensus ex corde Eminentiae Tuae maxima devotione profiteor, Sacram Purpuram deosculatus.

Eminentiae Tuae Ill.mae et Rev.mae
add.mus in Domino
✠ DEMETRIUS MOSCATO
Archiepiscopus Salernitanus

Summo Pontifice Ioanne XXIII, f. r., auspice et inspirante, proximum Ecclesiae Catholicae Concilium sit, revera, gratia Dei opitulante, *unitatis Concilium.*

Quam ob rem, quo facilius omnibus patefiat *veritas et caritas* Corporis Mystici Christi Domini, sive in Ecclesia sive iis qui errant, hoc humillime summatim existimo momenti esse:

Probetur cleri et fidelium adhaesio divinae Ecclesiae constitutioni 1) quoad doctrinam; 2) quoad sacram hierarchiam; 3) quoad sacramenta; 4) quoad S. Evangelii praeconium et actionem missionariam seu apostolicam.

I. *Quoad doctrinam*

Verificetur in Christi fidelibus fidei integritas.

Prae oculis habeantur monita Summorum Pontificum a Concilio Vaticano usque nunc circa errores qui insectantur homines ac praesertim:

— Super momentum ac interpretationem Divinae Scripturae;

— Super obiectivitatem cognitionis humanae: *relativismum; existentialismum; laicismum* nuperrime noviter editum; *marxismum,* qui propagines indesinenter extendit quocumque locorum, fidelibus ipsis saepe saepius insciis; *individualismum exaggeratum,* qui decomponit unitatem fraternitatis in mystico corpore;

— Super Ecclesiae doctrinam socialem, quae, dicerem, hoc unum gestit; ne ignorata damnetur; quae ultro praecedit quamcunque speciosam doctrinam in solutione cuiusque quaestionis in re sociali.

II. *Quoad sacram hierarchiam*

De reficienda ecclesiastica disciplina cleri et fidelium, ad unitatem Ecclesiae tuendam et ad maiorem animarum salutem adipiscendam. Ipsi, scilicet, sint et videantur *dociles* et *docibiles.*

III. *Quoad Sacramenta*

Est in votis ut Confirmationis congrua aetate christifidelibus reddatur, eo consilio ut experimentum praemilitiae ipsi fideles agant, quippe qui, instructi informatione doctrinae et formatione virtutis, talem praeseferant praeparationem ad sacramentum recipiendum, quae, primis saeculis, in catechumenato habebatur in ordine ad baptismum suscipiendum.

IV. *Quoad S. Evangelii praeconium et actionem missionariam seu apostolicam.*

Necessarium existimo terminis circumscribere adsociationes quamplurimas, quae de die in diem sic divitiose efflorent ut vix numerentur.

Tot apostolatus et studia et experimenta, a pietate et labore fidelium provenientia, ab ecclesia probata ad unum deducantur.

Fiat consensus unus et conspiratio una, si iustum est, actione catholica coordinante, sub directione Episcoporum, quorum auctoritati nemo, etiamsi exemptus, sese eripiat.

Quaedam de quibusdam proponendis

De Metropolita

Reali et maiori auctoritate gaudeat Metropolita.

Ad hoc officium electus, fiducia polleat etiam prae sacerdotibus, qui, quasi missi dominici, in dioeceses fortasse mittuntur ad investigationes peragendas, ipso metropolita inconsulto, qui negotia certe novit et elementa iudicii habet.

De Episcoporum conventibus nationalibus vel regionalibus

Nunc, quae decisa habentur in conventibus nationalibus vel regionalibus episcopalibus nullum onus obligationis ferunt singulis vel omnibus collegialiter sumptis Episcopis, etiamsi in omnes decisiones consenserint et assensum dederit Sedes Apostolica.

Hoc non prodest cleri et fidelium disciplinae, quia saepe unusquisque pro suo arbitrio observat vel non normas traditas. Immo saepe in una regione finitima legitimae habentur concessiones quae in altera negantur. Requiritur, igitur, quod decisiones habitae ad instar legum sint quasi singuli Episcopi eas praescripserint, et, ne, finitimis etiam regionibus habeantur dissimilia vel discrepantia praecepta, ut, ad exemplum, in festis peragendis, requiritur inter regionales et nationales conventus melior coordinatio, cui committere curam diversas dispositiones ad uniformitatem redigendi.

De Ordinarii Loci vel saltem Episcopi facultatibus

Dentur Ordinario loci vel saltem Episcopo facultates maioris momenti, quae ad regimen animarum et dioecesis magis faciant, quaeque nunc temporis a Sacris Congregationibus impetrantur, ut, v. g. quae de binatione, vel trinatione Sacrificii Missae, de impedimentorum dispensatione, de bonorum administratione, alienatione, adquisitione etc., annua relatione de negotiis peractis vel de facultatibus concessis ad SS. Congregationes mittenda.

De Episcopis Coadiutoribus, prout nunc habentur

Institutum Episcoporum Coadiutorum cum futura successione vel non, ita ut nunc temporis viget et noviter instauratum, erit vitandum ne, saepe saepius, « diarchia » videatur adesse in regimine Dioecesis, clerus in partes discedat et unitas gregis cum suo pastore amittatur.

De Parochorum inamovibilitate

Obest quam maxime, saepe, animarum saluti et regimini Dioecesis quae nunc viget legislatio de inamovibilitate parochorum sive quoad translationem sive quoad remotionem.

Rogo ut Patres Concilii rem agant sollicitudine quam maxima pastorali.

De Religiosorum exemptione

Ponderatum consilium habeant Patres de Religiosorum exemptione. Suis legibus enim ita aliquando utuntur ut in Dioecesi sine lege esse videantur; quod maxime dedecet aedificationi fidelium, sanctificationi religiosorum et regimini Dioecesis quoad unitatem propositi et actionis pastoralis.

Ipsi, tamen, auxilium non parvum praebent et maius dabunt, Episcopo moderatore, ministerio verbi, administratione sacramentorum necnon alumnis addiscendis et opificibus adiuvandis.

De bonorum ecclesiasticorum administratione

Ne parochus vel animarum curator in controversiam deducantur de re oeconomica a propriis fidelibus, bonorum ecclesiasticorum administratio beneficiorum paroecialium particulari caetui, ab ipsis parochis electo, officio dioecesano tutore, committatur.

De Seminariis

Dioeceses quae sibi sufficiunt quoad personas, aedes, reditus, Seminarium suum habeant, vel saltem quem gymnasium dicunt.

Seminaria Regionalia provideant studiorum cursum maiorem et minorem, alter pro alumnis qui intelligentia excellunt quique spem ferunt in variis studiorum disciplinis eminere; alter pro reliquis alumnis.

Omnes alumni, vero, discant specialissimo modo quae ad ministerium animarum sunt nunc temporis.

Instauratur saltem in ratione studiorum Seminariorum Regionalium facultas iuridica cum gradibus academicis assequendis. Ipsam adeant alumni qui, iudicio Episcopi, intelligentia, virtute, pietate eminent, in servitium Dioecesium.

Qui sacerdotio donati sunt, duos annos in sacerdotali collegio vitam agant, sese exercentes in studio et ministerio sacro, ad nutum Episcopi, ea lege tamen ut abrogent Patres Concilii quartum annum philosophicum.

De pietate et sacra liturgia

Tot sunt devotiones particulares et formae pietatis christianae ut iure aliquando timeatur quod accessorium locum teneat principalis; unde, hac aetate maxime dinamica, quam quasi fugit irreparabile tempus, pro universalitate hominum, prae coeteris omnibus aliis exercitiis quibus pietas christiana superabundat, necesse est semper maximi momenti habere sacram liturgiam, praesertim divinum sacrificium, Missam, scilicet, cum suo inextimabili thesauro sacrae refectionis. Haec est et habeatur actio quam maxime liturgica, ita ut ipsa saluberrima devotio erga Mariam et Sanctos Dei liturgica finalitate non careant.

De moribus

Corruptione morum ingravescente de die in diem, etiam quoque per errorem speciosum de *moralitate situationum,* exigitur fortasse non tantum declaratio sanae doctrinae moralis in Concilio Oecumenico sancitae, sed collectiva et unanimis et solemnis exortatio Patrum ad omnes mundi rectores et gubernia ut legibus et mediis aptis compescant flumina corruptionis, quae, ruptis agminibus, irrepserunt in humanam societatem.

De quorumdam fidelium apta instructione

Necesse est ad Sedes Dioecesium maioris momenti vel saltem in Sede principali Regionis instituere:

Scholam theologicam pro laicis;
Scholam catechistarum laicorum;
Scholam servitii socialis.

✠ Demetrius Moscato
Archiepiscopus Salernitanus
et Administrator Perpetuus Acernensis

193

Exc.mi P. D. AEGIDII A. LANZO
Episcopi Salutiarum (Saluzzo)

Salutiis, die 20 augusti 1959

I. *De Ecclesia Corpore Mystico*

« Ad definiendam describendamque veracem Christi Ecclesiam, quae sancta, catholica, apostolica, romana est, nihil nobilius, nihil praestantius, nihil denique divinius invenitur sententia illa qua eadem nuncupatur « *mysticum Iesu Christi corpus* » (Pius XII in Encycl. *Mystici corporis*). Quam doctrinam theologice certam, utpote quae explicite proponitur in Sacris Litteris, sive in Sanctorum Patrum scriptis et clare docetur ab Ecclesiastico Magisterio, a Concilio sollemni de definitiva sententia tamquam dogma fidei sanciri opportune retinemus.

II. *De Ecclesia et Statu*

Ecclesia et Status duo sunt societates perfectae, distinctae et autonomae, ambo originem a Deo ducentes sese invicem debent ordinari (Leo XIII in Encycl. *Immortale Dei*). Utiles, hodie videntur, clarae notiones de eorum mutua relatione et praesertim de Ecclesiae superexcellentia, quippe quae est magistra veritatis et homines ducit ad vitam aeternam.

III. *De Eucharistico Sacramento*

Contra conamina errata circa Eucharistiae sacramentum eiusque cultum, meminisse iuvabit quae iam in Concilio Tridentino statuta ac definita sunt, praesertim circa praesentiam realem (Sess. XII, Cap. 1 Denz. 874 et cn. I Denz. 883) et de Sacramento asservando (ib. cap. 6 D. 879 et cn. 7 D. 889).

IV. *De damnatione theoriae marxistae*

Doctrina marxista, iam ab Ecclesia pluries damnata, quia summa errorum contra fidem et mores, vota facimus ut a Concilio Oecumenico tamquam vera haeresis, immo et apostasia, formaliter declaretur.

V. *De sanctitate matrimonii*

Neo-malthusianismum, de die in diem ingravescentem, viribus unitis et communi regula debellare et Dei legem defendere necessarium est.

VI. *De ethica situationis*

Eversiva totius ordinis moralitatis est illa doctrina quam vocant « ethica situationis »: ideo sollemniter damnandam aestimamus.

VII. *De caelibatu*

Legem caelibatus, clericis in maioribus praeceptam, contra postulantes eius abrogationem, servandam esse ducimus.

VIII. *De disciplina ecclesiastica*

Magis ac magis apparet diebus nostris necessitas vitae interioris, quam sacerdotes curare debent quotidie ut sancta sancte ministrent. Ad fovendum tantum bonum valde utiles videntur notiones de sensu theologico et positivo quem habent castitas perfecta, abnegatio sui, paupertas et oboedientia superioribus debita, praesertim proprio Episcopo.

Vitam communem — quantum fieri potest — promovendam ducimus.

IX. *De catechesi christiana*

Attentis malis quae hac nostra aetate fidem et mores corrumpere populosque inimicare videntur, cum ingenti damno animarum ipsiusque societatis, quam maxime curanda atque ubique ferenda est catechesis christiana, sive religiosa, sive socialis.

X. *De kalendario et breviario*

Cum kalendarii civilis reformationem graves et internationales Congressus postulent, opportune videtur et kalendarii liturgici modificationes advertere, quas praedicta reformatio vel exigat vel suggerat.

Item ominamur ut Divini Officii revisio, quam S. C. Rituum a tempore curat, quamprimum definitive perficiatur .

✠ AEGIDIUS ALOYSIUS LANZO
Episcopus Salutiarum

194

Exc.mi P. D. ALOYSII RINALDI

Episcopi S. Marci et Bisinianensis (S. Marco e Bisignano)

S. Marci Argentani, 23 augusti 1959

Ante omnia subicio sine ulla condicione meum consensum omnibus et singulis, quae in futuro Oecumenico Concilio, rite definientur et disponentur. Pariter hanc opportunam occasionem arripio submittendi meipsum et mea omnia, necnon dilectas meas Dioeceses geminas S. Marci et Bisinianen. Beatissimo Patri Ioanni XXIII Romano Pontifici, quem gaudeo agnoscere Pontificem Universalem, Petri Successorem in Sede Episcopatus Romae et Primatus Ordinis et Iurisdictionis super omnes et singulos fideles sicut et super omnes et singulos Episcopos, Iesu Christi Vicarium, cui legitime debetur omnimodo ab omnibus maximus respectus et oboedientia.

Nunc autem sicut dignatus est Augustus Pontifex per Rev.mum et Eminentissimum Dominum Dominicum Tardini, Praesidem Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici, certiorem me reddere voluntatem et desiderium suum cognoscendi opiniones et sententias meas necnon consilia atque vota mea de argumentis apparandis in futuro Oecumenico Concilio tractandis, haec grato ac humillimo animo expono atque subicio.

1. In unum systhematice redigere ea omnia quae in Supremis Documentis Pontificibus sunt proclamata deinceps a tempore Sacrosancti Tridentini Concilii, cum auctoritatis nota per singula.

2. De potestate et ambitu episcoporum praesertim relate ad varias et multiplices organizationes quae in Ecclesia agunt.

3. Determinatio aliquorum capitum doctrinae, praesertim circa originem hominis a Deo, quoad animam et quoad corpus, circa principia educationis iuventuti tradendae insuper de modo quo se gerere debet simplex fidelis vel ecclesiasticus relate ad activitatem politicam.

4. Exaratio alicuius codicis de re liturgica.

5. Proclamatio sollemnis doctrinae de Mediatione B. Mariae Virginis ad distributionem omnium gratiarum. Insuper aliqua collectio regularum circa Cultum eidem B. Virgini, Sanctorum memoriae exhibendum. Necnon de externis manifestationibus mortuis dandis in loco sacro.

6. Quoad disciplinam Cleri: maiores determinationes vel animadversiones circa debitam reverentiam et oboedientiam Romano Pontifici et Episcopo debitam.

7. De obligationibus sacerdotum circa exigentias apostolatus in dioecesi propria.

8. De maiore praeparatione clericorum relate ad specificas activitates apostolatus.

9. De instituendis scholis vel cursibus de re apostolica et pastorali in singulis regionibus vel interdioecesanis.

10. De latiori seu maiori disponibilitate in Episcopis circa remotionem vel translationem parochorum.

11. De obligatione editiones catholicas legendi atque propagandi.

12. De subsidiis et proventibus clericis necessariis praesertim in rure laborantibus.

13. Circa Religiosos: salva eorum exemptione de subordinatione et cooperatione eorum cum Ordinariis in labore et apostolatu dioecesano. De maiore opportunitate inspectionis in domos religiosas.

14. De maiori et accuratiori praeparatione a Sororibus habenda relate ad eorum officium subeundum. Forsitan de instituendis cursibus pro ipsis absque discrimine diversitatum familiarum religiosarum, habentibus post annum novitiatus cuicumque proprium.

15. De simplicitate habitus religiosarum et uniformitate eorum precum quotidiane recitandarum.

16. Temere audeo de limitibus annorum pro habentibus curae animarum sive Parochorum sive Episcoporum.

17. Forsitan de maiori et faciliori praxi arcendi clericos ab obligationibus clericorum et reducendi ad statum laicalem in casibus extremae indignitatis.

18. De regulis a laicis observandis se subiiciendi clericis in eorum officiis in Ecclesia praestantibus.

Haec exposui coram Deo et tantum pro amore Ecclesiae, pro sua paratus sum etiam mortem ipsam et millia tormentorum Deo et Virgine Maria adiuvantibus pati. Sed hac occasione maximi facio meas exiguas preces et populorum mihi concreditorum fundere ad Iesum Salvatorem ut intercessione B. Mariae et omnium Sanctorum, dignetur Ecclesiam adunare regere et gubernare et una cum Papa Nostro Ioanne et omnes Ecclesiasticos Ordines ab omnibus periculis eruere et inimicis incolumes servare.

✠ ALOYSIUS RINALDI
Episcopus S. Marci et Bisinianensis

195

Exc.mi P. D. FELICIS BECCARO

Episcopi S. Miniati (San Miniato)

25 martii 1960

Eminentissime ac Rev.me Domine,

Gratias agens pro receptis Litteris diei 21 huius mensis et veniam petens pro omissa responsione iam debita, haec mea vota Pontificiae Commissioni antepreparatoriae Concilii Oecumenici humillime communico:

I. *Quoad Cleri sanctitatem et disciplinam*

Sollemniter ab Oecumenico Concilio memoranda et commendanda reputo quae obligationes Clericorum respiciunt quaeque Codex I. C. numerat in cc. 124-144.

II. *Quoad fidem et mores fidelium*

Serpunt plus minusve errores circa divinitatem, missionem et iura Ecclesiae Catholicae et negantur interdum novissima nostra, forsitan quia raro praedicantur.

Nostris temporibus vita multorum baptizatorum non verum Christianismum sed paganum hedonismum redolet. Sanctitas, unitas, indissolubilitas et foecunditas magni Matrimonii Sacramenti luxuria, corruptione, infidelitate et pessimo onanismi crimine labefactantur.

Optandum igitur videtur in rebus tanti momenti ut voces et monita Patrum Sacrosancti Oecumenici Concilii ubique resonent, reverenter audiantur, catholice intelligantur et fideliter observentur.

III. *Quoad Communismum atheum*

Quamvis Roma iam locuta sit per Summos Pontifices et Supremam S. Officii Congregationem, opportuna videtur etiam sollemnis condemnatio Communismi athei ab Oecumenico Concilio prolata; nam pestis Communismi de die in diem sese extendit, maxima cum animarum ruina, quia haereses omnes complectitur et ad omnia vitia, peccata et delicta viam pandit.

Flexis genibus, manum tuam deosculor ac tuam benedictionem pro me meaque Dioecesi imploro.

Addictissimus ac devotissimus

✠ Felix Beccaro
Episcopus S. Miniati

196

EXC.MI P. D. DOMINICI BORNIGIA

Episcopi Biturgensis (Sansepolcro)

Sansepolcro, 15 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Con la presente prego l'Eminenza Vs. di umiliare al S. Padre i sentimenti della più viva gratitudine miei e dell'intera Diocesi per l'annunzio del Concilio Ecumenico, che certamente recherà tanta gloria alla Chiesa di Nostro Signore Gesù Cristo e tanto bene alle anime, auspicando quell'unità santa voluta dal S. Padre con sì importante avvenimento.

Mi pregio inoltre inviare a codesta Pontificia Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico uno schema di argomenti da proporre nel prossimo Concilio, significando che ho richiesto anche il parere di alcuni esperti Sacerdoti di questa Diocesi.

Assicurando la preghiera da parte mia, dei Sacerdoti e fedeli tutti di questa Diocesi, bacio riverente la S. Porpora e con sensi di vivo ossequio ho il piacere di confermarmi

dell'Em.za Vs. Rev.ma
dev.mo nel Signore

✠ DOMENICO BORNIGIA
Vescovo di Sansepolcro

En argumenta quae, mea sententia, videntur in Concilio futuro pertractanda pro opportunitate temporum animarumque bono:

A) *Quoad doctrinam*

1. Dogmatica de Christi Regalitate definitio.
2. Expositio doctrinae de Mystico Christi Corpore eiusque unitate et cultu (cf. Encycl. *Myst. Corp.* et *Med. Dei*).
3. Damnatio neomodernismi, ad mentem Encycl. *Humani Generis*, scilicet: naturalismi, laicismi, exsistentialismi athei.
4. Damnatio communismi materialistici athei.

B) *Quoad mores*

1. Proponatur aspectus positivus atque asceticus Ethicae christianae simulque damnetur Ethica quae dicitur « situationis ».

2. Determinentur proinde et solvantur problemata Ethicae christianae familialis, professionalis et socialis.

3. Indicentur pericula moralitatis ex mediis vitae modernae, ut: spectacula, cinematographicae et radiotelevisivae repraesentationes, diaria, etc. (cf. Encycl. *Miranda prorsus*).

C) *Doctrina socialis*

Proponenda videtur cum claritate ita ut ab omnibus christifidelibus perspicue cognosci possit.

D) *Quoad Cleri Populique disciplinam*

1. Retractandus videtur modus procedendi in collatione beneficiorum, praesertim quod spectat concursus.

2. Videtur iam tollenda Parochorum inamovibilitas, ita ut Episcopo relinquatur potestas eos nominandi, sub tutela Capituli vel alicuius Commissionis.

3. Temperanda sane videtur exemptio Religiosorum: quaerenda enim est maior et efficacior coordinatio et insertio eorum activitatis in Dioecesi in qua degunt et operantur.

4. Detur facilior possibilitas transferendi Sacerdotes de Dioecesi ad Dioecesim; proinde modificandum erit regimen titulorum ordinationis.

5. Favendum est communitatis vitae, operum et bonorum inter Parochos.

6. Aptanda est ad usus temporum necessitatesque vitae honestae Cleri Administratio Beneficiorum.

7. Revisendae videntur: lex de Abstinentia et ieiunio, notio laboris servilis et professionalis, lex de praecepto festivo (hebdomadario pro aliquibus coetibus?).

8. Maiores facultates dentur Episcopis in tractandis Legatis et etiam in quibusdam aliis negotiis in quibus videntur nimis coarctari et pendere a SS. Congregationibus.

9. Tollatur Capitulo Cathedralis functio paroecialis: personam et officia Parochi longe melius exercet persona phisica.

10. Pro magna parte poenae sunt tollendae.

11. Postulatur nova elaboratio disciplinae de reservatione peccatorum et censurarum.

12. Optatur reductio impedimentorum matrimonialium.

E) *Quoad Liturgiam*

Valde optatur:

1. Codex legum liturgicarum Ecclesiae.
2. Directorium pastorale pro Sacramentorum Administratione.
3. Aliqualis usus linguae vulgaris in Sacramentorum Administratione.
4. Revisio et simplificatio: Pontificalis Romani, Coeremonialis Episcoporum, Ritualis, Missalis et Breviarii.

F) *Quoad Pastoralem*

Item optatur:

1. Textus Catechismi universalis.
2. Tractatio et explicatio functionis laicorum in Ecclesia.
3. Propositio quaestionis de apostolatu hierarchico (Diaconatus revivificatio etiam quoad Officia temporalia?).
4. Revisio finium Dioecesium.

✠ DOMINICUS BORNIGIA
Episcopus Biturgensis

197

EXC.MI P. D. FERDINANDI LONGINOTTI

Episcopi S. Severini (San Severino)

S. Severino Marche, 29 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Più che una giustificazione riferisco i motivi che mi hanno impedito di inviare prima le mie umili proposte per il prossimo Concilio Ecumenico.

Nel mese di agosto, come al solito, ho fatto un giro di apostolato fuori Diocesi; poi nel mese di settembre il Congresso Eucaristico Nazionale di Catania ed in fine il pellegrinaggio a Lourdes ed un corso di SS. Esercizi Spirituali per Sacerdoti mi hanno tenuto costantemente occupato.

Allego alla presente un semplice appunto di proposte per il Concilio Ecumenico, come mi sono venute spontaneamente dal cuore nel-

l'ansia costante per il trionfo dei diritti di Dio, della S. Madre Chiesa e per il bene delle anime.

Con l'occasione invio il mio più devoto ossequio, mentre baciando la Sacra Porpora, in unione di preghiere mi confermo

dell'Eminenza Vostra Ill.ma e Rev.ma
dev.mo obbl.mo

✠ FERDINANDO LONGINOTTI
Vescovo di San Severino

1. Natura humana, vulnerata per originale peccatum, perpetuo ignorantiae, concupiscentiae ac debilitatis obnoxia.

2. Unde naturalismum damnandum et supernaturalis vitae ignorantia continuo debellanda et errores inde manantes ut fidei inutilitas et theoriae blasphemae et in praxi scandala per spectacula et vitam paganam in immoralitate, moda, nudismo etc.

3. Familiae damna! E contra sanctitas vitae domesticae vindicanda.

4. Veritates potissimae ignorantur ut Incarnationis et Redemptionis et vitae aeternae supremae sanctiones (praemium vel dammatio).

5. Ignoratur divina origo et suprema Ecclesiae missio per saecula. Ita de Romano Pontifice et de Sacerdotii dignitate. Fideles a Hierarchia distrahunt.

6. Minuitur spiritualis vitae essentia: veteris hominis mors! et christiana mortificatio.

7. Divinum non lucratur per humanum!

8. Maximi facienda instructio catechetica et fidelibus praedicatio.

9. In Seminariis optatur tirocinium magis solidum in vita interiore, mortificatione, oboedientia et generositate a bonorum desiderio et magis aptum necessitatibus pastoralibus nostri temporis.

10. Lex caelibatus ecclesiastici strenuo defendenda et confirmanda, necnon habitus clericalis (vestis talaris) non praetermittendus.

11. Parochorum inamovibilitas obstat Dioecesis regimini et bono animarum.

12. Religiosorum exemptio ab auctoritate Episcopali minus apta videtur necessitatibus apostolatus nostri temporis et non raro causa discordiarum.

13. Lex clausurae in domibus Religiosarum valde restringenda.

14. Tendentia deprecanda spiritualitatis naturalisticae, etiam in Monasteriis et Seminariis.

15. Humanae personae (personalità) exaggeratus cultus et errata existimatio.

✠ FERDINANDUS LONGINOTTI
Episcopus S. Severini

198

EXC.MI P. D. FRANCISCI ORLANDO
Episcopi S. Severi (San Severo)

28 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Mi reco a premura di rispondere alla venerata lettera 1 C/59-1376, nella quale V. Eminenza quale Presidente della Commissione preparatoria del Concilio Ecumenico, chiedeva con gesto di amabile condiscendenza ai Vescovi *observationes, consilia, vota* in relazione al grande e solenne avvenimento.

Nell'adempiere a tale onorifico mandato, non posso non esprimere dal profondo del cuore i sensi di vivissima riconoscenza e filiale devozione anche da parte del clero e dei fedeli della diocesi di S. Severo al S. Padre Giovanni XXIII, il quale volle questo grandioso e mondiale evento.

Gli altissimi scopi del Concilio indicati anche nella lettera enciclica *Ad Petri Cathedram*: « promuovere l'incremento della fede cattolica e un salutare rinnovamento dei costumi del popolo cristiano e aggiornare la disciplina ecclesiastica secondo le necessità dei nostri tempi », interessano tanto il nostro ministero pastorale e la vita cristiana dei fedeli, che non abbiamo cessato di indire pubbliche e private preghiere al Signore perchè i frutti voluti dall'Augusto Pontefice siano ubertosi ed efficaci.

Fin d'ora ci pare di ammirare « il meraviglioso spettacolo di carità, di verità, di unità » che sotto la mozione dello Spirito Santo brillerà ad edificazione e conforto di tutto il genere umano.

L'Eminenza Vostra si degnava proporre alcuni punti che potranno essere oggetto di studio nel futuro Concilio Ecumenico, il che mi è sembrato conveniente esporre nei sequenti rilievi:

Doctrina dogmatica

Affirmatio pubblica et solemnis principalium doctrinae catholicae capitum, quae a Concilio Vaticano et deinceps tractationem habuerunt a Magisterio Ecclesiae, speciatim in encyclicis *Humani generis, De mystico corpore* et cetera.

Doctrina exponenda de relatione inter Ecclesiam et Statum.

Affirmandum quod fundamenta et normae moralitatis sunt aeterna et immutabilia.

Condemnatio systematum philosophicorum aberrantium, quae hodie grassantur.

Optatur: *a*) definitio dogmatica veritatis Mediationis universalis Beatae Virginis Mariae;

b) versio S. Scripturae ex textibus originalibus in unaquaque lingua proposita ut officialis;

c) novus catechismus romanus ad parochos, in quo reducatur doctrina Ecclesiae ad formulas claras et simplices, refertas ad quaestiones etiam hodiernas, ad applicationem nempe ethicae christianae contra v. g. onanismum, sterilizationem, marxismum; naturam et usum proprietatis.

Disciplina cleri et populi christiani

Opus vocationum maxime urgendum in omnibus dioecesibus.

Seminarium: auspicatur uniformitas substantialis disciplinae in methodo educationis clericorum. Positiva formatio castitatis ita ut candidatus ad ordines accedat psychologice et spiritualiter maturus.

Studia: a S. Congregatione Seminariorum detur ratio studiorum, sine nimia praeoccupatione sequendi in lyceo materiam ordinamenti scholarum Status.

Status sacerdotalis

Omnino urgendae obligationes clericorum, quae a Codice iuris canonici maxime commendantur, respicientes vitam interiorem, alendam exercitiis spiritualibus, quae optantur annualia.

Habitus talaris servandus iuxta mores locorum, tegumentum capitis reformandum.

Activitas sacerdotalis ordinanda et coordinanda a loci Ordinario et hoc etiam pro religiosis ita ut in unaquaque dioecesi habeatur unio inter utrumque clerum.

Exemptio religiosorum reducenda vel potius adaptanda necessitati-

bus historicis, praesertim quoad curam animarum, quae ex iure divino spectat ad Ordinarios locorum.

Circa religiosas detur plenior possibilitas libertatis se confitendi. Auspicatur in genere elevatior qualificatio religiosarum in studio doctrinae catholicae, paedagogiae catechisticae et praeparationis professionalis.

Praedicatio fiat ad modum instructionis religiosae ita ut vitentur sermones vacui, qui nullum fructum salutarem afferunt.

Maxime quoque urgenda est obligatio catechismum tradendi non solum pueris sed etiam adultis.

Sacramenta

Circa baptismum et confirmationem videtur posse aboleri officium patrinorum, quia hodie non facile dantur personae aptae, qui hoc munere digne et efficaciter fungantur.

Tempus satisfactionis praecepti Communionis extendatur ad integrum annum.

Reducendus numerus censurarum et casuum reservatorum sive ab Episcopis sive Episcopis.

Circa ordinem presbyteratus servetur aetas viginti quattuor annorum sine ulla dispensatione. Post ordinationem sacerdotalem autem detur singulis sacerdotibus opportunitas sese exercendi in praxi pastorali apud aliquem convictum ecclesiasticum.

Matrimonium: quam maxime urgenda instructio sponsorum quoad doctrinam catholicam et moralem respicientem sanctitatem et officia propria status matrimonialis.

S. Missa: maior facultas concedatur Ordinariis circa binationem etiam diebus ferialibus.

Lex ieiunii et abstinentiae reformanda et adaptanda iuxta exigentias nostrorum temporum.

S. Liturgia: in novo codice reformato inseratur substantialis legislatio liturgica. Libri liturgici reformentur et aliquae caeremoniae v. g. consecratio ecclesiae, campanarum et primariae petrae ecclesiae breviores fiant.

Apostolatus Ecclesiae necessitatibus animarum nostrorum temporum adaptandus

Exaretur codificatio actionis catholicae; definiatur eius natura, finis organizationis, eam distinguendo ab aliis activitatibus christifidelium. Ex parte cleri adhibenda est cura spiritualis sociorum magis ac magis intensa.

Curentur quam maxime consociationes professionales et operariorum etiam relate ad iura in vita sociali et oeconomica.

Missiones catholicae intensius promoveantur ita ut fideles videant necessitatem evangelizandi mundum infidelem.

Confraternitates revocentur ad pristinam institutionem ita ut socii sint ferventes in vita christiana in se et in aliis, saltem exemplo promovenda.

Libertas Ecclesiae in docendo maxime vindicanda

Scholae catholicae quam amplius erigantur et requiratur subsidium populi christiani, et quantum fieri potest auctoritas civilis. Editoria catholicorum semper melius amplianda: in unaquaque natione habeantur non solum folia hebdomadaria sed etiam quotidiana, ita ut catholici habeant rectam conscientiam circa problemata occurrentia sive in ordine religioso quam morali.

Fines dioecesum omnino reformandi sunt ad praecavenda damna quae veniunt ex incertitudine competentiae singulorum Ordinariorum.

Unio fratrum separatorum omnino promovenda est per continuas preces ex parte catholicorum et per colloquia doctrinalia cum eisdem acatholicis.

Bonum pacis in mundo. Intensior fiat evangelizatio pacis et oratio ad Principem pacis.

✠ Franciscus Orlando
Episcopus S. Severi

199

Exc.mi P. D. CONSTANTINI CAMINADA

Episcopi S. Agathae Gothorum (Sant'Agata dei Goti)

S. Agathae Gothorum, 31 augusti 1959

Doctrinae capita

1. Opportunae non videntur novae definitiones dogmaticae, quia facile occasiones sunt separationis a fratribus christianis non catholicis. Loco definitionis, ex. gr., Mediationis B. Mariae Virginis, desideratur extensio festi eiusdem Mediationis ad universalem Ecclesiam.

2. Utillima videtur brevis et clara expositio doctrinae circa relationes intra Ecclesiam et Statum.

3. Prorsus necessaria videtur condemnatio communismi, et etiam socialismi qui marxistis principiis nititur (gravissimum periculum pro catholicis!), neo-modernismi (cf. Enc. *Humani generis*), relativismi moralis et laicismi, existentialismi Deum negantis et moralis « situationis » (« morale della situazione »).

4. Desideratur praecisa expositio principiorum circa moralitatem familiarem et « professionalem », politicam et socialem (cf. sermones Pii XII) et circa moderna pericula contra moralitatem (« Radio », TV, Ephemerides praesertim « illustratas », educationem mixtam, educationem sexualem, etc.).

Disciplina Cleri

1. Spes dioecesis est seminarium. Est, ut ita dicam, dioecesis ipsa. Sed quot difficultates cuiuscumque generis, praesertim in parvis dioecesibus! Difficultates inveniendi bonas vocationes, idoneos superiores, necessariam pecuniam, etc.! Maximum beneficium est Regionale Seminarium, sed nimis gravat in aerarium dioecesium. Perutiles erunt normae ad has difficultates solvendas.

2. Desiderantur: 1) clara expositio circa fundamentalium vocationis criteriorum; 2) principales normae actuales (« aggiornate ») circa seminariorum directionem.

3. Uniformitatis causa utilis erit — pro Italia — unica norma circa habitum seminaristarum et tempus clericalis « vestitionis ».

4. Ad sacerdotum vitam spiritualem fovendam opportunum videtur includere in pietatis officiis quotidianam lectionem S. Scripturae (cf. *Cod. iur. Orient.*) et spiritualia exercitia saltem biennalia. Perutile erit omnibus sacerdotibus extendere vitam communem.

5. Videtur absolute necessaria amovibilitas parochorum. Multi enim parochi, praesertim minus digni, sese considerant « episcopi et pontifices suae paroeciae » (sunt verba a meipso audita!). Consequens animarum iactura vere maxima est. Actio iuridica ad parochorum remotionem est, practice, difficultatibus plena; proinde difficillime agitur contra eos, etiam in casibus extremae necessitatis.

6. Res magni momenti est adaequare ad hodiernas pastorales necessitates relationes inter clerum saecularem et regularem. Practica independentia Regularium ab Episcopis pluries vertitur in gravissimum animarum damnum. Unitas actionis cleri saecularis et regularis efficacissima causa erit fecunditatis ministerialis.

7. Maioris iustitiae distributivae causa desideratur reformatio ecclesiasticae administrationis, praesertim beneficiorum.

8. Gravis et difficilis est condicio Episcopi permanenter aegroti. Nunc Episcopus, qui aegritudinis causa dioecesim relinquit, sese diminutum (« declassato ») in sua dignitate considerat. Hoc iustum non videtur. Etenim Episcopus, qui apostolica activitate diutius dioecesim referrit, ad suae dignitatis honorem ius habet. Sed neque videtur iustum — si permanens aegritudo sibi non permittit ulterius dioecesim regere — prosequi in officio oneribus pleno. Generaliter praecaria et nimis difficilis est positio Episcoporum Coadiutorum et Auxiliarium, quia actionem pastoralem difficulter explicare possunt. Clara declaratio Concilii circa hanc materiam utillima erit ad formandam mentem (« mentalità ») sive in Episcopis aegrotis, sive in populo christiano circa dignitatem Episcopi renuntiantis.

Disciplina populi christiani

1. Opportuna videtur declaratio circa moralis christianae positivum valorem.

2. Necessariae videntur normae circa christianam modestiam, praesertim in ecclesiis. Saepe in ipso Dei templo inveniuntur peccati occasiones! Multi Sacerdotes inutiles retinent actionem Ecclesiae circa christianam modestiam. Et sic fiunt cooperatores mali, et domus Dei fit spelunca peccatorum!

3. Utilis videtur declaratio circa positionem laicorum in Ecclesia, eorum actionem apostolicam et relationes cum ecclesiastica Hierarchia.

Actio pastoralis

1. Videtur utile cuicumque sacerdoti — in alienas regiones peragranti et in sua dioecesi pro confessionibus adprobato — generaliter concedere facultatem audiendi confessiones solummodo fidelium rogantium, si desit sacerdos loci et non sit possibilis petere facultatem ab Ordinario.

2. Desiderantur normae circa catecheticam instructionem. Utilis erit textus saltem pro singulis nationibus, in duplici editione: maiori et minori.

3. Pariter desiderantur normae circa iuventutis educationem, praesertim in « Oratoriis », quae ubique optimum auxilium praebere possunt ad iuvenes religiose et moraliter formandos.

4. Videtur utile fortiter commendare exercitia spiritualia pro laicis et opus dictum « Ritiri di Perseveranza », quod in regionibus Europae

septemtrionalis et etiam in Italia, praesertim meridionali, ad bonum animarum maxime iuvat.

LITURGIA

1. Generaliter desideratur simplificatio Pontificalis, Missalis, Breviarii, etc. Optimum erit sequi simplicitatem Liturgiae ambrosianae, quae est antiqua Liturgia romana (cf. Studia A. Ceriani et A. Ratti: *Pii XI*). Utile videtur redire ad antiquam formulam pro Eucharistica Communione: « Corpus Christi!... Amen ».

2. Desideratur moderata introductio linguae vulgaris in S. Liturgia, praesertim in Missa Catechumenorum (quae est potissimum instructio fidelium) et in administratione Sacramentorum. Utile erit addere simplificato ritui Baptismi brevem sermonem circa dignitatem baptizati et vota baptismalia.

3. Videtur utile permittere altaria-tabulas, quae in sua simplicitate maxime decent Sacrificium Eucharisticum.

4. Videtur pariter perutile commendare modum cantus Missae « De Angelis ». Cantus serotinus Symboli Constantinopolitani in urbe « Lourdes » demonstrat finem Instructionis Liturg., circa hanc materiam, facilius obtineri posse quam cum modis XVI, XV, I, III (cf. N. 25 *Instr.*).

5. A multis sacerdotibus desideratur translatio Psalterii in linguam magis ecclesiasticam quam classicam.

6. In anno ecclesiastico videtur utilis introductio, etiam in S. Liturgia, novendialis festi Pentecostes ad praeparandas animas, in mystica unione cum Apostolis, ad receptionem Spiritus Sancti.

✠ CONSTANTINUS CAMINADA
Episcopus S. Agathae Gothorum

S. Agata dei Goti (Benevento), l'Annunciazione 1960

Eminenza Reverendissima,

Mi permetto manifestarLe quanto segue. Due episodi, uno di questi giorni e l'altro recente, mi spingono ad esprimere un desiderio per il Concilio Ecumenico.

L'episodio di questi giorni è avvenuto nella mia parrocchia nativa. Un gruppo di propagandisti protestanti presero d'assalto parecchie famiglie. Le Donne di A. C., subito avvertite, li pedinarono passando in tutte le case da loro visitate e controbattendo tutto quanto essi dissero. Una mia sorella s'incontrò in uno di tali propagandisti e iniziò discussione. Questi dichiarò: « Ma noi usiamo la Bibbia cattolica! » e presentò l'edi-

zione piccola del Ricciotti. Mia sorella osservò tante frasi sottolineate, alle quali non corrispondeva nessuna nota illustrativa.

L'altro episodio, pure recente, è questo. Un bravo giovane chiese al sottoscritto la Bibbia, desiderando leggerla. Gli diedi la « Bibbia della Famiglia » della San Paolo. La sua lettura sollevò un cumulo di dubbi, di obbiezioni, di incertezze. Una vera tragedia. Mi mandò una lunga serie di passi, di cui desiderava spiegazione (perchè nell'edizione della S. Paolo non esisteva alcuna dilucidazione)...

Io scrissi al Rev. Don Alberione dicendogli che la diffusione della Bibbia deve essere fatta con edizioni dalle note sufficienti. La ragione è evidente. D'altronde lo spirito del can. 1391 si desume facilmente dalle disposizioni del Tridentino, che in proposito è tanto chiaro. Non si può evadere con rapide noterelle, che lasciano il tempo che trovano... Nessuna risposta.

Ora riterrei opportuno che nel Concilio si trattasse la questione, che in fondo dovrebbe essere un semplice richiamo allo spirito del canone citato.

Io oserei proporre la seguente richiesta:

« Serio applicetur can.1391 circa editiones S. Scripturae in linguam vernaculam. Omnino necessariae sunt introductiones et adnotationes verae sufficientes ad divinum verbum intelligendum. Ne permittantur editiones in vernaculam linguam adnotationibus nimis paucis praeditae ».

Chiedo venia ed ossequio baciando la S. Porpora.

✠ Costantino Caminada
Vescovo tit. di Tespia, Ausiliare di Siracusa
Amministratore Apostolico di S. Agata dei Goti

200

Exc.mi P. D. IOANNIS DADONE
Archiepiscopi S. Severinae (Santa Severina)

Sanctae Severinae, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Vere impensis animi sensibus Eminentiae Tuae gratulor de digne merita ab Augusto Pontifice in Praesidentiam Pontif. Commiss. Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico Tua nominatione.

Sapientia Divina maxime propitia sit operi Tuo et Commissionis cui praeesse Tibi honorificum est.

Tuae caritati committo meas vere modestas animadversiones et ferventia, etsi candida, vota, quibus tamen aliquam considerationem praestandam humiliter exoro.

Ex corde, sinceros maximi obsequii et venerationis sensus Tibi profitens, S. Purpuram devote deosculor et bona quaeque a Deo adprecor

Eminentiae Tuae Rev.mae et Clar.mae
addictissimus

✠ IOANNES DADONE
Archiepiscopus Sanctae Severinae

Vota:

DE DOCTRINA

a) Redigantur ad formam canonum vel propositionum omnia quae doctrinaliter a Summis Pontificibus et Magisterio Ecclesiastico definita vel nuntiata fuerunt post Concilium Vaticanum: de cultu S. Cordis Iesu, I. C. Regis, B. M. Virginis, B. Ioseph; contra errores varios de fide, de re morali, de re sociali, in sistematibus philosophicis recentioribus, etc.; de interpretatione S. Scripturae; de apostolatu laicorum, etc.

b) De his omnibus redigatur *Catechismus ad Parochos* (ad uniformitatem enunciationis doctrinae) et *Catechismus ad fideles,* qui novitates omnes, populari, sed technico, sermone vigilanter expressas, complectantur. *Catechismus ad fideles* duplex sit, sive « maior » pro fidelibus adultis media cultura praeditis, et « minor » pro parvulis et rudioribus.

DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA

1. *De redimensionandis Dioecesibus.*

Animadversio:

Exstat, praesertim in Italia insulari et peninsulari, et in regionibus mediterraneis orientalibus, nimiae archidioeceses et dioeceses exiguo territorio et populatione dotatae. Quae, si expeditiores et faciliores communicationes hodiernas spectamus, prorsus anachronisticae videntur.

Quae parvae dioeceses, ex magna parte, varias graves difficultates occurrunt cum decorose et apte Episcopi providere velint Seminariis, variis officiis Curiae, et non raro ipsis beneficiis curatis ob impossibilitatem verae selectionis personarum et mediorum quae prope idonea sint.

Omnia haec ad maius detrimentum dioecesis et animarum eveniunt, cum in his parvis dioecesibus Episcopus senescit gubernium tamen re-

tinens. Magnae dioeceses minores difficultates in administratione praebent cum selectionem personarum magis idonearum in adiutorium Episcopi permittant: nec timendum ibi erit detrimentum ex senectute Episcopi, cum ipsae magnae dioeceses facile polleant Episcopo auxiliari.

Vota:

a) S. Sedes per Visitatorem Apostolicum concrete certior fiat de veris conditionibus pastoralibus et administrativis omnium dioecesum, cum peculiari cura de minoribus.

b) Provideat S. Sedes, si immediate melius facere nequit, ut Episcopi dioeceseon minorum adiuventur aptis ecclesiasticis extradioecesanis in systematione praecipuorum officiorum et activitatum quae in dioecesi inepta sint.

c) Interim videat S. Sedes ut gradualiter Dioeceses ad proportiones, quae magis aptae et organicae videntur, reducantur.

2. *De inamovibilitate parochorum abolenda.*

Votum:

Ut Episcopi promptius remedium praeventivum et executivum habeant ad parochorum disciplinam promovendam et servandam, aboleatur privilegium inamovibilitatis parochorum.

3. *De consortio vitae communis in clero saeculari promovendo et gradualiter obligando.*

Animadversio:

Flet Mater Ecclesia frequens clericorum in castitate naufragium: quod si publicum, fit scandalum, si secretum, animarum tamen detrimentum semper existit. Saepe occasio lapsuum est solitudo qua affliguntur sacerdotes, iuniores plerique, qui in dissitis paroeciis et quasi-paroeciis degunt montanis et ruralibus: ibi, nisi inesauribili fervore sint devorati in pietate et in studiis, sacerdotes otiositate et levitate animi tentantur, et paulatim decidunt. Olim, cum viae et telephonia et vehicula rapide se moventia deficerent, ubique praesentia per habitationem sacerdotis exigebatur, ut promptior fieret in casibus urgentioribus; hodie vero etiam in his casibus sacerdos per telephonium vocari et per rapidum vehiculum haberi brevi tempore potest, eodem modo quo habetur, exempli gratia, medicus, qui non in singulis parvis vicis degit! Quinimmo, si sacerdotes in consortio vivant, fideles semper aliquem ministrum invenient in urgentioribus necessitatibus: quod non semper certum est cum sacerdos solitarie vivit in vicis, et frequentiorem « evasionem » (ut dicunt) a solitu-

dine quaerit! Vita communis sacerdotum, in cura animarum delectorum, sequentia adiumenta sacerdotibus et fidelibus praebebit:

a) Sacerdotes inter se fervida pietate et charitate aedificabuntur et fraternum solatium praebebunt, ne aliunde apud privatas familias, et foeminas, et similia, hoc solatium periculose quaeritent;

b) Cum Apostolica Sedes facultatibus trinandi et postmeridiem celebrandi pastorale ministerium vere faciliter, sacerdotes consortialiter viventes bini in singulis paroeciis, etiamsi uni eorum singulae affidatae, spiritualem adsistentiam exercebunt, variis diei horis, sive diebus sacris sive ferialibus, cum magna utilitate fidelium et ministerii;

c) Nec despiciendum est insigne lucrum quod in expensis sic dictis generalibus domus administrandae, et in calefaciendo, et in victu, et praesertim in decoroso servitio (quod hodie verum impedimentum est pro singulis sacerdotibus, et evidenter reductum erit si limitentur privatae clericorum habitationes) fiet.

Votum:

His et aliis motivis, praesertim ad salutem sacerdotum et ad aedificationem fidelium, obliganda erit vita communis omnium sacerdotum in determinata « zona » degentium, ad arbitrium Episcopi cuiusque dioecesis.

✠ IOANNES DADONE
Archiepiscopus Sanctae Severinae

201

EXC.MI P. D. CAROLI BANDINI
Episcopi Sarsinatensis (Sarsina)

Sarsina, XII Kal. septembris MCMLIX

Eminentissime Princeps,

Mitto Eminentiae Vestrae praesenti adiunctam scidam, vota mea humilia continentem in Concilio Oecumenico exhibenda, quaesita veneratis litteris diei 18 iunii 1959 (n. I C/59-1236).

Sacram Purpuram deosculatus et sensus impensae meae observantiae professus, me fateor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus
✠ CAROLUS BANDINI
Episcopus Sarsinatensis

1. Ut interioris vitae restitutio apta via atque ratione moveatur in clero et in populo christiano.

2. Ut, ubi paroeciae nimis exiguae sunt, parochi in parvas sed opportunas societates conglobentur.

3. Ut dioecesium inspectio moveatur ad fines magis congruentes statuendos.

4. Ut, ob nimiam sacerdotum paucitatem, cooperatorum laicorum institutio curetur.

5. Privilegio derogato, ut Episcopi facultate donentur ad utendum pro arbitrio monachorum opera, quoties id animarum bonum exigat.

6. Ut maiores et magis amplae facultates Episcopis concedantur in dioecesium moderatione (ut v. g. de piorum legatorum deminutione, de Missae iteratione diebus profestis, etc.).

7. Ut sacerdotum de dioecesibus clero affluentibus in egentes decernatur immissio.

8. Ut normae magis certae constituentur et via ac ratio magis efficax significetur ad communismum oppugnandum: exarare, exempli gratia, documentum concisum, perspicuum, completum, quod Ecclesiae doctrinam socialem exponat.

9. Ut ecclesiarum et altarium consecrationis ritus contrahatur, ne fideles taedio afficiantur sed laetitia.

10. Usus linguae patriae in Sacramentorum administratione, praesertim Baptismatis, Confirmationis, Extremae Unctionis, Matrimonii, ut fideles maiori studio participes sint.

11. Vestis ecclesiasticae reformatio.

12. Ut parochorum inamovibilitatis privilegium minuatur.

13. Ut beneficiorum paroecialium temporalia, ad praedia quod attinet, abalienentur, praesertim in dioecesibus montanis, simulque parochorum victui aequius consulatur.

14. Divini Officii contractio, praesertim diebus festis.

15. Missae celebratio, et, nulla Missae habita ratione, sacrae Synaxis susceptio unoquoque momento, interiecto scilicet praescripto tempore a sumptis cibis.

✠ Carolus Bandini
Episcopus Sarsinatensis

202

Exc.mi P. D. ARCHANGELI MAZZOTTI

Archiepiscopi Turritani (Sassari)

Sassari, die 4 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Petitioni Eminentiae Vestrae annuens, haec vota circa argumenta pro Concilio Oecumenico apparanda sincero et humili animo expono.

1. Quoad doctrinae capita statuenda, desideratur definitio dogmatica de B. Maria Virgine omnium gratiarum Mediatrice.

2. Quoad disciplinam ecclesiasticam desideratur:

a) ut lex de inamovibilitate parochorum immutetur ita ut maior auctoritas in hac re Ordinariis locorum tribuatur;

b) ut Episcopis maior concedatur auctoritas ut in iis quae nunc exigunt « consensum », sufficiat « audire consilium » Capituli Cathedralis et hoc non ad actus validitatem.

Interim S. Purpuram deosculans quo par est obsequio me profiteor

Eminentiae Vestrae addictissimum

✠ Archangelus Mazzotti
Archiepiscopus Turritanus

203

Exc.mi P. D. IOANNIS B. PARODI

Episcopi Savonensis et Naulensis (Savona e Noli)

Savonae, die 15 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris, quas nomine Summi Pontificis die 18 iunii huius anni de Oecumenico Concilio convocando mihi misisti, peramanter respondeo, in primis Te orans ut Sanctitati Suae sensus et officia cordis mei expromere velis pro paterna Sua in me observantia.

Nunc humiliter et sincere exponam quae, pro modica mea pastorali experientia, opportune disserenda in proximo Concilio videntur.

A) *Doctrinae capita*

Ex conceptionibus philosophicis, scientificis et socialibus recentiorum temporum, respectu Revelationis christianae, quae sint maxime dissona, et si quae inveniantur aliquo modo consona.

B) *De cleri disciplina*

1. Proponenda videtur reformatio vel totalis abolitio iuridici instituti beneficiorum ecclesiasticorum, singulis clericis collatorum; eo fine ut omnes dioecesani clerici pro officio sibi collato congruam et aequam retributionem percipere valeant iuxta rationem ab Ordinario, rite auditis consultoribus, statutam.

2. Novus status organicus cleri dioecesani optandus videtur, in quo omnes clerici aliquam iustam ac rationabilem stabilitatem officii obtineant, nullus vero inamovibilis censeatur; sed omnes, iustis de causis et de consensu vel de consilio consultorum, ab uno officio ad aliud officium pro bono animarum libere transferri possint.

3. Abolito instituto concursus ad vacantes paroecias, electio ad omnia officia ecclesiastica opportune et caute fieri posset ab Ordinario de consilio vel de consensu specialis Commissionis sedulo selectae.

4. Pro quibusdam officiis ecclesiasticis (parochi, Ordinarii loci etc.) quaedam certa aetas statuenda videtur, ultra quam iam nemo munus exercere valeat.

5. Attento numero sacerdotum, qui viam Domini deserentes ad saeculum reversi sunt, quin tamen fidem amiserint, aliquod salvationis remedium proponendum videtur.

C) *De religiosis*

1. Disciplina religiosorum, quorum superiores frequenter per electionem mutantur, magis seria ac severa desideratur. Institutum electionis reformatione indigere videtur.

2. Exemptio religiosorum qui vitae vere monasticae incumbunt non magnas excitat difficultates; religiosi e contra qui pastoralia munera exercent Ordinariis locorum, nova ordinatione, magis subiecti esse debere videntur.

3. Simplex mendicatio religiosorum nimis fastidiosa, indecora ac moraliter periculosa multis videtur. Fortasse penitus abolenda proponi posset.

4. Religiosi bono animarum maxime utiles apparent, qui solidam ac specificam praeparationem et destinationem habent ad determinata ministeria; ceteri parum utilitatis afferunt.

D) *De laicis*

De statu laicorum in Ecclesia aliquid sive theologice sive iuridice definiendum proponi posset.

Haec quae mihi suggerenda visa sunt Tibi omni cum obsequio submitto, obtestans Apostolicae Sedi ac SS.mo Patri plenam et filialem meam oboedientiam et reverentiam.

Sinceros ac gratos mei animi sensus Tibi exprimens, Eminentiae Tuae Rev.mae me profietor

devotissimum famulum

✠ IOANNES BAPTISTA PARODI
Episcopus Savonensis et Naulensis

204

EXC.MI P. D. ALOYSII M. CARLI
Episcopi Signini (Segni)

Signiae, die 8 augusti 1959

Beatissime Pater,

postquam litteras accepi quas, Tuo augusto nomine, Em.mus Praeses Pont. Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico ad me humanissime misit die 18 iunii 1959, Prot. N. I C/59-1250, coram Deo corde revolvere non destiti ea quae in bonum Sanctae Matris Ecclesiae, quod quidem ego noverim, tractari posse videntur.

Et nunc, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, qui es Christi Vicarius et Pastorum oviumque Pastor, qua par est sinceritate et submissione, sententiam meam humillime pando, anceps an quaedam potius ad Codicis reformationem et ad ordinarium Summi Pontificis ministerium spectent quam ad capita in Oecumenico Concilio tractanda; quaedam vero Italicae potius quam Universalis intersit Ecclesiae.

Interim enixis precibus Spiritum invoco Paraclitum ut, auspice et mediatrice Dei Genitrice Maria, Tuam mentem eorumque qui, Te capite, futuri Concilii Patres erunt, superna inundet luce voluntatemque suavi corroboret fortitudine.

Beatissime Pater, me mihique concreditum gregem Apostolica Benedictione confortare digneris.

Dev.mus

✠ ALOYSIUS MARIA CARLI
Episcopus Signinus

I. Quoad Doctrinam

1. Contra grassantem hedonismum et « terrenismum » quem vocant:

a) factum *vocationis* omnium hominum statuatur, gratuitae quidem ex parte Dei sed irrecusandae ex parte hominis, *ad finem supernaturalem* assequendum, et per consequens obligatio in homine ordinandi ad illum finem totam suae vitae rationem, sive privatam sive publicam;

b) doctrina *materialismi* denuo sollemni anathemate feriatur;

c) praestantia status *virginitatis* super matrimonialem statum definiatur;

d) indissolubilitas *matrimonii* eiusque *fines* iterum statuantur;

e) *laicismus,* quatenus iura Dei ab Eoque fundatae Ecclesiae in hominum societatem et publicam eorum vitam denegat, explodatur.

2. *Evolutionismus materialisticus,* nec non et *poligenismus* (saltem quoad homines in terra post Adamum existentes ab eoque non prognatos) damnentur.

3. *Relativismus moralis* damnetur, quatenus statuit sive mutabilitatem regulae morum, sive hominis, in concreta « situatione » positi et iam iam ad actionem transituri, independentiam a lege divina naturali et positiva.

4. Conceptus « *Traditionis Catholicae* », ut est alter divinae Revelationis fons, praecisis limitibus definiatur: ex quo sperari potest ut unus ex scopulis, qui Protestantes a Catholicis dividunt, e medio tollatur.

5. Ad praeiudicia quaedam Orthodoxorum diluenda definiri poterunt:

a) *quoad Summi Pontificis primatum*: modus, quo Summus Pontifex practice exercere debet primatum iurisdictionalem in universam Ecclesiam, non est divina institutione definitus, sed Eius prudentiae commissus sub ordinaria Spiritus Sancti adsistentia, iuxta temporum locorumve circumstantias, servatis de coetero quae iuris divini sunt;

b) *quoad Episcopatum*: 1) Episcopatus, quippe qui sit plenitudo sacerdotii et fons ipsius presbyteratus, est verum et proprium Novae Legis sacramentum, a Christo Domino institutum, et a presbyteratu distinctum ut totum distinguitur a sua parte.

2) Collegium Episcoporum residentialium succedit collegio Apostolorum in munere apostolico, proinde iure divino pertinet, sub primatu iurisdictionali Summi Pontificis, ad essentialem Ecclesiae Christi structuram.

3) Episcopi residentiales, collegialiter sumpti et cum Summo Pontifice tamquam capite communionem habentes, charismate infallibilitatis gaudent; proinde iis tantum, tamquam veris iudicibus doctrinali-

bus, competit ius strictum et nativum ut ad Concilium Oecumenicum vocentur in eoque votum habeant deliberativum, ceteris vero ex gratiosa Summi Pontificis concessione.

II. Quoad Cleri disciplinam

In genere

1. *Codex liturgicus* pro universa Ecclesia Latina valde desideratur, qui finem imponat dubiis, disputationibus et differentiis, animum fidelium nonnihil turbantibus.

2. *Acta Ss. Congregationum* ita confecta exoptantur ut nullam, pro posse, dent ansam cavillationibus, dubiis, variis interpretationibus quae eorumdem Actorum vim practice enervent.

3. Amplificandae videntur *facultates Episcoporum residentialium* ex iure communi concessae.

4. Ad disciplinam corroborandam, ad auctoritatem episcopalem confirmandam, ad tollendas odiosas comparationes inter unam alteramve dioecesim et admirationem populi, necessarium videtur ut *Episcopi eiusdem Nationis,* vel saltem plurium regionum finitimarum, conveniant in adhibenda una eademque ratione agendi circa res quae sequuntur:

— *textus catechismi unicus,* sive pro ordinaria catechesi sive pro speciali catechesi ad Primam Confessionem, Confirmationem et Primam Communionem;

— ratio viaque *pro catechetica instructione* sive puerorum sive adultorum;

— agendi ratio *erga foeminarum cultum* in locis sacris;

— Actio Catholica eiusque relationes ad ceteras Pias Adsociationes;

— administratio Sacramentorum, praesertim Confirmationis et Primae Communionis;

— purgatio festorum sacrorum ab indebita interpositione laicorum et ab indecoris spectaculis;

— taxae pro actibus paroecialibus solvendae;

— relationes Cleri erga civiles auctoritates et factiones politicas.

5. Improbatur facilis mos clericorum et laicorum *recurrendi ad Ss. Congregationes contra Episcopos* vel ob levissimas causas.

Hinc dignitas et auctoritas episcopalis videtur vilescere, munusque episcopale practice deprimi ad munus magistratus civilis cuiusdam (funzionario), cuius sit tantum curare ut lex communis observetur, minime vero et patris et legislatoris et iudicis nativam exercere potestatem.

Ad hoc inconveniens minuendum, desideratur ut recursus sine nomine contra Episcopos nullo umquam pacto a Ss. Congregationibus ad-

mittantur. Si recursus, subscriptus quidem, sit circa ea quae sunt praeter ius commune quaeque proinde Episcoporum prudentiae statuenda relinquuntur, Episcopi ne vexentur. Si autem sit de re gravi vel de re contra ius commune, admittatur quidem recursus sed praemoneatur recurrens ut sit paratus respondere, etiam poenaliter si casus ferat, de suo recursu.

6. Ob imminutum numerum Sacerdotum et Religiosorum, videtur opportunum ut *in scholis et collegiis pro laicis,* cooptentur tamquam magistri, saltem quoad scientias profanas, laici bonae indolis et integrae fidei. Sic pro apostolatu praesto erit maior numerus Sacerdotum et Religiosorum.

Quoad Clerum dioecesanum.

7. *Dioeceses,* quae *nimis parvae* sint, *supprimendae* videntur hisce de causis:

a) recta et fructuosa organisatio parvarum dioeceseon est hodie fere impossibilis. Plures enim sunt actuositates necessariae aut utiles quae in parvis dioecesibus aut nullo modo aut malo tantum modo fieri queunt.

b) Sic multiplicantur entia languide viventia (Curiae, Seminaria, Capitula, Officia Administrativa et Catechistica, Actiones Catholicae etc.), cum inutili impensa sacerdotum, laicorum catholicorum et opum materialium; dum e contra sive illos sive istas in dies deficere apud omnes constat.

c) Auctoritas ipsa episcopalis valde imminuitur in aestimatione populi, praesertim si comparetur cum auctoritate Civilium Magistratuum. In parvis dioecesibus, proh dolor, Episcopus necessario se innodatum invenit simultatibus et factionibus tum clericorum tum laicorum loci, et in sua actione pastorali saepe, necessitate cogente, impeditur quominus quae meliora videt ea decernere possit.

d) In parvis dioecesibus minima aut nulla est possibilitas pro clero mutandi sedem aut officium, cum vero damno eiusdem cleri et populi.

e) Etiam fructus actuositatis Cleri et meliores et maiores forent si omnibus sacerdotibus, iuxta suam cuique capacitatem, aptum officium tribueretur: quod in parvis dioecesibus fere impossibile est.

f) Parvitas dioecesis potest, meo quidem iudicio, esse una ex causis cur clericalis militia hodie minus appetatur.

Optimis enim adulescentibus potest videri nimis durum coarctare totum suae vitae curriculum intra parvae dioecesis cancellos, in qua mansiones paucissimae sint, minima aut nulla possibilitas mutandi sedem

vel officium, et exinde lites simultatesque fere quotidianae inter clerum! Proinde aut statum religiosum amplectuntur, in quo ampliores sunt possibilitates mutationis, aut in saeculo manent.

8. Ut clerici sanctiorem prae laicis vitam ducant, expedire videtur ut:

a) *Exercitia spiritualia* (can. 126) quotannis, vel saltem alternis annis imponantur;

b) sollemniter commendetur *vita communis* inter clerum, praesertim si agatur de sacerdotibus iunioribus et de parvis paroeciis;

c) loco examinum de quibus in can. 130, sed firmis examinibus ad audiendas confessiones et ad concursus, sacerdotes novensiles saltem per quinquennium obligentur ut frequentent eas quae dicuntur: « *settimane di aggiornamento per il Clero* », quotannis habendas apud Seminaria Regionalia, vel alibi de consensu Episcoporum regionis;

d) reformetur *cursus theologicus* et *aetas suscipiendorum Ordinum*. Post absolutum lycaeum trium annorum, instauretur cursus theologicus 6 annorum. *Subdiaconatus* ne conferatur nisi post expletum 23 aetatis annum: sed lex coelibatus et Breviarii in subiaconatu vim tantum temporaneam habeat. Diaconatus vero ne conferatur nisi post annum a suscepto subdiaconatu, in eoque lex coelibatus et breviarii fiat perpetua: idem dicatur de professione perpetua pro Religiosis. Sic maius concedetur tempus ad pensandas obligationes status clericalis, et reditus ad saecularia vota erit practice possibilis usque ad 24 aetatis annum.

e) reformetur *systema beneficiarium*. Liberetur tandem clerus ab administratione directa fundorum, quae illum innumerabilibus illaqueat difficultatibus et tentationibus diaboli et despectui fidelium exponit! Omnibus tamen sacerdotibus in vinea Domini quoquo modo laborantibus certus et decorus assignetur vivendi modus.

9. Tota materia *de Canonicorum Capitulis* tractanda videtur, utpote causa infinitarum litium. Servitium chorale ex iure communi restringi posse censeo ad solos dies festos de praecepto, data tamen Episcopis facultate canonicos obligandi ad catechismum impertiendum, scholam gratuitam in Seminario faciendam, confessiones excipiendas, aliaque huiusmodi.

Quoad Religiosos.

10. Institutum *exemptionis Religiosorum* radicitus reformandum videtur ob has, quae sequuntur, rationes:

a) circumstantiae historicae ob quas illud institutum est natum, iam a multo tempore, Deo favente, prorsus mutatae sunt.

b) Exemptio hodie vergit in enervationem disciplinae ecclesiasticae, in detrimentum recti regiminis episcopalis, in deminutionem quandam

cleri dioecesani, interdum in admirationem seu scandalum fidelium. Religiosi nati sunt in adiutorium Sacrae Hierarchiae; exemptio saepe saepius eos facit in impedimentum Sacrae Hierarchiae.

c) Privilegia, si quae Religiosi appetant, non consistant in dispensatione a iure communi, sed potius in accuratiore eiusdem observantia, quae bonum exemplum ceteris clericis praebeat: perfectionem enim Religiosi profiteri dicuntur.

d) Optandum est ut, salva competentia Superioris in his quae spectant ad vitam mere religiosam et ad translationem subditorum de uno ad alium locum, Religiosi in dioecesi operam navantes quae quoquo modo respectum habeat ad fideles dioecesanos (v. gr. paroecia, ecclesia publica, scholae, adsociationes, actiones liturgicae, catechetica instructio, praedicatio, administratio Sacramentorum, collationes de re morali et liturgica, piae peregrinationes, stirps quaeritanda etc.), in his subiciantur Episcopo sicut clerus dioecesanus, sine ullo privilegio.

11. Desideratur ut omnes Religiosi clarius specimen praebeant virtutis *paupertatis,* sive uti singuli sive etiam uti communitas. Non raro enim quaedam cernuntur quae cum professione paupertatis aegre componuntur.

12. Videtur nonnihil immutanda ratio iuxta quam plures Religiosi *vocationum dilectum* instituunt. Ecce enim undique et sine ulla lege, saepe saepius adiuvantibus piis mulierculis et religiosis foeminis, Religiosi dioecesim perlustrantur (etiam qui inibi nullam habeant domum) vocationes expiscaturi, promittentes facile et gratuitum fere studiorum curriculum. Sic non semper desiderium perfectionis acquirendae candidatos ad religiones impellit; conceptus obnubilatur verae vocationis, quippe quum prae oculis et adulescentes et eorum parentes potius minores expensas habeant quam Dei voluntatem. Sic in dioecesi, quae parva sit et pauper, quaeque proinde minorem vel saltem parem ac Religiosi pensionem petere nequeat, rari inveniuntur candidati ad sacerdotium, et clerus sufficiens deficit.

III. Quoad disciplinam populi christiani

1. Plures christifideles hisce nostris temporibus conantur componere fidem cum practico neo-paganismo. Hortandi sunt *confessores ut rigidius agant* in confessionibus excipiendis.

2. Institutum *patrinorum* in Baptismate et Confirmatione videtur abolendum, utpote cuius utilitas spiritualis, experientia teste, hodie nulla fere sit, incommoda vero plurima (v. gr. dilatio horum Sacramentorum ob absentiam vel inopiam patrini).

3. *Celebratio festorum Sanctorum,* Confirmationis, Primae Communionis et Matrimonii, per normas communiter editas ab Episcopis eiusdem Nationis vel saltem plurium Regionum finitimarum, expurgetur a luxu et a profanis oblectamentis, saltem quod pendeat ab Ecclesia.

4. *Aboleatur differentia « classium »*, quas vocant, in celebratione baptismatis, matrimonii et funeris. Pro omnibus sit in Ecclesia Christi idem servitium.

5. *Prima Communio* videtur recensenda inter functiones paroeciales; proinde uni parocho, vel alii sacerdoti a parocho delegato, iudicium sit de sufficienti dispositione puerorum ad Primam Communionem.

6. Videtur pressius definienda *aetas Confirmationis* suscipiendae, eiusdem relatio ad Primam Communionem.

7. Quoad *dies festos de praecepto.* Aut reducantur ad solos dies dominicos, ita tamen reformando kalendarium ut omnes sollemnitates semper cadant in die dominico; aut solis diebus dominicis duples afficiatur obligatio Missam audiendi et ab operibus abstinendi, ceteris vero festis una obligatio Missam audiendi.

8. Quoad *abstinentiam ab operibus.* Melius determinanda videtur et natura et limites huius obligationis, nec non et causae excusantes. Videtur derelinquenda tamquam odiosa distinctio inter opera servilia et opera liberalia; aliud criterium videtur assumendum.

9. Quoad *catecheticam instructionem.* Eius obligatio sollemniter statuenda videtur, tamquam pars sanctificationis dierum festorum. Tamen, ad succurrendum hodiernis consuetudinibus, catechetica instructio adultorum inseri poterit (quemadmodum priscis Ecclesiae temporibus fiebat) tamquam pars necessaria et obligatoria in ipsa celebratione Missae (v. gr. post Epistolam et post Evangelium).

10. Quoad *praeceptum paschale.* Videtur concedendum ut possit adimpleri toto anni spatio, quamvis commendetur tempus paschale proprie dictum.

11. Quoad *legem abstinentiae et ieiunii.* Praeceptum abstinentiae simul et ieiunii restringatur ad omnes ferias VI temporis quadragesimalis, ad feriam IV Cinerum, ad Sabbatum Sanctum, ad vigilias Omnium Sanctorum, Immaculatae Conceptionis B. M. V. et Natalis Domini Nostri Iesu Christi. Cetera omnia aboleantur.

12. Quoad *tempus feriatum* pro nuptiis sollemnibus. Reducatur ad solum tempus quadragesimale; si nuptiae, facta facultate ab Episcopo, hoc tempore celebrentur, detur quidem benedictio uxori post Pater Noster (nam fideles non in hac benedictione sollemnitatem vident), sed pompa in Ecclesia omnino prohibeatur (v. gr. flores, sonus, cantus, plurima lux, tapetia, etc.) sine ulla dispensatione.

13. Ad coërcendam multiplicitatem *causarum matrimonialium* — quae practice vergit in discrimen indissolubilitatis et sanctitatis Magni Sacramenti — videtur omnino deneganda actio ad impugnandam validitatem ex capitibus vis et metus, simulationis consensus et exclusionis alicuius proprietatis essentialis.

Aliis verbis: si nupturientes, secreto interrogati a parocho ante matrimonium, declarationem subscripserint se libera et sincera voluntate contrahere velle matrimonium prout intenditur ab Ecclesia Catholica, idemque affirmaverint per verba de praesenti in ipsa celebratione matrimonii, bonum commune exigere videtur ut illud matrimonium, *per praesumptionem iuris et de iure*, validum omnino habeatur.

Pauciores censeo fore casus conflicationis inter forum internum et forum externum ob illam statutam praesumptionem, quam nunc sunt casus declarationis nullitatis matrimoniorum revera validorum!

✠ Aloysius Maria Carli
Episcopus Signinus

205

Exc.mi P. D. HUMBERTI RAVETTA
Episcopi Senogalliensis (Senigallia)

Senigallia, 20 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

In ossequio alle venerate disposizioni comunicate con la Lettera Prot. 1 C/59-1256, chiedendo perdono per il ritardo involontario, rimetto all'Eminenza Vostra Reverendissima l'allegato foglio con nota sugli argomenti che potrebbero essere trattati nel futuro Concilio Ecumenico.

Bacio reverentemente la Sacra Porpora e con profondo ossequio godo protestarmi

della Eminenza Vostra Rev.ma
umilissimo
✠ Umberto Ravetta
Vescovo di Senigallia

Senogalliensium Episcopus ut in proximo Concilio Oecumenico inter alia haec pertractentur exoptat:

De doctrina

1. Schema Constitutionis de catholico dogmate ad Concilium Vaticanum iam paratum, in partes seu propositiones quibus Christifideles religione ac fide teneantur, explicetur.

2. Dogmatis capita, cum disciplinis et historia commixta, novissimis temporibus a Summis Pontificibus, praesertim a Pio XII f. r. saepius pertractata, brevi ac rationali dissertatione gaudeant, quo utriusque fines clarius niteant et Christifideles, quidquid sibi credendum, aperte sciant, praesertim de Hominis origine, de congenito ac haereditario peccato.

3. Item nexus et fines catholici dogmatis et disciplinarum quae nunc plurimum ut « Relativismus et Existentialimus » valent, a maiore investigatione uberiorem lucem accipiant, quo recentiorem philosophorum conatus facilius oppugnari possint.

De legibus

Episcopi, ut successores Apostolorum, audiendi ubique terrarum confessiones omnium fidelium facultate gaudeant.

1. Beneficiorum subiectiva perpetuitas abrogetur, vel in paroecialibus Beneficiis conferendis maiore facultate ad animarum salutem Episcopi uti possint.

2. Patres Concilii, Matris amore, quomodo animis sacerdotum qui ad statum saecularem infeliciter reducti sint Ecclesia consulet, exquirant.

3. De Sacramentis conferendis, praesertim Confirmationis, — Paenitentiae —, Matrimonii in die de praecepto vel dominico, leges, aetate et tempore certiores, promulgentur.

4. Episcoporum iurisdictio in Domum Religiosam exemptam vel praecipue in *Praesides* Confederationum Monialium nuper constitutarum latius et clarius sanciantur:

5. Exemptio Religiosorum interius domus regimen tantum tangat: quidquid vero ad animarum salutem attinet, auctoritati Ordinarii sit obnoxium.

6. Contrahantur numero et poenae Ecclesiae et casuum reservatio.

7. Ecclesiae beneficia, quantum fieri potest, aequa ratione dividantur et beneficiarii sacerdotes ab administrandis bonis beneficialibus liberentur.

8. Sodalitia, Congregationes omnes, operam fidei defendendae ac diffundendae navantes, Episcopus suo arbitrio componere et regere possit.

9. Simpliciorem ad rationem redigantur normae, leges, statuta quibus in Divino Officio persolvendo et ecclesiastica sepultura standum.

✠ HUMBERTUS RAVETTA
Episcopus Senogalliensis

206

EXC.MI P. D. CAIETANI DE CICCO

Episcopi Suessani (Sessa Aurunca)

Sessa Aurunca, 13 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Inchinato al bacio della S. Porpora, mi pregio accludere la mia risposta al Suo venerato foglio del 18 giugno scorso, prot. n. 1 C/59-1259.

E con profonda venerazione mi raffermo

di Vostra Eminenza Reverendissima
devotissimo servo
✠ GAETANO DE CICCO
Vescovo di Sessa Aurunca

Episcopi Suessani Caietani De Cicco vota in proximo Oecumenico Concilio, si placeat, examinanda:

1. Ut B. V. Maria inter Deum et homines mediatrix, iuxta doctrinam Ss. Patrum et Doctorum Ephraem, Ioannis Chrysostomi, Ioannis Damasceni, aliorumque, necnon Summorum Pontificum magisterium, praesertim Pii Pp. IX in Bulla *Ineffabilis,* 8 dec. 1954. Leonis Pp. XIII in Enc. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895, Pii Pp. XI in Enc. *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1928, infallibili Ecclesiae oraculo proclametur.

2. Ut errantes fideles ad Ecclesiae unitatem revocentur.

3. Ut catholica puerorum institutio etiam post primam communionem uberius ac perfectius catechismo excolatur et adultorum item catechistica institutio, diebus festis, Adventus et Quadragesimae tempore praesertim, opportuna hora, vel etiam intra paroecialem Missam, si alia hora fieri nequeat, consueta homilia, urgeatur.

4. Ut effrenatus nunc temporis vestiendi mos, vulgo « moda », et omne genus spectacula et repraesentationes, cinematographicae et televisivae praecipue, quae christianam modestiam vel pietatem dedeceant, castigentur.

5. Ut fidelium mores, in re matrimoniali maxime, cum christianae vitae sanctitate componentur.

6. Ut Cleri disciplina postremis bellicis eventibus passim labefactata ad strictiorem observantiam reducatur.

7. Ut in politicis negotiis animarum pastores ne se personarum factionibus, vulgo « partiti », immisceant, sed Actione Catholica adiuvante, Ecclesiae doctrinam clare et aperte doceant et illustrent, nulla in adversarios acrimonia.

8. Ut Cleri oeconomicis temporis necessitatibus consulatur.

9. Ut Episcopis facultas concedatur:

a) permittendi, urgente necessitate, Sacri binationem diebus ferialibus et trinationem diebus festis;

b) dispensandi, iustis de causis, ab impedimentis minoribus matrimonialibus;

c) dispensandi, suetis conditionibus, super defectu aetatis canonicae ad S. Ordinem presbyteratus, usque ad menses duodecim.

✠ Caietanus De Cicco
Episcopus Suessanus

207

Exc.mi P. D. MARII TOCCABELLI
Archiepiscopi Senensis (Siena)

Senis, die 28 septembris 1959

Eminentissime Praeses,

Plerisque Oecumenicis Conciliis graves nonnulli contra catholicam fidem errores causam dederunt. Nostra verum aetate non unus est error qui unum alterumve catholicum dogma infitietur, sed philosophica quaedam et socialis vitae disciplina, quae totam reicit catholicam doctrinam, quamque sub Materialismi nomine Communismus amplexus est.

Hunc adversus errorem non tacuit Ecclesia et novissimi Summi Pontifices amplis et gravibus documentis doctrinae illius fallaciam patefactam damnaverunt.

Mihi tamen videtur Materialismi critice investigati condemnationem salutariter posse animos movere, si a tam gravi Consessu procedat, quod est Oecumenicum Concilium.

Sicut iam de Liberalismo actum fuit, ita nunc optabile est — ut omne arceatur ambiguum — damnandas Materialismi doctrinas sub certos et perspicuos redigi canones.

Praeterea, etsi de re sociali clara extant Apostolicae Sedis documenta, adhuc nullum vidimus catechismum: de quaestione sociali eiusque solu-

tione, de opere, de opificum iuribus atque de herorum officiis. Oportet igitur Concilium de his rebus agat, solemniter principia illa renuntiet ex quibus sit huius quaestionis eruenda solutio et insuper breviarium curet de his rebus edendum.

Cum mores, proh dolor, materialismo imbuti, pagani rursus evaserint, gravem audiant christifideles a synodi Patribus monitum ut iuxta Baptismatis promissa suam quisque vitam instituat.

Certior tandem factus de revisendo Codice Iuris Canonici, non peculiaria propono, sed opportunum duco ampliores fieri Episcoporum facultates etiam in eximendis fidelibus a generalibus Ecclesiae legibus.

✠ MARIUS TOCCABELLI
Archiepiscopus Senensis

208

EXC.MI P. D. HECTORIS BARANZINI
Archiepiscopi Syracusani (Siracusa)

Syracusis, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Respondeo litteris tuis diei 18 iunii 1959 n. 1 C/59-1279 circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Ut minus sapiens haec audeo suggerere:

1) fiat obligatio ut quotannis vel alternis annis sacerdotes omnes spiritualibus exercitiis vacent;

2) arcte servetur lex ne presbyteratus conferatur ante vicesimum quartum annum completum;

3) habitus ecclesiasticus servetur in regionibus ubi viget laudabilis consuetudo;

4) parochi omnes fiant amovibiles;

5) regulares privilegio exemptionis ne gaudent, nisi in iis quae regimen internum ac disciplinam religiosam spectant;

6) consulatur modernis ac efficacibus mediis (v. g. adsicurationibus et vulgo « pensioni ») sacerdotibus aegrotis, inhabilibus et senescentibus;

7) rituale pro sacramentis baptismi et matrimonii adhibeatur in sermone vulgari;

8) in Curia Romana adiungatur Congregatio de actuositatibus catholicis in hodiernis temporibus;

9) relationes de Ecclesia et Statu civili determinentur, item de actione laicali ac de apostolatu sociali.

Lumina Spiritus Sancti adprecor iis qui in Commissione antepreparatoria, cui Tu eximie praees, operam dant et dum Sacram Purpuram deosculor, me humillime profiteor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum

✠ HECTOR BARANZINI
Archiepiscopus Syracusanus

209

EXC.MI P. D. CAROLI SERENA
Archiepiscopi Surrentini (Sorrento)

Sorrento, 29 aprile 1960

Eminenza Reverendissima,

Per un insieme di circostanze, tra le quali un periodo di malattia, mi sono indotto a inviare solo ora a Vostra Eminenza la mia risposta alla venerata Lettera Circolare diretta ai Vescovi, con la quale essi sono invitati a esporre i loro voti da prendersi in esame nel prossimo Concilio Ecumenico.

Chiedendo a Vostra Eminenza umilmente venia del ritardo, ho l'onore di chinarmi al bacio della S. Porpora e confermarmi con sentimenti del più profondo ossequio

di Vostra Eminenza Reverendissima
umilissimo, obbl.mo obbed.mo
servitore

✠ CARLO SERENA
Arcivescovo di Sorrento

Propono pro Clero, ad augendam eius pietatem, praesertim si Breviarii recitatio imminuatur, obligationem ei facere « sub gravi » mediationis diurnae, saltem quadrantis horae; insuper ut obligatio triennalis vacandi spiritualibus exercitiis (can. 126) fiat annualis.

Cum autem difficile evadit in Seminariis Regionalibus probe inspicere et colere plurimos alumnos qui centum excedant, propono institutionem, saltem ad experimentum in aliqua regione, Seminarii Interdioe-

cesani per unionem vel trium Dioecesium finitimarum, ita ut in una earum studia peragat alumni Gymnasii, in alia alumni Philosophiae et in alia alumni Theologiae.

Illud adde quod haec distributio alumnorum, praeter aditum ad opportunitatem melius excolendi minorem numerum alumnorum, efficeret ut plures Sacerdotes Dioecesium incumberent studio Philosophiae et Theologiae. Reapse hoc tempore, defectu exercitationis docendi (« Homines dum docent discunt »), parvae Dioeceses laborant penuria Sacerdotum valde peritorum sacram scientiarum, quod antea raro eveniebat.

Exc.mi Visitatores missi singulis annis a S. Congregatione competenti ad hos Seminarios Interdioecesanos pro inspectione peragenda, cognoscere possent de morum cura et diligentia ac de profectu studiorum. Professores autem, cum domi suae viverent, satis haberent modicam retributionem et aliqua alia ministeria navarent Dioecesi.

Omni quo par est obsequio Purpuram Tuam deosculor meque profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
hum.mum et add.mum
✠ Carolus Serena
Archiepiscopus Surrentinus

210

Exc.mi P. D. PACIFICI I. VANNI

Archiepiscopi Ep. Soanensis-Pitilianensis
(Sovana- Pitigliano)

Pitigliano (Grosseto), 16 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Ob varias ac diuturnas difficultates horum mensium in quibus non tantum multa et gravia negotia Dioecesis tractanda habuit sed etiam molesta, etsi non gravi, infirmitate laboravi, hucusque minime potui illi praeclarae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico propositiones, observationes ac alia rite transmittere.

Velit, Eminentissime ac Rev.me Domine, me excusare!

Nunc vero, omnibus perpensis, melius iudicavi elenchum conficere propositionum quae, ex parte mea, salvo semper aliorum sapienti consilio ac speciatim Summi Pontificis iudicio, in ipso Concilio Oecumenico tractanda videntur.

Hae propositiones, non tantum ad libitum meum, sed etiam collatis consiliis cum aliis Ordinariis, rite confeci.

Si quaenam sunt minus bene expressa vel dicta, velit illustris ac docta Commissio me excusare.

Cum devotionis sensibus ac omnia bona ominans, Sacram Purpuram deosculor ac rite maneo

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimus in Domino
✠ PACIFICUS IULIUS VANNI
Archiepiscopus Ep. Soanensis-Pitilianensis

I. *Quoad doctrinam*

1. Definitio dogmatica Mediationis Universalis B. M. Virginis in distributione gratiae.
2. Definitio Regalitatis D. N. Iesu Christi ac Regalitatis B. M. Virginis prout in Festis Liturgicis Christi Regis ac Mariae Reginae adumbrantur.
3. Expositio solemnis et Conciliaris totius Doctrinae Mystici Corporis Christi et Eius Unitatis iuxta sensum Litterarum f. m. Pii Pp. XII *Mystici Corporis*.
4. Item: Expositio Conciliaris Doctrinae Catholicae quoad Sacram Liturgiam.
5. Item: Expositio Conciliaris Doctrinae Catholicae circa Relationes inter Ecclesiam et Statum.

II. *Errores damnandi in Concilio Oecumenico*

1. Communismus materialista et Athaeus.
2. Neo-Modernismus iuxta Litteras *Humani Generis* f. m. Pii Pp. XII: naturalismus, laicismus et existentialismus atheus.
3. Quoad moralitatem: relativismus moralis et Ethica, quam vocant, situationis.

III. *Quad doctrinam moralem*

1. Solutio Conciliaris problematum, speciatim huius temporis, quae ad familiam spectant.
2. Expositio Conciliaris moralitatis socialis et Professionalis.

3. Statuantur clarae et concretae regulae et normae circa pericula moderna contra moralitatem: Cinema, Radio-Televisio, Sport et proelum.

4. Affirmetur solemniter aspectus positivus et asceticus.

IV. *Quoad doctrinam socialem*

1. Expositio Conciliaris syntetica Doctrinae Socialis Ecclesiae Catholicae.

2. Praebeantur normae circa motus sociales, opificum seu operariorum coetus et quoad politicas res.

V. *Quoad ecclesiasticam disciplinam*

1. Aboleatur, cum quibusdam cautelis, inamovibilitas Parochorum et Sacerdotum ita ut Episcopi et Ordinarii, si animarum bonum id exigat, facile possint Parochos et Canonicos amovere vel transferre.

2. Reddatur facilior, ob bonum animarum et ipsorum Sacerdotum, translatio vel transitus de una ad aliam Dioecesim eorumdem (Sacerdotum) cum necessariis mutationibus legis incardinationis et tituli Ordinationis.

3. Affirmetur clare vis iuridica et moralis tum Declarationis, iuramento firmatae, tum Promissionis quibus Sacerdotes ante Ordinationem Sacram et in ipsa Ordinatione oboedientiae Ordinario proprio seipsos adstringunt.

4. Regulentur et faciliores reddantur relationes Episcoporum cum Congregationibus Romanis.

5. Statuentur clariores normae et regulae circa relationes inter Clerum Saecularem et Regularem.

6. Cum quibusdam normis atque conditionibus mutetur lex exemptionis Regularium ac Religiosorum ita ut, semper salva ac tecta religiosa disciplina quae omnimode a Superioribus Ordinum aut Congregationum regulanda ac moderanda est, activitas pastoralis et externa, non tantum in casibus a iure expressis sed etiam modo generali ab Ordinario Dioecesis dependeat.

7. Dentur normae, cum debita prudentia cum caritate permixta, ad solvendum gravissimum problema Sacerdotum qui misere in apostasiam lapsi sunt, (sunt enim non pauci) ac naturali familia et sacrilega prole ligati sunt.

8. Desideratur reformatio iuridica totius administrationis beneficiorum ita ut ipsa administratio utilis revera non autem nociva, datis his difficillimis temporibus, reddi possit.

9. Componatur tota Lex abstinentiae et ieiunii cum modernis tem-

poribus ac vitae exigentiis ad vitanda mala maiora idest permulta peccata.

10. Commutentur cum oneribus temporaneis ac brevi tempore explendis quae cum modernis transformationibus oeconomicis componi possint, Legata omnia, speciatim perpetua, de thesauro Sanctae Matris Ecclesiae.

VI. *Quoad Sacram Liturgiam*

1. Totalis revisio ac simplificatio Pontificalis Romani, Caeremonialis Episcoporum; insuper Ritualis Romani, Missalis ac Breviarii.
2. Admittatur, in quantum possibile est, lingua vulgaris cuiusque populi, sive in administratione Sacramentorum et in ea parte Missae Sacrificii quam pastoralem seu Didacticam vocant.

VII. *Quoad pastoralem*

1. Clarificetur positio iuridica Laicorum qui in Ecclesia cooperant seu opus suum praestant Sacrae Hierarchiae sive in Actione Catholica sive in aliis Societatibus Laicorum.
2. Perficiantur normae circa Institutionem Catecheticam sive puerorum sive adultorum ac statuatur regula generalis ut quaeque Natio vel populus unicum textum Nationalem habeat.
3. In Seminariis Maioribus ac Regionalibus, praeter Theologiam Pastoralem, tota Theologia methodo quam « kerigmaticam » vocant, tradatur.

✠ PACIFICUS IULIUS VANNI
Archiepiscopus Ep. Soanensis-Pitilianensis

211

EXC.MI P. D. IOSEPHI GARNERI
Episcopi Segusiensis (Susa)

Segusii, 25 augusti 1959

Eminentissime Praeses,

Mihi, responsionem reddenti Litteris Prot. 1 C/59-1310 a Vestra Eminentia datis die 18-6-1959, pergratum est communicare animadversiones, consilia et vota quae colligere datum fuit, praesertim ex mea experientia. Quod, si quid minima haec contulerint ad Concilium Oecumenicum quod celebrandum sapienter indixit Augustus Pontifex fel. regn., hoc mihi haud parvo gaudio erit.

Interim promitto me et gregem mihi creditum fervide precaturos ut Deus benignus, pro mundi salute, adfuturus sit tanto eventui.

Occasionem nactus, reverentiam et oboedientiam Vestrae Eminentiae profiteor et fausta quaeque adprecor.

Eminentiae Vestrae
add.mus
✠ Iosephus Garneri
Episcopus Segusiensis

I. *De administratione Dioecesis*

Optandum est ut Episcopis — Ordinariis locorum communiores concedantur facultates quarum usus frequentior recurrit, ut:

a) tres Missas celebrandi eodem die de praecepto et duas Missas eodem die non de praecepto;

b) asservandi Eucharistiam in ecclesiis et oratoriis, tali iure carentibus;

c) conferendi ordines sacros etiam extra dies iure statutos;

d) tangendi vasa sacra ex parte monialium, etc. ... quae facultates nunc singulis vicibus a Sancta Sede impetranda manent;

e) Optandum insuper ut iidem locorum Ordinarii fruantur, tamquam ordinariis, illis facultatibus quas in praesenti obtinent ad quinquennium.

II. *De disciplina Cleri*

Haec proponenda videntur:

a) Ut ne (quod quidem iam Sacrae Congregationi Concilii alias detulimus) usus aboleatur habitus talaris, neve tamen absolute praescribatur, utpote qui incommodus, indecorus, immo etiam periculosus evadere possit vel laborandi causa vel per invia itinerandi.

b) Quoad vero tonsuram deferendam, praescriptio aut confirmanda videtur (quamvis sanctionum de hac re nihil sane exstiterit in Codice I. C. nisi sola verba), aut omnino abolenda; quod enim a prope universo Clero iampridem neglecta fuerit, id profecto imminutae auctoritati futurum esse potest caeteris praescriptionibus sive parvi sive maioris momenti.

c) Viso can. 126 *C.I.C.*, quo exercitia spiritualia tertio quoque anno praecipiuntur, optandum censemus ut praecipiantur alternis annis.

d) Cum hodie pluris existimentur quae organice instructa sint, de-

sideratur ut Sacerdotes, quibus officia maioris momenti in Curia aut institutiones sociales sive ecclesiasticae sive laicales demandata fuerint, condicione fruantur canonica clarius definita sub respectu tum iuridico tum oeconomico, qua, v. gr. fruuntur Parochi; sin minus, hoc aderit periculi ut institutiones seriae et maximi ad bonum animarum momenti potius inchoantur et moveantur animi delectatione quam professione.

Ut autem talia faciliora factu reddamus, consilium suggerimus decernendi ut ex Canonicorum conventu sive quaedam Dignitates sive aliquot Canonicatus Sacerdotibus assignentur qui, pro tempore, institutiones aut officia, de quibus supra, moderantur, reliquos vero Canonicatus Sacerdotibus qui bene meruerint quique graviora ministerii munera in se recipere non amplius valeant.

Quod si reapse decretum erit, liquidum est obligationes chorales iterum perpendendas esse et imminuendas.

Addenda circa Disciplinam Religiosorum

e) Eo admiratione afficimur quod semper novae instituantur familiae religiosae, mulierum praesertim, quae, cum ad eadem assequenda et spectent et contendant, necesse est ut unice habitus forma distinguantur, saepe praepedientis, insalubris, ne dicamus ridiculi.

f) Fieri non potest quin animus id aegre ferat quod etiam nunc, quamvis laudabiliter et recens adlaboratum sit ad rem emendandam, perfecta desit in catholico agro voluntatum unitas et conspiratio, ut aliquantum virium disperdatur et fructuum.

Ex qua rerum iactura minime excludendi Religiosi quando de sua Congregatione sollicitiores videntur quam de bono generali Ecclesiae. Ac quidem, cum in argumento versemur, eorum nimiam, maxime in administrando, exemptionem ab Ordinarii auctoritate innuendam censemus optandumque ut Ordinarii, quin tamen Religiosorum actis administrativis directe interveniant, tempestive praemoneantur de praecipuis Religiosorum rebus agendis ad quamdam mutuam conspirationem et operam.

g) In locis ad rusticandum destinatis aut voluptatis causa peregrinandum aegre fertur quod moniales quaestuantes, domus privatas frequentando et publica deversoria, utique inter epulas, fastidium, instar mendicorum vagantium, omnibus ingenerent, et maxime convivantibus.

III. *Disciplina populi christiani*

Haec exhibenda videntur:

A) *De praecepto festivo.*

Circa prius comma, obligationem scilicet audiendae Missae, si consideremus quo aestu febrique hodiernus iactetur labor, omnibus, qui totam fere hebdomadam in officinis, opificiis, fodinis etc. ... operam dant, favendum videtur extendendo ad diem superiorem post meridiem tempus utile ad implendum praeceptum, ut actum novimus in pervigilio Nativitatis, perdurante novissimo bello.

Circa alterum comma, abstinentiam scilicet ab operibus servilibus, necesse est exponere discriminatius quae opera, pro nostro tempore, censenda sint prohibita, hoc tamen considerato quod iuribus opificum ad feriandum (quod non ultima causa fuit cur ad opera servilia decernenda ventum sit) hodie per leges sociales satis cautum habemus.

Generaliter loquendo, non videntur amplius prohibenda quae, cum ardua non sint, ad oblectationem animi potius conferant quin aliquid lucri directe suppeditent; multo enim melius, post expletas obligationes erga religionem, in honestum incumbere oblectamentum quam in periculosum dilabi peiusve aut perniciosae indulgere desidiae.

B) *De festis transferendis.*

Peropportunum videtur ad diem dominicam transferri omnia festa de praecepto quae in hebdomadam incidant praeter quae populo maiori sunt cordi, scilicet Nativitatis Domini, Circumcisionis, Assumptionis B. M. Virginis, Omnium Sanctorum.

C) *De abstinentia et ieiunio.*

a) Ut praeceptum sive solius abstinentiae sive abstinentiae cum ieiunio clarius animis obversetur indeque libentius colatur, suggerendum putamus ut abstinentia ad ferias sextas, nisi in festum incidant de praecepto, unice redigatur, causa tamen motiva inculcata, memoria scilicet Passionis et mortis Salvatoris; abstinentia autem cum ieiunio in feriam quartam Cinerum tantum et feriam sextam Maioris Hebdomadae.

c) Insuper optandum est ut tabernis refectoriis, publicis hospitiis ad victum etc ... atque in favorem omnium, qui iter faciunt, dispensatio ab abstinentia per totum annum concedatur, ut iam in usum venit apud quasdam nationes.

D) *De vestis habitu inverecundo.*

Cum hodie multo frequentius inter se utantur civitates, et populorum contactus eundo crescant pari gradu ac itinerandi voluptas, neces-

sitas urget quaedam principia imperandi moralia, nulla facta populorum distinctione, v. gr. quae ad sui ornandi rationem pertinent, et maxime muliebrem, ad sexuum promiscuitatem, ad velandum caput in ecclesiis etc. ... Ingrate enim demirandum est quam gravi offensae sint, sua agendi vestiendique ratione, fidelium honestati qui plurimi ad nos ab exteris peregrinantur nationibus, artis, coeli balneorumque causa, interdum Sacerdote duce aut Religioso.

IV. *De re liturgica*

A) Cum sacerdotum ministerium in Sacramentis et Sacramentalibus administrandis fideles animo melius comprendant necesse sit, ut uberiores afferant fructus, opportunum videtur usus induci Ritualis bilinguis, in quo tamen propositiones ad dogmatum explicationem interpositae sint et, partes, quae ad effectum Sacramentorum essentiales non sunt, v. gr. benedictio sponsae in « Missa pro sponsis », vulgari sermone exhibitae, unica tamen versione, eademque praescripta non secus ac latinum exemplar. Ut autem laici, qui in lingua latina familiariter versantur, preces in Sacramentorum adhibitas valde mirantur, ita mirarentur caeteri omnes, qui fidelium maxima sunt pars.

B) Praeterea nostrae aetatis homines, dynamica vita concitati et labore, abdicasse videntur functiones diu protrahendas, uti videre est ex multitudine fidelium habitualiter absentium et praesentium exiguitate. Numquid non docet quasdam ita decurtare functiones sive Pontificalis Romani, ex. gratia Consecrationis ecclesiae, altaris, Missae Pontificalis, Benedictionis Coemeterii, sive Ritualis, ut fidelibus, qui exiguo fruuntur tempore, denuo acceptae fiant et celebrantibus tolerabiles, cum diuturniore possint labore confici, ut evenisse novimus Lapurdi inter novae Basilicae consecrationem?

C) Quibus omnibus cordi est spiritum colere, in re liturgica feliciter instauratum a Pontifice Pio XII, imm. et ven. memoriae, certo rarefaciendae videntur quaedam partes liturgicae ut Epistulae Sabbatorum Quattuor Temporum, quaedam vero removendae ut Epistula castae Susannae et contra in usum inducendi qui Evangelii loci habitualiter huc usque praetermissi sunt, neque dedecere videtur suppressio Psalmi 42 « Iudica me, Deus ... » in Missae initio et Evangelii S. Ioannis in fine.

V. *De administratione bonorum*

A) Pernotum est etiam inter Dioeceses finitimas talem inaequalitatem inesse in reditibus patrimonialibus beneficiorum ecclesiasticorum, ut sacerdotes, aequalia munera obeuntes, remuneratione fruantur valde inae-

quali, absque suo merito vel culpa. Praeterea, si parva licet componere magnis, eadem inaequalitas exstare dicenda est inter paroecias eiusdem Dioeceseos. Qua re summe optandum censemus ut normae edantur certae quibus patrimonium ecclesiasticum aequius distribuantur et clero, cui necesse sit, aptius subveniri possit quam per tenuem stipem ex « Fundo pro Clero egeno ».

B) Ut elaboratius recognita sint et curata quae, natura sua, inspectionem ex parte legum civilium subire debebunt, decernendum videtur ut ex sacerdotibus suis quaeque Dioecesis — aut plures, si parvae sint, aggregatae — unum, ad minimum, habeat iuris doctorem renuntiatum et, si fieri potest, alterum scientiarum, ut aiunt, oeconomicarum.

VI. *Animadversiones variae*

A) Cum ex naturali animi mollitia, mulieres non parum fastidiant vocem « ventre » in recitanda prece « Ave Maria » et libentius in dies altera utantur, scilicet « seno », proponimus ut dictioni « frutto del ventre tuo » haec substituatur « frutto del seno tuo ».

Item, in sexto Decalogi praecepto, redeundum videtur ad elocutionem « non commettere atti impuri » quae ab omnibus et probatur et perspicitur, cum altera « non fornicare » et explicatione egeat et saepe saepius, praesertim ex pueris et puellis, interrogationes promoveat valde molestas.

B) Nemo est qui non videat quantum Ecclesiae catholicitas conclametur indeque foveatur pietas, si lingua servetur latina ad preces cantusque promendos, qui ubique gentium praecipua gaudent familiaritate, ut Pater, Ave, Credo, Salve Regina, Pange lingua, Magnificat, Lauda Sion etc. ..., utique in functionibus ad quas a cunctis una simul ex pluribus convenitur nationibus.

✠ IOSEPHUS GARNERI
Episcopus Segusiensis

212

EXC.MI P. D. IULII BIANCONI

Episcopi Tarquiniensis et Centumcellarum
(Tarquinia e Civitavecchia)

Centumcellis, 25 maii 1960

Eminentissime Domine,

Mitto ad Te aliquas quaestiones ut eas subicias studio Coetuum Oecumenici Concilii, quod necessitatibus temporum nostrorum mandatum Divinum S. R. Ecclesiae adaequare intendit.

Preces nos quotidie effundimus pro felici exitu tanti eventus et gratiam Sancti Spiritus imploramus ut iter S. Matris Ecclesiae prosequatur pro salute humani generis.

S. Purpuram deosculor et me Tibi addictissimum profiteor.

✠ IULIUS BIANCONI
Episcopus Tarquiniensis et Centumcellarum

De unitate

Perplacet nobis quod Primaria Officia S. R. Ecclesiae unica in negotiis peragendis regantur norma, ne de eadem re praescripta inter se dissidentia exarentur, quae quidem animos perturbare possunt et quosdam inducere ad parvi ecclesiasticam disciplinam faciendam.

Supremum igitur Consilium de rebus aequandis (vel aliquid simile) omnia quae a Primariis Officiis decernuntur vel permittuntur rite ac congruenter credimus posse componere.

De catechesi

Libri, quibus utimur, pro Catechismo docendo (Catech. S. Pii X) discipulis difficiles sunt intellectu et laboriosi; ideoque operam et studium exigunt, dum pueri, iuvenes et homines a mentis nimio labore abhorrent.

Itaque requiritur Catechesis simplex et congrue contexta, qua visio totius Revelationis in sua amplitudine appareat et item notiones fundamentales necessariae videantur.

Ad hoc a Suprema Auctoritate liber redigatur de Catechesi qui sit maxime intellegibilis omnibus et per interrogationes et responsa brevissima acceptus.

De S. Liturgia

Sermo latinus, quo S. Liturgia in omnibus utitur ritibus, non iam intelligitur a fidelibus, qui Sacris intersunt Mysteriis, ab Ecclesia per annum celebratis.

Ad magis activam, seu intellectivam, nempe mentis et cordis communicationem obtinendam cum ipsis, utillimum lingua vulgari uti existimamus in omnibus ritibus, sive igitur in Sacramentalibus et Sacramentis ministrandis, sive in Benedictionibus et Consecrationibus impertiendis, sive etiam in S. Missae litando Sacrificio, quod, ut patet, medium tenet locum totius Catholicae Religionis et in quo Divinae Redemptionis Mysterium renovatur, ut animarum ad Iesum Christum accessus sit proprior et, quanti habenda sint, vitae humanae munera intelligatur.

De sacerdotibus

Interdum accidit ut in parvis Dioecesibus quemdam Sacerdotem procul transferre oporteat, qui tamen in alia Dioecesi ministerium sacerdotalem utiliter exercere posset.

Accidit quoque ut aliqua Dioecesis non habeat Sacerdotem idoneum, qui efficaci sit auxilio Episcopo in negotiis Dioecesis, dum e contra in aliis Dioecesibus plurimi idonei inveniantur.

Optandum est ut Sacerdotes extra Dioecesim transferre liceat, sive ad quosdam servandos, sive ad auxilium aliquibus Dioecesibus tribuendum.

Propterea opportunum videtur ut aliquos ex Primariis S. R. Ecclesiae Officiis res eius generis perpendere possit et, prout decet, consulere.

De clero invalido

Quam instantissime cleri, infirmitatibus vel senio confecti condicioni, etiam sumptuosis iacturis, consulendum est.

In parvis enim Dioecesibus, subsidiis saepissime expertibus, casus dantur miserrimi, qui populi animos commovent et eos, qui Dioecesi praesunt, gravi molestia afficiunt.

De veste clericorum

Oportet Clericorum vestem perpendere. Procul dubio opus est ut Clericus dignitati suae ac decori, ad normam can. 136 *C.I.C.*, vestem deferat congruentem; sed oportet ut ipsa necessitatibus novis conveniat, multo magis quo a nonnullis populis, Sede Apostolica adprobante, iam huic consultum est.

Parsimoniae atque salubritati ita magis etiam consuleretur.

De religiosis

Religiosi et Religiosae valde apostolatui utiles sunt, immo, in eorum locum, alios sufficere aliquando impossibile est. Quapropter Dominum rogamus ut sanctiores ac frequentiores sint, quorum opera plurimum adventui Regni Dei super terram conferatur.

Quoad eorum privilegia haec norma nobis necessaria videtur.

Vita religiosa conventualis regatur Regula, Constitutionibus et privilegiis ab Ecclesia concessis.

Vita vero activa, quae ad apostolatum attinet, sive extra domum religiosam, sive etiam in ipsa domo, auctoritati Episcopi penitus subiciatur, sine aliquo privilegio.

Mutatio vel perturbatio horum conceptuum, qui fines iurium determinant, ordinem evertit, fructus apostolatus impedit et causa est dissensionis et malorum.

De caelibatu

Aliquando accidit ut sacerdos, ob magnam spiritus perturbationem, matrimonium, quod civile vocant, ineat, de quo etiam filii nascantur.

Vincula, quae e familia oriuntur, quamvis e peccato oriantur et a vinculis S. Ordinationis graviter discrepent, attamen saepe saepius non sinunt, propter quasdam magni momenti causas, ad pristina redire officia, neque separatio, sive absoluta, sive quoad torum, effici potest.

Quae cum ita sint quaeritur num potius quam sinamus illas animas omnino spe destitui atque mentes et corda filiorum innocentium in perpetuum aberrare, melius putandum sit quod providens ac sollers S. Mater Ecclesia istis consulat miseris filiis et eorum sanet conditionem, ne in aeternum pereant, una cum suis natis, qui certo parentum perturbatione et anxietate vexarentur.

De Apostolatu laicorum

Laicorum apostolatus, hisce nostris temporibus, valde necessarius videtur, praesertim ad lucrandos eos, qui quamvis baptizati, non amplius usum habentes in christianae vitae actione et exercitatione, Sacerdotem defugiunt, necnon ad depellendos errores ubique vulgatos de rebus fidei et morum.

Propter haec censemus:

1) codificationem iuridicam curandam esse laicorum societatis, quam Actionem Catholicam vocant, plurimis Summorum Pontificum institutionibus nixam;

2) eidem (A. C.) principatum, inter omnes laicorum apostolatus societates, dandum;

3) tanquam grave decernendum esse omnibus Parochis et Religiosorum Institutis, officium pastorale curam habendi de ipsa Act. Cath.:

a) per consulta vel coetus primarios hierarchice constituta (Consulte, Giunte Nazionali Diocesane e Parrocchiali),

b) per scholas iuvenibus laicis instituendis sive in doctrina et ascetica, catholica, sive in apostolatu,

c) per iuvenes, qui voluntate et aptitudine praediti, sive censibus (statistiche), sive scriptis typis editis (stampe) sive variis technicis disciplinis (con metodi tecnicamente adatti) reditum disiunctorum curent.

De communismo

Communismus suum felicem exitum repetit e spe, quam homines habent melioris condicionis in rebus oeconomicis consequendae, necnon ex nimia concupiscentia bonorum quorundam operum conductorum, qui iustam retributionem operariis saepe negant.

Plurimi, quamvis communismo adhaerentes, fidem christianam profitentur. Iniustitia tamen, quam interdum tolerare debent, et angustiae, quibus opprimuntur, animos perturbant: sciunt enim ipsos quaedam iura habere, quae tueri et defendere cupiunt.

Quum autem communismus ad iura consequenda auxilia suppeditet etiam vi et de facto consequitur, multi ad ipsum confugiunt.

Ecclesia iugiter per verbi ministros iura eorum defendit, sed hoc impar eis videtur et communismo, monitis et censuris eiusdem Ecclesiae neglectis, adhaerent. Nam multi operarii magis magisque suadentur de ipsorum iusta causa et ideo de Divino assensu.

Quae cum ita sint, quid agendum? Mandetur Sociologis Christianis studium solutionis et quaeratur interim norma aptior ad impediendum iter animarum et societatis christianae in immane chaos.

✠ Iulius Bianconi
Episcopus Tarquiniensis et Centumcellarum

213

Exc.mi P. D. FELICIS LEONARDO

Episcopi Thelesini (Telese o Cerreto Sannita)

Cerreti, 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Officio satisfacio mittendi vota, opiniones circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

S. Purpuram deosculor reverenter et Eminentiae Tuae Reverendissimae me profiteor

✠ Felix Leonardo
Episcopus Thelesinus

Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae iudicio permitto vota, opiniones, animadversiones, quae sequuntur circa res et argumenta, quae in futuro Concilio Oecumenico pertractari poterunt.

1. Veritates et principia maioris momenti circa fidem et mores proponantur forma simplici et certa, quasi novus symbolus, attentis erroribus praesertim aetatis nostrae.

2. Concilialiter damnentur errores communistarum et doctrina catholica affirmetur.

3. Improbentur praecepta eorum qui relativismum in re morali contendunt et asseveretur legem moralem immutabilem et absolutam esse.

4. Veritas de Maria Virgine Mediatrice omnium gratiarum ut dogma fidei definiatur.

5. Alumni Seminariorum, exacto triennio, initio quarti cursus philosophici per primam tonsuram clerici evadant; familiae curae subtrahantur, etiam vacationes extra Seminarium contrahendo; sumptibus Dioecesis ad sacerdotalem educationem pressius incumbant.

6. Consuetudo vitae communis non tantum laudetur et suadeatur sed urgeatur, ubi adsint vel duo clerici vel ubi ex paroeciis vicinioribus facile convenire possint.

7. Beneficia ecclesiastica sint omnia temporanea seu amovibilia et de facto beneficiarii ad nutum Ordinarii transferantur, quoties id postulet bonum animarum et ipsius Sacerdotis utilitas, novam mentem in clericis inducendo.

8. Concursus in provisione paroeciarum retineatur tantum pro pri-

ma vice id est pro prima collatione; translatio et provectio pro meritis habeatur, iudicio Ordinarii et Examinatorum.

9. Diaconatus functionalis ut dicitur, cum coelibatu tamen et in locis Missionum perutilis videretur.

10. Unio, fructus caritatis, inter utriusque Cleri Sacerdotes, operarios eiusdem Vineae Domini, maxime foveatur, inde a primis annis educationis clericalis.

11. Privilegium exemptionis Religiosorum cesset in omnibus spectantibus bonum et curam animarum, servata tamen speciali condicione status religiosi et pro regimine tantum interno retineatur, exceptis casibus in iure expressis.

12. Educatio Religiosarum magis accurata sit non tantum in spiritualibus, sed etiam in eruditione communi et professionali ut dicitur; vestis sit simplex et ad laborem apta.

13. Disceptetur de onanismo, peste sociali, qui tam multi christifidelium in statu peccati habituali tenet, ut rationes magis magisque validae et opportunae inveniantur ad tantum malum pellendum vel mitigandum.

✠ FELIX LEONARDO
Episcopus Thelesinus

214

EXC.MI P. D. STANISLAI H. BATTISTELLI
Episcopi Teramensis et Atriensis (Teramo e Atri)

Interamniae in Aprutio, die 8 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Veneratae epistulae Eminentiae Vestrae n. 1347 circa argumenta in Oecumenico Concilio tractanda, omnibus mature coram Deo perpensis, responsum pertulendo, ea quae sequuntur desiderata propono, scilicet:

De doctrina

De theologia dogmatica. Symbola (Credo) in unum redigantur, ita ut in privato et publico cultu identitas formularum haberi possit. Ex supradictis reiterata a Concilio Oecumenico dogmatum et fidei mysteriorum propositio effici cogique potest, praecipue earum veritatum quae relationem habent cum huius temporis erroribus, e. g. naturalismus, existentialismus, et communismus, qui philosophice et in vitae usu speciali modo sunt evulgati.

De theologia morali. Definiantur fines ultimi qui, ulla ex causa, in variis privatae et publicae vitae moralis manifestationibus, transeundi nequeunt, ita ut in acceptatione moralis obiectiva christifidelium, conscientia sciens eveniat, subiectivismum morale cuiuscumquae naturae removendo: in primis erga quaestiones quae: 1) ad familiam, de primario et secundario fine matrimonii; 2) ad mores professionum; 3) ad divulgationis instrumenta: v. g. cinema, radio, sport, stampa, televisione, etc. pertinent.

De doctrina sociali. In votis est promulgatio Codicis in quo clare principia catholicae doctrinae circa socialem et civicam vitam explicentur, praesertim praecepta relate ad suffragia in rei publicae moderatores eligendis, necnon de ipsorum officiis erga Ecclesiam.

De clericorum et fidelium disciplina

1) Derogatur legi can. 192, *C.I.C.* circa parochorum inamovibilitatem; 2) Ut facilius ex una in aliam Dioecesim sacerdotum discessio habeatur, in sacra Ordinatione suscipienda titulus pro omnibus sit: « ad servitium S. Matris Ecclesiae »; 3) Religiosis quoque, in sacro Praesb. Ordine recipiendo, promissio obedientiae emittenda erit « Episcopo Ordinario Loci »; 4) Exemptio autem coarctanda sit in ipsa tantum vita claustrali, minime vero in exercitio ministerii sacri; 5) In Dioecesium administratione amplior Episcopis facultas tribuenda esset; 6) Ad aptiorem autem animarum administrationem, Dioecesium et Parochiarum numerus minuendus esset, pro unaquaque statuendo minimum incolarum; ita ut civitates ampliores, pro seipsis, constituant Dioecesim, vicinioribus locis exclusis; 7) Titulares tantum Episcopi abrogentur; Episcopatus enim pro animarum regimine constitutus est; 8) Beneficiorum Ecclesiasticorum administratio ad unitatem redigatur; Ex hac administratione (diocesana, regionali vel nationali) meliori forma constituta, maior possibilitas eveniet consulendi necessitatibus Cleri. Ad ipsam administrationem etiam laici idonei, praesertim socii Actionis Catholicae, deputari possunt; 9) Valde optandum est ut provideatur miserrimae condicioni spirituali Sacerdotum, qui sacrilegam familiam constituere ausi sunt.

De re liturgica

In votis est revisio et simplificatio Breviarii, Missalis, Ritualis et Caeremonialis Episcoporum, necnon indumentorum praesertim in Pontificalibus.

Quoad ritum, omnia Festa Domini tantum sint Primae classis;

quae ad honorem B. M. Virginis, Sanctorum Apostolorum, et nationum, regionum, institutorum locorumque Patronorum, celebrentur ritu Secundae Classis; omnia alia festa Sanctorum, ritu simplici.

Haec mihi videntur disceptationibus proponenda, in proximo Concilio Oecumenico.

Interim, ad osculum sacrae Purpurae devotissime pronus, me profiteor.

Eminentiae Tuae add. in Christo

✠ STANISLAUS HAMILCAR BATTISTELLI
Episcopus Teramensis et Atriensis

215

EXC.MI P. D. IOANNIS B. DAL PRÀ
Episcopi Interamnensis et Narniensis (Terni e Narni)

12 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Epistula die 18 iunii 1959, sub numero 1 C/59-1349, data, Eminentia Tua significavit mihi Augustum Pontificem cognoscere velle opiniones et vota Episcoporum atque Praelatorum, qui in Concilium Oecumenicum ex iure vocantur.

Quae igitur mihi et viris ecclesiasticis peritis est prudentibus, quorum consilio usus sum, tractanda in Concilio videntur, hic, alia post alia, humiliter quidem atque submisse, expono.

Interim enixis precibus oro ut benedictionem suam Deus effundere dignetur super omnes clarissimos viros, qui in praeparationem Concilii adlaborant.

Denique, dum ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio haec mitto, Eminentiae Tuae Reverendissimae sensus venerationis meae exhibeo, et omni quo par est obsequio me profiteor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum

✠ IOANNES BAPTISTA DAL PRÀ
Episcopus Interamnensis et Narniensis

I. *De provisione paroeciarum et de parochorum inamovibilitate*

Hodie, cum nemo fere sit qui communi sermone loquatur de collatione beneficiorum, omnes vero de paroeciis seu animabus curae Sacerdotum concreditis seu commissis vel committendis, canonicam beneficii paroecialis notionem tamquam anachronismum sentimus.

Una ergo cum notione beneficii, lex quoque concursus ad vacantia beneficia obsolescere deberet, etiam quod Sacerdotum certamen ad beneficia potiora sumenda nec populi nec Sacerdotum aedificationi prodest.

Inamovibilitas parochorum non sine gravi causa pastorali ab Ecclesia statuta est. Verumtamen haec quoque lex aliena prorsus nostrae facta est aetati. Cum enim atrociter concitata facta sit populi vita, res et causae rapidissime mutentur, imminutus sit Sacerdotum numerus in diesque minor fieri videatur, novaeque continenter necessitates oriantur, multa certe et magna ex ea oriuntur impedimenta proficuae rectaeque dioecesium administrationi et animarum curae.

Praeterea, cum boni parochi semper praesto sint ad nutum Episcopi, qui translationem vel renuntiationem pro dioecesis animarumque bono proponit, mali autem reluctentur, inamovibilitas minus idoneis minusque dignis plerumque favet. Perperam autem asseritur semper in promptu esse Episcopis remotionis processus, de quo in Titulo XXVIII *C.I.C.*, nam Episcopus quislibet, qui semel illum confecerit, non facile iterum faciet, propter infinitas quas plerumque gignit molestias. Et inde fit ut indigni et malefici pastores usque ad mortem in suis paroeciis maneant, ut oves disperdant et mactent Ecclesiaeque bona dilapident.

Ergo inamovibilitatis legem abolendam puto.

Ex his porro, ex abolitione nempe concursuum et inamovibilitatis, bonum aliud, non sane minimum, oriri fortasse poterit, id est « regularizatio » quaedam seu ordinatio Sacerdotum saecularium more regularium.

II. *De numero dioecesium minuendo*

Numerus Dioecesium seu Ordinariatuum Italiae minuendus esse videtur. Nimis numerosae habentur in Italia Dioeceses parvae et minimae: duae enim et nonaginta Provinciae civiles habentur, tercentae autem et ultra Dioeceses.

Non est necesse, procul dubio, tot esse Dioeceses quot civiles Provincias. Sed non perperam nec insipienter quo tempore suum territorialem ordinem composuit Ecclesia circumscriptiones publicas Imperii secuta est, a quo nomen quoque « dioecesis » mutuata est.

Tam multiplicibus gravibusque necessitudinibus, sive directis sive indirectis, adiuncti sumus structuris civilibus et politicis mundi, ut praesens circumscriptionum ecclesiasticarum minutata dispositio nec paucas nec parvas utrique, Ecclesiae scilicet et Reipublicae, afferat difficultates, ac maxime pastorali nostrae operositati. Nam non modo singulae societates civiles et politicae in provinciali ambitu uniter ordinantur et operantur, sed etiam complures consociationes et sodalitates, quae sub auctoritate Episcoporum reguntur et operantur vel saltem Sacerdotes habent consiliarios, circumscriptionibus civilibus aptantur. Attamen nefas est singulorum Episcoporum auctoritatem et actionem Dioeceseos fines praetergredi. Quamobrem discors et parum efficax eorum actio evadit.

Praeterea nimia territorii et populi exiguitate vita ipsa singularum Dioecesium undique angustiatur. In primis parvae Dioeceses angustiantur ex eo quod proprios Sacerdotes sibi formare nequeunt. Carent enim propriis Seminariis, vel habent minora tantum, pro alumnis scilicet gymnasii, qui subsequentia lycaei et theologiae studia in Seminariis regionalibus percurrunt.

Procul dubio, in praesenti Dioecesium statu, multum profuerunt et prosunt Seminaria regionalia ad futurorum Sacerdotum institutionem; verum non sine noxa privatur Episcopus suorum Sacerdotum fingendi animos facultate. Ex hoc enim Episcopum inter et Sacerdotes suos quaedam insinuatur animorum dissociatio seu dissonantia, quae nunquam in posterum totaliter extenuabitur. Adde quod non minima ex causis multarum disertionum e via Sacerdotii procul dubio invenitur in adulescentium iuvenum transitu ex Seminarii dioecesani vitae atque disciplinae condicionibus ad modum vitae Seminarii regionalis proprium.

Parva contra Dioecesis id assequi ex sua parvitate videtur, ut Episcopo coniunctissime cum populo suo vivendi facultatem praebeat. At plerumque secus. Cum enim in Dioecesis sede sui muneris adiutores deficiant vel commissis sibi muneribus obruantur, affixus manet Episcopus, licet invitus, domui suae, oppressus et ipse suis officialibus operis. Episcopus vero, qui satis amplae Dioecesi praeest, numerosis peritisque sive clericis sive laicis adiutoribus plerumque abundat; abundat et opibus ad opera dioecesana promovenda et sustentanda atque, quod maxime interest, ad invalidis senibusque Sacerdotibus succurrendum; a pluribus solutus officiis suas omnes patris et magistri curas in Seminarium suum confert; multisque nimirum aliis commodis frui potest Dioecesis.

Nec locorum distantiae pertimescendae, nam viatoriis nostrorum

temporum machinis novisque translocutoriis et transcriptoriis instrumentis deletas aestimari ferme possunt.

Non me tamen latet reformationem circumscriptionum Dioecesium difficillimam esse. Attamen nonnulla impedimenta superari fortasse poterunt si e. g. novae ampliori circumscriptioni Ordinarius praeponatur qui sibi Auxiliares seu Adiutores aut vicarios generales habeat Episcopos omnes qui intra fines novi Ordinariatus in minoribus civitatibus sedent. Hoc modo acquiescet forsitan clerus, populus autem ne sentiet quidem mutationem.

Denique ex imminuto Dioecesium numero id boni etiam fiet quod excellentiores habebuntur Episcopi, nam facilior meliorque evadit paucorum quam multorum selectio. Ita si centum e. g. haberentur Dioeceses pro tercentis, excellentius procul dubio corpus Episcoporum efficeretur.

III. *De exemptione religiosorum*

Ex exemptione religiosorum non paucae nec minimae oriuntur difficultates. Certe necessaria est, sed non in praesenti forma et modo. Ex his quae sequuntur necessitatem induco:

a) ordines et Congregationes Religiosorum assimilari possunt agminibus militum, quae Supremi Ducis imperio parent, ut tempestive atque efficaciter ipse possit necessitatibus Ecclesiae obviari;

b) vocatio ipsa Religiosorum exemptionem postulat, quippe quae communi disciplinae et unitati spiritus atque actionis favet;

c) cum denique Ordines et Congregationes Dioecesium ac nationum limites supergrediantur et Sanctae Sedi unice adstringantur, super orbem extentae reti assimilari possunt ad unitatem Ecclesiae communiendam aptissimae.

Attamen necesse est religiosos legibus suis uti sine detrimento seu eversione episcopalis iurisdictionis. Ergo:

a) facultas tribuatur Episcopo omnium bonorum administrationem inspectandi cuiusque domus religiosae intra fines Dioecesis existentis;

b) possit et debeat Episcopus pastoralem visitationem peragere in omnibus et singulis religiosis domibus suae Dioecesis;

c) indulta, privilegia et facultates speciales si religiosis concedantur, de iisdem Episcopus moneatur, saltem ne in his ignarus offendat;

d) potestatem habeat Episcopus, qui Sacerdotibus indiget, in suae Dioecesis religiosos, quando id postulat animarum necessitudo, in tuto utique positis vitae religiosae statutis et obligationibus;

e) possit Episcopus studia inspectare quae in religiosorum studentatibus explicantur;

f) ordinario loci tantum reservetur adprobatio religiosorum ad confessiones sacramentales recipiendas;

g) religiosi vitae activae iubeantur omnes ad collationes seu conferentias, de quibus in can. 131, convenire.

Puto quod ex huiusmodi reformatione aliquid boni sequetur. Nimirum:

a) exemptio substantialiter integra manebit;

b) iurisdictio Episcoporum debito obsequio non privabitur;

c) totius sacerdotalis ordinis maximum bonum pacis, concordiae, caritatis atque unitatis non parum proficiet.

IV. *De potestate episcoporum*

Episcoporum potestas augenda videtur. Nam, ut unum dicam, etsi perperam dici soleat « in potestate Episcoporum hodie primas Communiones et Confirmationes tantummodo esse », tamen nemo est qui non experiatur in ecclesiasticis officiis exsequendis, in quaestionibus solvendis, maxime autem in administrativis actis explendis longissimas ac detrimentosas ex continuis ad Romanas Congregationes recursibus oriri moras. Profecto exaggerata conglobatio rectae administrationi non prodest.

V. *De privilegiis*

Coetus clericorum — dici solet — est regnum distinctionum et privilegiorum. Quae sane unitati et charitati obsunt. Neque desunt indulta et privilegia quae iniustitias acriter sapiunt.

Quare multa privilegia, quae impraesentiarum intempestiva sentiuntur, abolenda puto, vel saltem temperanda.

Quod autem attinet ad distinctiones et privilegia tantum honorifica, optandum ut ad simplicitatem Evangelii, quantum fieri potest, redeatur. Virtute et sanctitate vitae Sacerdos quisque potius distinguatur quam privilegiis et honoribus. Ita in multis proficiemus et in primis in populi aestimatione. Populi enim nostri animum non tangit species, sed vitae sacerdotalis perfectio. Meminisse etiam iuvabit tum formam seu speciem maxime aestimari cum substantia deficit.

VI. *De Sacra Liturgia*

Liturgia, qua Deum Ecclesia colit et populum in religione nutrit, veluti liber sigillis septem signatus plura abhinc saecula proponitur populo nostro. Neque illum satis aperiunt adminicula iam usitata et a

Sacra Rituum Congregatione recens ordinata atque confirmata. Populus enim linguam matris suae Ecclesiae ignorat.

Quaeritur igitur num sit aequum schola sua populum privare et liturgiam ipsam magna ex parte frustrari, ut latina lingua liturgiae servetur. Veneranda utique est latina lingua, quae est Matris Ecclesiae lingua. Et utinam in Seminariis quantum decet coleretur! Existimo tamen multum nimis detrimentum populum accipere ex integra conservatione latinae linguae in liturgia.

Optandum igitur ut in Sacramentorum et Missae liturgia largiter vernaculae linguae locus detur. Quod potissimum ad Missam attinet, reformetur, si opus sit, Missale sive in ritibus sive in liturgicis textibus, novae recitationis et cantus comparentur formae, omniaque alia necessaria vel utilia fiant, ut liturgiae sua illa didactica efficacitas restituatur quam olim habuit quaeque nullo modo surrogari potest, intacto utique atque inviolato iugiter et totaliter canone.

Mater quae parvulis suis loquitur, nonne uti parvuli loquitur? Alioquin frustra loquitur.

Quis denique aut quid prohibet hac etiam aetate id Ecclesiam utiliter facere quod antea plura per saecula tam feliciter ipsa fecit?

VII. *De Diaconatu instaurando et de Clericorum caelibatu*

Aggrediatur oportet Concilium Oecumenicum etiam quaestionem de Diaconatu instaurando. Diaconatus enim ab Apostolis originem repetit, qui non aequum putavere se derelinquere verbum Dei et ministrare mensis, aequum vero se orationi et ministerio verbi esse instantes. Numne aequum est temporibus nostris quod non aequum fuit aetate apostolica? Quomodo instare possunt orationi et ministerio verbi Sacerdotes nostri, qui tam impares sunt numero necessitatibus Dioecesium, ut quique eorum ad plurima ac diversissima sine intermissione incumbere debeat?

Instauratio Diaconatus sine caelibatu novatio certe magna erit, quae admirationem fortasse movebit. Sed si instaurabitur, ita instaurandum puto. Nam in praesens, pluribus ex causis, difficilior evadit quam antea observantia castitatis. Si ergo volumus augere numerum eorum qui se Deo et Ecclesiae addicunt et consecrant pro salute animarum, solvendi sunt futuri Diaconi a lege caelibatus.

Praeterea non immemores esse possumus multorum illorum Sacerdotum, qui a sacerdotio defecerunt propterea quod castitatem servare nescierunt, verum tamen non sunt obliti sacri ministerii, eiusque

desiderio laborant. His nimirum salutis refugium dare poterit Diaconatus a caelibatu solutus.

Quod autem ad Seminariorum alumnos attinet, censeo promovendos ad Diaconatum exeunte studiorum curriculo et continuo in exercitium sacri ministerii immittendos, eodem sane modo quo in praesens novi Sacerdotes.

Diaconi omnes in exercitio sacri ministerii per triennium saltem maneant. Quo elapso in potestate cuiusque sit utrumvis optandi, sive scilicet Sacerdotium sive Diaconatum. Qui autem prius elegerint, in Seminarium iterum recipiantur, et post annum, si digni inventi fuerint, augeantur Sacerdotio, aurea quidem corona perpetuae et perfectae castitatis decorato. Qui vero alterum, id est Diaconatum, facultatem habeant, si voluerint, matrimonium ineundi. Hi porro etiam vestitu a presbyteris distinguantur oportet.

VIII. *De unione Ecclesiarum*

Si spes unionis Ecclesiarum est, haec sane ad Ecclesias Orthodoxas Orientales tantum spectare videtur. Novatores enim recentiores, qui protestantes vocantur, longius a veritate abierunt. Illae contra communia habent cum Ecclesia Catholica Romana antiquissima atque veneranda fidei symbola necnon Sacramentorum ordinem. Praeterea mutatae temporum condiciones unioni favere videntur. Nam Orientis Imperium iamdium finem habuit, et in praesentiarum unus idemque capitalis atque implacabilis inimicus incumbit ipsis et nobis communismus atheus.

Obviemus igitur eis, obsecro, caritate flagrantes, veluti fratres fratribus, qui insimul super fundamentum Apostolorum et Patrum superaedificati sunt, scientes Romam ipsam Petri aliam atque aliam praebere posse speciem si ab Oriente atque ab Occidente aspiciatur, quando quidem latinas omnes ecclesias, secus ac orientales, Roma ipsa genuit, et diversissimas per tempora vicissitudines Romanam atque Orientalem Ecclesiam habuit. Indulgeat, precor, Concilium, quantum potest, eorum traditionibus et habitui mentis.

IX. *De Evangelicae doctrinae deformatione*

Aetate hac nostra omni virium contentione nituntur homines ut beatitatis regnum in hoc mundo constituant. Vere dignum et iustum utique est, aequum et salutare nos quoque adlaborare ut regnum iustitiae et pacis in terra condatur, sed ea tantum condicione ne oblivioni detur Caelum. Hodie contra praedicari fere unice solet socialis et po-

litica Evangelii efficacitas. Ne Sacerdotes quidem Caelum seu vitam aeternam verbis et scriptis satis praedicant. Quod sane neque Ecclesiae neque mundo prodest. Paulus noster, quamquam humanae societatis condiciones non nostris certo feliciores erant sua aetate, Caelum continenter aspiciebat et ad quaerenda quae sursum sunt fideles indesinenter hortabatur.

Evangelium in doctrinam vertere ad novum ordinem tantummodo aptam inducendum in mundum non licet. Optandum igitur ut clericorum et fidelium animos Concilium convertat ad christianae Revelationis substantiam, quae prorsus eschatologica est.

X. *De novis in re sociali doctrinis*

In praesentiarum novae opiniones inter fideles diffunduntur, quae promotionem laicatus, ut dicunt, et libertatem ab Ecclesiae auctoritate in re sociali et politica vindicant. Hae autem naturae Ecclesiae contradicere videntur et ordinem necessitudinum evertere quibus fideles Sacrae Hierarchiae coniunguntur. Optandum igitur ut haec doctrinae capita explicentur atque declarentur et sollemniter confirmentur.

XI. *De Sacris Romanis Congregationibus*

Peropportuna videtur Sacrarum Congregationum et Officiorum Romanae Curiae quaedam reformatio, ut agiliora fiant in operando, nempe in negotiis expediendis, in responsis dandis, in iisque omnibus tempestive parandis vel provomendis quae pro temporibus et rebus bonum Ecclesiae postulat.

Insuper non satis esse videtur sectionem tantum Sacrae Congregationis Concilii haberi pro verbi Dei praedicatione et christianae doctrinae institutione. Quae profecto non minoris sunt gravitatis quam ipsa Sacramenta, quae suam sibi habent Congregationem. Optandum igitur ut nova Congregatio constituatur, cui nomen e. g. « de Christianae Doctrinae institutione » vel « de Verbi Dei praedicatione » dari poterit.

XII. *De Sacramento confirmationis*

Tempora nostra postulare videntur ut sacramento Confirmationis plenum tribuatur momentum, quod in christiani hominis aedificationem habet. Ut id autem obtineatur, necesse est aetatem Confirmationis statui sub initium adulescentiae, eo nimirum tempore quo desinit pueritia et subiectus facultate donum Dei et vitae christianae obligationum gravitatem recte ac iuste aestimandi ditatur. Puerulus enim septennis

notionem atque vim militae christianae comprehendere nequit, neque illum urget necessitas characteris et gratiae sacramentalis Confirmationis.

Praeterea huius Sacramenti administratio ad duodecimum aetatis annum fundamentum daret, solidum quidem et rationabile, desideratissimae instaurationi antiqui atque absoleti catechumenatus, cuius exitus atque consummatio aptissima esset Confirmatio.

Nostris his temporibus non familiae, non rerum locorumque adiuncta, non scholae, neque doctrinae christianae institutio quae in paroeciis impertitur, vicem plerumque suppleunt necessarii quam maxime catechumenatus. Neque datur adultis quod pueris et adulescentibus negatur, quia catechismum dominicalem adulti fere ubique deserunt. Quod sane perniciosissimum malorum est Ecclesiae.

In praesentiarum filios Dei baptismo generamus, pueros et adolescentes SS.ma Eucharistia nutrimus, in eisque signum militiae christianae facimus, at non aedificamus, non construimus, ut ita dicam, christianum. Qui cum adoleverit, tantum religionis christianae cognoscet, quantum litterarum illitteratissimus quisquis. Pro dolor! medicus et advocatus cunctos annos iuventutis suae in futuram professionem parandam impenderunt, christiana vero professio, quae omnium difficillima et gravissima est, ne integros quidem annos pueritiae et adulescentiae pro se habet! Et in hoc praecipua fortasse causa invenitur, cur populus catholicus non semper neque ubique satis christianus est.

Praeterea Confirmatione duodecimo circiter anno impertita, quinquennio saltem catechumenatus expleto, adulescentes iuvenes sollemniter atque publice inaugurari poterunt milites Christi.

Perperam autem quis obiciet antiquitus consuetudinem viguisse Confirmationem administrandi statim e baptismo, nam tunc baptizabantur adulti et quidem catechumenatu expleto, nunc vero infantes, qui sane ante baptismum catechizari nequeunt. Nonne bonum esset eos scientes confirmari, qui inscientes baptizati sunt?

XIII. *De prima Communione puerorum*

Circa primam puerorum Communionem sententiae ususque diversi adhuc vigent. Necesse est, puto, clarius atque pressius aetatem eius statui, nempe sub septimum vel octavum annum seu secundo circiter exeunte scholae elementaris anno. Frequens puerorum Communio, quae longe facilius obtinetur quam iuvenum et adultorum, maxime proderit christianis aedificandis catechumenatus tempore.

Necesse est etiam ampliorem praebere parochis facultatem de prima puerorum Communione decernendi.

XIV. *De curriculo studiorum in Seminariis*

In viris scientiae et technicae disciplinae peritis nostra aetas disciplinarum omnium culturam minime requirit. Utraque enim ita in praesens progressa est, ut unusquisque eorum speciali peritia unius tantum disciplinae excellere possit. Existimatur scientiae aut technicae peritus ex eo quod valet in sua disciplina, et nemo est qui miretur si ceteras ipse ignoret. Sacerdos autem, praesertim si curator animarum sit, non excipitur. Mundus nihil aliud ab eo requirit, nisi ut sit veritatis et virtutis magister et ut se praebeat viventis Christi Domini imaginis instar in charitatis et pietatis exercitio. Satis erit si, veluti S. Paulus, profiteri poterit se nihil sapere nisi Christum.

Id igitur totis viribus persequendum videtur in Seminariis, non modo pietatis exercitiis, disciplinae regulis, animorum moderatione, exhortationibus et acroasibus spiritualibus, sed etiam litterarum studiis, quorum cura et sollicitudine maxime sane afficiuntur alumni.

Contra alumni nostri, qui duodecim vel tredecim annorum curriculum studiorum percurrunt, quatuor extremis annis tantum in medias res sacras immittuntur. Sero tamen! Nam usque ad vigesimum circiter aetatis annum in iis versantur studiis quae profanum fere unice olent, propterea quod eorum animi octo circiter in dies singulos horas rebus argumentisque profanis ac praecipue latinitatis et graecitatis scriptoribus vinciuntur. Quae profecto vocationi iuvenum in impeditissima atque incerta aetate versantium non favet.

Praetera divina ad sacerdotium vocatio, quae in puero tamquam animi quamdam serenam atque suavem inclinationem ad sacra capessenda munia se prodit, in iuvene ab impetu cupiditatum et a fascinatione mundi non servabitur, nisi radices penitus immiserit in fidem firmam atque argumentis comprobatam. Verum quidem est in gymnasii et lycaeis Seminariorum etiam religionem et christianam philosophiam doceri. At quis aut quid impedire poterit studia omnia ita ordinari ut cunctae disciplinae, vel saltem litterarum, operam conferant firmis ponendis fidei et personae futuri Sacerdotis fundamentis? Cur desunt gymnasia et lycaea ecclesiastica in Seminariis, dum foris omnimodae habentur scholae? Quid e. g. prohibere potest in scholis Seminariorum magnam habere partem — non omnino sane profanis graecis et latinis scriptoribus neglectis — graecorum et latinorum Patrum scripta? Quantum fidei et pietatis pabulum sumerent ab eis alumni! Et profecto sine noxa cognitionis latinae linguae, quoniam non optimorum latinitatis scriptorum lingua in posterum usuri sunt, sed ecclesiastica. Cur historiae Ecclesiae studium, quae maxime confert ad fidem et charitatem in

Matrem Ecclesiam alendas, a primo lycaei anno inchoari non poterit? Neque ita negligeretur historia profana, quae quidem sive in textibus sive in docendo historiae Ecclesiae facile connecti potest. Cur philosophiae studium ad annum post lycaeum theologiae praevium differtur? Nonne melius atque utilius doceretur in quatuor novi lycaei ecclesiastici annos distributa?

Cum denique quatuor annorum spatium non satis sit ad disciplinas omnes theologiae curriculi proprias, aliasque quae his, prout tempora postulant, adici poterunt, perscrutandas, quintum annum curriculo theologiae addendum puto.

Numne inepta atque insolentia heic locutus sum?

✠ Ioannes Baptista Dal Prà
Episcopus Interamnensis et Narniensis

216

Exc.mi P. D. AEMILII PIZZONI

Episcopi Terracinensis, Privernensis et Setini
(Terracina, Priverno e Sezze)

Terracinae, die 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

De opinionibus atque votis, quae ad proxime celebrandum Concilium Oecumenicum conferant, per humanissimas litteras Em. Tuae Prot. n. 1 C/59-1350, diei 18 iunii 1959, expostulatus, haec mihi, rem coram Domino revolventi, visa sunt humillime suggerenda.

De re liturgica

Licet agnoscam omnium gentium diversitati occurrendum esse, putarim latinam linguam quantum fieri possit tuendam esse, in vernaculas linguas minoribus tantum partibus pro facultate conversis, ac impensiore rei liturgicae studio potius sive Clericis sive fidelibus commendato.

De dioeceseon circumscriptionibus

Notum est: *b*) Dioeceseon circumscriptionum reformationem ob practica impedimenta arduam, nisi forte etiam imperviam esse, si de singulis fiat; *b*) ex altera parte animarum bonum hodie potissimum, cum mores et commercia limites et impedimenta vetera persaepe non

patiantur, exigere ut singulae dioeceses talis sint amplitudinis, ut sibi autonome disponere possint: Seminario suorum Sacerdotum, Curia cum omnibus officiis, organizationibus Actionis Catholicae et Apostolatus laicalis, necnon tali Sacerdotum copia, quae et peculiaribus muniis et exigentiis, selectis inde melioribus, consulere sinat.

Cum haec obtineri nullatenus possint, nisi mutatis atque amplificatis circumscriptionibus vetustarum multarum in Catholico Orbe Ecclesiarum, de hac gravissima causa censuerim in Concilio agendum esse.

De parochis et paroeciis

Paroecias ut pastoralis actionis fundamentum tuendas censuerim; Parochos vero privilegio inamovibilitatis, multis de causis privandos, adque nutum Episcopi amovibiles reddendos esse putarim.

De collationibus episcopalibus provincialibus et nationalibus

Ad Ecclesiae animarumque bonum unitis consiliis provehendum, adque ingruentium malorum remedia mature capessenda Collationes hac multa singulis regionibus seu nationibus in Ecclesiae unitate propria conferre videntur; adeoque auspicandum, ut de earum muneribus et officiis Concilium aptiora decernat.

De religiosis animarum curae quomodocumque addictis

Salva exemptione interni regiminis, quod spectat ad quamcumque apostolatus formam necessarium videtur, ut Religiosi omnes Ordinario loci subiiciantur.

De re politica et sociali

Si de hac re sermo habebitur, Clerus iubendus videtur principiis declarandis atque tuendis ita instare, ut tamen ab omni activo, directo atque responsabili interventu abstineat.

De unione Ecclesiarum

Ad hanc auspicatissimam unionem ea conferre videntur, quibus id omne sedulo adimatur, quod veterum pugnarum acredinem quomodocumque sapiat.

Interim omni quo par est obsequio me profiteor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus
✠ Aemilius Pizzoni
Episcopus Terracinensis, Privernensis et Setinus

217

Exc.mi P. D. ALOYSII FAVERI
Episcopi Tiburtini (Tivoli)

Tiburi, die 15 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Mihi Episcopo Tiburtino desiderabilia haec videntur.

1. *In ipso Concilio* adsint fratres dissidentes, invitandi supra modum calentissime, in verbo Domini « Compelle intrare » (*Luc.* XIV, 23).

In re doctrinali

2. D. N. I. C. Rex sollemniorem in modum proclametur adversus invalescentem insolentemque laicismum.

3. Definiatur dogma de B. M. V. Mediatrice omnium gratiarum, ut « hora Mariae » maturescat.

4. Existentialismus, laicismus et marxismus damnentur.

In re disciplinari

5. Difficultates ac modestiae, quos ex can. 454 et parallelis *C.I.C.* experitur Ordinarius quilibet, in amovendis parochis minus dignis, eliminentur vel ad minimum reducantur.

6. Pro sacerdotibus tot apostatis ex utroque clero misericorditer aliquid consulatur: scilicet aliquid tum remedii pro lapsis tum praecautionis pro forte lapsuris.

In re administrativa

7. Reditus aliqua ratione peraequentur tum inter Dioeceses tum inter paroecias eiusdem alicuius nationis, ita ut sanentur condiciones oeconomicae miserrimae plurium parochorum et etiam alicuius Episcopi. Derelictae nonnullae paroeciae rurales et praesertim montanae quid sunt nisi depopulata religio vel abominatio desolationis?

8. Pro Episcopis et sacerdotibus senescentibus vel aegrotantibus aliqua instituatur praevidentiae et assistentiae socialis forma. Pro curam animarum habentibus (parochis et Episcopis) ponatur aliquod limen aetatis.

9. Una quotannis imposita Missa unicuique sacerdoti, aboleantur exiguiora Missarum legata: quarum eleemosinae ob imminutum pecu-

niae valorem ridiculae sunt; quae tamen et parochorum conscientias angunt et negotii non parum exhibent Episcopo s. visitationem agenti. In posterum autem nulla iam admittatur legata perpetua sed vix tricennalia.

10. Dissidium fere semper et ubique lamentabile, canonicos inter et Episcopos eliminetur, aliquo modo rationabiliter imminuta obligatione audiendi Capitulum sive ad validitatem sive ad liceitatem.

Episcopus nominet suos consiliarios inter clerum dioecesanum. Si ipse canonicorum numerus, reduceretur ex. gr. ad senarium, nihil male sequeretur inde, praesertim si « congruae » insumerentur in clerum egenum sustentandum.

In re pastorali

11. Ad Sacramentum Confirmationis accedere ne liceat ante expletum tertium decimum aetatis annum, ita ut plus catechismi percipiatur, quo tantae ignorantiae remedium apportetur.

12. Examen sponsorum de doctrina christiana paulo plus augeatur. Curetur edendus (per S. C. de Sacramentis) parvus aliquis catechismus pro sponsis: qui si renuerint examinari, non quidem a nuptiis arceantur sed tantum a solemni pompa nuptiali.

13. Ut ipse clerus uterque sit « Magister in Israël » tum in paroeciis tum in scholis publicis curentur edendi textus scholastici sobrii, solidi, perspicui scientifice et pedagogice praestantes non aerem verberantes.

In re liturgica

14. In primis Pascha fixetur ita ut temporale et sanctorale coalescant in quid unum continuum, facilius, imminuta alterna conversione foliorum. Additiones et variationes refundantur in unum, numero signandae progressivo sicut Codicis I. C. Sanctorale limitetur ad huc, ita ut in Ecclesia Universali colantur Sancti revera Universales, reliqui vero solum localiter, ut olim, in respectivis Dioecesibus vel Institutis Religionis.

Logicum discrimen intercedat individualem inter et choralem recitationem breviarii. Psalterium distribuantur per duas saltem hebdomadas (ut apud Ambrosianos); Lectiones historicae recognoscantur; sermones plures brevientur. Homiliae quaedam locum cedant aliis hodiedum magis « praedicabilibus »; si quid augendum, augeatur lectura Biblica. Ritus in breviario reducantur et si fieri potest aboleatur « T. P. ».

15. Extra formulas sacramentarias, quantum fieri potest, a S. Ecclesia fideles audiant linguam maternam.

In Baptismo, ex gr. in celebratione Matrimonii, in olei infirmorum administratione et in praecibus commendationis animae qua ratione vetitur fidelibus intelligere sensum verborum quae sacerdos pro eis legit?

16. Ordo ad ecclesias, altaria, aera consecranda, immo et ad adultum baptizandum, reducantur.

✠ Aloysius Faveri
Episcopus Tiburtinus

218

Exc.mi P. D. ALPHONSI M. DE SANCTIS
Episcopi Tudertini (Todi)

Todi, 4 februarii 1960

Rev.mo Monsignore,

Ben volentieri, aderendo al Suo desiderio Le rimetto gli appunti circa il futuro Concilio Ecumenico redatti dal compianto Ecc.mo Mons. De Sanctis. Le invio la minuta scritta di Suo pugno: come vede è molto incompleta perchè la malattia che già minava il Venerato Vescovo non Gli permise di completare il Suo lavoro in questo campo che Gli stava tanto a cuore.

Con devoti ossequi, mi creda

della S. V. Rev.ma
dev.mo
D. Grandi
Cancelliere Vescovile

1. Eresia dell'Azione: Attività moltiplicata, ma impoverita assai la spiritualità.

2. Problema dei Seminari.

3. Abbreviata e ridotta ancora ad *meliorem formam* e in proporzioni minori la recita del Breviario.

Non togliere l'*obbligatorietà* nisi forte diebus dominicis et festis.

Includere nell'*obbligatorietà* la tertia S. Rosarii Marialis pars, quae ubicumque quavis hora et quocumque temporis intervallo facillime absolvi poterit.

4. Circa *diaconatum* sine coelibatu in adiutorium parochi, non

video utilitatem, opportunitatem et aedificationem quae possit derivare in Christifideles.

Ordinatio sacerdotalis fortasse differri poterit ad 28 aetatis annum.

✠ Alphonsus M. De Sanctis
Episcopus Tudertinus

219

Em.mi P. D. MAURILII Card. FOSSATI
Archiepiscopi Taurinensis (Torino)

Torino, 29 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

In ottemperanza all'invito espresso nella Vostra lettera del giugno u. s. mi sono fatto premura di eleggere una Commissione Diocesana, con la quale studiare le proposte ed osservazioni da inviare alla Commissione Pontificia Antipreparatoria per il futuro Concilio Ecumenico, di cui l'Eminenza Vostra è Presidente.

Il 21 luglio u. s. si tenne una prima riunione nel Palazzo Arcivescovile: in essa si fissarono alcuni settori di lavoro, che furono assegnati ai vari membri della Commissione.

Il 25 agosto u. s., preceduta da un preavviso contenente alcune indicazioni ritenute opportune, si ebbe la seconda riunione, nella quale i vari membri hanno riferito per ordine sui singoli problemi davanti alla Commissione.

I membri della *Sezione apologetica* propongono soprattutto che il Concilio si opponga al relativismo dottrinale imperversante nella scienza, nella filosofia e nella mentalità comune e dichiari il valore oggettivo e stabile dei primi principi di ragione, che stanno a base di ogni trattazione apologetica (allegato n. 1).

I membri della *Sezione dogmatica* offrono un quadro delle verità, che possono essere sviluppate o autorevolmente presesentate dal Concilio per venire incontro alle esigenze ed alle deviazioni moderne, valorizzando soprattutto i punti dottrinali già auterevolmente proposti nel magistero ordinario dei Romani Pontefici da Leone XIII a Giovanni XXIII (allegato n. 2).

I membri della *Sezione biblica* propongono con insistenza una più costante e stretta unione tra lo studio del testo sacro in sè e l'insegnamento tradizionale della Chiesa (allegato n. 3).

I membri della *Sezione morale e giuridica* hanno presentato una dettagliata rassegna dei vari settori della dottrina morale e giuridica, proponendo adattamenti e modifiche, tanto nell'insegnamento, quanto nella prassi, che sembrano richiesti dalle moderne condizioni di vita cattolica e del ministero pastorale (allegato n. 4).

I membri della *Sezione pastorale* hanno fatto dei rilievi sulla catechesi, sulla predicazione, sulla istruzione religiosa nelle scuole, su una diligente ed illuminata partecipazione al Sacrificio Eucaristico, sui moderni problemi riguardanti la diffusione, su una maggiore determinazione e divulgazione della dottrina sociale della Chiesa (allegato n. 5).

Negli allegati di numerose Sezioni si trovano indicazioni e proposte *sui problemi riguardanti il Clero.*

Le osservazioni riguardanti *la riunione dei cristiani separati* sono state ricavate in prevalenza dalle nostre locali condizioni diocesane (allegato n. 6).

In complesso si è avuto nelle richieste un orientamento di carattere pastorale ed è stato, quasi su ogni punto, formulato il desiderio di vedere sanzionato dal Concilio ciò che è stato espresso, ai nostri tempi, dal magistero ordinario, sia autentico, che teologico.

Un'attenta considerazione da parte della Commissione alle cose esposte dai relatori ha portato ad eliminare punti secondari o ritenuti meno opportuni. Quanto qui allegato ha ottenuto nel suo insieme un'adesione di massima da parte mia, degli Ecc.mi Vescovi e degli altri membri presenti alla riunione.

Baciandole umilissimamente le mani, con particolare ossequio e con profonda venerazione mi segno

umilissimo e dev.mo servitor vero

✠ Maurilio Card. Fossati
Arcivescovo di Torino

Allegato n. 1

De re apologetica

Pars prior

Quae in Encycl. *Ad Petri Cathedram* SS. D. N. Ioannis Pp. XXIII circa « Veritatem » continentur, huius nostri temporis hominum necessitatibus apprime respondere videmus.

Plurima quidem et pulcherrima sunt inventa quae illorum vitam perficere technice ideoque extrinsece queunt, at intrinsecus nobiliora desideria si adsint, utpote inania, eradicare contendunt.

Salubriter igitur ad convivium Sapientiae homines Ecclesiae magisterium invitat: non enim una vel altera veritas christianae fidei denegatur, sed omnes simul ausu temerario repelluntur. Id autem evenit ex eo quod « omnibus articulis fidei inhaeret fides propter unum medium, scilicet propter veritatem primam propositam nobis in Scripturis secundum doctrinam Ecclesiae intellectis sane. Et ideo qui ab hoc medio decidit totaliter fide caret » (*Summa Theol.* II-II, 5, 3, ad 2).

His cohaerenter Angelicus Doctor librum *De Veritate catholicae fidei contra errores infidelium* scripsit, in quo positio psychologica notatur quorundam qui nihil recipiunt: « Unde necesse est ad naturalem rationem recurrere cui omnes assentire coguntur » (*Summa cont. Gent.* I, 2, 11 b).

Alius autem eiusdem Ordinis assecla, fr. Hieronymus Savonarola, quando moderna societas in via discessionis audacter incedebat, opus composuit *De Veritate fidei in Dominicae Crucis triumphum,* eo consilio ut ex manifestis effectibus Redemptionis in Historia Ecclesiae signatis « increduli ad recipiendum supernaturale fidei lumen disponantur », dum « soli rationi ex iis quae videmus et experimur » credendum esse in manifestum ponimus: « Rationi enim naturali omnes assentire coguntur » (lib. I, prooemium).

Sic igitur « Veritas catholicae fidei » in « Triumphum Dominicae Crucis » operatur et Crucis Dominicae Triumphus in opere Catholicae Ecclesiae dignoscitur, quae supra Romanam Petram a Christo Domino construitur.

Sed tria occurrunt impedimenta valde ponderosa:

primum, ex aestimatione politico-oeconomica rerum humanarum, ex quo fit ut vita sacerdotalis a Cruce disiungatur;

alterum, ex colluctatione scholarum theologicarum, ex quo fit ut sterilitas dialectica mentalem confusionem accrescat;

tertium, ex pragmatismo actionis pastoralis et apostolatus, ex quo fit ut, principiis catholicae fidei in angulo domunculae cerebri relictis, actionis fulcimentum a dextris vel a sinistris rerum ambientium quaeratur, secundum variationem circumstantiarum vel temporalium profectuum utilitatem.

Impossibile est autem hisce in adiunctis « ad naturalem rationem recurrere », quia ex huiusmodi causis quaedam valde exitialis mentalitas satis diffusa ingenerata est, iuxta quam symbolum fidei simpliciter acceptatur et quae dogmatice enuntiata sunt, imponunt legem: « in necessariis unitas »: cetera vero quae a theologis vel philosophis sive intra sive extra Ecclesiae ambitum discutiuntur, sub altera lege ponuntur, quae primam sequitur et aperte declaratur: « in dubiis libertas »; si

autem tertium addatur: « in omnibus caritas », huiusmodi lex, quae revera, in seipsa considerata, invenitur aurea, nam caritas est « vinculum perfectionis », inanis evadit et noxia fit; inde enim cum theoria duplicis veritatis, inconvenientia oriuntur plurima: errores, mendacia, astutiae, fraudes, hypocrisis conformismi, qui sua sterilitate christianae sapientiae vim evacuat omnino.

Hisce in adiunctis nullus Apologeticae traditionalis valor dignoscitur et per adminicula empirica occurrentibus hic et nunc difficultatibus obviatur; viae novae quaeruntur pro veritate catholicae fidei, quae tamen vel nullius roboris evadunt vel maiori confusioni aditum praebent.

Ut igitur harmonica synthesis illius medii supra citati manifestetur, impedimenta illa memorata diligenter examinare iuvat ut inde quae ad sacrum rationis patrimonium pertinent et velut « Evangelium naturale » constituunt, sancte serventur et defendantur.

Primo enim, si rerum humanarum superficies diligentius examinetur et intus quae absconduntur sedulo perspiciantur, videbimus hic non agi de facto pure politico-oeconomico.

Quidam enim cuiusdam notissimi poëtae germanici verba recolentes, ita de humana vita iudicare contendunt:

> « Hic in terra beati volumus degere vitam,
> Nec panem nostrum in angustiis mendicare:
> Coelum teneant angeli simul et passeres ».

Alii vero, multitudini blandientes, homines dum vivunt hic in terra felices se reddere dicunt, non sicut sacerdotes qui in ecclesiis suis felices reddere homines se dicunt post mortem. Negatio « vitae aeternae » in visione Dei gloriosi manifesta apparet utrobique, simul autem spiritualitas et immortalitas animae negatur et sic destruitur quaecumque ratio vitae ethicae in humana societate.

Latet igitur sub exteriori simulacro rerum politicarum et oeconomicarum fundamentalis quaestio theologica, quae sola vitae humanae valorem praebet.

Secundo, theologicarum scholarum simultates valde hominum mentes confundunt et divinam sapientiam nedum humanitus clarescant hominibus, magis obfuscant.

Quod quidem, audacter dicam, per Encycl. *Humani Generis* notius factum invenimus, theologicarum rerum haud ignaris. Nam ex una parte scholam historicam, ut ita dicam, videmus quae multa ex Ecclesiae patrimonio collegit et explanavit; ex alia parte schola theologica defensionem veritatis assumpsit, quae tamen multum deficiens evasit,

non quidem quoad doctrinae substantiam, sed quoad eiusdem fundamentum necnon quaestionum solutionem.

Nunc autem multorum Ecclesiae doctrinale patrimonium peramanter colentium paci operosae melius providetur si ininvestigabiles Divinae Doctrinae divitias considerantes, scholas theologicas pensemus non materialiter, sed formaliter, ex subiecto scientiae quod assumunt: aliud est enim « subiectum » scientiae theologicae apud Augustinum, aliud apud S. Thomam, aliud apud Suarezium, aliud apud Scotum, ut principaliorum memoriam faciam.

Quos eadem fides connectit, necnon particulares quaedam quaestiones unitos inveniunt, systemata et scientiae theologicae modi per differentem synthesim philosophicam constructi, per diversas vias incedentes manifestant. Supervacaneum autem est vel valorem horum systematum seu modorum labefactare, vel unius prae aliis valorem imponere coacte, quasi veritas unius tantum scholae sit privilegium.

Quod quidem non in scholis tantum clausum manet, sed in vita et in historiae cursu valde influit. Ut rem historice declaremus, audacter quae ad S. Thomae doctrinam spectant, exponam.

Saeculo XV, Ioannes Dominici († 1419) contra humanismum beatitudinem hominum in terra determinantem: Antoninus, Florentinorum Archiepiscopus († 1459), contra omnes qui, caelestis vocationis immemores, terram unice colebant; Hieronymus Savonarola († 1489) contra pulchritudinem Ecclesiastici Ordinis foedantes necnon civilem Ordinem subvertentes, synthesim thomisticam in historia operantem fecerunt sive per actionem pastoralem sive per praedicationem efficaciter mores reformantem.

Inde vero, huiusmodi suam vim constructivam amisit et in campo dialecticae clausa permansit. Alii alia excogitarunt, nec tamen theologicae simultates inde cessarunt, immo magis ac magis excreverunt.

Tertium impedimentum quod supra innuimus, satis manifestum apparet considerantibus recentiorum catholicorum mentalitatem, unde fit quod Cleri exhortationes verbis sonantibus fiant et Laicorum operationes hos vel illos imitentur, bona quidem fide, sed nullo interioris autonomiae fulcimento, « actum humanum » constituente.

Et tamen semper nobis fulget illud:

« ad naturalem rationem recurrere cui omnes assentire coguntur », ex eo quod elementum essentiale humanae naturae invenitur per quod homo est homo et quae ad veram perfectionem suam pertinent, dignoscere et assequi potest.

Pars altera

Quae hucusque dicta sunt, ad « Apologeticam fidei » spectant.

Sed nostri temporis necessitatibus etiam « Apologetica spei » maxime consona videtur, non quidem ab « Apologetica fidei » avulsa, sed ibidem diligenter fundata.

Hucusque illud enucleatum est ex definitione fidei quod « argumentum non apparentium » dicitur: unde rationabiliter et non leviter credimus.

Sed nunc forsan pressius haud oblivisci debemus alterius elementi quod ex eadem definitione dicitur: « sperandarum substantia rerum » (*Hebr.* 11, 1).

Nam revera « pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est et futurae » (*I Tim.* 4, 8).

« Pietas » illa est, quae nunc vocatur Christianismus. Sed nimis frequenter eiusdem beneficia et utilitates pro vita « quae nunc est » proponuntur, unde vera physionomia Christi et Ecclesiae minus distincte percipitur.

Ideo « Apologetica spei » utpote necessaria, his congruenter, proponitur ne vacua promissio vitae futurae lamentabiliter habeatur vel quae a sacerdotibus, ministris Iesu Christi, pauperibus et lugentibus dicuntur, tamquam inania verba consolatoria pensentur, dum realitas vitae terrenae maius momentum habet.

Et quidem si, ut quamplurimi subiectivismo irretiti hodie censent, Veritas esset « id quod videtur » quaelibet consolatio fidelibus allata, licet e Scripturis hausta, irrisio potius quam animi confirmatio dicenda foret.

Veritas autem est « id quod est » (cf. *Summa Theol.,* I, 16, 1, 1 arg.). Et quisquis, illam assecutus, humanis divinisque rebus, prout sunt, sese adaequat et recte perspicit « rationes vivendi ex contemplatione aeternorum » desumi (cf. III *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 3, q. la 2), suaviter experitur contemplatione Veritatis non illusorie sed revera tristitiam vel dolorem mitigari (cf. *Summa Theol.* I-II, 38, 4).

Patet igitur in Veritate ut Apologeticam « fidei » ita et « spei » totam inniti.

Peculiari cuidam quaestioni, ad « Apologeticam spei » pertinenti, hic, exempli gratia, innuere iuvat.

In quodam art. R. P. L. Renwart S. I., quod inscribitur: *Le baptême des enfants et les limbes* (apud *Nouvelle Revue Théologique,* 5 maii 1958, pag. 467), haec leguntur:

« ... on est certainement fondé à témoigner de cette espérance devant les fidèles qui nous interrogent à ce sujet ... Mais sur la manière dont Dieu peut sauver des enfants non baptisés, il convient de ne parler qu'avec les plus grandes réserves ».

Haec quae citat Ch. JOURNET, *La volonté divine salvifique sur les petits enfants*, Bruges 1958, pag. 172, valde animum pulsant. Nam vel de consonlatoriis verbis agitur, vel fundamentum theologicum habent et tunc quaeritur quale sit.

De amplissima enim agitur quaestione circa salutem infidelium absque Baptismo. Ut recte animadvertit R. P. G. SCALTRITI O. P. in art. *La salute degli infedeli sanza Battesimo* (apud *Palestra del Clero,* 1956, nn. 11-13), S. Theresia a Iesu Infante aliquam mysticam declarationem habet sub initio *Historiae alicuius animae,* quae forsan bene per doctrinam Doctoris Angelici declaratur, cum notat quod virtus Christi visibilibus sacramentis non alligatur (cf. *Summa Theol.,* III, 64, 7; 66, 6; 67, 5 ad 2; 68, 2; 72, 6, ad 1; 86, 2, 2 arg.), sed diligentius res pertractanda videtur, cum theologi disputationes habeant, quae spem istam destruere videantur.

Hinc omnino necessarium videtur rem penitius examinare et determinare, nam ex una parte de salute infidelium agitur, ex alia vero parte quaestio de infantium salute absque Baptismo decedentium multas quaestiones movit, quibus theologi novi infantium tortores fieri videntur.

Sapientiae Divinae rationes nos latent, quas tamen Ecclesia, Mater nostra, nobis aperire valet, unde si Sanctorum intercessio et Actio Divini « Logos » aliquid valent, omnia satis aperta fiunt et « Apologetica spei » vehementius effulget.

P. CESLAUS PERA, O. P.
PETRUS CARAMELLO

DE COGNITIONIS OBIECTIVITATE PRIMISQUE AXIOMATIBUS REI PHILOSOPHICAE

Licet primariae veritates, quae immediatae evidentiae lumine gaudent, potius pertineant ad rem philosophicam, quam theologicam, necessarium videtur ipsas perfundere luce divinae revelationis, per conciliarem definitionem; ne illis negatis vel in dubium revocatis, ipsum fundamentum cuiuslibet religionis pessumdetur.

ATTILIUS VAUDAGNOTTI

ALLEGATO N. 2

Quoad doctrinam dogmaticam

Opportunum videtur quod novum Concilium Oecumenicum conciliariter proponat toti Ecclesiae in primis illa puncta et capita dogmaticae doctrinae, de quibus siluerunt novissima Concilia Oecumenica, nempe Tridentinum et Vaticanum; dein, circa alia capita doctrinae, iam in superioribus Conciliis proposita, fiant illa complementa ulteriora, quae respondent hodiernis exigentiis et progressui scientifico et theologico saeculi XX.

Ad duplicem hunc magni momenti laborem summopere conferent ea quae iam a Romanis Pontificibus proposita sunt in magisterio ordinario, praesertim inde a Leone XIII, S. Pio X, Benedicto XV, Pio XI, Pio XII et Ioanne XXIII.

In specie:

1. Conciliariter proponatur *Doctrina de mystico corpore Christi* (cf. Encyl. Pii XII *Mystici Corporis Christi*) ad hoc ut augeantur cognitio et amor Ecclesiae inter Catholicos, et foveatur unio cum Orientalibus separatis, qui iuridismum timent, sed summopere delectantur in consideratione Ecclesiae Mystici Corporis Christi.

2. Ample exponatur et extollatur *Doctrina Christologica,* de qua non egerunt Concilium Tridentinum et Vaticanum.

Proponantur scilicet:

Doctrina de redemptione Christi, de qua explicite loquuntur Vetus et Novum Testamentum;

Doctrina de satisfactione Christi Vicaria, de qua iam parata erant schemata in Concilio Vaticano, quae poterunt inservire;

Doctrina de regalitate Christi Universali: cf. Encycl. Pii XI *Quas primas;*

Doctrina de sacrificio Christi cruento, de qua plurima habentur in S. Scriptura Novi Testamenti, praesertim in Epistola ad Hebraeos.

Iuvat etiam contra errores modernos iterum proclamare fidem Ecclesiae in Personam Christi Theandricam, clare extollendo divinitatem Christi, eiusque missionem salvificam.

Hoc modo fideles melius dirigentur ad unicum Mediatorem Christum, et Protestantes allicientur, Deo adiuvante, ad Ecclesiam Catholicam, si Eam splendidiorem conspicient doctrina Christologica.

3. Quoad *Doctrinam Mariologicam,* conciliariter proponantur ea quae iam continentur in magisterio ordinario Leonis XIII, S. Pii X, Benedicti XV, Pii XI, Pii XII circa marianam corredemptionem, mediatio-

nem omnium gratiarum, regalitatem, ita ut tum im magisterio theologico, tum in catechesi oriatur consensus saltem circa ea quae in magisterio ordinario Pontificum iam proposita sunt.

Erit etiam, forsan, valde utile si mentio fiat *de morte B. Mariae Virginis,* de qua adest constans tot saeculorum traditio et expressa affirmatio Pii XI (cf. Sermo diei 15 augusti 1933) et etiam Pii XII, ut videtur, (cf. Sermo diei 29 septembris 1957) necnon persuasio fidelium, ita ut etiam circa hoc habeatur concordia in magisterio theologico et pastorali.

4. Quoad *Doctrinam Sacramentariam,* compleantur ea quae habentur in Concilio Tridentino circa SS. Eucharistiam, conciliariter proponendo ea quae Pius XII docuit tum circa praesentiam realem, tum circa naturam sacrificii Missae, quae essentialiter consistit in duplici consecratione et non in Communione, ex eo quod duplex consecratio *sacramentaliter* renovat immolationem Crucis: cf. Encycl. *Mediator Dei* et alia documenta Pii XII quae continentur in *Il Magisterio Eucaristico di Pio XII,* S. E. I., Torino 1957, pp. 616.

5. Quoad *Doctrinam de Novissimis,* refellantur conciliariter moderni errores circa infernum et aeternitatem poenarum.

6. Quoad errores modernos, Concilium refellat ea quae in Encycl. Pii XII *Humani Generis* indicata sunt.

7. Ad hoc ut doctrina Concilii omnibus innotescat, paretur etiam *Catechismus Concilii,* sicut factum est occasione Concilii Tridentini. Tali modo tum Pastores, tum fideles facilius doctrinam catholicam circa singula puncta addiscent et proponent.

Sac. DOMINICUS BERTETTO S. D. B.
Theologiae Professor in Pont. Athenaeo Salesiano

QUAD DOCTRINAM DOGMATICAM

1. Optandum est ut detur explicita declaratio *de capacitate intellectus* cognoscendi res modo obiectivo et stabili, cum agatur de supremo « facto dogmatico praesuppositivo » totius fidei et theologiae, quod a pluribus hodie negatur.

2. Opportuna videtur synthetica pertractatio («trattazione d'insieme ») circa necessitatem fidei, baptismi et adgregationis ad Ecclesiam ex una parte, et ex altera parte, circa voluntatem Dei salvificam universalem, redemptionem a Christo Domino pro omnibus Patri oblatam et gratiam sufficientem nulli homini a Deo denegatam. Saepius enim concreta

hodierna conditio hominum tanquam contraria uni aut alteri seriei opponitur. Pergrata omnino esset theologis aliqua sollemnis declaratio conciliaris de sufficientia fidei circa duo fundamentalia puncta « quod Deus est » et « quod est remunerator », de sufficientia baptismi desiderii atque adgregationis « ad animam Ecclesiae ». Haec omnia valerent tantummodo in adiunctis extraordinariis, uti satis evidens est. Sed attendendum est maiorem hominum partem versari in his adiunctis (infideles). Momentum missionarium.

3. Consequenter in votis esset aliqua declaratio Concilii circa genuinum sensum effati pervulgati « *extra Ecclesiam nulla salus* ».

4. Ulterius, optandum ut Concilium quaedam *de charitate* organice proponat, praesertim tanquam via ad iustificationem consequendam (baptismus desiderii), reparandam (contritio), augendam (perfectio christiana). Examini utiliter subiceretur hodierna plurium hominum conditio qui etsi sint, bona fide, materialiter contra Ecclesiam adversi, formaliter ad Deum conversi sunt per charitatem. (Orientamento formale verso Dio nella carità, nonostante un atteggiamento materialmente contrario alla Chiesa).

5. Varia problemata retractentur *de origine hominis*: quid tenendum sit quidque ulterius sit investigandum atque discutiendum. Quid praecise *de polygenismo* sentiendum sit, cum non desint qui ipsa verba hac re a Pio XII prolata in Litt. Encycl. *Humani Generis* liberius interpretari conentur.

6. Optandum est ut explicita expositio fiat *de modo redemptionis* (sacrificium-meritum-satisfactio).

7. Quae ultimis hisce annis *de Corpore Christi mystico,* necnon de mysterio Ecclesiae, sive a Summis Pontificibus sive ab episcopis atque theologis prolata sunt, auctoritate Concilii firmentur, ita ut abhinc perfectior habeatur in scholis tractatus *de Ecclesia Christi,* non tantum scilicet apologeticus, sed etiam et praesertim dogmaticus.

8. Hodiedum sermo invaluit supra varias « theologias » uti dicunt: « teologia delle realtà terrestri, del lavoro, dello sport, dell'arte, della storia, del laicato, etc. ». Item pluries de re morali agitur ad singulas conditiones hominum applicata (morale professionale). De qua re Pius XII praeclarum exhibuit exemplum in innumeris sermonibus ab ipso habitis. Horum conaminum utiliter, uti videtur, in Concilio mentio fieret.

9. Uberior expositio expostulatur circa naturam caracteris, praesertim in baptismate et confirmatione impresso, in quo reponitur praecipuum fundamentum activitatis laicorum in Ecclesia. Item quid de

relatione inter Actionem Catholicam et Hierarchiam: agiturne de aliquo mandato, de cooperatione?

10. Contra negationes adversariorum et reprobandas omissiones quae aliquando sive in concionibus ad populum sive in libris a catholicis conscriptis fiunt, sermo sit in Concilio de existentia inferni atque aeternitate poenarum. Quid sentiendum circa possibilitatem huiusmodi aeternitatem sola ratione demonstrandi?

11. Sermo fiat de Limbo, sive propter innumeros infantes qui sine baptismo moriuntur, sive propter omnimodam connexionem huiusmodi problematis cum iis quae supra n. 2 et 3 expostulata sunt. Quid sentiendum de nonnullis auctoribus pro quibus via salutis in Revelatione proposita potius *ordinaria* quam *unica* censenda est?

Sac. IOANNES M. ROLANDO
Theologiae Professor in Archiepiscopali Seminario Taurinensi

CONTRA POLYGENISMUM

1. Videtur optabile quod definiatur universum genus humanum ab uno protoparente Adam ortum habuisse. Ab hoc enim cardine tota pendet oeconomia peccati originalis quod in omnes pertransiit ipsa latitudine mortis temporalis, necnon oeconomia redemptionis, qua Christus pro omnibus mortuus est.

Usque hodie haec veritas, ad maximum, fidei proxima ducitur.

2. Pariter optandum quod conceptis verbis definiatur hominem constare ex corpore organico et anima rationali, spirituali et immortali, in unam naturam coalescentibus. Defectu explicitae definitionis, haec veritas, quae est fundamentum totius vitae moralis et religiosae hominis, non gaudet nisi certitudine theologica.

Opportunitas his definitionibus condendis petitur ab erroribus quae hodiedum grassantur his veritatibus ex diametro oppositis, quae sub fuco scientiarum anthropologicarum, late diffunduntur et minantur bases ipsas christiani aedificii.

ATTILIUS VAUDAGNOTTI

ALLEGATO N. 3

DE RE BIBLICA

Iam supra de re Apologetica pauca delibantes, Angelici Doctoris verborum meminimus, quae talia sunt: « omnibus articulis fidei inhaeret fides propter unum medium, scilicet propter veritatem primam pro-

positam nobis in Scripturis secundum doctrinam Ecclesiae intellectis sane » (*Summa Theol.*, II-II, 5, 3, ad 2).

Nunc autem de re Biblica tractantes, ab iisdem exordium ducere censemus tum ad Veritatem fidei catholicae sancte tuendam tum ad errores multiplices praecavendos.

Quae enim per « religionsgeschichtliche Methode » sub initio huius saeculi inventa sunt, ab haeresi Modernismi vulgata scimus: « Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, imprimis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae sacrae seponere debet, eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana » (Errores Modernistarum ex Decr. *Lamentabili*, 3 iulii 1907, prop. 12; Denz. U., *Enchir. Symbol.* 2012).

Nemo ad tantam temeritatem apud nos adducitur, licet apud historiae religionum cultores extraneos tanquam axioma scientificum habeatur, unde fit ut in Universitatibus rationalistice omnia quae in Scripturis sacris continentur, tanquam expressiones humani sensus religiosi, plus minusve, exquisitiori tractentur diligentia et reverentia.

Sed notandum est quae ex multiplicibus documentis inventa sunt, quaeque nobis distinctius « ambientem » historicum factorum manifestant, nimiam attentionem catholicorum exegetarum attrahere, ita ut scientia biblica non amplius ad divinae Doctrinae sapientiam perducat, sed in factis historicis examinandis maneat.

Quondam et forsan adhuc, valde grave inconveniens habebatur per diuturnam « Introductionem biblicam » quae numquam in Sanctuarium Scripturae sacrae introductos animos reficiebat.

Nunc vero facta et doctrinae quae propria criteria iudicii expostulant, nimis ab extrinseco pensantur et ab extrinseco « ambiente » diiudicantur.

Documenta historica sive extrinseca sive intrinseca ignorare haud fas, sed oblivisci nequimus illius quod per Angelicum notatur: « propositam nobis in Scripturis, secundum doctrinam Ecclesiae intellectis sane ».

Illud « sane » valde pensandum, ne Liber sacer ad Ecclesiae destructionem ponatur et Divina Doctrina in mendacium universale vertatur.

Scriptura ipsa documentum historicum pretiosissimum dignoscitur quod ad Iesum Christum eiusque Ecclesiam conducit: inde Ecclesia ipsa multa nos docet, quae Librum sacrum respiciunt ut sacrum, utpote qui Deum habeat auctorem.

Quae duo momenta non separanda, sed distinguenda sunt ne circulus vitiosus habeatur.

Nimis frequenter legimus, apud recentioris aetatis biblistas, talem vel talem esse scientificam expositionem, sed hanc vel illam, Ecclesiae traditionem. Quod quidem duplicis veritatis theoriam vel sapit vel continet omnino, unde maxima oritur confusio et babelica pugna exegetarum, theologorum, philosophorum, hominumque scientiae vel historiae peritorum.

Bonum autem esset, etiam sub respectu scientifico, ea quae Angelicus Doctor « De Lege Evangelii quae dicitur lex nova » manifestat, diligenter considerare.

Ibi enim (*Summa Theol.* I-II, 106) relationes inter Evangelium et Ecclesiam intimius pensantur et diligenter manifestantur (*ibid.* a. 1, ad 1). Ibi etiam quod per Augustinum notatur, rursus recolitur: « etiam littera Evangelii occideret, nisi adesset interius gratia fidei sanans » (*ibid.* a. 2).

Ut autem tam exitialis conditio praecaveatur, optimum foret ita scientiae biblicae incumbere ut Sapientiae ad Scripturae convivium vocanti docilem auditum cordis praebeamus et inde sapientiae vitalem doctrinam hauriamus.

Quae omnia bona nobis obveniunt, quando Scripturarum studio incumbimus secundum doctrinam Ecclesiae sane intellectarum.

P. Ceslaus Pera O. P.
Silvius Solero

Commissio Biblica instauranda

Cum novae quotidie effutiantur opiniones circa genuinitatem et sensum textus S. Scripturarum, nulla habita ratione interpretationis Sanctorum Patrum et sensus traditionalis Ecclesiae, quasi ars critica peritorum sit unicus et summus iudex divinorum Librorum, reconstituenda videtur *Commissio Biblica,* qua, datis responsis, coërceatur nimia audacia exegetarum.

Non desunt utique normae rectae interpretationis, contentae in recentioribus Pontificum documentis, sed cum ex ambitu theorico transitur ad praxim, quisque putat suas sententias, utut discrepantes a tradita expositione Patrum et Theologorum, illis normis non esse contrarias.

Attilius Vaudagnotti

ALLEGATO N. 4

De re morali et disciplinari

Cum summopere Ecclesiae intersit ut clerici pietate et scientia fulgeant aliquas animadversiones, hisce argumentis congruentes, paucis expono et paucissimis pro laicorum salute spirituali.

1. A Seminario incipio a quo bonum totius Ecclesiae pendet. Fovendus est magis ac magis ascetismus per disciplinae regularum exercitationem. Nam omnibus compertum est hodie nimis a quibusdam Seminarii moderatoribus indulgere sic dicto « autocontrollo e autonomia personale ». Ex quo fit ut clericus libertatis cupidus, restrictiones disciplinares parvipendat et haud patiatur et sic exercitium abnegationis, minime acquirat. Consequenter etiam fit ut clericus nequeat suam vocationem excutere, quae ad sacrificium et iugem inundationem est vocatio.

Clerici insuper apertius educentur ad hodiernas difficultates, errores, pericula, mala intelligenda ita ut, sociali climate comperto, aptius remedia per opera et praedicationes applicent.

2. Cum vita apostolica hodierna sit multis operibus superonerata etiam ob sacerdotum carentiam, necesse est clericos, etiam ministerio paroeciali addictos, examinibus periodicis subiciere ne prorsus scientia sacra in iis languescat. In vicarialibus conventibus et periodicis conferentiis dentur viri ecclesiastici vere periti ut sic dicti « aggiornamenti pastorali » efficaciter promoveantur. Hodie enim scientiae ecclesiasticae diminutio notatur sive in praedicatione, sive in confessione, sive in aliis ministeriis.

3. Ad bonum totius dioecesis optandum foret ut systema magis expeditum vigeat in provisionibus ecclesiasticis, etiam in beneficiis, ita ut magis sentiatur a proprio Ordinario dependentia.

4. Parochus subiciatur obligationi visitandi personaliter suos paroecianos ut eos cognoscat, sive singulis annis, sive alternis.

5. Optandum sane ut christifideles iam a meridie sabbati possint sanctificationi dierum festorum satisfacere, ita ut parochus possit eos instruere cum maiori tranquillitate. Nam dies festivus hodie pluribus distractionibus subiicitur et exodum paroeciarum fovet.

6. Ad confessiones audiendas ut magis expeditius agatur optandum ut iurisdictione ab Ordinario loci facilius sacerdos muniatur sive per parochum loci sive per litteras a proprio Ordinario obtentas. Nam cum hodie facilis sit transitus de loco ad locum saepe sacerdos impeditur confessiones requirentium audire ob carentiam iurisdictionis extra suam dioecesim.

7. Ut radicitus dissolutioni et amoralitati familiarum consulatur perutile videtur sponsos omnes subiiciere instructionibus matrimonio praeviis, qui regulariter fiant per cursus omnibus sponsis obvios et obligatorios sicut caetera (documenta et investigationes) matrimonio praemittenda praescripta.

8. Demum puto perutile rationem magis determinare qua observetur cessatio ab operibus diebus festivis. Nam hodie maxima discordantia viget inter auctores et antiqua distinctio inter opera servilia et liberalia parum cohaeret usibus et hodiernis circumstantiis quibus vitae fluxus valde est immutatus. Cur introduci nequit distinctio inter opera quibus per hebdomadam habitualiter incumbit fidelis vel opera lucrativa ab aliis secernere, vel tandem opera quae occupationem quotidianam constituunt ut omnes et solacium acquirant et sanctificationi festorum vacare possint? Nam ipsa antiquata distinctio inter opera servilia et liberalia videtur contemnere manualem occupationem et operariis praesertim est hodie valde infensa et invisa.

9. Item systema poenale hodie vigens erga laicos est satis inefficax ad delicta praevenienda et reprimenda. Multae censurae penitus ignorantur vel a laicis spernuntur et mortuae iacent in Codice.

Can. Iosephus Rossino

Quoad theologiam moralem in genere

I. *Circa methodum*: Optandum:

1. Ut theologia moralis, sive in scholis sive in explicatione, sive in praedicatione, magis *ad principia revocetur* potius quam ad casuum resolutionem. Principia deducantur in primis ex Theologia Dogmatica, deinde ex iure naturae, ex iure positivo divino, ex iure evangelico, ex iure ecclesiastico, et ex ipso iure civili.

Ratio studiorum in permultis atheneis iam ad hoc reducit lectiones hebdomadarias a quinque ad quattuor.

2. Ut magis immoretur in profliganda *Ethica situationis,* quae perturbat ipsa fundamenta moralitatis, aufert distinctionem inter licitum et illicitum et fovet vitam hedonisticam, immo fere paganam.

II. *Circa materiam*: Optandum:

1. Ut magis pertractentur quaestiones hodiernae societatis, v. g. moralitatis et iustitiae socialis, « del diritto al lavoro »: « del diritto di sciopero », specialiter in servitiis publicis, de societatibus et conduc-

tionibus collectivis. Hucusque latius immorati sumus in quaestionibus circa ieiunium, circa observantiam festorum et alia huiusmodi.

III. *Circa finem*: Optandum:

1. Ut in utroque foro non tantum attendatur ad culpas iudicandas et excusandas, sed etiam ad conscientiam christianam efformandam, uti clarissimus P. Wermeersch S. I. in suo optimo tractatu « Theologiae moralis Principia, Responsa, Consilia ».

IV. *Circa indaginem historicam et criticam*: Optandum:

1. Ut magis sistatur in explicandis, quoad singula instituta, immo, quoad singulas leges (saltem potiores) origine et evolutione historica notitias sumendo ex theologia positiva, quam vocant: uti etiam clarissimus P. Wermeersch et clarissimus Cappello S. I. in suis tractationibus iam faciunt.

Quoad theologiam moralem in specie

I. *De actibus humanis*: Optandum:

1. Ut agendo de impedimentis actus humani quae imputabilitatem et ideo responsabilitatem minuunt vel tollunt, accuratius tractetur de affectionibus cerebri et nervorum, de psychosi nempe, ut iam efficit clarissimus Merkelback in suo tractatu de Theologia morali.

II. *De legibus*: Optandum:

1. Ut precisius determinetur quando lex civilis iusta est et obligat in conscientia, maxime quando agitur de auctoritate temporanea vel usurpatrice.

2. Ut dirimatur quaestio an existant leges pure poenales.

III. *De praeceptis vel virtutibus*: Optandum:

1. Ut magis sistatur in exaltanda pulchritudine virtutis quam in describenda vitii nequitia.

2. Speciatim in de *sexto,* de quo in nostris scholis summatim tantum et obiter agendum est: Nam, ut ait D'Annibale, hae spurcitiae quo magis agitantur, magis foetent.

3. Ut in obligationibus erga proximum magis explicentur obligationes caritatis et iustitiae socialis, indicando quando sub gravi obligant.

4. Ut pressius determinetur materia gravis in furto.

IV. *De obligatinonibus pecularibus*: Optandum:

1. Ut amplius et singillatim agatur de « morali professionali » quam vocant ut in medicis, advocatis, etc.

V. *De diebus festis*: Optandum:

1. Ut agendo de abstinentia ab operibus servilibus (can. 1248), potius quam ad naturam laborum, ad finem laborantis attendatur exquirendo v. g. num ex lucro agat vel minus.

2. Ut legi de audiendo sacro quis satisfaciat ubique audiat, etiam in oratoriis privatis (can. 1249).

VI. *De abstinentia et ieiunio*: Optandum:

1. Ut cum parum nunc inter se discrepent (cann. 1250-1254), facilius dispensatio obtineri possit, non tantum ex causis generalibus communibus, sed etiam in casibus particularibus ab Episcopo pro tota Dioecesi et parocho pro tota paroecia.

2. Ut privilegia in hac materia prorsus tollantur: ut v. g. accidit in Hispania ex bulla « Cruciata ».

VII. *De Sacramentis*: Optandum:

1. *Circa baptismum* ut abrogentur infusiones salis et salivae; ut unctiones efficiantur in sola fronte; ut lingua vernacula ministrari possit; ut patrinus sit procurator qui puerum tangit (can. 765 § 5).

2. *Circa confirmationem*: Optandum:

Ut parochus ex iusta causa alium sacerdotem delegare possit ad confirmationem administrandam.

3. *Circa poenitentiam*: Optandum:

a) ut dirimatur quaestio circa materiam proximam vel secundum thomistas vel secundum scotistas;

b) ut iurisdictio a proprio Ordinario obtenta exerceri possit ubique in terra, in coelo, in mari, etc.

4. *Circa Sanctam Communionem*: Optandum:

a) ut quibuscumque horis distribui possit, praemissis tribus horis ieiunii (can. 867 § 4);

b) ut parocho tantum tradatur ius adprobandi et admittendi pueros ad Primam Communionem (can. 85 § 5).

5. *Circa Extremam Unctionem*: Optandum:

ut unica unctio fiat in fronte infirmi.

6. *Circa Matrimonium*: Optandum:

a) ut stricte applicetur regula ut matrimonium coram parocho sponsae vel sponsi celebretur (can. 1097 § 2);

b) ut accuratius Processiculus Praematrimonialis redigatur.

VIII. *De censuris*: Optandum:

1. Ut reducantur quoad numerum et quoad species.

IX. *De indulgentiis*: Optandum:

1. Ut omnes *Indulgentiae Plenariae*, etiam toties quoties et Portiunculae, ab iis lucrari possint qui Ecclesiam visitant ubi Sanctissimum asservatur.

Can. IOHANNES LARDONE

QUOAD IUS CANONICUM

I. *De rescriptis*: (cann. 36-62) Optandum:

Ut faciliores evadant sive concessiones sive executiones rescriptorum: V. g. Statim valere incipiant quando a Sancta Sede vel Ordinario firmatur.

II. *De privilegiis*: (cann. 63-79) Optandum:

Ut abrogetur communicatio privilegiorum (can. 64).

III. *De dispensationibus*: (can. 80) Optandum:

Ut in legibus ieiunii et abstinentiae et observantia festorum, iuxta accedente causa, Episcopus dispensare possit pro tota Dioecesi et parochus non tantum singulos et singillatim, sed totam paroeciam.

IV. *De personis - De clericis in genere*: (can. 108) Optandum:

1. Ut pressius determinetur conceptus vocationis ecclesiasticae et an obligationem vel consilium importet.

2. Ut ad clericatum tantum admittantur qui optima valetudine gaudent et « cartella sanitaria » sint muniti.

3. Ut maximi faciant vocationes « tardivas », quae semper in dies numerosiores evadunt.

V. *De officiis ecclesiasticis*: (can. 145 et sq.) Optandum:

1. Ut nullus sit clericus vagus aut in domo paterna pacifice habitans: omnes alicui ecclesiae addicti sint, ut ad ministerium vel apostolatum attendere valeant.

2. Ut omnes ad mentem can. 1333 parochum adiuvent in catechesi explananda sive pueris sive adultis, post examen in predicatione peractum.

VI. *De capitulis canonicorum*: (can, 391 et sq.) Optandum:

1. Ut omnes collegiatae definitive abrogentur, cum earum reditus ad vitam non sufficiant, cum plurimos sacerdotes a ministerio et apostolatu subtrahant et cum turbam miserorum et otiosorum et tristium excitent.

2. Ut *capituli cathedrales,* ubi possibile est, ad sex canonicos reducantur.

3. Ut cura animarum a *Vicario curato* excercita, omnino et in omnibus a Capitulo independens sit.

VII. *De Parochis*: (can. 451 et sq.) Optandum:

1. Ut *omnis iuspatronatus* abrogetur ad mentem can. 1450; item et electiones populares (can. 1452).

2. Ut omnes per concursum eligantur iuxta can. 459 § 4: qui tamen concursus ad unum diem reducantur cum casu de theologia dogmatica et casu de theologia morali vel de aliis theologicis materiis et cum brevi ac summario sermone.

3. Ut nulla paroecia adsit sine titulari, ne Ecclesia et domus canonica depereant.

4. Ut omnes parochi amovibiles sint ad nutum Episcopi iuxta mentem can. 454 § 3, et omnes primitus curam animarum exerceant in parvis et dissitis paroeciis, deinde in magnis ac cum maiori numero fidelium.

5. Ut maior vigilantia adhibeatur circa administrationem bonorum ecclesiasticorum ac beneficialium et pressius determinetur obligatio a can. 1473 sancita.

6. Ut parochis qui septuagesimum annum attingunt, optio detur: vel in cura paroeciae permanere si vires valeant; vel pensionem sufficientem accipere, ita ut extra territorium paroeciae vitam ducere possint.

7. Ut omnes parochi obligentur ad quotam solvere pro societate mutua infirmitatis ac infortunii, sive pro se, sive in quota parte pro sacerdotibus qui eos in cura animarum adiuvant.

8. Quoad praestationes quae parochis solvuntur (can. 463) uniformitas servetur cum unico tariffario pro civitate et altero extra civitatem.

VIII. *De Vicariis cooperatoribus*: (can. 476) Optandum:

1. Ut praeter eleemosynam Missarum integram solvendam, iuxta statuta dioecesana, aequum stipendium habeant ita ut quoad victum independentes vivere possint sive in domo canonica, sive extra, pro locorum circumstantiis. Ad hoc, si in territorio paroeciali adsit aliquod beneficium cum domo propria, vicario cooperatori adsignetur.

2. Ut post decem annos huius vicariatus, omnibus beneficium adsignetur, etiam in parvis paroeciis, cum optione pro magnis in posterum facienda.

3. Ut cappellanis in pagis sitis, in territorio paroeciae, qui de facto veri vicarii cooperatores sunt, aequum stipendium a parocho solvatur, etiam e proprio beneficio sumendum si sufficiens sit.

IX. *De religiosis*: (can. 487) Optandum:

1. Ut lex novitiatus per annum integrum et continuum (can. 555 § 1, n. 2) aliquantulum mitigetur, ita ut absentia etiam quindecim vel viginti dierum, iusta accedente causa, eum non interrumpat.

2. Ut Religiosi ac Religiosae e septa instituti egredi valeant ad parentes in egestate sublevandos vel in infirmitate curandos.

3. Ut Religiosis viris ac mulieribus, qui quacumque de causa ex Instituto exeunt vel dimittuntur, congruum subsidium tribuatur ut per tempus conveniens vitam ducere possint.

X. *De bonis ecclesiasticis administrandis*: (can. 1518) Optandum:

1. Ut resoluta sit quaestio an utilior sit administratio collectiva ab Officio Curiae administrativo peragenda, vel individualis singulis beneficiatis concredita.

XI. *De Piis fundationibus et legatis* (can. 1544 et sq.) Optandum:

1. Ut non amplius perpetui efficiantur neque in nominativis titulis collocentur: si iam extant, etiam cum onere Missarum, ad consummationem perducantur, tot onera adimplendo quot sunt pecuniae (capitale).

2. Ut pressius determinetur obligatio ex can. 1513 § 2. (Moneantur ut adimpleant).

XII. *De matrimonii Sacramento* (can. 1012 et sq.) Optandum:

1. Ut abrogentur *impedimenta gradus minoris,* ut in can. 1042 describuntur vel saltem eorum dispensatio Episcopo tradatur:

a) consaguineitas in tertio gradu lineae collateralis (can. 1076);

b) affinitas in secundo gradu lineae collateralis (can. 1077);

c) publica honestas in secundo gradu (can. 1078);

d) cognatio spiritualis (cann. 768-1079);

e) crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, etiam per civilem tantum actum (can. 1075).

2. Ut *licentia assistendi* matrimonio a parocho vel viceparocho etiam generali delegatione concedi possit (al liceitatem).

3. Ut *delegato episcopali* (qui non sit Vicarius generalis), cui in responsione Commissionis Codicis 25 ianuarii 1943 non conceditur licentia generalis matrimoniis adsistendi, etiam haec licentia concedatur.

4. Ut mixtae nuptiae non in sacrario, sed in Ecclesia celebrentur.

XIII. *De censuris*: Optandum:

1. Ut quoad numerum et species reducantur.

2. Ut abrogetur suspensio ex infamata conscientia, quam vocant.

XIV. *De Iudiciis*: Optandum:

1. Ut in Instructoria per dispensationem super rato, abrogentur testes septimae manus a can. 1975 requisiti.

2. Ut in causis matrimonialibus etiam post primam sententiam (can. 1986) appellatio relinquatur conscientiae vinculi defensoris (can. 1987).

3. Ut in *beatificationis causis et canonizationis,* post propositionem causae ab Ordinario loci factam, statim conficiatur Processus Apostolicus, cum tribus tantum iudicibus et uno fidei Promotore.

Can. IOHANNES LARDONE

DE CREMATIONE

Antiquissimus usus cremandi cadavera apud Indos, Graecos, Romanos, Germanicos viguit simul cum ritu humanationis: qui certe prior extitit, sicuti praehistorica sepulcra testantur.

Apud Christianos statim — ex more sepeliendi Iudeorum et exemplo sepulturae Domini — usus viguit sepeliendi defunctorum corpora. Qui usus, post bellum a Carolo Magno indictum anno 781 contra Saxones, tota Aevi Medii aetate perduravit.

Consuetudo incinerationis modernis temporibus restituta fuit ex par-

te ita dictae « rivoluzione francese », anno 1797, et certe invaluit tamquam affirmatio apostasiae, rationalismi, materialismi, et in odium Ecclesiae. Nam usus cremandi cadavera maximos fautores habuit in addictis sectae massonicae (in Italia Coletti, Gorini, Moleschott, Bottero, Ariodante, Fabbretti, ecc.).

Propterea Ecclesia Catholica iustissimis rationibus cremationem damnavit (1886, 1892; *C.I.C.* 1203, 1240, 2339).

Sed decursu temporum, sectariis furoribus extinctis vel saltem placatis, incineratio mortuorum proponitur tamquam methodus modernior et aptior componendi cadavera (polizia mortuaria). Immo recentes ephemerides societatis cremationis reverentiam in religionem testantur, ab Ecclesia invocant libertatem pro fidelibus disponendi de sepultura propria; et plures catholici — qui methodo humationis repugnant sed tamen leges ecclesiasticis violare nolunt — anxietatibus conscientiae torquentur.

Opportunum censetur ex parte Sacri Concilii huius quaestionis examen. In qua pauca perpendenda sunt.

1. *Methodus incinerationis nulli dogmati catholico adversatur.* Scriptura Sacra de hac re tacet. Apostoli, cum nuntiarent evangelium « graecis, latinis, barbaris », dum magna orbis pars usum incinerationis sequebatur, talem usum non damnarunt.

Inepte autem dicitur cremationem adversari dogmati inmortalitatis animae vel resurrectionis corporum; nam gentes antiquae quae huic usui inhaerebant (v. g. Romani) animae immortalitatem confitebantur, et Dei omnipotentia suscitare potest defunctorum corpora tam ex cinere luti quam ex cinere ignis. *Pulvis es...* Immo, certis in adiunctis Ecclesia ipsa, ex publicae salutis necessitate, corporum combustionem permittit: quod non fieret si incineratio adversaretur alicui dogmati christiano.

2. Methodus cremationis hodie proponitur tamquam practice inhaerens moderno conceptui progressus, hygiaenis, oeconomiae etc.; et etiam — immo *maxime* — ex multorum etiam fidelium catholicorum terrore quod vivi sepeliantur (« il terrore di essere sepolti vivi è maggiore e più esteso di quanto generalmente si creda »).

3. Quod si Sancta Mater Ecclesia huic libertati fidelium indulgere voluerit, finis dabitur acerbo tot conscientiarum conflictui; et ipsa Mater Ecclesia restituere coemeteria paroecialia poterit, et componere — sicut olim — cineres fidelium defunctorum apud altaria sua.

Sac. Silvius Solero
Canonicus Theologus Ecclesiae
Metropolitanae Taurinensis

De crematione

Meo minimo iudicio, reprobatio cremationis corporum fidelium intacta servanda est, nec poenae in transgressionem mitigandae (can. 1203).

Licet enim nonnulli a mandato cremandi corpora excludant quamlibet iniuriam Ecclesiae, dicantque se peragere rem indifferentem, quae nec fidem nec mores tangat, attamen obiective, cremationem effici et propagari etiam hodie in contemptum Ecclesiae, et veluti vexillum inimicorum Christi, patet ex ipsis ephemeridibus, quae hanc praxim propugnantur.

Ipsa Scriptura V. T. iam innuebat hanc esse ordinationem Creatoris: « Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum » (*Eccl.* XII, 7).

Addendum pro Christianis officium sese conformandi Christo, « qui sepultus est », et reminisci oportet, ex doctrina Pauli, humanum corpus esse veluti semen, quod non comburitur, sed in terra absconditur, in fidem et spem Resurrectionis.

Attilius Vaudagnotti

De relationibus inter Ecclesiam et Statum

Doctrina quae de hisce capitibus traditur in *Syllabo* errorum Pii IX, et quae ab Encyclicis praesertim Leonis XIII, clarius et exactius exposita est, resumenda videtur in textu dogmatico, sententiis adamussim libratis et perspicuis, unde omne periculum aequivocationis tollatur.

Attilius Vaudagnotti

allegato n. 5

Catechesis

Votum exprimitur de catechismo *uno*, vel dicam *catholico,* vel saltem *nationali,* perscripta methodo *historico-describenti,* excerpto praesertim ex Evangeliis et ex Historia Biblica.

Formulae, ut ita dicam, scholasticae, ad res quae sunt unicae ac necessariae reducantur, ut omnes recte discant quid christianae doctrinae institutiones sint.

Catechismus clare et satis diffuse contineat *Doctrinam socialem* Ec-

clesiae, principia *Actionis Catholicae,* aliquam partem *Apologeticae,* ampliorem expositionem de *Ecclesia,* scilicet de *Hierarchia,* de *Magisterio,* de *Apostolatu,* de *Missionibus ad infideles.*

Clare exponat positionem et actionem Ecclesiae causa rerum pertinentium cursus ad scientiam vel ad vitae societatem. Addantur principia educationis familiaris vere christianae.

Diserte catechismus loquatur de Missae Sacrificio, de liturgiae Missae partibus praecipuis, de diebus festis, etc.

Praedicatio:

Votum exprimitur: Ordinarius per se vel per Collegium, ad hoc ipsum institutum, tempestive proponat parochis et sacerdotibus suae dioecesis argumenta huius temporis (attualità), admoneat aptas rationes, quae populo convenienter explicentur.

Ordinarius oper peculiaris Collegii sacerdotum peritorum et prudentium certiorem se reddat de locutionibus illorum sacerdotum, quorum est praedicationis munus in templis suae dioecesis.

Ordinarius adiuvet in munere tanti oneris, suos sacerdotes in conventibus annuis ad hoc indictis in dioecesi aut satem obtineat ut ultima dies exercitiorum spiritualium adhibeatur ad conferendum circa institutiones christianae doctrinae et praedicationis universae.

Institutio religiosa in scholis:

Cum res sit maximi momenti, praesertim nostris temporibus, exprimitur votum ut delectus sacerdotum ad hoc officium praestantissimum, demandetur Collegio cuidam dioecesis ad hoc ipsum instituto. A viris electis exigatur accurata praeparatio, id est multarum rerum scientia atque docendi artes, quae confirmandae erunt argumentis et rationibus certis, per quaestiones seu certamina.

Ordinarius invigilet per Collegium aut per Officium Doctrinae Christianae circa executionem muneris, statuat quotannis docentium conventus, relationes ... Forsan utiliter immitterentur in munere etiam parochi.

In omni dioecesi et in civitatibus maioribus instituantur scholae et loca conventuum pro studiis catholicis superioribus ad utilitatem sive sacerdotum, sive saecularium laicorum.

Varia:

Definiatur: status et condicio laicorum quorum labor et industria adhiberi possit adiumento sacerdotibus sive in archivio paroeciali, sive in beneficiis temporalibus administrandis, et in rebus quae eiusdem generis sint.

Abstinentia a carnibus:

Reducatur vel *tantum* sextis feriis, exceptis caeteris cursibus, vel reducatur ad *unam* ex principalibus feriae sextae.

Liturgia:

Addatur in Canone Missae, ad Communicantes, nomen « S. Ioseph ».

✠ FRANCISCUS BOTTINO
Episcopus tit. Sebastenus in Palaestina
Auxiliaris Taurinensis

DE RE LITURGICA

In primis, quae « de Gratia Dei *Indiculus* » docet, referre iuvat; haec enim pulcherrima doctrina, veluti Liturgiae animam nobis aperiens, fidei nutritionem per Liturgiam manifestat:

« ... obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respicimus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi.

Cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente, postulant et precantur,
ut infidelibus donetur fides,
ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus,
ut Iudaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat,
ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant,
ut schismatici spiritum redivivae charitatis accipiant,
ut lapsis poenitentiae remedia conferantur,
ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis caelestis misericordiae aula reseretur.

Haec autem non perfunctorie neque inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos *erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum Filii caritatis suae* (*Col.*, 1. 13) et *ex vasis irae faciat vasa misericordiae* (*Rom.*, 9, 22 sq.).

Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut haec efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur » (cap. 8; DENZ. U., *Enchir. Symbol.* 139).

Plurimae inde valde utiles instructiones erui queunt, quas inter aliquas innuere iuvat.

Prima est, quod in Ecclesia catholica Eucharisticum sacrificium

essentialiter religionis cultum constituit: ad ipsum omnia ordinantur et ex ipso omnia derivantur quae ad cultum christianae religionis pertinent.

Optima res est fideles in liturgico sensu diligenter instruere, sed valde cavendum est ne « sermones et verba exhortatoria » vel « didascaliae liturgicae » sacrificium Eucharisticum substituant, vel devotam fidelium praesentiam numerosioribus verbis fastidiant aut impediant omnino.

Altera est, quod tota Liturgia nostra, qua « Lex supplicandi » diligenter per ecclesiasticam linguam exprimitur, « legem credendi » statuens, duo nobis praebeat beneficia:

unum est quod fides, dum religione manifestatur, ex religione abunde nutritur et illuminatur;

alterum est quod per magisterium liturgicum religionis nundinaria excluditur conceptio, qua cultus vel magice pensatur, vel iuridice completur, absque interiori vita aut spiritus et cordis humili subiectione.

Tertium quod pensare debemus est illa Ecclesiae nostrae assidua diligentia qua fidelium mentes per Liturgiae magisterium gradatim ad divinorum beneficiorum contemplationem elevantur ut inde quotidiani officii completio sancte perficiatur.

Optima quidem Liturgiae vulgarizatio iuxta sapientissimas normas Ecclesiae ut fidelium mentes per hanc condescendentiam liturgicam facilius eleventur ad amorem Divini Operis, sed a scopo aberraret omnino qui per Liturgiae vulgarisationem, res divinas ita humanitus deprimeret ut sacrum caracterem elevationis et perfectionis vel cultus amitteret vel ad humana commoda flecti pateretur.

Sapiens liturgicum exercitium, dum verae fidei sanum alimentum cuique proportionatum praebet, fidelium mentes ab erroribus servat, quos efficaciter evacuat, dum Divini Operis manifestat mirabilia.

Humanismus seu Naturalismus huiusce nostrae aetatis, ubique terrarum populorum animas dilacerans, tanquam Hominis religio proponitur, iuxta quam Homo est sibi redemptor: caelum est in terra nec alia vita expectanda ut beatitudinem homines adipisci queant, cum decursu temporis humanus labor omnia in meliorem statum adducere possit. Ideo nihil per orationem expectandum venit, sed omnia per indefessum laborem acquirenda. Nihil enim supra nos invenitur, nihil post mortem manet.

Talia et similia sunt quae ubique terrarum in populis vulgantur, unde fit ut, sensim sine sensu, non solum christianae religionis cultus evacuetur sed et cuiuscumque religiosi sensus humana vita privetur.

Sic igitur per diligentem sapientiae liturgicae participationem homo ipse salvatur, dum christianus defenditur per Divini Operis pulcherrimam manifestationem: nam « inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quae est sibi propria: sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc quod veritatem cognoscat de Deo, et ad hoc quod in societate vivat. Et secundum hoc, ad legem naturalem pertinent ea quae ad huiusmodi inclinationem spectant: utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat cum quibus debet conversari... » (*Summa Theol.*, I-II, 94, 2).

P. CESLAUS PERA O. P.

DE BREVIARIO

Videtur opportunum duplex schema Breviarii parere: alterum, brevius, pro iis qui ministerio pastorali incumbunt; alterum, longius, pro iis qui vitae contemplativae et monasticae addicti sunt.

P. CELESTINUS GENNARO O. F. M.

DE CATHOLICIS DIARIIS

Cum Ecclesiae impetitores totis viribus in diffusione diariorum incumbant, quae maxima adiumenta ad ideas evulgandas iuste reputentur; ut catholici instruantur *practice et pedetentim* de iuribus et officiis, quae in republica moderanda e suffragio universali oriuntur, et in eis libere efformetur « conscientia » ut aiunt « socialis », moneantur fideles ut ephemerides catholicas legant, divulgent, adiuvent. Ephemerides catholicae, quae sub vigilantia Episcoporum eduntur, praeferantur aliis omnis generis diariis, etiam de Ecclesia optime merentibus. Nam hic agitur de statuendo vel firmando fundamento veritatis.

Timendum ne res Concilii proveniant ad cognitionem fidelium tramite ephemeridum laicarum quae fallaciter et perverse evulgent labores, doctrinas, decreta Concilii: unde exurgit necessitas dandi incrementa diariis catholicis, qui hodie nimis impares sunt, et fere ab ipsis catholicis minime leguntur.

DE RADIOPHONICIS AUDITIONIBUS, CINEMATOGRAPHICIS ET TELEVISIFICIS SPECTACULIS.

Doctrina in hac re a Summis Pontificibus Pio XI in Encycl. *Vigilanti cura* et Pio XII in Encycl. *Miranda prorsus* tradita et nuper confirmata a Sanctissimo D. N. Papa Ioanne XXIII in Encycl. *Ad Petri Cathedram* in actibus Concilii referatur.

Tres animadversiones hic subiciuntur:

a) Parentes et educatores caute et moderate filios vel alumnos ad spectacula cinematografica et televisifica (etiam moraliter licita) admittant, nam haec spectacula ad phantasiam abnormiter excitandam valde influunt. Optandum ut spectacula conficiantur puerilibus animis apta.

b) Fideles *graviter* a spectaculis cinematopraphicis minus honestis arcentur. Foveatur « promissio cinematographica ». Hoc tantum modo, flectendo productores possibile est gravi malo publico remedium praebere.

c) Contra facile admittentes novitatem cuiuscumque generis, affirmetur traditionalis methodus evangelizationis in magisterio vivae vocis, quo colliguntur pastor et fideles. Cum in eis hoc deficiat, media radiophonica, cinematographica et televisifica possunt esse « subsidia » evangelizationis, quidem utilia et pretiosa, sed non ex se sufficientia.

IOSEPH COTTINO

REVERENTER ET INSTANTER PETIMUS

1. Ut doctrina socialis Ecclesiae, qualis multis recentiorum Pontificum litteris expressa est, in codicem per summa capita redigatur.

2. Ut una e praecipuis disciplinis sit in Seminariis tradendis adeo ut solide in ea clerici instituti, concordibus sententiis fidelibus proponant.

3. Ut praecipua doctrinae capita explicatius inculcentur, veluti:

a) quatenus ius proprietatis privatum quod a natura est, in bonum commune proficisci debeat;

b) quotam respublica partem in rebus oeconomicis gerendis sibi adrogare possit;

c) quibus tantum de causis liceat iis qui operam praestant, ab ea cessare, atque idemne sit ius eorum qui in publicum servitium se locaverunt.

P. GORIA S. I.

CIRCA COMMUNEM SECESSIONEM OPIFICUM
(vulgo: *Sciopero*)

Clarius firmiusque conditiones doceantur, quibus secessio opificum ex condicto licita vel illicita dicenda sit.

ATTILIUS VAUDAGNOTTI

ALLEGATO N. 6

Quoad Oecumenismum

1. Enixe pastores inducantur ad *Catechesim magis positivam* proponendam fidelibus, ita ut libros sacros melius cognoscant et ideo agnoscant auctoritatem vere divinam fidei ab Ecclesia propositae et eam contra impugnationes haereticorum defendant per ipsam S. Scripturam.

2. Foveantur *fraterni* conventus cum haereticis, ad hoc ut erudiantur et amice ad veram fidem adducantur.

Sac. Dominicus Bertetto S. D. B.
Theologiae Professor in Pontificio Athenaeo Salesiano

Quoad Oecumenismum

1. Contra defectionem a fide catholica atque transitum ad castra protestantium agendum est, apud nos, catechesi praesertim adultorum, tempestiva constructione novarum ecclesiarum paroecialium, necnon « assistentia sociali ».

2. Quaestio conversionis Valdensium difficillimae est solutionis, cum potius quam doctrinalis videatur « razialis » (la coscienza di formare una minoranza etnica con un passato comune, e di essere come tale, oggetto di attenzione internazionale).

3. Animi fratrum separatorum demulcendi videntur, modum imponendo iis quae etsi vera sint, importune saepius apud catholicos aguntur: ex. gr. cultus imaginum et Sanctorum.

4. Occasio arripiatur a sollemnioribus diebus festis oblatis, instruendi fideles ore et scripto (articoli su giornali, foglietti distribuiti in Chiesa) circa illa dogmata maiora quae inter catholicos et non catholicos controvertuntur: ex. gr. in festo Immaculatae B. M. V. Conceptionis, Corporis Domini, S. Petri (de Summo Pontifice) etc.

Sac. Ioannes M. Rolando
Theologiae Professor in Archiepiscopali Seminario Taurinensi

✠ Maurilius Card. Fossati
Archiepiscopus Taurinensis

220

Exc.mi P. D. AEGISTHI D. MELCHIORI

Archiepiscopi Ep. Derthonensis (Tortona)

Derthonae, 10 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Pergratum ac valde honorificum mihi est epistolae prot. n. 1 C/59-1365 responsum dare.

Cum Summus Pontifex Episcopos consulere dignaverit ad consilia et vota colligenda circa res et argumenta in futuro Concilio Oecumenico tractanda, per summa capita, omnibus coram Deo perpensis, et peritorum ac prudentium sacerdotum nisus, humillime circa sequentia argumenta mihi proponere videtur:

I. *Circa quaedam doctrinae capita*

Proponitur in primis ut summatim revocentur praecipua doctrinae capita quae duo superiora Concilia definierunt.

Deinde postulatur:

A) Quod attinet ad Sacras Scripturas:

1. Ut rerum biblicarum cultoribus amplior, quamvis semper prudens, concedatur libertas in sacris Litteris interpretandis, ita ut interpretationes quaedam iampridem damnatae ut erroneae, verae non habeantur in posterum.

2. Ut in documentis ecclesiasticis non admittantur assertiones quae cum verae scientiae acquisitionibus manifeste discrepent (e. g. series annorum a primi hominis creatione in Martyrologio Romano).

3. Ut recognoscantur interpretationes doctorum in quaestionibus disputatis e. g. circa genealogias, aetatem patriarcharum, diluvium, dies creationis, narrationes genesis etc.

B) Quod attinet ad sacram Liturgiam:

1. Ut colligeantur omnes indulgentiae variis temporibus editae in unica synopsi valde semplificata ut eius usus perfacilis evadat omnibus fidelibus.

2. Ut a Breviario et Missali Romano Veteris Testamenti loci removeantur qui religiosos animos, acriore morum veritate repraesentata, perturbare possint, vel morum disciplinam ab Evangelio abrogatam exponant (e. g. Susanna, Sunamitides, Abraham et Pharaon et similia).

3. Ut a Breviario quoque auferantur lectiones quae vim obtineant a sola significatione numerorum, vel a genealogiis, vel etiam quae, ut in parte historica, narrationes tradant reapse fabulosas.

4. Ut cultus Deo redditus latius pateat; cultus vero Sanctorum ad quosdam tantum et maximas reducatur festivitates.

5. Ut in Breviario officium festivum retineatur tantum pro sollemnitatibus primae classis, et ad modum simplicis reducatur etiam pro sollemnitatibus duplicis et quidem secundae classis:

6. Ne postulationibus indulgeatur novas liturgicas festivitates urgentibus, praesertim si exemplis iam typis impressis essentiones efflagitatae sint.

7. Ut quaestio linguae in administrandis Sacramentis perpendatur et solvatur.

8. Ut ad unitatem reducantur aliquae festivitates liturgicae, ita ut v. g. in Festo SS. Cordis Iesu sollemnitas Eucharistici Cordis comprehendatur; in festo SS. Nominis Iesu Circumcisio; in Commemoratione Omnium Sanctorum festum Christi Regis; in Conceptione B. Mariae V. festivitas Eius Immaculati Cordis; in Assumptione festivitas Mariae Reginae.

C) Quod attinet ad Sacrarum Reliquiarum cultum:

1. Oportere videtur cultum publicum reliquiarum non amplius permitti quae certo adversentur fidei historicae (ut v. g. reliquiae B. Mariae V. ex velo, ex sepulcro, ex capillis, ex lacte!... etc.) et reliquiae praesumentes mysteria attingere ipsius Divini Corporis Redemptoris.

2. Utilis videtur disciplina quae cultui externo reliquiarum et imaginum moderetur.

II. *De Cleri Disciplina*

A) Quoad Episcopos:

Cum in Iure Canonico iam sit acceptum Episcoporum iurisdictionem, in sua Dioecesi, esse ordinariam et propriam, omni cum reverentia haec proponi posse mihi videtur:

1. Ut Episcopis plena tribuatur auctoritas in iis omnibus quae ad Dioecesim gubernandam spectent ita ut, pro suo quisque prudenti iudicio statuere ac deliberare valeat:

— de Seminariis;

— de bonis ecclesiasticis administrandis cum facultate acquirendi, alienandi, permutandi (nisi de vere ingentibus agatur patrimoniis);

— de ampliandis binationis ac trinationis facultatibus;

— de extendendis facultatibus ab aliquot matrimonialibus impedi-

mentis dispensandi; itemque ab aliquot censuris, a temporibus sacris etc., quae facultates hodie videntur nimis circumscriptae.

2. Ut Episcopis maior tribuatur auctoritas in Religiosos utriusque sexus, iuris quoque Pontificii, in his quae spectent ad eorum spiritualem formationem, ad opera externa dioecesim attinentia, ad laborem ac navitatem apostolicam, ad suam rationem agendi cum fidelibus etc. Quod sane necesse videtur ne in dioecesibus diarchia quaedam instituatur, altera Episcopi dioecesani, altera Superiorum religiosorum quibus facilius ac frequentius religiosi appellare soleant ubi arbitrentur se velle subtrahere ab aliquibus Ordinarii praescriptis vel normis vere ad bonum commune pertinentibus nec tamen bonum vitae religiosae laedentibus.

Ne tamen ampliores facultates Episcopis concedendae periculum inducant ne nimia licentia inducatur, omnes Episcopi adstricti in conscientia maneant ad diligentem ac distinctam relationem S. Congregationi quotannis mittendam, quae abusus, si adsint, corrigere valeat. Et etiam in ordinario gubernio Dioecesis Episcopi se confirmare teneantur ad normas, in subiecta materia, a S. Congregationibus impertitas.

3. Ut numerus reducatur Dioecesium, fines autem amplientur, ne nimis angustum ipsarum spatium dignitatem ac auctoritatem Episcoporum imminuat damnumque inferat efficientiae administrationis ac structurae Dioecesis.

B) Quoad Clericos:

Haec reverenter proponi posse videtur:

1. Ut Capitula Canonicorum Ecclesiae Cathedralis numero constent Canonicorum iuxta ipsarum Dioecesum magnitudinem apto, ita ut in Dioecesibus minus amplis pro rata parte numerus reducatur Canonicorum.

2. Itemque officium in *Codice I. C.* sancitum ut Ordinarii locorum, ad valorem statutorum actuum maioris momenti Capitulum consulent, modificetur ita ut ad Ordinarium consilio et voto suffragandum viri deputentur periti ac prudentes, inter quos esse possint etiam aliqui capitulares.

3. Ut Parochorum remotio eorumque de paroecia ad paroeciam translatio expeditiores ac faciliores reddantur.

4. Ut, ad conscientiae consulendum vel etiam ad scandala tollenda, opportunitas perpendatur clementius sanandi condiciones eorum sacerdotum apostatarum qui ad vitam matrimonialem transierint nec amplius ab ea facile recedere possint, firmis praescriptis de renuntiandis in perpetuo iuribus ac privilegiis ecclesiasticis. Quae indulgentia (severius, vel non applicanda, illis qui adhuc soluti sint ac redire ab

apostasia possint) conciliari satis videtur cum obligationibus, ex accepta familia, iure naturae derivantibus.

5. Ut opportunitas consideretur pristinae diaconatus disciplinae iterum instaurandae.

6. Ut pro recentioribus sacerdotibus aliqua vitae communis forma instituatur vel faveatur.

7. Ut status iuridicus tribuatur, cum quadam retributionis mensura, illis sacerdotibus qui directe cum Episcopo, vel in Curia Dioecesana vel in Seminariis vel in moderandis Actionis Catholicae sectionibus, operam impendent; veluti e. g. qui Adsistentes Dioecesani vocantur.

8. Videtur summe convenire ut omnibus Religiosis utriusque sexus sic dictam « quaestuam » vetetur.

III. *De Fidelium Disciplina*

Haec quae sequuntur reverenter proponi posse videntur:

1. Ut praeceptum in Pascha communicandi iam non urgeatur quoad tempus, sed, ut est de Confessione, annuale constituatur:

2. Ut abstinentia in feria sexta, utpote quae a paucioribus, nisi a domibus religiosis et a Clero observetur, non amplius sit, saltem sub gravi, de praecepto sed de consilio tantum. Attamen, ut eidem feriae, nota diei « poenitentialis » servetur, aliquod opus bonum fidelibus, proponatur.

3. Ut necessitas pressius confirmetur ut laici clerum adiuvent in apostolatus munere; immo velut « Actio Catholica » illae Sodalitates agnoscantur quae firma personalitate ac probatis statutis polleant et directe ecclesiasticae subsint hierarchiae; ut est v. g. de Filiabus Mariae, de tertiis ordinibus etc.

IV. *De Variis Capitibus et Quaestionibus*

Semper omni cum reverentia proponitur:

1. Ut pressius declaretur doctrina de immediata institutione ex parte Christi Sacramentorum Confirmationis et Ordinis.

2. Praeter censuras specialissimo modo S. Pontifici reservatas, aliae tollantur, omnino paucis et practicis relictis.

3. Valde auspicandum censeo, et maxima cum reverentia proponere audeo, a Concilio Oecumenico maximam curam adhibendam omnesque vires impendendas ut saltem ex parte, salva tamen doctrinae integritate, Ecclesiarum unio cum vera et unica Ecclesia super Christo ac Petro fundata, obtineatur, ita ut « unum ovile et unus Pastor »

verificetur. Quod sane, in praesentibus adiunctis, maxime necessarium videtur ad efficiendum unicum ac validum munimentum contra atheismum. Proponendum ergo videtur ut, firma declaratione ac conscientia se veram unicamque Ecclesiam repraesentare, Concilium det operam ut basim quamdam communem inveniat ac fratribus dissidentibus proponat, prae oculis habens fere omnes confessiones christianas, sive schismaticas sive protestanticas, patrimonium veritatis commune possidere ut est fides in Trinitate, in Christo Dei Filio ac Redemptore, in Ecclesia animarum cum Christo etc.

Quinimmo comprehensionem habendam de illis quoque religionibus quae saltem admittant veritates de necessitate medii necessarias, i. e. quod Deus sit et quod remunerator sit.

Nullae vires respuendae contra atheismi flagellum nec sacrificia omittenda in his quae de substantia non sint. Quae omnia prudenter proponenda, cum Christi et apostolorum charitate, praemissis insuper, in omnibus ecclesiis, adprecationibus Deo ut bonas omnium voluntates in unum dirigat.

4. Cum prorsus nova in mundo practica situatio exoriatur, ex percrescenti numero hominum super terram et ex valde minuta mortalitate, et praesertim cum sit quotidie maior numerus fidelium qui bona vel mala fide vitam coniugalem graviter difformem a lege morali gerunt, cum trepidatione proponere audeo num praxis pastoralis aliquomodo modificari possit, ad fovendam salutem animarum.

In particulari: quando certe existunt ita dictae « indicationes » validae aut ex ordine oeconomico aut medico aut sociali desumptae quae temporanee iustificant coniuges ad prolem non habendam — quando ergo fit legitimus recursus ad methodum Ogini-Knaus — num saltem silentium tenere liceat coram cuniugibus utentibus vulgo dictis « sterilizzanti medici temporanei » (Pillole esteroidi).

Item quando iam per experimentatam vanam admonitionem non profuturam esse, num retineri possit non inquietandum esse confessarium qui tacet coram coniugibus qui matrimonio « studiose » utuntur.

Deum precor ut Concilium Oecumenicum omnes attingat fines quos Summus Pontifex sibi proponit, ad maiorem Dei gloriam et ad animarum salutem — quod est in omnium votis. Maxima reverentia sacram Purpuram deosculo, et ex corde profiteor Eminentiae Tuae

Add.mus

✠ Aegisthus Dominicus Melchiori
Archiepiscopus Episcopus Derthonensis

221

EXC.MI P. D. REGINALDI I. M. ADDAZI

Archiepiscopi Tranensis et Barolensis (Trani e Barletta)
Archiepiscopi tit. Nazareni - Administratoris Perp. Vigiliensis

Trani, 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Quas mihi etiam remisisti Litteras, sub die 18 iunii vertentis anni, maxima cum reverentia excepi et perlegi. Quandoquidem Eminentia Vestra hortatur ut quilibet Episcopus « omni cum libertate et sinceritate » communicet animadversiones, consilia et vota circa futurum Concilium Oecumenicum, hac ego utar libertate, hanc adhibebo sinceritatem, animo quidem demississimo atque in Apostolicam Sedem et in Romanum Pontificem obsequentissimo.

1. *Ante omnia de huius Concilii opportunitate et utilitate dicam.* Fas mihi sit promere dubium de Concilii opportunitate. Dimidium fere orbis sub durissimo gemit iugo communistarum; unde Episcopi Nationum a communistis dominatarum ad Concilium accedere nequibunt. Ergo conspicua pars Episcopatus catholici aberit a Concilio. In isto magno Consessu necesse erit agitare argumenta quae communismum tangunt. Et sic durior fiet conditio nostrorum fratrum sub communismo viventium. Insuper mundus totus maximis perturbatur vexationibus et discordiis politicis, socialibus, nationalibus. Hisce in adiunctis poteruntne animarum Pastores diuturno tempore — nam diu perduraturum praevidetur Concilium — a propriis dioecesibus abesse?

Quoad vero utilitatem, vanum, puto, est sperare schismaticos, anglicanos, protestantes, alios christianos separatos gregatim ad Ecclesiae unitatem redituros. Hi omnes non videntur hodie esse minus pervicaces quam eorum praedecessores.

Ut infra dicam, Concilium non debebit tempus terere in agitandis quaestionibus stricte theologicis, sed invenire debebit remedium malis hodiernis, praesertim socialibus, adhibendum. Formidolosum onus! Eo vel magis quod vocem Ecclesiae ipsimet christiani, immo ipsimet catholici, nihil vel parum audire volunt.

Non erit fortassis melius et opportunius si actio Ecclesiae, quae sola poterit humanitatem ab ingruentibus malis servare, per sic dictum ordinarium ministerium Pontificis et Episcoporum, in populos suum influxum exerceret, modo quidem lento, sed efficaciori?

Haec candido animo depromo, sed nihil de mea sententia praesumens.

2. Nunc de argumentis in Concilio agendis dicam.

A) *Character generalis Concilii* « socialis » esse deberet. Concilium non poterit non esse temporibus nostris adaequatum. Omnes sic dictae quaestiones sociales agitari et solvi debent in Concilio, sub luce Evangelii et Summorum Pontificum, potissimum a Leone XIII ad Pium XII, magisterio. Oportet perniciosissimis commentis communistarum opponantur lucidae Religionis christianae veritates. Si igitur definitiones dogmaticae a Concilio fient, hae esse non possunt nisi de re sociali, potius quam de re pure et simpliciter theologica.

B) *De Cleri disciplina.* Sacerdotum coelibatus stricte et severe servetur, hoc in sensu quod non admittatur quod coniugatus sacrum ministerium exerceat. Tamen, charitate christiana motus erga animas tot sacerdotum, qui, non valentes aut nolentes votum castitatis servare, civile matrimonium attentarunt, aut, quod sub aliquo aspectu peius est, sacrilege actus sacerdotii complent, eis matrimonium permitterem, dempta spe redeundi ad sacerdotium ne in casu quidem viduitatis. Notum est Pontificem Pium VII sanasse matrimonium sacerdotum, qui perdurante Gallica Revolutione apostataverant.

Providendum insuper ut in posterum minuatur pro posse numerus apostatarum a sacerdotio.

Imprimis Seminaria Maiora habeant Rectores et sic dictos Directores spirituales, non modo pios, sed etiam tales ut nuncupari valeant periti Educatores futurorum sacerdotum. Methodi antiquae relinquendae sunt; educatio « collectiva » iam non sufficit; requiritur ut Rectores et Patres Spirituales singulos cognoscant, examinent, ponderent. Auspicabile est ut qui ad futuros sacerdotes efformandos vocantur, cursus secuti fuerint, diuturnos et non abbreviatos, psychologiae, paedagogiae et psychiatriae.

Haec dicenda etiam de Magistris Novitiorum et Studentium sive Scholasticorum in Institutis Religiosis.

Sed proponerem novitatem istam.

Plures, qui ad sacerdotium promoventur vicesimo quarto anno aetatis vix expleto, vitae casus experiuntur, quos, dum in Seminario degebant, nec suspicabantur; hinc in initio animorum turbationes, hinc postmodum perplexitates, dein relaxationes spirituales, intermittentes in peccata lethalia, praesertim contra castitatem, lapsus, postea status quasi permanens culpae mortalis, tandem apostasia, cum gravi populi christiani scandalo.

Tamquam remedium praeventivum haec quae sequuntur proponere audeo: Clericus, emenso totius theologiae cursu, fiat diaconus et ad propriam dioecesim redeat. Non promoveatur ad sacerdotium nisi comple-

verit tricesimum aetatis annum et quintum ab absolutis Sacrae Theologiae studiis. Interim, secundum sui Ordinarii beneplacitum, poterit incumbere operibus ministerii, iis solum exceptis, quae sunt propria sacerdotalis potestatis. Poterit igitur Evangelium explanare in Missis, sollemniter baptizare, moribundis adsistere, Actionem Catholicam Paroecialem moderari et alia explere, praeterquam Missam celebrare et fidelium confessiones audire. Poterit etiam beneficia capitularia obtinere, Religionem in Scholis publicis tradere et in Seminario docere. Toto isto tempore Clericus sive Diaconus se ipsum probabit et Episcopus melius cognoscet eum. Post hoc « tirocinium » liberum erit Diacono ad saeculum redire, absque ulla particulari S. Sedis dispensatione, sicut facultas erit Episcopo eum ad sacerdotium admittere, vel dimittere prorsus, vel ad aliud tempus, non tamen ultra quinquennium, prorogare probationem.

Alia momenta pro Cleri disciplina haec mihi videntur futuri Concilii considerationi supponere:

a) Aboleatur Parochorum inamovibilitas;

b) Omnes in Sacris constituti obligentur Exercitia Spiritualia quotannis, et non tertio quoque anno, peragere;

c) Reformetur systema administrativum bonorum ecclesiasticorum, ut vitetur factum valde grave, quod de bonis ecclesiasticis quidam participant maxime, quidam parum et quidam nihil omnino. Immo hoc fit: quidam parochi vel canonici ditissimi, dum Episcopus, in quem gravat onus Seminarii, Actionis Catholicae et aliorum Operam Dioecesanorum, modicissimos habet redditus. Formam melioris administrationis non ego, imperitus, suggerere valeo, sed peritissimorum virorum, cum ecclesiasticorum, tum laicorum, consilio et opera uti poterit Apostolica Sedes, ut tandem maior iustitia distributiva etiam in Clerum introducatur;

d) Quandoquidem summa facilitate, praesertim in aliquibus Regionibus, sacerdotes et laici calumniantur proprium Episcopum vel apud Sedem Apostolicam, contra hoc crimen perpetrantes adaequatae poenae statuantur, usque, si agatur de sacerdote et si culpae gravitas id ferat, ad perpetuam officii aut beneficii privationem.

C) *De populi christiani disciplina.*

Generatim populus christianus non iam audit vocem Ecclesiae. In Italia, et puto in universo mundo, communismus incessanter progreditur, quia populi communistarum fallaciis credunt, dum bonorum aeternorum promissiones spernunt. Communistarum progressiones et incrementa vere sunt expavescenda!

Deus enixe atque assidue rogandus est ut ad salutem populorum

mittat Apostolos in spiritu et virtute priorum Apostolorum, ut verbo et miraculis homines vel durioris cervicis ad poenitentiam salutarem reducant.

Prosequenda sane sunt opera charitatis (P. O. A.), attamen experientia cotidiana testatur ea non sufficere.

Praeter haec, suggero ut reformetur conceptus operum servilium, quae nempe diebus dominicis et festivis prohibentur. Agricolae, operarii aliique, qui hactenus dicuntur opera servilia patrare, etiam diebus festivis laborant. Nec exhortationes, nec divinae irae sanctiones eos deterrent a violatione tertii praecepti Decalogi.

Quid dicam de legibus ieiunii et abstinentiae? Vere ... sunt lacrymae rerum! ...

D) *De Actione Catholica.* Certe Actio Catholica est magna vis. Eius merita non sunt parvipendenda. Sed oportet ut magis magisque dependeat ab Ordinariis locorum. Non placet, quinimmo valde periculosa apparet hierarchia laicalis Actionis catholicae, ut est in Italia. Iterum atque iterum hoc factum est, ut quidam texerati putaverint se potius debere oboedire Praesidenti sive Nationali, sive Centrali A. C., quam Episcopo vel sacerdoti. Non igitur abolenda, sed perficienda est haec magna Organizatio.

E) *De Clero regulari.* Abundanti calamo locutus sum de Clero saeculari seu dioecesano; sed et de Clero regulari multa dicenda essent. Oportet ut etiam Religiosis quaedam reformatio imponatur. Ut in pluribus vis obedientiae, quae ut docet S. Thomas, essentiam constituit vitae religiosae, enervata est. Etiam paupertas parvipenditur. Disciplina interna saepe saepius labefacta est. Huiusce relaxationis signum certissimum est numerus religiosorum, qui aut ad Clerum saecularem transeunt, aut ad totalem apostasiam perveniunt.

Quae dixi de sana Clericorum institutione et de retardanda sacerdotali ordinatione, velim applicentur etiam Religiosis.

Insuper valde vigilandi sunt Religiosi qui Collegia dirigunt, vel Nosocomia moderantur, vel alia Opera lucrativa gerunt. Magno cum dolore dico, ego qui de Clero regulari ad episcopatum assumptus fui, ut in pluribus, spiritu SS. Fundatorum penitus amisso, isti Religiosi opera charitativa in institutiones commerciales aut industriales commutavere et in maximo luxu vivunt. Huic rerum conditioni remedium salutare adhibendum est et cito.

F) Ad huius Relationis, qualiscumque ea est, conclusionem, mihi liceat pauca *de Curia Romana addere.*

Audivi a multis Episcopis, sed et ego ab eis non valde dissentio, Sacras Congregationes libenter favere Episcopis exteris, praesertim Ame-

ricae Septemtrionalis, dum rigor Canonum totus servatur pro Episcopis Italiae.

Revera saepe nostris Supplicationibus pro quibusdam relaxationibus respondetur aut negative aut cum pluribus conditionibus, quae multum tenuant beneficium.

Desiderabile est ut Episcopis etiam Italicis committantur facultates dispensandi a pluribus impedimentis matrimonialibus; permittendi trinam vel binam Missae celebrationem etiam in diebus ferialibus, conferendi beneficia capitularia, praeter Dignitates, etiam post expletum semestrem a vacatione, et alia multa, quae prodesse possunt ad bonum dioecesis regimen.

Durissimum est pondus humeris Episcoporum impositum. Nisi gratia Dei robur daret et auxilium ferret, fere omnes post paucos annos saltem animo succumberent. Saepe saepius Episcopi indigent confortari aut a Supremo visibili Pastore Ecclesiae aut ab eis, quibus Summus Pontifex Sui vices commisit.

Ominandum est ut Summi Pontifices — ceteroquin quemadmodum Ioannes XXIII fel. regnans observat —, praesto sint omni tempore ad Episcopos excipiendum, consolandum, illuminandum.

Huic scripto finem facio. Si quid dixi quod displicere cuicumque poterit, veniam peto. Renovo maxima sinceritate sensus meae devotionis, meae obedientiae, meae fidei erga Apostolicam Sedem, Matrem et Magistram omnium Ecclesiarum, et erga Summum Pontificem, Caput Ecclesiae visibile, Christi Vicarium, Petri Successorem, immo, ut verba usurpem meae Consororis S. Catherinae Senensis, « dulcem in terra Christum », quem Deus, pro totius Ecclesiae bono, diu sospitet et servet.

✠ Reginaldus Iosephus M. Addazi
Archiepiscopus Tranensis et Barolensis
Archiepiscopus tit. Nazarenus
Administrator Perp. Vigiliensis

222

Exc.mi P. D. CONRADI MINGO
Episcopi Drepanensis (Trapani)

3 septembris 1959

Eminentissime Pater,

Volo imprimis meum ac Dioecesis mihi commissae animum gratum prodere Augusto Pontifici, proximi Concilii Oecumenici causa. Multa bona et vitae christianae restauratio habebitur in Ecclesia

Dei. Animae piae fervidas preces ad Deum dirigunt ut Concilium felicem consequatur exitum.

Inter res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, ego humiliter haec propono:

1. Clarior affirmatio doctrinae socialis Ecclesiae et clarior damnatio errorum, praesertim materialismi, qui diebus nostris serpunt.

2. In re liturgica: ut quam primum reformentur partes quae longiores sunt praesertim in Pontificali Romano (verbi causa: Ecclesiae et Altaris consecratio etc ...); ut lingua vulgaris adhibeatur in parte didactica S. Missae quo facilior intelligentia et maior populi devotio obtineantur. Desideratur etiam reformatio Divini Officii.

3. Relate ad Clerum: maior spiritualis cura et, si fieri potest, etiam materialis Sacerdotum ob graviora pericula occurrentia et necessitates temporis praesentis. Puto etiam nostra tempora postulare vitam Clericorum communem, ubi fieri possit; restauratio minorum Ordinum et Diaconatus ad curam rei materialis habendam.

Necessarium etiam mihi videtur faciliorem reddere translationem ac remotionem Parochorum, eorum inamovibilitatem abolendo.

Nociva Apostolatui mihi videtur Religiosorum exemptio, prout nunc habetur; maior Ordinariis locorum subiectio quoad externum ministerium necessaria apparet.

Haec omnia magna cum humilitate propono inter res et argumenta proximi Concilii Oecumenici.

Quo par est obsequio, impensos animi sensus Eminentiae Tuae profiteor.

✠ CONRADUS MINGO
Episcopus Drepanensis

223

EXC.MI P. D. CAROLI DE FERRARI

Archiepiscopi Tridentini (Trento)

Tridentini, die 29 augusti 1959

Litteris, die 18 iunii 1959, datis obsecuti has mihi liceat quaestiones disputandas proponere:

1. Ut Ordinarii potestatis exercitatio quod attinet ad disciplinam, beneficia, administrationem, parochorum amotionem, quorumdam matrimonialium impedimentorum dispensationem pressius definiatur, ac amplius expediatur.

Quod praesertim optandum est in re pastorali Regularium, eorumque relationibus cum clero saeculari.

2. Ut Codex de re liturgica componatur ut actio pastoralis liturgiae propius congruat.

3. Ut in Codicem Iuris Can. inducantur interpretationes de errori communi, de delegatione non ad validitatem sed ad liceitatem.

4. Ut pressius definiantur errores, socialistarum, communistarum, liberalium.

5. Ut urgens ac gravissima quaestio de libera re scolastica pertractetur; Ordinariis omnes catholicae scholae subiciantur, saltem in universum, etiam quae ad regularibus administrantur; parentum iura in libera re publica declarentur.

6. Ut Dioecesibus singulis, ubi facultas suppeditat, missiones apud infideles mandentur.

7. Ut normae pro cura animarum in regionibus mixtarum linguarum proponantur.

8. Ut magis explicetur quomodo Clerus et fideles in Ecclesia in unum convenire oporteat. Normae de Actione Catholica, de actione catholicorum, de nexibus inter statum et Ecclesiam in *Codicem I. C.* inducantur.

9. Ut pro quibusdam coetibus propriae paroeciae instituantur (parrocchie professionali).

Omni cum obsequio

✠ Carolus De Ferrari
Archiepiscopus Tridentinus

224

Exc.mi P. D. ANTONII MISTRORIGO
Episcopi Tarvisini (Treviso)

Treviso, 12 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Adempio all'onorifico compito di rispondere alla Venerata Lettera, 1 C/59-1376, con la quale Vostra Eminenza Reverendissima, presidente della Commissione Antipreparatoria del futuro Concilio Ecumenico, ha chiesto, con gesto di amabile condiscendenza, agli Ecc.mi Vescovi, « observationes, consilia et vota », in relazione al grande e solenne avvenimento.

Nell'accingermi a presentare qualche mio voto, non posso non

esprimere, i sentimenti di vivissima gratitudine e filiale devozione, anche da parte dei Sacerdoti e fedeli della Diocesi di Treviso, al Sommo Pontefice, Sua Santità Giovanni XXIII, fel. regn., che volle ed annunciò all'orbe cattolico il Concilio Ecumenico.

Non abbiamo cessato di pregare per conseguire gli scopi prefissi: « promuovere l'incremento della fede cattolica, e un salutare rinnovamento dei costumi del popolo cristiano, e aggiornare la disciplina ecclesiastica secondo la necessità dei nostri tempi ».

Il Signore faccia sì che il « meraviglioso spettacolo di verità, di unità e di carità », si realizzi attraverso le funzioni magisteriale, pastorale e culturale del prossimo Concilio.

Vostra Eminenza Reverendissima ha proposto alcuni punti, e circa tali argomenti ci è sembrato conveniente esporre quanto segue:

✠ Antonio Mistrorigo
Vescovo di Treviso

Doctrina capita

Doctrina Dogmatica: *Affirmatio publica et solemnis* praecipuorum doctrinae punctorum, quae, a Concilio Vaticano et deinceps, tractationem habuerunt a Magisterio Ecclesiae, speciatim in Litt. Encycl. *Humani Generis,* v. g. De Fide, De Mystico Corpore...

Forsan opportunum erit exponere Ecclesiae doctrinam, circa relationes inter Ecclesiam et Statum, in particulari doctrinam circa tolerantiam religiosam.

Doctrina Moralis: *Affirmatio publica et solemnis* fundamentalium elementorum moralitatis.

Optantur

Definitio veritatis Mediationis Universalis B. Mariae V.

Versio S. Scripturae ex testibus originalibus in unaquaque lingua, proposita ut officialis.

Novus Cathechismus ad Parochos: in quo reducatur doctrina S. Matris Ecclesiae ad propositiones satis simplices, respicientes quaestiones etiam hodiernas, v. g. applicationem ethicae christianae contra onanismum, contra materialismum marxistam, naturam et usum proprietatis.

Disciplina cleri populique christiani

1. Potestas ordinaria et delegata: *Auspicatur*: clarificatio can. 105 quoad efficaciam voti organorum consultivorum.

Auspicatur: determinatio ambitus iurisdictionis quae suppleatur.

2. Ecclesiasticae vocationes: « *Opera vacazioni* ecclesiastiche e religiose », erigatur in omnibus dioecesibus, cum cura magis ac magis intensa in omnibus paroeciis, necnon collegiis et scholis.

Seminaria pro vocationibus adultorum: auspicatur erectio seminarii saltem in unaquaque provincia Ecclesiastica.

Seminaria: Disciplina: videtur auspicanda substantialis uniformitas in methodo educationis clericorum; visitatio apostolica fiat periodice et in omnibus Seminariis Ecclesiae.

Positiva formatio castitatis: auspicatur magis ac magis, ita ut candidatus psychologice et spiritualiter maturus ad Ordines accedat.

Studia: curanda quam maxime bona institutio clericorum, sed sine nimia praeoccupatione sequendi in Lycaeo materiam ordinamenti scholastici Status.

Superiores: omni eligantur cura, nec in Seminario activitatibus extraneis occupentur.

Novensiles Sacerdotes: videtur instanter hortandam esse erectionem « Convitti Ecclesiastici » in dioecesibus ita ut detur sacerdotibus novensilibus possibilitas apprehendendi rationem practicam pastoralem, necessitatibus hodiernis accomodatam. Melius erit integrare dicta « Convitti » in aliquo centro nationali et Dioecesano Pastorali.

Bonum erit post quinquennium ab ordinatione, adunare — per annum sacerdotes, ut denuo vacent studio theologiae et sacerdotii.

3. Status Sacerdotalis: *Obligationes et activitates clericorum*: *Castitas*: opportunum videtur ut clare indicetur obligatio, voti etiam, castitatis, pro clericis in Sacris. Videretur, ceterum, opportunam esse saecularizationem sacerdotum qui aberrationibus sexualibus afficiuntur, ita ut ipsi cessent esse motivum scandali. Insuper, erit possibile providere, secretissimo quidem modo, animae sacerdotum qui — proh dolor! — cum muliere conviventes filios genuerunt?

Sanctitas: hortandi sacerdotes saeculares ad praxim consiliorum evangelicorum et ad aliquam formam vitae communitariae. Instituta Saecularia pro ipsis, in ambitu dioecesano organizata magis ac magis in honorem ponenda.

Activitas: sacerdotes adhibeantur in activitate sacri ministerii, relictis, quantum possibile est, aliis activitatibus quae convenienter etiam a probatis laicis exerceri possunt. Non videtur absona introductio, gradualis quidem, in determinatas functiones apostolatus, eorum qui decorati sunt, saltem, aliquo ordine minori.

Videtur periculum abusus, in actione apostolica, mediorum naturalium.

Situatio oeconomica: curanda esset aliqua paritas situationis oecono-

micae sacerdotum et aliqua forma adsicurationis socialis pro clero, saltem in ambitu respectivae nationis.

Administratio beneficii fiat per Officium Administrativum dioecesanum.

Habitus ecclesiasticus: desideratur aliqua uniformitas.

Parochi: videtur eliminanda distinctio parochorum inamovibilium et amovibilium.

Activitas in ecclesiis non paroecialibus — etiam religiosorum — melius componenda est, quidem in dispositione iuridica, cum activitate paroeciae, ita ut activitas earum sit auxiliaria istius, in bonum fidelium.

4. Religiosi: *Institutum exemptionis*: videtur temperandum, habita etiam ratione novae situationis historicae, institutum exemptionis, saltem sicut religiosi sacerdotes facilius sint in dispositione Ordinarii loci ad obeunda munera sacri ministerii et ipsorum collegia (quidem, ut patet, exclusis seminariis religiosorum) necnon opera ab ipsis religiosis exercita subsint inspectioni Ordinarii loci eiusdem.

Iterum in lucem ponatur votum paupertatis practice exercendae.

Religiosae: urgenda in concreto, plenior possibilitas libertatis, ex parte religiosae, sese confitendi.

Laudatis quidem sapientibus dispositionibus iam datis et progressibus iam factis, auspicatur, in genere elevatior qualificatio religiosarum in studio doctrinae catholicae et praeparationis professionalis respectivae.

5. Praedicatio et Catechesis: auspicatur magis theologica, organica et universalis, etsi simplex, praedicatio veritatis catholicae. Opportunum esset officium nationale ad incepta coordinanda et ad subsidia praebenda.

Praeparandi sunt magistri et instrumenta apta ad scholam catechismi.

Catechesis adultorum: urgenda, adhuc, gravis obligatio adipiscendi cognitionem doctrinae cristianae captui et professioni accomodatam. Forsan bona occasio catechizandi adultos erit si, loco brevis homiliae in Missa festiva, organica instructio catechetica habeatur in Missa (vide etiam infra dicenda).

6. Sacramenta: Relate ad *baptismum* videtur aboleri posse salivae usus.

Relate ad *confirmationem* auspicatur extensio indulti, parocho concessi, etiam ad nosocomiorum cappellanos (praevisus enim « casus urgens » in hospitali verificatur); servatis autem servandis, quoad casum urgentem, et parocho detur facultas suum vicarium cooperatorem, vel alium sacerdotem delegandi.

Eucharistia: ut ad Sacram Synaxim paschali tempore accedant enixius hortari oportet fideles; quod ad annuae communionis praeceptum at-

tinet, per integrum annum, tempus ipsi satisfaciendi extendatur: quod quidem fidelium ad exteras et internas regiones suggerere migrationes videntur. Obligatio duplicis S. Communionis in anno haud absona erit.

Poenitentia: quoad absolutionem a censuris, medicinales poenae simplificentur; expolitior ipsarum in lege expositio fiat; indicationes circa poenitentialem disciplinam, pro pastorali praxi, dentur; in respectiva saltem ecclesiastica Provincia facilior reddatur extensio iurisdictionis, Ordinario loci iam concessae.

Extrema unctio: unctio ante Viaticum, iuxta antiquam praxim, permittatur; limen iterabilitatis istius Sacramenti sit minus rigidum; breviorque reddatur Ordo commendationis animae in Rituali.

Matrimonium: instructio ad officia, obligationes sanctitatemque Matrimoniii habeatur ante eiusdem celebrationem. Ad eumdem finem consona videtur alia forma quam actualis, et in lingua vulgari, ita ut magis complete, coram Deo et Ecclesia, obligationes et bona matrimonialis status nupturientes exprimere possint.

Impedimenta: impedimentum consanguinitatis in tertio lineae collateralis gradu videtur abrogari posse.

Matrimonium per procuratorem: restrictionibus subiciatur, mediis communicationis hodiernis datis; ad evitandam instructionem « super rato et non consummato » iudicialem quoque utile erit.

7. S. Missa: Parocho qui solus in paroecia sit, facultas binandi, ferialibus etiam diebus, in casu matrimonii celebrationis fideliumque sepulturae, concedatur.

Data autem necessitate, iuxta praxim stilumque Curiae, diebus festis et Episcopus trinationem festivam concedere possit.

8. Ecclesiae praecepta: *Quoad praeceptum festivum*: obligatio illius, aliis exprimatur verbis, distinctione inter servilia liberaliaque opera relicta.

Quoad abstinentiam: videretur abrogari posse in feria sexta: pro operariis haud paucis observatio illius valde difficilis evadit.

Aliud forsan Ecclesiae praeceptum dandum erit: sese a lectura foliorum spectaculorumque visione, quae nota exclusionis competens Pontificia Commissio mulctavit, abstinendi.

9. Sacra Liturgia: Sic dicti « Movimento Liturgico » semper magis curandus est progressus.

Optima quoque esset *Codicis Liturgici* exaratio; substantiale saltem liturgicae legislationis in codice communi inseratur.

Libri Liturgici: definitiva, et quam sollicite fieri potest, auspicatur reformatio ipsorum. In particulari:

In *Missali*: Missae sic dicta pars didactica, vulgari in lingua auspi-

catur; Epistulae et Evangelia dominicarum: magis sint ut fideles de Scriptura Sacra amplius audient et cognoscant: successio per vicies quadriennalis statui potest. In Canone S. Ioseph nomen inseratur.

Missa finem sumat cum benedictione a celebrante data.

In Pontificali et Rituali: auspicatur aliquarum consecrationum et benedictionum semplificatio, v. g. aquae, ususque vulgaris linguae, etsi discretus.

In *Breviario*: lectio Sacrae Scripturae includatur, quam maxime, loco aliarum lectionum.

Liturgia funeraria: saltem in sequenti sensu simplificanda: Missae pro defunctis — excepta Missa in die obitus — temporis sanctorumque cyclum ne obruant.

Loca sacra: curetur sane artisticus adspectus servato tamen Ecclesiae traditionis spiritu. In locis sacris quidquid superstitionis vel mercimonii sapit, sedulo vitetur.

Ecclesiae actuositas

10. Actio Catholica. Auspicatur eius naturae, finis, et, quantum ad principalia elementa, organisationis codificatio: activitatem actionis catholicae ab aliis christianorum activitatibus sedulo distinguere oportet.

Ex parte Cleri, magis ac magis intensa adhibenda est cura relate ad socios istius Actionis Catholicae.

Associationes professionales catholicae. Quam maxime curandae et internationaliter semper intensius foederandae; si circa earum apostolatus characterem declaratio fiat, bene erit.

Missionaria caritatisque opera. Semper intensius zelanda; peropportuna vero earum coordinatio videtur.

Confraternitates piaeque uniones. Simplificatio sub sequenti auspicatur aspectu: ex ordine finium necessitatisque Ecclesiae praesenti tempore, eis detur locus.

Scholae catholicae. Concursus populi christiani requiratur magnoque numero erigantur.

Curetur quoque facultatis vel theologici instituti erectio, ut a laicis, in respectivis nationibus, frequentetur.

Editoria catholica. Magis videtur amplianda et in sequenti sensu: hebdomadaria et quotidiana folia, quantum fieri potest, unificando; curetur ut in unaquaque catholica natione, folium aliquod valde excellens in lucem prodeat, doctrina et technico apparatu haud impar ceteris commentariis.

NEGOTIA MAIORIS MOMENTI

Dioecesum fines. Reducere fines dioecesum ad fines civilis provinciae peropportunum videtur.

Dioecesis divisio in Vicariatus fiat ratione hodiernae socialis evolutionis habita.

Christianorum separatorum fratrum unio. Ex parte catholicorum, ut gratia Dei, per continuas preces quam maxime efflagitanda.

Haec quaestio continuo et apte christiano populo est proponenda.

Pacis bonum in mundo. Evangelisatio pacis precesque ad Principem pacis intensiores fiant.

Chino al bacio della Sacra Porpora, presento devotissimi ossequi

di Vostra Em.za Ill.ma e Rev.ma

✠ ANTONIO MISTRORIGO
Vescovo di Treviso

225

EXC.MI P. D. RAPHAELIS DELLE NOCCHE
Episcopi Tricaricensis (Tricarico)

Tricarici, 3 septembris 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Praescriptis Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro *Concilio Oecumenico* contentis in litteris diei 18 iunii c. a.; 1 C/59-1377 obtempero.

1. Opportunam puto definitionem dogmaticam de universali mediatione Beatae Mariae semper Virginis in gratiarum collatione.

2. Ut videtur mutuavimus modum loquendi, nec non et agendi, materialistarum. Etiam cum annuntiamus verbum Domini veremur loqui de veritatibus respicientibus infernum et iudicium, poenitentiam, patientiam et mortificationem. Puto nunc praecipue, cum omnes inhiant divitias, oblectationes, effrenam libertatem in memoriam revocandum: « qui non baiulat crucem suam et sequitur me, non est me dignus » et efficaciam ad veram pacem et beatitudinem etiam terrenam virtutum quas contemptim passivas nunc appellant.

3. In praesentibus adiunctis possunt adhuc integre vigere privilegia

et exemptiones Religiosorum? Ob lugendam paucitatem sacerdotum saecularium iam plurae paroeciae Religiosis commissae sunt; plurimae in proximum necesse est ut illis committantur, faventne ordini et disciplinae dioecesis privilegia et exemptiones praedictae?

4. Paucus numerus sacerdotum requirit ut qui sacerdotali ordine decorati sunt sacerdotalia munera obeant et relinquant aliis, sive aliquo ordine insigni sive non — prout Patres Conciliares opportunum iudicaverint — officia quae non requirunt absolute presbyteratus ordinem. « Nos vero orationi et ministerio verbis instantes erimus ».

Maxima veneratione Sacram Purpuram osculo et me profiteor tibi Eminentissime Domine,

Umillimum et addictissimum

✠ Raphaël Delle Nocche
Episcopus Tricaricensis

226

Exc.mi P. D. ANTONII SANTIN
Episcopi Tergestini et Iustinopolitani
(Trieste e Capodistria)

Trieste, 1° settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Rispondendo all'invito fattomi con la venerata circolare del giorno 18 giugno 1959, n. 1 C/59-1380, unisco alla presente una serie di argomenti che umilmente mi sembra sia utile siano trattati nel prossimo Concilio Ecumenico.

Chino al bacio della Sacra Porpora mi professo

dev.mo

✠ Antonio Santin
Vescovo di Trieste e Capodistria

1. *De clero dioecesano.* Praeparatio scientifica et ascetica cleri dioecesani sit talis, qualem necessitates et pericula aevi nostri postulant. Activitas cleri procedat ex intensa vita interiore. Quae interior Christi amicitia eo maiore colatur studio, quanto magis a doctrina evangelica distant spiritus vitaque mundi istius, in quem sacerdotes mittuntur (*Io.* 17, 18) etiamsi non sint de mundo (*Io.* 15, 19). Medium probatum et efficax est

vita communis cleri parochialis cum parocho, quae vita, ubi deest, introducatur.

2. *De clero regulari.* Impedimentum haud spernendum rationabilis et organicae actionis pastoralis in parochiis et dioecesibus oritur e positione, quam secundum vigens ius canonicum obtinet clerus regularis. Exemptiones eo demum adducunt, ut unio periclitetur, caritas laedatur, oriatur spiritus independentiae, qui uniendis in cura animarum conatibus certo non favet. Historica temporum evolutione iam sunt superatae nec admitti possunt nisi in vita interna ordinum et congregationum moderanda, nunquam vero in activitate pastorali et in ecclesiis publicis, ubi viri religiosi omnino subiecti esse deberent auctoritati dioecesanae.

Etiam nomenclatio « mendicantium », quae quibusdam tribuitur ordinibus, hodie res est obsoleta, nec « mendicatio » illa quidquam confert ad spiritum paupertatis, humilitatis, mortificationis, id quod religiosorum « quaestua » ab initio obtinere nitebatur. Hodie « quaestuam » peragunt aliqui tantum fratres laici, nunquam religiosi sacerdotes, qui laicos numero superant. Ceterum, deposita etiam criticorum toga, concedendum est tenorem vitae religiosorum omni ratione vitae cleri dioecesani esse parem, quandoque superiorem.

3. *De potestate episcopali.* Limitatio potestatis episcopalis indeque consequens recursus, non iam rarus, ad Sanctam Sedem, recti mensuram videtur excedere, unde processus rerum gerendarum moram patitur. Sic enim multorum officialium labores redduntur necessarii, qui et centrum opprimunt et peripheriam. Si potestas administrativa praesulum augeretur, non iam vitiaretur sed magis resplenderet idea episcopatus et ministerium antistis velocius expediretur fieretque efficacius.

4. *De lingua liturgica.* Omnes norunt primaevam liturgiam celebratam esse, tum in oriente tum in occidente, lingua illa, qua populus utebatur, quamque bene callebat. Praescindo hic a prosequenda evolutione linguarum in medio aevo et qualis tunc fuerit linguae latinae condicio. Protestantismo exorto, quando novatores linguam vulgarem in liturgiam introduxerunt, ut eo plures acquirerent proselytos, ecclesia catholica, ut se defenderet et ab haereticis eorumque erroribus probe distingueretur, linguam latinam uti linguam liturgicam magis urgebat. Qui historiam linguae liturgicae diligenter inspexerit, facile videbit ecclesiam in hac re rationibus practicis esse obsecutam. Iisdem prorsus rationibus ducta ecclesia recentiore tempore variis nationibus unam aliamve rem liturgicam lingua vulgari peragendam indulsit. Hodie profecto practicae curae animarum, cum videlicet de fidelibus defendendis et de recuperandis dissidentibus res agatur, postulant, ut denuo examinentur normae, quibus lingua liturgica regitur. Quod desiderium profunde iam varios pervasit populos et

ubique filialem quandam et fiduciosam erexit exspectationem. Confidunt etenim fore, ut fideles cum solatio et fructu ecclesiasticam gustent liturgiam; auferetur quippe impedimentum istud materiale, quod fideles quodammodo extra templum detinere videbatur, quin divinis officiis cum rei cognitione et cum fructu possent interesse.

En criterium, quod rem potest dirigere ordinandam: conservare unitatem linguae liturgicae (latinae) in partibus, quae sacrificium et sacramenta a sacerdote peragenda stricte respiciunt; introducere e contra linguam vulgarem in partes didacticas, quae populo instruendo sunt destinatae et in quibus fideles precibus et canticis per modum dialogi cum actione liturgica cooperantur.

5. *Educatio christiana filiorum* est, quae continuando in terris regno Dei cavet. Atqui maior educationis pars agitur in scholis.

Oportet ergo, ut parentes omnino liberi sint in schola eligenda. Quod principium unam dicit e praecipuis hominis libertatibus debetque incessanter urgeri, quia hodiernus scholarum ordo in magna mundi parte illud principium omnino neglegit et neglegendum curat.

6. *Pax* fructus est iustitiae et caritatis, fructus vitae, quae secundum evangelium vivitur. In hodiernis condicionibus bellum idem esset, quod suicidium generis humani. Quae cum ita sint, dum alii, subdole de pace loquentes, bellum parant, disseminando principia et sentiendi rationes, quae ad armatum conducunt conflictum, oportet, ut concilium non modo asserat, quanta sit pacis necessitas, sed et vias doceat ad pacem inter nationes firmandam et ostendat pericula, quae tranquillum hominum consortium delendum minitantur.

7. *Ecclesia in silentio,* dum ex una parte gloriosam scribit paginam heroisimi et martyrii, altera ex parte grave constituit periculum. Quod mundus coram tanta violentia insensibilis apparet, dedecus est et imbecillitatis indicium. Necesse itaque, ut ecclesia libera plus afferat fraternae sensibilitatis, cum libertas ipsa fundamentalis proterve violatur, cum dignitas humana impudice destruitur, cum in ecclesia oppressa suprema Dei iura irreligiose appetuntur. Oportet porro, ut ecclesia ad ista mala operose expugnanda excitet etiam illos, qui, nostra hac aetate, non nisi aequam utrimque libram atque emolumenta mere materialia et politica curantes, sibi misere illudunt se posse excultam humanitatem suis salvare conatibus.

8. *Dioeceses et mundi evangelisatio.* Muneri episcoporum, qui successerunt apostolis, quibus Dominus orbem terrarum evangelicis doctrinis commisit imbuendum, congruit, ut dioeceses magis et arctius et propius cooperentur in convertendo ad fidem Christi mundo pagano,

qui post viginti saecula adhuc in umbra mortis iacet. Novae rationes novaeque viae sunt necessariae, quae dictam maiorem dioeceseon cooperationem iuvent operamque missionariam ecclesiae accelerent et compleant.

9. *Mundus opificum hodiernus* duo praebet latera obscura: primum quidem, quod ingens opificum copia ab ecclesia defecit, alterum, quod ars technica vertiginose est evoluta, quae evolutio materialistico sentiendi modo favet, sin minus primatum spiritus tradit oblivioni. Opificum ergo mundus nequaquam est neglegendus, cum permultarum salus animarum exinde pendeat.

Utinam principia et Ecclesiae institutiones, quae cum iustitia et caritate laborem iusto collocant loco et opifici vias pandunt elevationis verique progressus, possint multitudines opificum ad ecclesiam et per eam ad Deum reducere. Ecclesia, quae olim apertis brachiis excepit barbaros in Christo renovandos eisque, imperio Romano ad occasum labente, lumen novae humanitatis accendit, hodierna quoque tam propitia occasione excipiat turmas opificum Christo recuperandas eisque viam verae libertatis et legitimi progressus ostendat.

10. *Phaenomenon, quod urbanismum vocant,* vivendi rationem multum mutavit. Loco oppidorum et parvarum civitatum assurgunt immensae urbes, quae nova excitant problemata, spiritualia, moralia, materialia; problemata nova simulque gravia, quae animarum cura nullatenus potest praeterire. Cum urbanismus phenomenon sit gigantei ambitus et ulterius semper evolvatur ita, ut vivendi rationes et systemata pastoralis curae hucusque valida impetu suo auferat, ecclesia perpendat, quae in animis dirigendis exinde sequantur.

11. *De christianis uniendis.* Quo maiorem incutiunt timorem condiciones, in quibus nunc genus humanum vitam incertam et periculosam agit, eo magis in mundo christiano necessitas et desiderium sentitur unionis omnium, qui christiano gloriantur nomine. Ab oriente christiano et a variis protestantium denominationibus spiritus profundiores et sinceri sollicitudinem quandam honestam et perplexitatem dolentem ostendunt, corda novae cuidam fiduciae aperientes, primos gressus, incertos et lentos, movent, cupientes unionem omnium Crucis filiorum, id quod tum Domini consiliis tum horae necessitatibus in dies magis sentimus convenire.

Appellet ergo concilium christianos separatos eosque fraterne ad unionem cum catholicis invitet. Quae appellatio, quin immutabilem taceat unionis viam, quae alia nequit esse nisi reditus ad domum ab ipsis derelictam, considerare tamen debebit statum animorum dissidentium, fragilitates item humanas, quae ad tristem conduxerunt divisionem.

Ostendat denique invitatio illa ecclesiam, rebus fidei et morum exceptis, paratam esse eisdem obviam ire sano iudicio et benevolo affectu, ut difficultates, quas fratres separati redeuntes incurrerint, feliciter superentur.

✠ ANTONIUS SANTIN
Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

227

EXC.MI P. D. PII A. CRIVELLARI
Episcopi Triventini (Trivento)

Triventi, die 22 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Veneratis acceptis litteris diei 18 iunii c. a., n. 1 C/59-1386, quibus Eminentia Tua quae Beatissimus Pater Ioannes XXIII de celebrando Oecumenico Concilio statuit mihi significare dignata est, in primis Deo, Summo Pontifici Tibique super inenarrabili dono gratum animum pando.

Peritorum et prudentium virorum ecclesiasticorum consilium et sententias postulavi Deumque enixe precibus adii ut quae maxime Ecclesiae bonum et animarum decent indicare possem.

Nunc, humiliter, per capita, quae sint, sententiae, consilia et vota, Eminentiae Tuae exponere satagam.

QUOAD DOCTRINAM

Dogma: optandum censeo pro dogmatica definitione
a) Mediationis Universalis Beatae Mariae V.;
b) Christi et Mariae Regalitatis.

Postulandam censeo claram plenamque expositionem:
a) circa Corpus Mysticum doctrinae;
b) circa liturgiam doctrinae;
c) doctrinae normas respicientis quae regulant relationes societatem civilem inter et ecclesiasticam, maxime in iis quae ecclesiasticorum virorum positionem et operam illustrant.

Errores damnandi:
a) communismus atheus et materialisticus;
b) massoneria;
c) naturalismus, laicismus, existentialismus atheus.

Moralis: damnandum censeo relativismum moralem una cum errore qui v. dicitur « vaccinazione morale »; exagitanda et solvenda problemata de morali familiari, professionali, sociali;

pericula indicanda et detegenda quae ex iis qui v. « cinema, radio, televisione, sport, stampa e moda » dicuntur et normas censeo dandas universales.

Quod praecepta moralia, quoad tempora et loca sunt universalia, necnon quoad personas, exponendum erit.

Doctrina socialis: integre pleneque exponendam censeo doctrinam socialem Ecclesiae et catechismum socialem redigendum;

exponendum quid Ecclesia de movimentis socialibus, syndacalibus et politicis sentiat.

Disciplina

1. De parochorum et beneficiatorum amovibilitate agendum.
2. Clericorum de dioecesi in dioecesim translatio facilis reddenda, ut singuli quod sibi magis aptum est possint invenire.
3. De relationibus inter Episcopos et SS. Congregationes. Posuit Spiritus S. Episcopos regere Ecclesiam Dei. Regant vere, maxime Episcopi italicae nationis.
4. Episcopi in Seminariis Regionalibus veram exerceant iurisdictionem, praesertim in iis quae suos respiciunt alumnos.
5. De relationibus inter clerum saecularem et regularem.
6. De Sacerdotibus apostatis et de illorum castitatis voto.
7. De praedicando Dei verbo in omnibus missis.
8. De cura Sacerdotum in iuvenili aetate.
9. Dispensationes matrimoniales ab Episcopis concedendae, quibus concedenda potestas de legatis renovandis.
10. Ad speraequationem vitandam necessariam censeo renovationem et reformationem administrationis beneficiariae.
11. Ad peccata vitanda ieiunium abolendum, servanda abstinentia.
12. Clericis prohibenda gestio vel conductio locorum ad usum visionis cinematographicae.

Liturgia

De usu linguae vulgaris in administratione sacramentorum, exceptis formulis.

Res pastoralis

De laicis in Ecclesia et de Actione Catholica Episcopis subiicienda.
De institutione catechistica et de textu pro unaquaque natione.

Cum Sacram Purpuram deosculor, omnia fausta Tibi, Eminentissime Domine, adprecor.

Eminentiae Tuae addictissimus
✠ Pius A. Crivellari
Episcopus Triventinus

228

Exc.mi P. D. ANTONII PIROTTO
Episcopi Troiani (Troia)

Troia, 26 settembre 1959

Eminentissimo Principe,

Con riferimento alla venerata nota n. 1 C/59-1387 di codesta Pontificia Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico, mi premuro di inviarle l'allegato dattiloscritto.

Chiedendo venia del ritardo le bacio la Sacra Porpora mentre con profonda venerazione ed ossequio mi confermo dell'Eminenza Vostra Reverendissima

Dev.mo servitore
✠ Antonio Pirotto
Vescovo di Troia

De veritate tradenda

Praefinienda videtur quantum fieri potest *essentialis doctrina,* quae tradenda est in catechesi et in sacris concionibus.

Relate ad Sacram Scripturam, cum, protestantismi fautores, praesertim ignorantia fidelium subdole utentes, maxima alacritate omnimode ex eorum bona fide fructum capiant, necessitas videtur, etiam ope recentiorum mediorum, lectioni et explicationi potissimum Novi Testamenti, methodice consulendi.

De disciplina cleri

1. *De beneficiis ecclesiasticis.* Institutum iuridicum beneficiorum ecclesiasticorum conditionibus huius aetatis non amplius respondere videtur.

Aequa bonorum partitio ad sublevandas, ut decet, singulorum clericorum in vinea Domini quomodocumque laborantium necessitates, quam maxime optanda est, quod videtur melius obtineri posse omnia bona temporalia unicae idoneae administrationi subiciendo, ita ut sacerdotes in agone spiritualis apostolatus decertantes minime a negotiis evadant distracti et illecti.

Pariter optandus videtur cleri dioecesani novus status organicus, quo, aboletis et *concursu* in collatione paroeciae vacantis et *privilegio* inamovibilitatis electorum, officia et beneficia satis libere conferri et, iustis de causis, revocari valeant quotiescumque id certe postulare videatur bonum animarum, clericis sane aliqua rationali officii stabilitate non negata.

2. *De migratione cleri saecularis et de cleri regularis cooperatione.* Attentis angustiis, in quibus, ob penuriam sacerdotum, plures, etiam eiusdem Regionis, haerent Dioeceses, videtur utilitas explicandi e dioecesi ad dioecesem cleri saecularis migrationem et moderandi, iuxta novae aetatis necessitates, cleri regularis et sororum religiosarum cooperationem, privilegiis exemptionis opportune derogando.

3. *De Capitulis.* Dispensatio ab obligatione, qua Canonici tenentur *quotidie* divina officia *in choro rite* persolvendi, cultui in Ecclesia Deo exhibendo favere non videtur.

Valde optanda huius instituti accurata emendatio ut Sacerdotes, canonicatus dignitate et beneficio praediti, enixe in servitio Ecclesiae coalescant.

4. *De regimine Seminariorum.* Non omnes novationes, hic atque illic in regimine Seminariorum introductae, traditionalis paedagogiae ecclesiasticae, tam maturis probatae experientiis, regulis fundamentalibus respondere videntur.

Nimia et inconsulta, in educando, *personae elatio* cupiditatem e vinculis cuiusque disciplinae se eximendi excitare et excusare videtur, ita ut perdifficile evadat ad virtutes fundamentales obedientiae, mortificationis, obsequii etc. alumnos seminariorum exinde informare.

Quidam moderatores, quasi angore cruciati huius aetatis progressus sectandi vel novitatis cupiditate ducti, audaces rationes nimis a magistrali regula S. Caroli discrepantes, quasi in corpore vili opus facientes,

experti sunt. Maxima exigenda videtur cautela in hisce experimentis admittendis, quorum exitus infausti grave damnum nimis facile inferre possunt Ecclesiae ubique tam anxiae ac sollicitae de aspirantium ad statum ecclesiasticum et religiosum penuria ac de deficienti eorum efformatione amare conquerenti.

5. *De Sacerdotibus ad saeculum reversis.* Animum percutit sacerdotum numerus, qui ad saeculum reversi sunt. Iis, qui fidem non amiserint et salvationis remedium, si quod eis proponatur, sequi dispositos se demonstrent, quantum fieri potest indulgere studeat Ecclesia Mater.

✠ Antonius Pirotto
Episcopus Troianus

229

Exc.mi P. D. IOSEPHI RUOTOLO

Episcopi Uxentini - S. Mariae Leucadensis
(Ugento - S. Maria de Leuca)

Uxenti, 22 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratias Tibi ago pro litteris missis ut sententiam meam aperiam circa tractationes efficiendas in proximo Concilio Oecumenico, quod Summus Pontifex Ioannes XXIII audacter et feliciter promovit.

Pluribus meditationibus incumbendo, aliquando nonnullis fratribus Episcopis animum aperiendo, sequentia aestimavi proponenda Commissioni Antepraeparatoriae, cui Eminentia Tua benigne praeest.

I. *Doctrinae capita*

a) Nonnullae Veritates definiendae sunt ut: Maria Mediatrix omnium gratiarum, Christi et Mariae Regalitas.

b) Veritates exponendae: Applicatio theoriae Mystici Corporis ad vitam religiosam fovendam praesertim quoad virtutem caritatis inter familias et populos exercendam.

Normae praecipue moralitatis privatae et publicae.

Solutio quaestionis socialis ad Evangelii lumen.

Relationes definiendae inter Ecclesiam et quemlibet Statum.

c) Errores damnandi: Materialismus marxista sive in conceptione Communismi, sive in conceptione Socialismi.

Laicismus, Existentialismus atheus, Relativismus dogmaticus et moralis.

Libertas artis contra normas morales et religiosas.

Excessus habitus cultus (moda) et chorearum (balletti).

Abolitio pulchritudinis concursus inter puellas, qui vanitatem et amoralitatem iuventutis foeminini sexus fovet.

II. *Cleri disciplina*

Abolitio inamovibilitatis parochorum, sed cum determinatione causarum pro beneficii privatione imponenda.

Mutatio actualis disciplinae concursus paroecialis, promovendo concursus generales in qualibet dioecesi.

Sacerdotum apostolatus in diversis dioecesibus sine incardinationis mutatione, sed cum consensu Episcoporum.

Dependentia Religiosorum ab Episcopo, nulla facta distinctione inter Ordines et Congregationes (abolitio exemptionis sic et simpliciter).

Obligatio vitae securitatis pro sacerdotibus et aedituis (sagr.).

III. *Disciplina populi christiani*

Institutio Diaconatus cum extensione ad foemininum sexum, sed cum onere caelibatus.

Novae institutiones laicales admittendae cum obligatione paupertatis et oboedientiae promissionum, sed sine coelibatus onere.

Unificatio adsociationum dependentium ab auctoritate ecclesiastica, dirigentes cooptando in aliquam unionem dioecesanam et paroecialem, ut ex gr. sic dicta Consulta diocesana.

Promotio Missionum, quae doctrinam Mystici Corporis populo explanent.

Eucharistiae et Confirmationis administratio pueris temporibus diversis, ut institutio catechetica impartiatur per diversos annos continuos.

Usus linguae vulgaris in nonnullis actibus liturgicis.

Obligationum spiritualium auctio pro asseclis Confraternitatum.

Lectio meditationis et martyrologii mane vel vespere in ecclesiis paroecialibus.

Textus similis saltem in quacumque natione pro catechetica instructione.

Actio catholica in omnibus paroeciis instituenda.

Caritas fovenda inter paroecianos Conferentiis S. Vincentii a Paulo, vel adsociatione sic dicta FAC.

Haec omnia humiliter expono Commissionis Antepraeparatoriae examini, Beatam Virginem adprecando pro felici Concilii exitu ad maiorem Dei gloriam et ad bonum animarum. Interim, dum omnia fausta et prospera Tibi a Domino deprecor, grato animo me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum
✠ IOSEPHUS RUOTOLO
Episcopus Uxentinus - S. Mariae Leucadensis

230

EXC.MI P. D. IOSEPH ZAFFONATO
Archiepiscopi Utinensis (Udine)

Utini, 32 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteris diei 18 iunii de animadversionibus et votis circa res et argumenta, quae in Concilio Oecumenico tractari poterunt, haec mihi reverenter proponenda videntur:

1. Statuendam censeo arctiorem efficacioremque collaborationem et coordinationem Religiosos inter et Sacerdotes saeculares quoad opera Religiosae vitae externa, quoad varia scilicet pastoralia munia, idque sub vigilantia Ordinarii loci; ut puta in publicis functionibus, praedicationibus, Sacramentorum administrationibus, in laicorum sodalitatibus provehendis inque christiana doctrina tradenda. Haec omnia Parocho de iure committenda videntur, ad quem illa diiudicare ac providere spectat, quae ad religiosam suorum fidelium vitam conferunt. Religiosorum exemptio vigeat quidem, sed quoad internum tantum Ordinum, seu Congregationum regimen.

2. Procedendi ratio in remotione vel translatione parochorum ab impedimentis et vinculis, quibus nunc detinetur, solvenda videtur, ita ut Ordinarii, adauctis facultatibus, celeribus satiusque animarum bono, quotiens res ferat, consulere possint. Censuerim Episcopo de iure permittendum, ut, auditis examinatoribus synodalibus vel parochis consultoribus, libere ipsemet decernat.

3. Summopere optanda videtur unificatio atque uniformitas in caeremoniis liturgicis religiosisque latini ritus functionibus, ne variantibus pro sua cuiusque opinione liturgistis habenae laxentur. Manuale uni-

cum, quod omnibus ubique servandum praescriberetur, ad unitatem multum conferret.

Si liturgia, pro dilatatis iam in immensum Ecclesiae finibus auctoque fidelium cultu, gentium moribus et linguis quoad aliqua coaptanda videbitur, id tamen ita fiat auspicor, ut illa latini ritus unitas pro facultate servetur, qua hactenus eadem refulsit Ecclesia, sitque plena, vel in varietate caeremoniarum, rituum functionumque uniformitas, ne quisque ad sua valeat pro lubitu sacra pervertere.

Ad S. Purpurae osculum provolutus, me obsequenti animo profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum et humillimum

✠ IOSEPHUS ZAFFONATO
Archiepiscopus Utinensis

231

EXC.MI P. D. IOANNIS CAPOBIANCO

Episcopi Urbaniensis et S. Angeli in Vado
(Urbania e S. Angelo in Vado)

Urbaniae, die 1 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Libenter obsecundans petitionem Eminentiae Tuae Rev.mae, communico isti Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, animadversiones et vota circa res et argumenta quae, ut mihi videtur, in futuro Concilio tractari poterunt:

1. Votum ut, quam primum, quod pro Psalterio factum est, pro tota Biblia Sacra, at, nempe nova versio quae, uti compertum est, a pluribus annis apud Abbatiam S. Hieronymi de Urbe incepta est.

2. Votum ut ad meliorem et efficaciorem confutationem theoriae marxistae, systematice exponatur *doctrina socialis christiana.*

3. Votum ut colligantur et exponantur omnia quae Summus Pontifex Pius XII fel. rec. docuit in suis locutionibus omni generi personarum habitis, circa hodierna argumenta et quaestiones, quae in libris tum Theologiae Dogmaticae tum Moralis adhuc desiderantur.

4. Votum ut quam citius *novus catechismus* magis completus et hodiernis necessitatibus adaptatus, saltem pro Italia nostra, nisi pro mundo Catholico universo prodeat.

5. Votum ut, cum plurimi errores et plura mala, nostris diebus, ex ephemeridibus vel periodicis, vulgo « Marxisti e laicisti » proveniant, remedium efficax tandem praestetur, reducendo ad parvum numerum et maiorem evulgationem ephemerides quae *quotidiani catholici* appellantur; ne pigeat in hoc marxistas imitari!

6. *Quoad ritus sacros*:

a) votum ut opportunae revisioni subiiciantur Pontificale Romanum et Caeremoniale Episcoporum, saltem quoad consacrationem Ecclesiarum et Altarium et quoad vestes sacras aestivo tempore a Pontificibus induendas;

b) votum ut Missa in Coena Domini, in qua institutio Eucharistiae nec non Sacerdotii commemoratur, omnibus Sacerdotibus celebranda concedatur.

7. Votum ut Religiosi qui, quoquo modo, ad Paroecias regendas vocati sunt quoad permanentiam aut remotionem, *unice* ab Ordinario Dioecesano dependeant.

8. Votum ut necessitas concursus, uti vocant, ad paroecias proprio titulari dotandas, aboleatur et aliis opportunis rationibus idoneitati candidatorum provideatur.

9. Votum ut, meliori qua fieri potest ratione, ii qui ad ordinem diaconalem promoti sunt et ad Sacerdotium promoveri nolint vel non conveniat, coadiuvare Parochos in ministerio pastorali possint.

10. Confirmata caelibatus lege pro in Sacris constitutis, audeo votum proferre pro Sacerdotibus apostatis, quorum numerus non parvus asseritur; pro iis praesertim qui vinculo civili ligati sunt et filiis onerati. Expedit ut in peccato suo perpetuo maneant? An non est melius ut ab oneribus sacerdotalibus absoluti, absque ulla spe reintegrationis, remote abeant quo ignoti sint et ut boni laici in gratia Dei vivant?

11. Votum ut, quandoquidem non expedire probatum est Dioeceses Italicas ad numerum provinciarum civilium reducere, si bonum et magna utilitas animarum id postulent, Episcopis, etiam non auditis Capitulis Cathedralibus, facultas tribuatur novas circumscriptiones dioecesanas aptius inter se definire.

12. Votum *circa aetatem Sacramenti Confirmationis conferendi. C.I.C.* statuit (can. 728) Sacramentum Confirmationis non esse conferendum ante septimum circiter annum.

At iam inde a S. Pio X sancitum provide est, ut pueri usum rationis assecuti et sufficienter dispositi, *quamprimum* Eucharistico cibo reficiantur.

Unde fit ut saepe Prima Communio et Confirmatio uno eodemque die administrentur.

Et haec praxis, uti probati viri testantur, etiam Romae viget, ita ut duo praedicta Sacramenta, *inter septimum et decimum annum et amplius,* conferantur; in Italia vero meridionali collatio Confirmationis generatim usque ad *pervigilium matrimonii protrahitur.*

Rebus sic stantibus, multi Ordinarii Dioecesani Italiae Centralis et Superioris, etiam in suis Synodis Regionalibus Plenariis, consuetudinem qua uno eodemque die pueri primam Comunionem et Confirmationem recipiat, *uti minus aptam removendam decreverunt*; sive ad pietatem erga utrumque Sacramentum excitandam, sive ad instructionem catecheticam ad mentem canonis 1330 iterandam.

Immo plurimi *practice* statuerunt in suis dioecesibus Confirmationem differre ad aetatem provectiorem, quando per naturalem evolutionem et per scholasticam instructionem plenius puer capere potest quidnam tum honoris, tum oneris ferat conditio militis Christi.

Et ut melius rem explicemus, ipsi Praesules supradicti ordinando classes Scholae catecheticae paroecialis in coincidentia cum classibus Scholae elementaris, pratice statuerunt primam Communionem administrandam sub fine secundae Classis et Confirmationem *sub fine quintae Classis, circa undecimum aetatis annum* confirmandi.

Hanc ipsam aetatem pro administranda Confirmatione insinuare videtur ipse *Catechismus ex Decreto Concilii Tridentini ad Parochos,* S. Pii V iussu editus; qui in parte II De Conf. Sacr. Cat. 310, haec habet: « In quo illud observandum est omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari; sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint; *quare si duodecimus annus non expectandus videatur,* usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit ».

Huius momentosi documenti, ni fallor, mens est ut Confirmatio conferatur *non ante septimum annum sed potius circa duodecimum.*

Et si saeculo XVI duoedecimus annus, pro diversa conditione religiosa familiarum forte expectandus non erat, temporibus nostris, omnibus, uti supra, consideratis, atque rationibus pastoralibus magni momenti, providendi praesertim pleniori instructioni religiosae, quae praecipuum fundamentum totius vitae christianae est at aliter per totam vitam saepius adipisci non posset, maxime conveniens immo omnimode necessarium est Confirmationem circa 12um annum praescribere.

Revera, fere ubique, praesertim ruri, parentes postquam filii ad Sacramentum Eucharistiae, et Confirmationis admittendos curarunt, nulli ampliori obligationi seu instructioni religiosae illis procurandae obstrictos se sentiunt, et quaenam pessima consectaria ex hac praxi descendant, nemo est qui non videat.

Postremo manet considerandum quod nec ipsis Ordinariis Dioecesanis, in Conciilo Plenario Regionali coadunatis, hanc perutilem disciplinam circa aetatem Confirmationis legitime introducere fas est; nam S. C. Concilii quae, *per suos consultores,* Concilia Plenaria Regionalia recognoscere solet, quidquid *quasi novi* appareat relate ad praecedentes canonicas dispositiones in hac materia, prorsus expungit.

Ex his consequitur Concilio Oecumenico tantum, hac in re, iure manet legiferandum.

Ceteroquin, uti ex dictis patet, *praxis* quae nunc, saltem in Italia, circa aetatem S. Confirmationis administrandae, viget, confusa, contradictoria, perniciosa immo scandalosa videtur.

Et cum agatur non de re dogmatica sed disciplinari, temporibus et necessitatibus mutatis, in bonum animarum et ipsius Ecclesiae Christi, iura mutare necesse est. Quod est in votis.

Non inutile putamus referre quod Em.mus Card. Montini in praefatione libri *L'Eucaristia ai fanciulli* auctore M. Colombo, Ed. Ancora '58, scribit « La Cresima *sacramento dell'adolescenza cristiana,* sacramento della vita interiore e della fortezza esteriore deve avere una sua particolare preparazione e celebrazione: chi la unisce alla prima Comunione, senz'altro motivo che quello di semplificare spese e feste e regali, ne modifica il significato e l'efficacia» (cf. *Orientamenti Pastorali,* marzo 1959, pag. 44 et *Commentarium* P. R. Spiazzi O. P. 31° Synodo Venetiarum n. 302, p. 48 in eodem periodico).

Dum profundissimi obsequii mei sensus Eminentiae Tuae ex corde profiteor omnia fausta Tibi a Domino adprecando.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
umill.mus add.mus

✠ Ioannnes Capobianco
Episcopus Urbaniensis et S. Angeli in Vado

232

EXC.MI P. D. ANACLETI CAZZANIGA
Archiepiscopi Urbinatensis (Urbino)

31 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

In risposta alla venerata lettera del 18 giugno u. s. n. 1 C/59-1415, con tutta umiltà trasmetto all'Eminenza V. Rev.ma qualche mio parere che la Ven. Pontificia Commissione per la Preparazione del Concilio Ecumenico giudicherà.

Prostrato al bacio della Sacra Porpora umilio devoti ossequi e imploro la Santa Benedizione.

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo umil.mo
✠ ANACLETO CAZZANIGA
Arcivescovo di Urbino

1. Liceat Episcopis:

a) amovere Parochos, quia necessitates exurgunt variae in dioecesi, et saepe, diuturna residentia, ipsi pigri evadunt, et saepe, ut in parvis paroeciis solet, cum ovium et pastoris defectus aperte cognoscuntur, paulatim mutua deest comprehensio et apostolatus infirmatur;

b) benedicere Rosaria, imagines et Crucifixos et caetera signo tantum Crucis;

c) Benedictionem Papalem, de qua can. 914 *I. C.*, impertiri infra Missam Pontificalem, post Homiliam, quia populus, Missa absoluta, cito discedit;

d) trinationem, data necessitate, concedere, et, pro sua conscientia, Missam nocturnam permittere.

2. Vestis talaris semper teneatur, quia, licet non sit de essentia, Clericos tamen designat, et saepius servat a malo.

3. Contra caelibatum, gloriam Cleri et decus Ecclesiae, ne vox quidem admittatur.

4. De Diaconatu, quatenus status, summopere haereo anceps. Attamen, si statuendus censeatur, praesertim ob Sacerdotum defectum, viri probatissimi eligantur, et iam voto adstricti castitatis ut ex Institutis saecularibus.

5. Sacramentum Confirmationis, utpote perfectivum, conferendum censeo exeunte quinto ordine elementari; nam, ut alia omittam, gravis-

simum exstat hoc periculum, praesertim in dioecesibus quae oratoriis non gaudeant, parochos numquam pueros et puellas, pro instructione catechetica adituros, qui, aetate iuniores, Sacramento Eucharistiae et Confirmationis susceperint.

6. Marxismum, quod communistae et socialistae profitentur, SS. Canones insectentur, ut Christifideles, quae sunt spiritus semper anteponentes, a peste doctrinae damnatae longissime abhorreant, neve, progressu sociali oblectati, pretiosissimam fidem in discrimen adducant.

7. In domibus clericorum cohabitare prohibeantur omnes matrimonio iuncti vel matrimonium proximum orituri. Neque liceat clericis domi tenere et pretio alere personas propriae familiae extraneas, sive foeminas sive mares.

8. Residentia strictius obliget parochos: nam valde indecorum est quosdam convolare quotidie ad officia funebria, et in propria ecclesia saepe per totam hebdomadam numquam celebrare.

9. Exercitia spiritualia Clerici quotannis peragant.

10. In definiendis finibus paroeciarum, de quibus saepe disputatur, liceat Episcopis, ad moras solvendas, commissione uti ad hoc instituta, auditis tantum parochos ad quos res pertineat.

✠ Anacletus Cazzaniga
Archiepiscopus Urbinatensis

233

Exc.mi P. D. BLASII D'AGOSTINO

Episcopi Vallensis in Lucania (Vallo di Lucania)

29 agosto 1959

Eminenza Ill.ma e Rev.ma,

In riscontro alla Sua venerata lettera del 18 giugno s. n. 1 C/59-1429, dopo aver chiesto al Signore lumi necessari e aver sentito parere di ecclesiastici periti e prudenti, mi fo un dovere di segnalare sull'accluso foglio, gli argomenti che potrebbero essere tra l'altro trattati nel prossimo futuro Concilio.

Chino al bacio della Sacra Porpora con devoto ossequio mi confermo

dell'Em.za Vostra Rev.ma
devotissimo

✠ Biagio D'Agostino
Vescovo di Vallo di Lucania

I. *In re dogmatica*

a) Definitio dogmatica de Regalitate D. N. Iesu Christi et de Universali Mariae semper Virginis mediatione.

b) Expositio doctrinae Corporis Mystici Christi relate ad hodierna problemata.

c) Damnatio communismi athei et neo-modernismi.

II. *In re morali*

a) Explanatio et damnatio relativismi moralis et doctrinae quae vulgo « morale della situazione » appellatur.

b) Quaestiones et errores quae vitam familiarem, professionalem et socialem respiciunt.

c) Pericula pro publica moralitate quae hodie ex consuetudine instrumentorum « radio, televisione » nec non ex ludis sportivis promanant.

III. *In re disciplinari*

Optatur ut Concilium de amovibilitate parochorum, de incardinatione et de excardinatione clericorum, de immunitate regularium et de relationibus inter clerum dioecesanum et regularem revisionem faciat.

Praeterea valde suadendum est ut Patres Concilii, magna cum caritate pro salute animarum, conditionem sacerdotum apostatarum studeant.

IV. *In re liturgica*

a) Revisio et simplificatio pontificalis et caeremonialis episcoporum nec non ritualis romani, missalis et breviarii.

b) Quaestio de usu vulgaris sermonis in sacramentorum administratione.

V. *In re pastorali*

Doctrina de laicorum apostolatu et de catechetica institutione relate ad modernas fidelium necessitates.

✠ Blasius D'Agostino
Episcopus Vallensis in Lucania

234

EXC.MI P. D. LUCIANI MARCANTE

Episcopi Valvensis et Sulmonensis (Valva e Sulmona)

Sulmone, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergrato animo litteras excepi Eminentiae Tuae Rev.mae quibus meas requirebas sententias circa futurum Concilium Oecumenicum, quod Summi Pontificis Ioannis XXIII fel. regn. est in votis.

Consilio Tuo obsequens, pluries virorum ecclesiasticorum peritorum ac prudentium conventum habui, quibus, discreta quadam ratione, vexatas hodie passim quaestiones proposui abque iisdem exquisivi sententias.

Quas, debite coram Deo collectas ac perpensas, compendiatim mihi placet Tibi remittere.

1. Ante omnia, votum ardens « Ut unum sint » a Iesu Christo Domino Nostro, suam cruentam pro hominibus redimendis passionem ineunte emissum, temporibus nostris exagitatis magis ac magis christianorum corda commovet atque urget.

Quapropter mihi videtur, ut desiderabile hoc maximum adipiscatur, nihil esse omittendum, etiamsi cum fratribus dissidentibus in opinabilibus concedendum aliquid fore.

2. Quae Episcoporum sunt, maior autonomia, ut ita dicam, a Romanis Congregationibus est desideranda. Aliquae dispensationes in rebus matrimonialibus, licentiae gratiae favores minoris momenti, quae saepe regimini exercendo obviam veniunt nec particularem scientiam vel ponderationem exigunt, relinquantur Episcopis. Quod ad Religiosorum Communitates attinet, aliqua saltem officia pastorale ministerium respicientia, uti Missarum diebus festis celebratio, Sacramentorum administratio carentibus quavis de causa sacerdotibus paroeciis addictis, cooperatio in catechizandis pueris, quae generatim opera apostolatus dicuntur, ipsamet Religiosorum publicarum Ecclesiarum visitatio: iurisdictioni episcopali sint subiecta.

3. Peropportuna aliquarum Dioeceseon Italicarum finium revisio mihi videtur. Sedes provinciales habeant Metropolitam, cui Dioeceses minores suffraganeae sint. Ratio est quia celerrima inventa adeundi Romam alioque Dioeceses « immediate subiectas » superfluas reddunt.

4. Quamvis ignotae mihi non sunt difficultates, regimen vitae communis pro clero exoptandum est. Quo modo, ex parte animarum pastorum

munera utiliora ac magis rationabilia forent, altera ex parte unio animorum ac pietatis exercitia sacerdotibus essent profutura.

5. Sacerdotum paucitas in dies aucta diaconorum, votis saltem ut nunc sunt non adstrictorum, reintegrationem fieri posse suggerit. Quo fieret ut simul cun laicis simpliciter dictis, dum sacerdotes orationi ac ministerio verbi instarent, illi ad saecularia negotia incumberent.

6. Ad hoc aliquo modo pertinet can. 142 *C.I.C.* sacerdotibus prohibens mercaturam et negotiationem; qui ad aliud quodcumque saeculare negotium desideratur extensus.

7. Laici sacristae cum parochis adlaborantes vix hodie inveniri possunt. Attamen, ubi numerus suppetit, regularem congregationem ordines minores secumferentem pro ipsis instituere, quo facilius domus Dei decori provideri possit, consentaneum est.

8. Dispositum canonis 454 *C.I.C.* respiciens inamovibilitatem Parochorum abrogetur. Ratio est quia Episcopo, etiamsi poenales removendi rationes non adsint, parochum ad aliam sedem transferre, in qua illum melius agere ratum habet, saepe difficile, interdum fere impossibile est.

9. Habitus clericalis, qui diversus in variis nationibus apparet, ubi quandove utilius videtur, uni eidemque rationi conformetur.

10. Sollicitudo materna Ecclesiae videtur invocanda pro sacerdotibus illis qui — lacrimabile dictu — a voto sacri caelibatus defecerunt atque illegitime iuncti quadam naturalem familiam cum supervenientibus liberis sibi efformarunt.

Qui a lege caelibatus dispensari atque vitae christianae officia uti simplices fideles adimplere possent forsitan humanum foret.

11. Inaequalis distributio redituum in beneficiis ecclesiasticis quo fit cuiusdam parvae paroeciae conditionem potiorem esse quam aliarum notabilium atque oneribus gravioribus affectarum, ut sacerdotibus pastoralibus curis addictis congrue provideatur, unicam exigit administrationem.

12. Moniales, quae fere innumeras congregationes efformant, pro societatis hodiernae instantibus necessitatibus melius excultae desiderantur, cum ne ad humilem catechesim quidem docendam aptae interdum inveniantur.

13. Etiam lex abstinentiae et ieiunii videtur reformanda. Non certo quod abolenda sit poenitentia quam scimus esse moralitatis fundamentum; sed aliquod inventum substituere, nostrorum temporum moribus magis accomodatum, pretium operis erit.

14. Quod ad Liturgiam attinet, plura mihi videntur suggerenda.

a) Latina lingua maneat, ut ita dicam, officiale eloquium Ecclesiae

nostrae. Attamen hoc principium frequentiori usui vulgaris eloquii, quo melius sensus liturgicus percipiatur, non obstet.

b) Redigatur tandem Codex liturgicus quo sacerdotes ac fideles facilius noscant viam qua aufugi possint a nemore denso innumerabilium sententiarum per saecula emanatarum.

c) Stato die Festum Paschae determinare fere omnium fidelium est in votis.

d) Tempus utile pro adimplendo Paschali Praecepto totum annum protrahatur, Communionem tamen paschalem commendando.

e) Processiones quae non sunt stricte liturgicae aboleantur ad indecora atque fanatica vitanda.

f) Ii qui praesunt reformationi Breviarii habeant prae oculis quamdam duplicem formam: breviorem pro recitatione individua, sollemniorem pro choro.

g) Patrini et matrinae in Baptismo potius quam promissiones ac obligationes spondere nomine baptizandi, quas hic, aetate provectus, admittere nolit uti propria, veritates fidei et praecepta noscere demonstrent simulque spondeant instructionem congruam ad firmanda promissa, tempore opportuno, filianis impertiri.

h) Colluvies librorum devotionalium, pluries inepta, dulcicola, nisi forte erronea, improprio eloquio conscripta atque edita, facile iuvat magis superstitionem quam pietatem. Unus liber precum, a peritis magistris exaratus atque a Sancta Sede adprobatus, exoptabilis est.

i) Missa, uti insinuat aliquis novus ritus, terminum habeat cum benedictione sacerdotis.

Eminentissime Domine, haec omnia, quae supra recolui, supremae Auctoritati Ecclesiae, Te mediatore, humiliter submitto; firmiter asseverans, si quid absonum fuerit a sensu Ecclesiae, me paratum esse refutare quidque ab Oecumenico Concilio decretum fideliter accipere atque observandum mandare.

Qua cum sincera fide, Sacram Purpuram Eminentiae Tuae osculans, me profiteor

✠ LUCIANUS MARCANTE
Episcopus Valvensis et Sulmonensis

235

EM.MI P. D. CLEMENTIS CARD. MICARA
Episcopi Veliterni

Roma, 26 febbraio 1960

Em.mo e Rev.mo Signor Mio Oss.mo,

In ossequio al venerato dispaccio della Eminenza Vostra Reverendissima, Prot. 1 C/59-2, ho l'onore di rimettere, qui acclusi, alcuni argomenti che, a mio umile avviso, potrebbero essere trattati nel Concilio Ecumenico che l'Augusto Pontefice Si propone di convocare.

Prego l'Eminenza Vostra di scusare il ritardo, ben involontario, mentre baciandoLe umilissimamente le Mani, con sensi di profondo ossequio, mi ripeto

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umil.mo, devot.mo, obbl.mo servitor vero

✠ CLEMENTE Card. MICARA
Vescovo di Velletri

I. DE VERITATE SANCTE CUSTODIENDA

Il Sommo Pontefice Pio XII di v. m. nella sua immortale Enciclica *Humani Generis* ha segnalato i gravi errori che serpeggiano « inter nonnullos filios Nostros quos incautum animarum studium vel falsi nominis scientia decipiunt » (*A. A. S.*, vol. 42 [1950] p. 571).

Così,

a) *Nel campo filosofico*

L'*Evoluzionismo,* specialmente quale lo insegna Theillard de Chardin e seguaci (« L'évolution rédemptrice »).

L'*Esistenzialismo,* non solo quello ateo, ma anche quello detto cristiano, che però non risulta del tutto conciliabile con la filosofia perenne.

Il *Materialismo Marxista* e la sua impossibile coesistenza e collaborazione col cattolicesimo, anche sul campo assistenziale e caritativo.

Il *Progressismo* detto « cattolico » di alcuni cattolici a tendenze filomarxiste.

Il *Liberalismo* o capitalismo esagerato, che impedisce la integra applicazione della dottrina sociale cattolica e favorisce la reazione comunista.

b) *Nel campo ecclesiologico*

Rapporti tra Chiesa e Stato. Tendenze laiciste che spingono eccessivamente la separazione dei due poteri, nè parlano abbastanza di subordinazione e di collaborazione dell'autorità civile alla religiosa nei problemi di ordine misto.

Rapporti tra clero e laicato. Tendenze autonomiste eccessive del laicato rispetto al clero, con pretesa di critica anche pubblica e del clero rispetto alla gerarchia. Pretesa di indipendenza da parte dei laici nella soluzione delle questioni sociali, politiche ed anche morali, sia individuali che famigliari, senza lo sottomissione ad una positiva direzione da parte della Chiesa docente (Teorie di Maritain, di « Esprit » ecc.).

c) *Nel campo teologico dommatico*

Idee non chiare e talvolta errate sul Corpo Mistico. Si distingue ancora da taluni tra « anima » e « corpo » della Chiesa, quasi fosse possibile e sufficiente alla salvezza l'appartenere esclusivamente all'anima », senza appartenere, almeno « virtualiter », cioè con desiderio, per lo meno implicito, al « corpo » della Chiesa e quindi con l'obbligo di far parte anche esternamente della Chiesa Cattolica Romana, non appena conosciuta come l'unica vera Chiesa di Cristo (cf. Encycl. *Mystici Corporis*).

Eccessiva stima delle attività esterne d'apostolato di Azione Cattolica, di sport organizzato da sacerdoti, in confronto con la pratica dei Sacramenti, la cui frequenza è da raccomandarsi particolarmente ai giovani e a quanti sono impegnati nelle attività esteriori; della preghiera e della cultura religiosa; della pratica delle virtù cristiane, non escluse quelle più umili o apparentemente passive: umiltà, purezza, pazienza, ecc. ... Conseguenti pericoli dell'*attivismo,* del *naturalismo,* dell'*esteriorità* o *superficialità.*

d) *Nel campo morale e sociale*

Opportunità di richiamare l'attenzione e di confermare, completandoli, gli insegnamenti di Pio XII su vari problemi morali, sociali, politici: morale del matrimonio; etica della situazione, continenza periodica, inseminazione, eutanasia, esperimenti bellici o scientifici, moralità della guerra batteriologica o atomica ecc.

Necessità di un'estrema sorveglianza e di maggiore utilizzazione delle scoperte moderne: radio, cinematografo, televisione, per la divulgazione e la difesa della verità cattolica.

II. De sanctitate et apostolatu clericorum et fidelium

Necessità di richiamare il clero, specialmente quello addetto al ministero, agli obblighi della degna celebrazione della S. Messa; preparazione e azione di grazie; confessione settimanale; meditazione giornaliera; S. Rosario; studio sacro (cf. Encycl. *Haerent animo* di S. Pio X; Encycl. *Ad catholici sacerdotii* di Pio XI; Esortazione *Menti Nostrae* di Pio XII).

Opportunità di chiarire le idee intorno agli obblighi del clero secolare quanto all'uso dei beni temporali, con distinzione tra povertà effettiva, imposta dal voto, e spirito di povertà, necessario a tutti i cristiani e particolarmente ai sacerdoti; tra *virtù* della temperanza, obbligatoria per tutti i sacerdoti, e voto di *povertà.*

Necessità altresì di distinguere tra la facoltà di disporre dei beni del beneficio ecclesiastico a soli scopi ecclesiastici o assistenziali, e facoltà di disporre dei beni patrimoniali di famiglia.

Necessità infine di chiarire in qual modo il clero debba curare la conservazione e l'incremento dei beni della Chiesa, senza esercitare il commercio.

III. De Ecclesiae disciplina

Opportunità di richiamare il clero secolare e regolare alla retta concezione dell'*obbedienza soprannaturale,* contro lo spirito di aperta critica della Gerarchia; contro la mancanza di fede nell'assistenza dello Spirito Santo, di cui è assicurata la Gerarchia, non soltanto nell'esercizio del potere di *ordine* (amministrazione dei Sacramenti), ma anche dei poteri di *magistero* e di *governo,* in tutte le questioni attinenti, direttamente, alla fede e alla morale.

Ciò per evitare gli errori del *razionalismo,* dello *pseudo-supernaturalismo* o *falso misticismo,* con appello a speciali carismi o missioni, non controllabili dalla Suprema Potestà o dai Vescovi.

Opportunità di risolvere quanto prima la questione dei benefici ecclesiastici, non equamente distribuiti, spesso eccessivi per alcuni, insufficienti per altri.

Opportunità di studiare la possibilità di far amministrare i beni della Chiesa da poche persone ecclesiastiche competenti o secolari di fiducia, o di dare in conveniente affitto tali beni.

IV. De scholis

Opportunità di vigilare affinchè l'insegnamento ecclesiastico, specialmente nelle Università Pontificie e nelle Facoltà, sia impartito con maggiore attenzione all'insegnamento del Magistero vivo della Chiesa,

regola prossima ed universale di verità, anche per quanto riguarda l'interpretazione delle fonti della Rivelazione: S. Scrittura e tradizione orale; dottrina dei Padri e dei Teologi; luoghi ausiliari: storia e filosofia. Tale maggiore attenzione dovrebbe far evitare lo *scolasticismo,* ossia l'indugio in questioni non più vive ed attuali; e il *razionalismo,* ossia la fiducia eccessiva nei propri mezzi di lavoro (cf. Encyl. *Humani Generis*; Discorso di Pio XII ai Professori ed alunni dell'Università Gregoriana, 1953; Discorso ai Professori e alunni del Pont. Ateneo Angelicum, 1958).

V. De Ecclesiae unitate

Tra le principali difficoltà per un ritorno dei dissidenti alla Chiesa di Roma, sembra che si possano annoverare le seguenti:

a) *Ignoranza* della vera dottrina della Chiesa Cattolica sulle questioni dogmatiche controverse e sul primato di Pietro e dei suoi Successori.

b) *Timore* che, unendosi a Roma, i Greci ortodossi perdano la loro giusta autonomia, le loro buone tradizioni.

c) *Spirito di falso irenismo ecumenico,* esistente tra i promotori del movimento ecumenico e tra gli ortodossi. Si fanno la persuasione di avere la *vera fede cristiana,* pur non riconoscendo il magistero della Chiesa; credono di essere membri di una stessa Chiesa Cattolica, comprendente tutte le confessioni cristiane (cf. Conferen. di Lambeth, in Inghilterra, 1958); di far parte di un unico Corpo Mistico, di cui Cristo sia il solo Capo, universale ed indivisibile, con esclusione di un capo *visibile* unico e di un *solo* Pastore supremo (cf. Encycl. *Mystici Corporis*).

d) *Dimenticanza* che la proposizione del Magistero infallibile, pur essendo la « conditio sine qua non » e la regola prossima della fede cattolica, mentre l'autorità di Dio rivelante è la regola suprema, tuttavia tale proposizione è necessaria *per tutti,* affinchè si abbia la certezza *soprannaturale* di *possedere tutta la verità* rivelata da Gesù Cristo, senza alcun errore e senza deficienze.

È contro l'assistenza divina promessa da Cristo alla sua Chiesa, il credere che tutte le confessioni possiedono le verità indispensabili alla salvezza e che tutte hanno i loro errori. Se può ammettersi che nessuna chiesa sia del tutto fuori della verità, si deve negare che nessuna sia in possesso di tutta la verità e che non vi sia il modo per accertarsi, con segni esterni ed interni, quale sia l'unica vera Chiesa di Cristo (cf. Concilio Vaticano, *De Ecclesia*).

✠ Clemente Card. Micara
Vescovo di Velletri

236

EM.MI P. D. IOANNIS CARD. URBANI

Patriarcha Venetiarum (Venezia)

Venetiis, die 29 septembris 1959

Em.me ac Rev.me Domine mi Obs.me,

Per venerabilem epistulam quam E. V. R. die 18 iunii 1959 I C/59-43 mihi scribebat, obsequenter prae oculis habens, magni honoris mihi esse puto, quarumdam quaestionum proponere themata quae secundum meum humillimum consilium, in Oecumenica Synodo, utiliter tractanda viderentur.

Uti liquet, agitur de quibusdam, vix enuntiatis in titulo, rebus indicavi quae vero melius essent enucleandae, si attentione aliqua mererentur.

Dum veniam peto ob tardiorem meam epistularium rescriptionem — spe autem confisus benigne absolutus iri — optima quaeque E. V. Rev.mae impense ex corde ominor ac plurimam in Domino salutem dico.

E. V. obseq. dev.mus

✠ IOANNES Card. URBANI

Venetiarum Patriarcha

Prima pars: *Doctrina*

1. Momentum et munus personae humanae et praecipue libertatis personalis relate ad huius aetatis disciplinas (uti v. g. psychologia, sociologia, psychanalisis, etc.).

2. Iura et officia Auctoritatis legitimae; nativa aequalitas hominum: linguae et coloris et nationis cuiuscumque.

3. Natura ac officia communitatum socialium, scilicet:
a) Domesticae Rei Administrationis;
b) Politicae Factionis;
c) Publicae Rei;
d) Nationis;
e) Institutorum denique Internationalium.

4. Familia (eius constitutio; iura; officia; munera) relate ad hodiernam Publicam Rem.

5. Prospectio christiana hominis lapsi ac redempti; relatio inter:
— Naturam et Gratiam;
— Personam ac Communitatem;
— denique Tempus ac Aeternitatem, et quidem ad Novissima.

6. Damnatio: Naturalismi, Laicismi, Marxismi, Existentialismi athei, Relativismi theoretici ac moralis, Razismi, Modernismi et Neomodernismi.

7. Inspiratio ac interpretatio Sacrarum Scripturarum; Traditio ac Magisterium Ecclesiasticum; Sacra Scriptura virtutum ac vitae christianae fons.

8. Suprematia Ecclesiae ac praesentia et crescentia in Orbe; eius relatio ad Instituta Nationalia ac Internationalia; tolerantia Religiosa; Ecclesiae ac Status moderni mutua habitudo.

9. Ordo laicorum catholicus; eorum situs in Ecclesiae gremio; laicorum et Hierarchiae habitudo:
— in quotidiana vita;
— in Apostolatu;
— in Institutionibus.

10. Quaedam promovenda studia ac varia media et tentamina ad facilius revocandos fratres dissidentes: haereticos et schismaticos vel longinquos, uti plerumque: communistas ac nihil omnino curantes religionem.

Secunda pars: *Disciplina*

1. Docendi ratio ac via, religiosa et culturalis in Seminariis, Novitiatus domibus ac Studiorum Sedibus.

2. Ad ecclesiasticum caelibatum educatio seu: instructio ac provectio; inter Sacerdotii candidatos, consequens selectio.

3. Aliquot annos in Diaconatus ordine permanendum cum voto castitatis ad tempus et cum recedendi a voto possibilitate.

4. Non conferendus Presbyteratus Ordo clericis ante trigesimum aetatis annum, et emisso tunc perpetuae castitatis voto.

5. Sacerdotalis vita: pietas, castitas, docilitas, zelus, scientia; paupertas et decor in vita Sacerdotali; vita communis et caritas inter sacerdotes fovenda.

6. Methodologia pastoralis, praesertim ad ministerium Verbi, revisenda; consilium de catechismo hodiernae locutioni ac docendi rationi adaptando propositum; nec non relate ad novissima problemata quae ad disciplinas religiosas, morales ac sociales pertinet.

7. Novensili Clero auxilium.

8. Pro apostatis sacerdotibus adiuvationes.

9. De lege concursus et inamovibilitatis Parochorum revisenda; pro libera collatione et ab officiis remotione normae.

10. Praevidentia socialis pro Clero: disceptatio circa retributiones, redditus eorumque administrationem; systema de Beneficiis reformandum.

11. Saecularis ac regularis Clerus et in dioecesibus nec non inter dioeceses nationesque distribuendus.

12. Nec Religiosae Congregationes masculini vel foeminini sexus neque Instituta Saecularia, unquam erigenda, quorum finibus iam sit canonice provisum in Ecclesia Dei per aliam Religiosam Familiam.

13. Ordinum Religiosorum ac Congregationum et Institutorum actio apostolica rationaliter per partes et res et personas moderanda, ne pluat abundanter in locum unum, nimia autem siccitate alibi aestuante.

14. Reformandum, perspectis episcoporum iuribus nec non pastoralibus necessitatibus, vitae dioeceseos ingruentibus, iuridicum *exemptionis* Institutum.

15. Collectio oblatarum etiam ostiatim vel per ephemerides moderanda; idem dicendus de pueris ad vitam claustralem vel huiusmodi, inquirendis et seligendis.

16. Paupertatis votum non personaliter tantum sed et collective per communitatem exercendum in: Conventibus, Monasteriis, Institutis, Polyclinicis, Nosocomiis huiusmodi, aedificandis et conducendis.

17. Cleri coadiutores et coadiutrices e laicorum ordine, seligendi quoad:

— cultum;
— catechesin;
— caritatis actionem;
— adiutorium sociale.

18. Coordinatio et subordinatio Episcopali auctoritati: Institutionum Ecclesiasticae Auctoritati subiectarum uti scholae, collegia, nosocomia, coloniae, associationes etc.

19. Structura ac iura Operis Caritativae Ecclesiae in orbe et dioecesi et paroecia.

20. Laicorum ordo reapse testans praesentiam suam in socialibus structuris.

21. Revisendum ius matrimoniale relate ad processum ex motivis nullitatis.

22. Revisendae censurae ecclesiasticae una cum earum reservatione.

Tertia pars: *Liturgia*

1. Revisenda ac ad simpliciorem formam redigenda:
a) Pontificale ac Caeremoniale Episcoporum;
b) Rituale, Missale ac Breviarium.

2. Utendum vernacula lingua in Liturgia, moderando textum latinum infra actionem, per partes.

Quarta pars: *Publicae necessitudines et officialia*

1. Congregationes Romanae, Tribunalia et Officia; revisenda et coordinanda.

2. Apud omnes nationes statuendi: Episcoporum Conventus Nationales.

✠ Ioannes Card. Urbani
Venetiarum Patriarcha

237

Exc.mi P. D. AUGUSTINI ROUSSET
Episcopi Ventimiliensis (Ventimiglia)

10 ottobre 1959

Eminenza Reverendissima,

Colgo assai volentieri l'occasione dell'invio delle mie modeste « animadversiones », per porgere a Vostra Eminenza molti devoti ossequi, mentre, chino al bacio della S. Porpora, mi riprofesso

Dev.mo in Christo
✠ Agostino Rousset
Vescovo di Ventimiglia

Subscripto Episcopo videtur quod ordinariae facultates Episcoporum sint ampliandae, inserendo in futuro novo *Codice I. C.* facultates sic dictae « quinquennales »:

« Tribuatur Episcopis etiam facultas, onerata eorum conscientia, permittendi binationes et etiam trinationes Missae, si id stricte requiritur ad bonum Fidelium, cui aliter providere nequeant ».

Videtur quod loco specialis concursus ad normam Constitutionis

Benedicti XIV *Cum illud* (can. 459, § 4), sufficiat concursus generalis aliquando habendus in singulis dioecesibus.

Paroeciae omnes declarentur amovibiles (can. 454).

Reservetur Sedi Apostolicae collatio tantum Beneficiorum quae in dioecesibus obtinent Familiares (etiam simpliciter honoris) Summi Pontificis; et reservatio limitetur unice ad eorumdem immediatos Successores (can. 1435).

✠ AUGUSTINUS ROUSSET
Episcopus Ventimiliensis

238

EXC.MI P. D. FRANCISCI IMBERTI

Archiepiscopi Vercellensis (Vercelli)

Vercelli, 29 agosto 1959

Eminentissime Domine,

Libenter debitum persolvo tibi significandi, Eminentissime Princeps, responsiones quae ab Eminentia Tua — N. Prot. I C/59-1439 — desiderantur circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Cum innumerae sint quaestiones quae futuri Concilii Patres tractaturi essent, aliquas tantum exponere et enucleare mihi licebit: immo et hae tantummodo delibantur.

Purpuram humillime osculando, impensos animi sensus ex corde, Eminentissime Domine, tibi profiteor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
devotissimus

✠ FRANCISCUS IMBERTI
Archiepiscopus Vercellensis

DE RE DOGMATICA ET DE UNITATE ECCLESIAE

De re dogmatica

1. Humiliter sed ardentissime adprecamur ut Concilium Mariam Ss.mam omnium gratiarum Mediatricem, ac proinde omnium hominum Matrem esse, declaret et dogmatice definiat.

Haec definitio coronaret annum Marianum (1958) et peculiari devo-

tioni faveret his diebus in Ss.mam Matrem Christi, scilicet de Maria per universum mundum peregrinante.

2. Adversum quemdam « Humanesimum christianum » diebus nostris in humanum genus grassantem, qui hominis extra modum autonomiam praedicat, et ad rerum temporalium et voluptatum cupiditatem animos accendit, proponitur ut Concilium iterum atque iterum declaret christianum in Christo incorporari atque hoc sentire oporteret quod et in Christo Iesu (*Ph.* 2, 5) et semetipsum abnegare (*Luc.* 9, 23) et ventri servientes regnum Dei non possidere.

3. Cum nostro tempore scientia in re atomica declaret vitam excitari posse a materia inerti, Concilium magna cum voce adfirmet mundum universum, inertem et viventem, creatum a Deo esse; possibilitas autem esset per scientiam hominibus excitandi vires in naturae rebus absconditas, quibus mundi evolutio producitur.

Item de creatione et evolutione hominis corporis.

4. Cum huius saeculi homines magis atque magis ad apostolatum vim et animum tribuant — virtute et merito praesertim Actionis Catholicae — ne vera cum falsis confundantur, oportet originem, naturam, finis apostolatus laicorum definire.

5. Item definire oportet originem, naturam et fines participationis laicorum ad Christi Sacerdotium.

Res est magni momenti cum sensus et studium in rem liturgicam ubicumque effervescit.

6. Optandum est novum fidei simbolum, in quo sint praecipuae veritates ex novissimis definitis, praesertim illae de Maria Virgine Ss.ma, quae omnes praesenti simbolo desunt.

7. In re ratiali seu de unitate naturae hominum, verbum a Concilio optamus quod illuminare mentes huius saeculi valeat, et ita contentiones et iurgia desinant.

De unitate Ecclesiae

1. Peculiaris precum forma proponitur quae menstrua recurrat, sicut, exempli gratia, prima mensis feria sexta, ut Deus concedat homines omnes in unum ovile sub uno Pastore congregari.

Una hebdomada per annum pro Unitate, quae iam in mense ianuario celebratur, non esset — mea sententia — sufficiens, seu uti preces, seu uti subsidium, quo res magni momenti semper animo et studio hominum praesens sit.

2. Congressus cum haereticis et schismaticis favendi sunt, ut accurate doctrinam eorum, erroresque et vitia cognosci possent.

Item diligenti rerum notitia, et familiaritate consecuta, efficaciter de unitate conveniri potest.

Videtur primatum Summi Pontificis non amplius haereticos abhorrere, immo subsidium esset illos liberare a servitute auctoritatis civilis.

3. Item favenda esset catholicorum participatio haereticorum congressibus ne ulla occasio omittatur ad unitatem conciliandam.

De re pastorali et de disciplina cleri

1. Opportuna videtur instauratio vitae aliquatenus communis, praesertim pro clero iuniori: optabilis igitur cohabitatio parochorum et vicariorum cooperatorum non solum, sed ad praecavenda ingravescentia pericula quae ab huius temporis societate, paganismo et materialismi principiis imbuta oriuntur magis magisque, optabilis videtur etiam institutio communitatum missionalium (v. d. Comunità Missionarie), in maioribus Paroeciis ruralibus, praevia unione plurium Paroeciarum minorum, uti iam erat in antiquis « plebibus ».

« Urbanismi », quod vocant, causa, populus continue minuitur in quampluribus Paroeciis ruralibus (in Dioecesi Vercellensi, e. g. 2-4% circiter in anno) ita ut in his parvulis Paroeciis Parochi pluries iuniores frequenter tempus terant in damnum sui ipsius et animarum quoque propter progredientem imminutionem spiritus apostolatus.

Ex unione plurium Paroeciarum similium ad normam can. 1433 § 1, opportunioribus viis adhibitis relate ad particularia locorum adiuncta, sub Parocho cum uno vel pluribus Vicariis indubia commoda videntur oritura sive ex vita aliquatenus communi sive ex meliori usu virium Sacerdotum pro animarum bono spirituali. At ubi propter distantiam Paroeciarum res adeo non est possibilis conferentiis de quibus in can. 131 § 1, addantur ex obligatione piae exercitationes pluries in anno, quantum fieri potest, ad Sacerdotum pietatem promovendam.

2. Inter causas canonicas amotionis Parochi ad normam can. 2147 § 1, optatur addi modum aetatis (v. d. « limite di età ») ita tamen ut sit in facultate Ordinarii illum urgere vel non, attentis necessitatibus particularibus Dioecesis et animarum. Non raro enim, immo saepe saepius, evenit ut, propter provectiorem aetatem, quamvis non omnino impares muneribus paroecialibus obeundis sint huiusmodi Parochi, et curae animarum aliquomodo provideri possit ad normam can. 475 per Vicarium adiutores, regimine hoc durante, pedetentim destruatur quod Parochus in praecedenti activitate pastorali aedificavit. Nam Vicarius adiutor saepe nec periculum (« responsabilità ») in se recipit, nec Pa-

rochus senex, ut experientia comprobatur, id ei concedit; qua de causa vita paroecialis, « actio catholica » v. d. et cura animarum dilabuntur.

Cum hoc problemate « modus aetatis » connectitur aliud providendi Cleri necessitatibus (sive curati sive non) pensione mediante, pro aetate et viribus invalidis (pensione di invalidità e vecchiaia) ita ut Parochus amovendus sive propter aetatem simpliciter, sive etiam propter causas de quibus in cit. can. 2147 § 2, praeoccupationes non habens in crastinum, facilius paroeciam dimittat.

3. Votum exprimitur quod reformatio Divini Officii aequetur necessitatibus pastoralibus Cleri curae animarum dicati, diebus festis praesertim, attentis imminutione Sacerdotum saltem relativa, notabili augmento operum pastoralium et maioribus exigentiis horum temporum, sive hoc sit per reductionem cursus officii, sive per totalem aut partialem dispensationem a iure quando rerum adiuncta id postulent.

4. *Codex I. C.* (can. 470 § 1) inter libros paroeciales includit librum status animarum. Sed quam difficulter huiusmodi liber ad normam *C.I.C.* et Synodorum exaratus de die in diem redigatur (venga aggiornato) in magnis paroecis urbium praesertim propter continuas fluctuationes incolarum, omnes norunt. Est tamen hic liber instrumentum curae pastoralis quam maxime necessarium Parocho ad cognoscendas oves sui gregis. Ad expeditiorem reddendum laborem, utilis creditur institutio chartae christianae agnitionis (carta d'identità cristiana): in hac adnotetur successive Baptismum, Confirmatio, prima Communio etc. cum sigilli paroeciae impressione. Fere omnia gubernia obligationem statuerunt huiusmodi chartae pro agnitione subditorum. Similis moderatio pro catholicis qua subditis Ecclesiae videtur utillima. Non latent quidem difficultates in initiis praecipue. Fortasse longum tempus requiretur ad conscientiam creandam utilitatis huiusce novitatis in Christifidelibus. Sed ex eadem indubia eveniunt commoda curae animarum attentis multiplicibus transmigrationibus incolarum nostrorum temporum inter dissitas quoque regiones.

5. *C.I.C.* nihil habet pro moderando usu instrumentorum noviter a viris magni ingenii detectorum huiusce aetatis, id est quae vulgo vocant: « cinematografo, radio, televisione ». Ad praecavenda permulta damna et pericula quae in dies magis magisque ex his oriuntur sive pro fidelibus, sive pro clero necesse est quod normae congruae ad uniformitatem disciplinae statuantur tum pro fidelibus, tum pro aulis cinematographicis paroecialibus tum pro clero quoad publicam et privatam visionem et auditionem.

6. Abusus late invaluit indicendi sub specie piarum peregrinationum, quae a *C.I.C.* (can. 2313 § 1) inter praecipuas poenitentias, a

clero sive saeculari sive regulari et a laicis quoque, recensentur aliquo Sacerdote vel Religioso participante, itinera iucunda seu v. d. « gita di piacere », inscio Ordinario. Cum haec nihil prorsus habeant spiritus poenitentialis vel quod inserviat bono animarum, immo saepius propter periculosam promiscuitatem iuvenum utriusque sexus aut propter exclusivam, vel quasi, participationem mulierum dedeceant clericis, videtur statuenda norma canonica (iuxta decretum S. C. C. 11-2-1936 p. 167-68 prorsum a quampluribus oblitum) qua nulla peregrinatio agatur inscio Ordinario, cuius munus erit licentiam denegandi aut concedendi, cognitis prius adiunctis, fine religioso exclusivo vel absolute praeminenti, locis et proposito (programma).

7. Universalitate catholicae Ecclesiae perspecta, votum exprimitur facilius reddi, ut ita dicam, mutuationem (« prestito ») etiam temporaneam Sacerdotum a dioecesibus Cleri divitioribus sive dioecesibus qui carentia aut aliqua particulari necessitate laborant sive missionibus.

8. Non pauci Sacerdotes suae vocationis et suorum munerum immemores, proh dolor! e castris Ecclesiae exierunt. Necessaria aut perutilis videtur eorum recensio (« censimento »). Ex iisdem non rari, qui luxuriose vivunt, imminutiones ex hereditate atavica (« tare ereditarie ») habent, quae, cum ignotae quidem essent tempore ordinationis, serius exploserunt. Eorum recuperatio, qua Sacerdotum, igitur non solum dubia manebit, sed quam maxime aleatoria. Immanens periculum aderit post conversionem, etiam sinceram, ipsos cum renovato scandalo fidelium propositis deficere et, occasione data, cum sint ad malum proclivi, ad malos habitus reverti. *C.I.C.* can. 214 in casu utique metus gravis et coactionis legitime probatorum, praevia iudiciali sententia, concedit reductionem ad statum laicalem sine obligationibus. Quia imminutiones ex ereditate (« tare ereditarie ») graviter saepe minuunt voluntarium, videtur utile quod haec gravis quaestio a Concilio saltem examini subiciatur, et si res ferat, stabiliatur, si casu pro casu examinato iudicialiter et legitime probatis a viris in arte medicali peritis huiusmodi imminutionibus, locum esse poterit concedendi gratiam reductionis ad statum laicalem sine obligationibus.

Sed absolute quaestio tractetur, ad praevenienda pericula et falsas interpretationes circa disciplinam catholicam coelibatus; necessarium videtur quod decisiones fortuitae (eventuali) in hoc capite excludant periculum aliarum defectionum ex parte eorum qui optant abolitionem coelibatus ecclesiastici.

Ad vitanda pericula futura, in quantum fieri potest, statuatur expresse inter requisita ut quis licite ordinari possit (can. 974 § 1) absentia huiusmodi imminutionum ex hereditate et exinde populo impo-

natur obligatio denuntiandi si aliquis, ex agnatis ordinandi, psycopaticus fuit. Insuper pro casibus dubiis statuatur centrum, quod vocant, psycopaticum ut examini medicorum catholicorum subiiciatur subiectus dubius ordinationis.

De Seminariis

1. Institutum est in votis in quo iuvenes ad Sacerdotium vel ad statum religiosum candidati, per homines, arte medica peritos, attente investigantur ut qui vitio insanabili vel phisico vel, praesertim, psichico aegrotant, a Sacerdotio arceantur.

2. Ne quod in Seminario alumni adquirunt sive in studiis sive in moribus, feriis aestivis amittant, feriae illae valde contrahendae sunt vel omnimo abrogandae nobis videntur.

3. Ut Superiores Seminarii, videlicet Rector et qui Rectoris vices funguntur, moderator spiritualis etc. ..., recte proprio officio satisfaciant, schola superior de educandi arte (di pedagogia), moderatrice Seminariorum Congregatione, instituenda esset, ut qui ad tale officium promovendi sunt, eiusmodi artis sint periti.

4. Sodalicium in omnibus paroeciis, canonica et iuridica erectione erigendum est, quod pueros sacris servientes (chierichetti) et pueros cantores, moderatore Episcopo pro Dioecesi et Parocho pro paroecia, curet.

De iunioribus Sacerdotibus

Omnibus patet Concilium Tridentinum sollecitudinem curamque habuisse in promovendos ad Sacerdotium et Seminariorum erectionem curasse, sed diebus nostris undique subsidium adprecatur quod ad Sacerdotium promotos post ordinem, curet.

Nostra sententia Presbyteri iuniores in aliquo instituto vel in aliqua paroecia maiori colligendi sunt, ut qui primo in ministerio Sacerdotali se exercent, manuducantur.

Vita autem communis, sub prudenti moderatore, et eorum pietati, et studio, et disciplinae, et moribus faveret, dum ministerii artem, experiendo magis quam discendo, adquirerent.

De re scholastica - paedagogica

Problema profecto summi momenti, illudque non modo perennis sed etiam universalis atque urgentis necessitatis in Ecclesia et pro Ecclesia, ut notum est, est problema scholasticum et quidem, quod hic magis attenditur, problema educationis iuventutis in scholis. Idem pro-

blema duplex ubique terrarum revera est: *A*) pro scholis catholicis et ubi directam actionem Ecclesia exercet aut exercere potest; *B*) pro scholis statalibus ubi forte indirectam tantum actionem exercere valet Ecclesia.

A) *In scholis catholicis*: tria vota exprimuntur, videlicet: *a*) quoad « scholam religionis »; *b*) quoad « caeteras disciplinas omnes »; *c*) quoad « collaborationem parentum alumnorum » cum magistris-educatoribus.

a) *Schola religionis omnibus modis reddatur « efficax »*: in multis locis non fit; ubi fit, saepius male fit; saepe sine praeparatione debita: sine doctrina: sine zelo: aut fit ut « instructio », non etiam ac praecipue ut « educatio ». — Momentum quaestionis est summum. — Regimen Episcoporum solidale in hac re per totam ecclesiam « efficaciam educativam scholae religionis » quibus mediis ac modis in tuto ponat studeat oportet:

1) magistrorum aptiori selectione eorundemque libera substitutione;

2) inspectionum efficaci modo instituto, atque securae informationis organo de ratione docendi deque realibus effectibus salutaribus in alumnis;

3) praeparatione magistrorum spirituali et scientifica et pratica, sive sacerdotum sive selectorum laicorum vere piorum;

4) cooperatione efficaci religiosorum, pariter selectorum.

b) *Omnes disciplinae spiritu christiano et catholico imbuantur*: Catholici magistri omnes suadeantur ut sub ductu Ecclesiae solidales ubique inveniantur in christianizandis atque catholicizandis omnibus et singulis disciplinis, iuxta generale principium, quod Religio omnium disciplinarum basis et corona est atque esse debet: sicut, videlicet, magistri antichristiani et anticatholici, praesertim naturalistae et materialistae, toti sunt in « laicizandis » aut « communistizandis » omnibus, quas ipsi docent, disciplinis. Ad hoc:

1) « organizentur, doceantur », incitentur ubique magistri catholici in spiritu solidarietatis universalis;

2) conficiantur « textus scholastici » ubi materia ipsa spiritu christiano et catholico sit elaborata, exposita: v. g. exercitia in studiis grammaticis sapienter ex « classicis christianis » seligantur et ex ipsis classicis non-christianis, quae in aedificationem sensus moralis et religiosis non quae in damnum animorum vertant; commentaria ipsa litteraria, ne fiant mere aesthetica aut philologica, sed praecipue criticam moralem ac religiosam praebeant, qua sensus discrétionis veri a falso, boni a malo valde et profunde efformetur;

3) conficiantur pariter subsidia docta et practica simul, quibus ipsi magistri illuminentur « quomodo singulae disciplinae » in omni gradu scholae, a primariis nimirum usque ad universitates, spiritu vere christiano et catholico ad recte efficiendas iuveniles animas tradi possint et debeant. Quod enim sensu agnostico, naturalistico, materialistico, impio etiam et immorali ab aliis male fit, cur non bene in bonum a bonis etiam fiet? Fiat pro litteratura, fiat pro historia, fiat pro scientiis; fiat pro singula quaque disciplina.

4) Sic paretur in omni campo doctrinae « cultura catholica » qua tota vita ipsa socialis a servitute « spiritus technicae » liberetur, ut « spiritu christiano » vivificetur.

B) *Pro scholis publicis*: ubi actio directa exerceri potest, idem dicendum ut supra. Ubi vero actio Ecclesiae et catholicorum potius aut tantum indirecta adhuc esse potest, haec actio variis hisce praecipue modis videtur omnino commendanda et urgenda:

a) *Consociationes magistrorum* (locales, regionales, nationales, etiam internationales): quam maxime solidentur, foveantur, « ideologia christiana, catholica » imbuantur, intense sapienterque curentur, ut ipsi indirecte « spiritu » saltem docendo influant, ubi ipsa Ecclesia quod ei spectat adhuc directe obtinere nequit aut vix tantum potest.

b) *Consociationes parentum alumnorum catholicorum*: ut supra efficaciter promoveantur, curentur, instruantur ut ipsi iuxta uniuscuiusque regionis Constitutionem, suo iure bono utantur; ipsi iidem paedagogice instruantur ita ut efficacius eorundem actio domi cum magistrorum catholicorum actione in scholis concordet atque cooperetur; immo, in hunc finem simul periodice congregentur et parentum consociationes et consociationes magistrorum ut communia principia, problemata atque educationis christianae rationes audiant, noscant, pertractent. Hoc enim, sat mira perspicacia atque in dies perfectius concordata realique dinamismo historiae adaptata organisatione curant, sicut oportet, « in solidum » catholici.

c) *Catholicae Ecclesiae codex iurium fundamentalium circa scholas et educationem iuventutis*: sicuti fere in ordine civili habetur « Codice sociale di Malines », item « Codice di morale internazionale di Malines », similiter Universalis Ecclesiae Codex Iuris scholastici et paedagogici elaborati auspicandum est, sicut iam ex Congressibus Catholicis Americae Meridionalis in particulari « Codex Iuris Ecclesiae de Educatione » habetur. Ius generale poterit, iuxta Constitutiones et leges cuiusque nationis, Iure quodam particulari nationali compleri seu adaptari.

d) *Opinio publica catholica efficacius fovenda, augenda, dirigenda*: omnia iura bona in quavis natione a Catholicis probe noscenda, vulganda,

quae, in casu, scholam educationemque respiciunt: ephemerides, alia media publicae informationis catholicorum « in solidum » ad ista bona iura civilia propugnanda moveantur, dirigantur; ubi prospectus legum agitantur discutiuntur, « opinio catholicorum », « schemata, desiderata, consilia, programmata catholicorum », cetera, democratice edantur, defendantur, sapienterque urgeantur, sicut et caeteri proponunt, condendum. Id exigit democratica applicatio Constitutionis, Legum, in multis nationibus; id expectat publica auctoritas civilis ubi est bene disposita erga Ecclesiam; si male disposita, per idipsum pro posse cohibetur, infrenatur saltem ex parte?

De societatis rebus

I. *Praenotiones*

Temporibus nostrae societatis perspectis, haec praecipienda videntur:

a) Ab ordine divino subductus « modus vivendi » est: ad corruptionem nititur naturalem principium societatis, etiam philosophice, quod a Deo proficiscit. More ex animo plurium verum et divinum principium vitae socialis, ob facilem errorem, excidit, ita ut, saepe, sine ratione, tantum utilitati deliberationes hominis vel partis committatur. Opus est ad veritatem gentes reducere.

Ipsum vitae socialis finem, id est conservatio ac perfectio vitae, obliviscitur. Communi utilitati homo committitur, et etiam plures inter catholicos huius principii notionem aut in sola cognitione tenent, aut nullam habent.

Partim « individualismus », partim « collectivismus » doctrinae catholicae aequabili compensationi obstant. Opus insuper est dignitatem hominis in aestimatione reducere ad coactionem adversam, quae ad « materialismum » pertinet.

b) In humana activitate fundamenta evolutionis socialis coalescere debent. Humanum opus magnam tenet dignitatem: munus est et ius. Nunc autem magna hominum pars in huius iuris detractione superest et superveniens otiositas morum formidolose perversitatem alet. Contra fas, divitiarum distributio inter vitiosos voluptarios et opus non habentes, pernimium interest. « Rerum novarum » et « Quadragesimo anno » reminiscere conductores operum in votis est, ut indigentiam summopere removeatur.

c) Una cum rebus societatis studio quaestio civilis adest, et ab illa naturaliter oritur. Minus olim quaestio civilis ardua erat: quia

gentes faciles rationes habeant et propagatio erroris magnus opus erat; notiones christianae doctrinae animo incumbant. Perversitas morum et faciles errores nunc habemus.

« Paganitas vitae » et « protestantismus » mentes consuetudinesque perturbant. Nunc fascinatio dissensionis et praeiudicatae contentiones patitur.

« Democrazia cristiana » ipsa, quae in rebus societatis virtutes evangelicas turbat, inepta nunc videtur. Bonorum contentiones et utilitas mores rem publicam gerentium conformant, societas autem ad interitum ruit.

« Ephemerides », « radio », « cinema », « televisione » perversitatem morum iuvant. Domesticae institutiones afflictae sunt; commoventer, inter gentem, malum facientes augentur. Nunc rei publicae gerentium infirmitas opum videtur; immo vero regentes ipsi, pro conservationis societatis studio, ad imperium obtinendum inter se magna contentione agunt.

d) « Marxismus », magnum societatis periculum, inimicus est; doctrina illius magis magisque mentes aggredit et illius artificium non minores factiones solum sed aliquos etiam « democristiani » allicit.

Inimicus alter, « laicismus » est: multo magis contra catholicam doctrinam quam contra clericos, a « liberalismo » et « radicalismo » rectum, secreto a vigilante et imperante « massoneria » motus est. « Laicismus », cui mere utilitaristicae factiones palam adsunt, de animo Deum excidit, crescit aliquosque catholicos aggredit.

e) Etiam « cura rerum », quam « oeconomiam » vocant, cum rebus societatis rationem habet. « Oeconomia » in « monopoliis » contrahitur et in opificum et agri culturae detrimentum, ad « urbanesimum » convergit.

Res ipsa in corruptione morum magnam partem habet et vinculos familiares dissociat.

II. *Postulationes*

a) Clara et absoluta damnatio errorum et doctrinarum similium.

b) Damnatio factionum in incomposita progressione.

c) Monitio paterna sed suprema quotiescumque homines vel factiones dissociationis causa sunt.

d) Codificatio « oeconomicae » quaestionis secundum Summorum Pontificum institutiones.

e) Libertas Ecclesiae quod ad factiones in re publica gerentes.

De religiosis

De mutua cooperatione Clerum saecularem inter et regularem

Ecclesiam omnino desiderare cooperationem inter Clerum saecularem et Religiosum manifestum est, sive ex eius opera in saeculorum decursu, sive ex ipsa Lege Canonica (can. 608). Ibi enim praecipitur Superioribus religiosis ut curent suorum subditorum diligentiam erga petitiones Ordinariorum Loci et Parochorum; vicissim hortatur Ordinarios et Parochos ut magni faciant operam Religiosorum praesertim in Ministerio Missionum et Confessionum.

Plurimum utilitatis pro vita spirituali populi Christiani ipsiusque Cleri obtentum esse ex praesentia Communitatum Religiosarum comitantium Ministerium Cleri Dioecesani abunde historia testatur. Familiae enim Religiosae quae multiplici foecunditate in vinea Domini ortae sunt, efficaciter ministerium exercuerunt ad fidem in populis firmandam, in promovendis operibus Cultus, in virtutibus evangelicis, in educanda iuventute, in infirmis et pauperibus iuvandis, in oratoriis constituendis et scholis, in Verbo Dei et Sacramentis ministrandis.

Non est tamen praetereundum extitisse sat frequenter discrimina quaedam inter Clerum utrumque, propter similaria ministeria in eodem loco exercita, erga eundem populum, aliquando non ita numero conspicuum qui egeret praesentia multarum Ecclesiarum pro suis necessitatibus spiritualibus. Ipsa vita Sanctorum Institutorum Ordinum et Congregationum Religiosarum specimina plura praebet huiusmodi controversiae, quae aliquando fragilitates humanae iudicandae videntur, quandoque vero in iurium collisione fundantur, quae perplexitatem animorum genuerant. Nec defuerunt momenta quibus simultates mutuae in fidelium damnum versabantur.

Sapiens Ecclesiae regimen monita Sanctorum qui unice gloriam Nominis Christi inhiabant profert ante oculos omnium. Pluribus etiam Legibus conatur pacem efficacem et utilem cooperationem certam reddere in bonum commune.

Codex enim, etsi statuit plures Religiosas Familias esse exemptas a Iurisdictione Ordinariorum Loci, et immediate Sanctae Sedi subiectas, attamen ipsam exemptionem moderatur pluribus Canonibus qui volunt Regulares et Religiosos Ordinario Loci dependentes in operibus Ministerii, in praedicatione, in confessionibus audiendis (cann. 615, 874, 1338). Ceterum ipsi Religiosi sua sponte optant saepissime praesentiam in suis Domibus et Ecclesiis Ordinariorum et Parochorum, ut unitas populi erga suos Pastores tecta maneat, et ita persequantur desiderium

Ecclesiae sive in fide firmanda, sive in ovibus perditis requirendis. Ita fit ut mutua aemulatio in bonum et gloriam Dei efficaciter promoveatur.

Cum tamen humanae res saepe tentamina experiantur quae indigent vigilantia Superiorum et eorum praecepto decisivo, proponenda videtur maior Ordinarii Loci auctoritas in Ministerio Religiosorum etiam in propriis Domibus et Ecclesiis exercendo erga populum fidelem, ita ut eorum actio et zelus maxime foveatur iuxta ipsorum vocationem et institutiones, et cuivis damno divisionis occurratur.

✠ Franciscus Imberti
Archiepiscopus Vercellensis

239

Exc.mi P. D. CAROLI LIVRAGHI

Episcopi Verulani et Frusinatensis (Veroli e Frosinone)

Verulis, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est humiliter in Domino communicare Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae animadversiones et vota pro futuro Concilio.

Argumenta ad tria capita colligi possunt, doctrinam nempe, disciplinam, technicam.

I. *De doctrina*

a) Clarius enucleare sensum et fines dogmatis Corporis mystici. Quaenam inter Sacerdotium et Laicatum relatio dogmatica? Quousque Laicus dici potest Sacerdos?

b) Definire Mariam omnium gratiarum mediatricem.

c) Quam apertissime explanare relationes inter Ecclesiam et politicas factiones.

II. *De disciplina pastorali*

a) Corpus mysticum, quod invisibilem et intrinsecam habet unitatem, habeat et extrinsecam exsterioremque unitatem! Unitas suprema lex esto!

Unitas in caritate materiali seu beneficientia, in ideis propagandis per ephemerides, per machinas quas radio, televisione, cinema, vocant, unitas in scholis, in vita communi clericorum, in paroeciarum et Dioe-

cesium contrahendo numero (auferatur tandem maxima quae nunc est differentia inter paroeciam et paroeciam, dioecesim et dioecesim circa animarum numerum et bona beneficialia), unitas in apostolico labore omnium Ordinum et Congregationum coordinando.

b) Alacre studium plene possidendi omnia ad propagandas ideas media quae vocant « radio, televisione, stampa, cinema, cultura ». Dum missionalis Sacerdos in Africa decem animas capit, Romae animae pereunt!

c) Inamovibilitatem parochorum temperare, concursum ad paroecias abolere, vicissitudines et optiones, servata iustitia, parochis statuere, officium divinum corrigere et imminuere, usum vestis talaris plenissime confirmare, ubi nunc mos est. Confirmare gravem quam habent Christiani obligationem audiendi, in diebus sacris catechesim.

III. *De technica pastorali*

Agilem et sobriam burocratiam in Actione catholica statuere. Ad oratoria construenda cum ludis qui vulgo « palestra, campo sportivo, teatro » vocantur, enixe hortari.

Omnis Paroecia suam habeat domum paroecialem, et omnis Regio Conciliaris suum pro Sacerdotibus invalidis et aetate onustis asylum!

Vocationes sacerdotales in pueris et in iuvenibus post lycaeum curare. Clericus, accepta tonsura, expensas quas « retta mensile » vocant amplius ne solvat: res Ecclesiae est, Ecclesia eum nutriat!

Matrimonium militibus (carabinieri, pubblica sicurezza ecc.) anticipare. Religiosi mendicantes in publicis exercitiis ne eleemosynas colligant. Vestes chorales, indumenta pontificalia etc. imminuere et ad sobriam formam redigere.

Episcopi ampliores habeant facultates in seminariis maioribus Ordinibus religiosorum concreditis, in dispensandis impedimentis, in legatis reducendis, in binationibus vel trinationibus concedendis, in bonis ecclesiasticis alienandis.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus

✠ CAROLUS LIVRAGHI
Episcopus Verulanus-Frusinatensis

240

Exc.mi P. D. IOSEPHI CARRARO

Episcopi Veronensis (Verona)

Veronae, die 1 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Rescribens ven. Epistulae, quam Eminentia Tua subscripsit, Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici (n. 1 C/59-1442 diei 18 iunii) simpliciter et aperte in adnexis foliis exponam quae sentiam, quod spectat ad argumenta et explicationem proximi Concilii Oecumenici.

Omnia fausta Eminentiae Tuae adprecor et, eo quo par est obsequio, Romanam Purpuram osculatus me addictissimum profiteor.

✠ Iosephus Carraro
Episcopus Veronensis

1. In primis cupio significare Augusto Pontifici animum gratissimum meum et totius Cleri et Populi Dioecesis Veronensis quod optime cogitaverit Concilium Oecumenicum indicere.

Nostra enim aetate perutilis videtur contio Episcoporum et Patrum Conciliarium, Summo Pontifice Praeside, quo clarius doctrinae exponantur, quae nostris temporibus maxime respondeant, praecepta disciplinae pro Clero et populo christiano apte revocentur, institutiones subiiciantur laboris pastoralis maxime idoneae novis rebus tecnicis et socialibus, quae a Concilio Vaticano ad nostram aetatem se evolverunt.

2. Humiliter hoc proponere audeam ut, perspecta magna vi laboris quae a Concilio tractanda erit, post hanc priorem inquisitionem Episcoporum, altera sequatur (quae, si fieri potest, ad aliquas doctrinas maximi momenti circumscribatur), quae spectet ad Collationes episcopales (regionales vel nationales): ita etiam in his labor praeparatorius agi potest perutilis, quippe qui laborem Concilii Oecumenici relevet; praeterea Episcopis utilis facultas sic praebetur disserendi de iis, quae usus eos docuit.

3. Aptissimum autem mihi videtur, recurrente Concilio Oecumenico, etiam populum bene disponi indicendo insolitum Iubilaeum quod ad totum orbem terrarum extendatur, quodque id maxime intendat: ut Christifideles, non solum in Dei gratia firmentur et fidei ardentius

adhaereant, sed etiam ut inter catholicos unitas et fraternitas in omnibus vitae partibus statuantur, quae in oblivione venisse videntur, quaeque maximam vim habent ad alliciendos ad Christi ovile absentes omnes.

4. Quod ad *doctrinas* spectat quae dignae mihi videntur quae a Concilio Oecumenico tractentur, haec habeo quae dicam:

A) Utillimum mihi videtur methodice statuere et praeceptis claudere doctrinam catholicam, quae Litteris Encyl. continetur Leonis XIII, Pii X, Pii XI, quaeque completa est actibus et sermonibus Pii XII; praesertim:

— de re sociali, de doctrinis liberalibus et social-communistis;

— de matrimonio, de familia, de puerorum institutione;

— de relationibus Ecclesiam inter et Rem Publicam.

B) Perutile autem mihi videtur Concilium Oecumenicum resumere et decretis canonibusque statuere doctrinam, quae a Pio XII exposita est documentis et sermonibus, eam praesertim quae spectat:

— ad Theologiam Ecclesiae (quae sint munera laicorum in Ecclesia);

— ad Theologiam Eucharisticam et Marianam;

— ad mehodos et fines in studiis philosophicis et theologicis;

— ad nonnulla problemata morum, quae a defuncto Pontifice partite acta et statuta sunt.

Etiam circa studium et interpretationem S. Scripturae instructio clara et certa utilis est: nam ratio dicendi alicuius doctoris, qui studia conficit etiam in Scholis ecclesiasticis maximi momenti, in perplexitatem et incertitudinem inducit pios et bonos sacerdotes.

C) In re *doctrinali-pastorali* inquisitio mihi videtur necessaria Concilii — statuentis, si res postulat, monitiones et condemnationes — nonnullarum scholarum, quae his quinquaginta annis ortae sunt et viguerunt quaeque humanitatem nostrae aetatis pervadunt. Quae praecipuae hae sunt: *agnosticismus,* qui dicitur, cum iis omnibus quae consequentur (pragmatismus, relativismus problematicus, modernismus etc.); *existentialismus,* qui atheismum redolet; neostoicismus, rationalismus, marxismus etc.

Hae formae mentis non pertinent solum ad nonnullos studiosos vel aliquam scholam; sed se extendunt ad omnes vitae partes, ad artem, ad litteras quaslibet; et etiam inter indoctos et humiles diffunduntur typis, repraesentationibus et gravia quaedam efficiunt, ex. gratia: divismum, teppismum quem dicunt, morum corruptelam et mala illa, quibus familia afficitur.

Malorum istorum collectio *laicismo,* quem dicunt, continetur, qui cla-

rius apparet in vita publica, maxime in ea parte, quae rempublicam administrandam respicit, sed qui omnes industrias humanas invasit et paulatim se immisit in agmina catholicorum, varie, sed semper gravi cum fidei et devotionis Ecclesiae periculo.

5. Ne Oecumenico Concilio memoria desit peculiaris devotionis et spei Virginis SS.mae, Dei Genitricis, tempus iam advenisse mihi videtur inspiciendi opportunitatem num Virgo Maria Mediatrix Universalis Gratiae *declaranda et definienda* sit, eo utique sensu quo a populo christiano intelligitur et quo iam liturgice celebratur in compluribus dioecesibus.

6. Quod proprius ad opus *pastorale* spectat, haec mihi videntur esse problemata praecipua, maxime necessaria, quaeque maxime premunt, inspicienda in Concilio Oecumenico:

A) Augmentum numericum vocationum sacerdotalium: iuxta consilia prudentis et severae electionis: hoc autem ut non solum suae cuiusque Episcopi dioecesi consulatur, sed etiam aliis et extra fines nationis.

B) Recta institutio alumnorum in Seminariis;

C) Opportuna et constans cura iuvenum sacerdotum, primis saltem annis Sacerdotii.

Quibus in rebus documenta et consilia ultimorum Summorum Pontificum exstant: quorum nonnulla ad rem feliciter deducta sunt, sed alia pro nihilo habita sunt. Contra in multis Italiae Regionibus (et fortasse totius orbis terrarum) praemissae bonorum fructuum mihi videntur extare in omnibus partibus harum quaestionum. Sed cum formae horum trium problematum fortiter inter se differant iuxta varias partes (quae natio, regio vel coniunctio regionum sunt), necessarium mihi videtur Commissionem constantem Episcoporum constitui, peritis rei nixam, ad studium modo et ratione conficiendum singularum harum quaestionum. Cuius Commissionis praecipue erit in studium horum problematum incumbere et omnia Collationi Episcopali, a qua electa fuit, referre. Quae omnia fieri debent, omnibus reverenter servatis quae ad Sacras Congregationes Romanas spectant (v. g. Seminariorum, Concilii etc.).

7. Praeterea aliud est problema *operis pastoralis*, quod maximi est momenti et anxietatis et curae omnibus pastoribus animarum est, quod *Catecheseos* et Verbi Dei praedicationis est, maxime quae ad adultos pertinent.

Perspicuum est Concilium Oecumenicum hac de re dare non posse praecepta certa et communia. Tamen a Concilio haec haberi posse videntur:

A) Efficax invitatio ad Collationes Episcopales, ut Episcopi singularum Collationum una incumbant in studium huius problematis, prae

oculis habitis mutatis condicionibus vitae socialis, nova ratione cogitandi large diffusa, novis qui serpunt erroribus; itemque auxiliis illis, quae ex psychologia etiam, ex paedagogia et ex arte docendi provenire possunt; et tandem subsidiis omnibus perspectis, quibus ex facilitate communicandi et vulgandi frui licet.

B) Peculiaris invitatio ut vires uniantur ad firmandam, tecnice et substantialiter, impressionem ephemeridum catholicarum, quae praesertim in quibusdam nationibus, ut in Italia, opprimitur mole impressionis laicae, quae contra religionem et morum honestatem est. Bona impressio ephemeridum, saltem aliqua in parte, supplere potest et perficere catechesim et praedicationem.

8. Quod ad opus *liturgicum-pastorale* attinet, utilis esse potest, ut censeo, collectio et ordinatio et, prope dixerim, codificatio praecipuorum et communiorum praeceptorum et opportunarum institutionum, quae his quinquaginta annis edita sunt, praesertim Pio XII Pontifice: ita ut fines certi statuentur, quos nec nimio amore rerum novarum vel renovationis rerum antiquarum, nec mente angustiore et strictiore problematum pastoralium, quae inter se coniunguntur, quisquam praetergredi possit.

9. Quod ad *relationes inter clerum saecularem* et clerum regularem et inter hunc et Episcopum Dioecesis attinet, haec dicenda videntur:

A) favendum est maiori concordiae et ea firmanda inter duos Cleros, quae niti debet maiore inter ipsos cognitione et existimatione et humanitate.

B) Quam opportunissimum videtur Religiosos se immittere in vitam Dioeceseos, et — salvo instituto iuridico « exemptionis » — eos institui posse ab Episcopo in ipsorum industria ministerii et melius adhiberi posse in necessitatibus pastoralibus Dioeceseos.

C) Etiam quoad Instituta religiosa mulierum et instituta saecularia tum hominum tum mulierem (sive iuris dioecesani, sive iuris pontificii) utilis videtur magis idonea submisso Auctoritati Dioecesanae, maxime in iis quae ad apostolatum in Dioecesi pertinent.

10. Quoad *Associationes apostolatus laicorum,* quae nostra aetate varie ortae sunt et auctae in diversis nationibus et quae post bellum mirum in modum creverunt, Concilium Oecumenicum mihi videtur posse:

A) In lucem edere earum praecipuam necessitatem nostris diebus et commendare ut diffundantur et augeantur.

B) Omnes socios impellere ut spiritu originario earum imbuantur, qui spiritus est ardoris apostolatus christiani, qui vita ferventi interiori alitur.

C) Omnes societates hortari, ut magis magisque in dies intime, sin-

cere, realiter et fideliter Ecclesiae se subiiciant, sine compromissis et sine ullius naturae vinculis nec in ulla parte vitae cum partibus et viribus quae Ecclesiae adversantur.

D) Petere ab omnibus associationibus Apostolatus ut, quacumque in parte agunt, inter se uniant vinculis sincerae et industriae fraternitatis, et, quod agunt, inter se componant ut efficacius sit.

11. Quod ad aliquas partes *disciplinae Cleri et Populi* pertinent, hoc dicendum:

A) Utile videtur revisere *Codicem Iuris Canonici* de eligendis, transferendis et removendis Parochis, praesertim a paroeciis « inamovibilibus » et expeditiora reddere ea quae ad id consequendum requiruntur.

B) Utile etiam esse potest disciplinam revisere de ieiunio et abstinentia statutis anni diebus, ut, servato instituto poenitentiae, nobis temporibus accomodetur;

C) Postremum declarare iuvat quae sint opera, quae diebus festis prohibeantur, augmento horum operum et institutione Missae vespertinae perspectis.

✠ IOSEPHUS CARRARO
Episcopus Veronensis

241

EXC.MI P. D. CAROLI ZINATO

Episcopi Vicentini (Vicenza)

Vicetiae, die 21 maii 1960

Eminentissime Princeps,

Eminentiae Tuae litteris, tum die 18 iunii 1959 tum postea die 21 martii 1960 datis, respondere honori mihi duco, si Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico aliquot proponam argumenta, quae, sive meo iudicio, sive exquisita prudentium sacerdotum sententia, excutienda forent.

I. *Super Doctrina*

1. Ut sollemniter reconfirmetur Ecclesiae doctrina contra huius aetatis errores, praesertim contra materialismi errores.

2. Ut doctrina catholica definiatur: *a*) circa bellum hodiernum, attentis praecipue armis in usum nunc venientibus; *b*) circa ius proprietatis, operam seu laborem, et necessitudines inter operam locantes exercentesque.

3. Ut, attentis temporum nostrorum publicis institutis, iuxta etiam iam prospectam ab aliquot theologis doctoribus doctrinam, determinetur quo sensu intelligendum sit praeceptum abstinendi, diebus festis, ab operibus servilibus.

4. Ut in honorem et in praxim instantius revocentur studium ac meditatio S. Scripturae sive pro sacerdotibus, sive pro populo christiano, qui lamentabili prorsus laborat ignorantia circa verbum Dei scriptum.

5. Ut praedicatio verbi Dei ita fiat ut, relictis profanis argumentis et humanae sapientiae verbis, christiano populo praecipue Iesus Christus praedicetur, incarnatum Verbum, in Cruce mortuus pro amore nostri, factus cibus pro mundi vita.

6. Ut, attentis etiam huius temporis ncessitatibus et erroribus, commune catecheseos exemplar exaretur, tanquam doctrinae christianae elementorum primigenius codex, ex quo praecipue notiones hauriantur ad catechesim tradendam sive pueris sive adultis iuxta progredientes populi captum et culturam.

7. Ut augeatur in clericis et laicis missionale studium sive pro infidelium conversione, sive pro fratrum dissidentium reditu. In universa enim Ecclesia missionalis apostolatus et forma mentis sit et animi ardor.

II. *Super disciplina*

1. Clerus et populus necessariam ducunt opportunam privilegii exemptionis, qua Religiosi fruuntur, reformationem. Privilegium quale nunc intelligitur et ad rem deducitur, vitae rationem aggravat in dioecesibus, praesertim aptius instructis, atque saepe saepius incommoda adducit, ob quae minus opportune adsunt et operantur Religiosi, de cetero optime commendabiles. Mens est ut exemptio ad internum dumtaxat pertineat regimen sodalitatum; in reliquis ut etiam Religiosi singulis subiciantur Episcopis. Necesse est impedire, immo adimere, mentis habitum illum, iam satis in animis multorum insitum, qui putare videtur varias in Ecclesia inesse Ecclesias. At proh! in multis Religiosis sodalibus, cogitatum instat illud supra Ordinem suum aut Congregationem et suos quorumque Supremos Moderatores nihil amplius esse nec Supremam quidem Ecclesiae Auctoritatem. Desideratur ut Religiosi sodales, qua filii, ad sincerum Summo Pontifici et Episcopis debitum obsequium adducantur et, Ordinariis ductoribus, inter saecularem ac regularem clerum caritatis, bonae aestimationis, ac actionis coniunctio promoveatur. Quanto maius et quale bonum adsequi posset!

2. Opinio est large diffusa novissimis his temporibus sive necessitate compulsos, sive etiam voto tantum adlectos omnia in unum ordinandi ad actionem melius instruendam, primarios quarundam institu-

tionum et adsociationum moderatores immodice egisse erga Episcopos, quorum auctoritas non semper iusta aestimatione habita est. Episcopis, etiam in necessaria variarum ordinationum et inceptorum unitate, debita relinquatur iudicii et actionis libertas. Iidem, neque alii nisi Apostolica Sedes, a Deo positi sunt ad regendam dioecesim.

3. Ut quam maxime foveatur consuetudo vitae communis inter clericos saeculares. Ubi vero hoc in usu est iam, quot vitantur incommoda et quantum hauritur bonum!

4. Ut revocetur Clerus ad dignitatem vitae ac severitatem; externae quippe actiones, optimae quidem et necessariae, sacerdotem ab altari, a sacro poenitentiae tribunali, a studio sacrae doctrinae, ab animarum cura praecipue infirmorum, ne distrahant.

5. Sollicitat conditio sacerdotum miserorum illorum, qui, ad statum laicalem ob causas a can. 214 *C.I.C.* non consideratas redacti, devincti manent obligationi caelibatum servandi.

Possetne Concilium Oecumenicum quaestionem subire atque perspicere an huiusmodi quoque infelicibus, qui a vocatione sua defecerunt, opus sit obligationem adimere caelibatus, quippe qui, a plerisque non servatus, exleges constituit familias, ex qua re gravia praesertim in evenientem subolem mala consequentur?

6. A quibusdam auctoritas Concilii Oecumenici invocatur ad tollendas difficultates, quae opponuntur mutationibus inducendis in dioecesium finibus.

7. Nova ac magis aequa et caritati consentanea inducatur reddituum ecclesiasticorum distributio tum in paroeciis tum in dioecesibus: ius habeat Episcopus ei qui abundat detrahere et ei qui indiget providere.

III. *Super S. Liturgia*

1. A multis, immo plurimis, liturgicus desideratur codex, qui universam ordinet hanc materiam, saepenumero Clero quidem ignotam. Adfirmetur praeterea satis non esse sacrorum rituum nosse disciplinam, nisi eadem alatur vita christiana in precibus, poenitentia, iugi cum Christo Iesu et Ecclesia sui ipsius oblatione.

2. Breviarium ad simpliciorem redigatur formam, in iis praecipue quae ad historiam pertinent, ita ut elegantius et pietati ac captui magis accommodatum evadat, bene delectis Patrum homiliis, hactenus obscuris interdum et incomprehensibilibus. Perpendatur, si fortasse casus ferat, opportunitas distinguendi publicam Breviarii recitationem a privata, in qua quaedam omitti possint, ut verbi gratia, Responsoria et Antiphonae.

3. Definiatur dies Paschatis celebrandae stabilis.

4. Nonnulli contrahantur solemnes ritus, utpote: templorum con-

secratio eorundemque fundationum ac primarii lapidis dicatio, S. Oleorum consecratio in Coena Domini etc.

5. Recognoscantur varia pia exercitia, quae a potissimo divini sacrifici cultu et generatim a Divini Redemptoris persona saepe distrahunt. Dies festi Domini ac Sanctorum statutis regantur normis, vetitis in ridiculum ac superstitionem venientibus exaggerationibus. Recognoscantur etiam Reliquiae, cum semper non sufficiant obsignationes ac traditae notitiae, earumdemque cultus ita moderetur, ut modi auferantur, qui tum serioris pietatis cultores tum a catholico cultu dissentientes male afficiunt.

IV. *Super laicis*

1. Plane recolatur laicorum habitus ad S. Auctoritatem iuxta dogmaticam doctrinam ac Ecclesiae leges.

2. Recolatur et etiam necessitas Actionis Catholicae ac utilitas, catholicorum laicorum ordinem ad egregiam apostolatus pulchritudinem formando et ad debitum studium.

Sacram Purpuram Tuam deosculatus, omni qua par est veneratione, me confiteor

Eminentiae Tuae addictissimum
✠ Carolus Zinato
Episcopus Vicentinus

242

Exc.mi P. D. ALOYSII BARBERO
Episcopi Viglevanensis (Vigevano)

Vigevano, 31 agosto 1959

A riscontro della venerata richiesta N. I C/59-1448 dello scorso 18 giugno mi pregio inviare le proposte e i voti elaborati, anche dopo aver sentito alcuni tra i più esperti e venerati Sacerdoti, sicuro di aver interpretato la realtà della situazione locale e i desideri vivi del Clero e dei fedeli.

Prego dal Signore le più larghe benedizioni sul prossimo Consesso onde si rinnovi ancora una volta sulla Chiesa e sull'umanità tutta una « effusione del Santo Spirito e sia cambiato il volto di questo povero mondo ».

✠ Luigi Barbero
Vescovo di Vigevano

I. *Circa Doctrinam*

a) Doctrinae circa « Ecclesiam Mysticum Christi Corpus » ad normam schematis iam, ni fallor, in Vaticano Concilio exarati, sollemnis definitio valde optatur.

Idem dicatur de Doctrina « Mediationis Beatae Mariae Virginis », dummodo nullum, acatholicorum exoptatae unioni praesentibus in adiunctis, detrimentum afferatur.

b) Sollemnis Relativismi, Existentialismi, Laicismi immo et Materialismi damnatio necessaria videtur.

c) Doctrinae, hisce temporibus, praesertim a S. P. Pio XII f. r., variis in documentis et allocutionibus circa Scripturam Sanctam, Sacramenta, Quaestiones Morales necnon Sociologiam, Ius atque Asceticam digestae, systematica atque autentica formulatio perutilis censetur.

II. *Circa disciplinam*

A) *In genere*:

a) Ampliores Ordinariis facultates (seu decentratio) rerum varietate, temporumque dynamico cursu, necessariae, potius quam opportunae videntur, praesertim circa « dispensationes, beneficiorum collationem eorumque administrationem ».

Ex Parochorum *inamovibilitate* (can. 454), aetatis, valetudinis immo et exiguae alacritatis causa, gravia et longa saepe (quin Ordinarius ob defectum causae canonicae — can. 2147 — vel odium [quod hisce in adiunctis semper oritur vel alitur] utiliter providere possit) animabus operibusque detrimenta exoriuntur. *Amovibilitas* igitur, prudentia suavique caritate applicanda, urgens atque necessaria censetur.

Perutilis immo videtur Parochorum aetatis terminus (ex. gr. 70 annorum), cui, in casibus particularibus, Ordinarius derogare possit.

b) *Iuris Patronatus,* saltem laicalis, revisio, eiusque limitatio, immo et suppressio opportunae videntur.

c) *Sacerdotalis habitus* (vulgo: Veste talare), in ordinariis saltem circumstantiis, stricte servandus conveniens putatur.

d) *Paschalis Communio,* tantum ut « Communio infra annum » sub gravi urgens, et hodiernum servans modum abstinentiae lex atque ieiunii, exoptantur.

B) *Circa Religiosos*:

a) *Exemptionis* Instituti revisio, ad maiorem unitatem, uniformitatem, ministerii animarumque utilitatem, sub Ordinariorum regimine obtinendas, sine mora necessaria censetur.

b) *Stips* (can. 621 et seqq.), utpote damni, praesertim spiritualis, potius quam verae utilitatis, etiam materialis, causa — hodiernis inspectis condicionibus — alio modo petenda vel absolute vetanda, censetur.

c) Praeter *Novitiatum,* alter saltem annus, ad meliorem (saepe elementarem) instructionem atque ad ampliorem, in officiis adimplendis dexteritatem, obtinendas, necessarius videtur.

III. *Circa Liturgiam,* pro cuius codificatione fausta precantur vota, praecipuae exponuntur opiniones.

a) *Festum D. N. I. Christi,* Summi et Aeterni Sacerdoti, in Dominica festum Corporis Christi immediate sequente et ab universa Ecclesia celebrandum perutile censetur.

b) Missa propria cum Officio, in Die Missionum (vulgo « Giornata Missionaria ») exoptatur.

c) *Missale*: Abundantius « Proprio de tempore » faveatur et Missa post ultimam Benedictionem finem habeat.

d) *Breviarium*: 1) Breviarii structura eiusque partium dispositio ad principalia diei aptius atque commodius respondeant momenta, Horas Minores, si necessario, etiam iniendo.

2) Proprio de tempore uberius faveatur.

3) Nonnullae Veteris Testamenti lectiones circa mores expungantur.

4) Secundi Nocturni Lectiones critice exarentur vel, praesertim nonnullae, utpote aureae fabulae, solido tamen historico fundamento innixae, clare habeantur.

5) In privata recitatione repetitiones ad choralem spectantes supprimantur.

e) *Rituale*:

1) In Sacramento *Extremae Unctionis* pedum unctionis abolitio et orationum ad breviorem formam reductio, quod etiam in Benedictione Apostolica in « Articulo Mortis », opportunae videntur.

2) In Sacra Communione fidelibus distribuenda vetus forma: « Corpus Christi », « Amen » praeferenda videtur.

3) Linguae vulgaris adoptio, in nonnullis secundariis partibus, praesertim in Baptismo et in defunctorum exequiis, utilis censetur.

✠ ALOYSIUS BARBERO
Episcopus Viglevanensis

243

EXC.MI P. D. ADELCHIS ALBANESI

Episcopi Viterbiensis et Tuscanensis (Viterbo e Tuscania)
Abbatis S. Martini ad Ciminum

Viterbii, 30 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Tuis Litteris, supra signatis, breviter respondeo.

1. Circa doctrinam fidei Theologi et Magistri in Universitatibus docentes argumenta pro temporis opportunitate suggerent.

2. Circa Cleri disciplinam, vellem ut omnes parochi amovibiles declararentur, contra statuta c. 454 *I. C.*

3. Item ut facultates Episcoporum circa residentiam parochorum augeantur, ita ut Episcopi sua auctoritate possint, iuxta ex causa, ab obligatione residentiae dispensare, parochos qui in parvis paroeciis degunt, et coguntur vitam fere otiosam ducere, et eis uti in officiis dioecesis vel in auxilium parochorum, qui magnum numerum fidelium habent.

4. Propono insuper ut in omnibus dioecesibus nominetur, saltem unus sacerdos, sive ex clero regulari vel dioecesani caritate, prudentia, doctrina, sanctitate praeditus, qui unice curam spiritualem sacerdotum praesertim eorum qui « magis solitudine laborant » habeat et eos frequenter inviset vel ad se venire vocet.

5. In discussionem revocare opportunum duco relationes inter Ordinarium et Religiosos qui in eius dioecesi degunt, circa exercitium ministerii. Optandum est ut Religiosi in Apostolatu animarum magis Ordinario subiiciantur.

6. Omnibus viribus providendum puto ut Clerici curae animarum addicti vitam communem ducere possint.

7. Circa administrationem Sacramentorum peropportunum videtur ad amovendam distractionem puerorum manifestationibus mundanis cum damno pietatis, ut fere ubique his temporibus advenit, prohibere ne Sacramenta Confirmationis et Primae Communionis eodem die conferantur, et statuatur ut saltem annum inter collationem Confirmationis et Primae Communionis intercedat. Ita non solum gravia inconvenientia, supra deplorata, removebuntur, sed pueri quorum plurimi catechismum deserunt, per plures dies diversis temporibus instructione catechistica imbuerentur.

8. Circa S. Liturgiam humiliter propono ut ritus Consecrationis Ecclesiarum et Altarium fixorum breviores fiant, ita ut fideles eis adsistere possint sine gravi incommodo.

✠ Adelchis Albanesi
Episcopus Viterbiensis et Tuscanensis
Abbas S. Martini ad Ciminum

244

Exc.mi P. D. ALBINI LUCIANI
Episcopi Victoriensis Venetorum (Vittorio Veneto)

Victoriae Venetorum, die 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Omni sinceritate et reverentia Tibi subiicio vota ac desideria quae, intuitu futuri Concilii Oecumenici, Tuis Litteris diei 18 iunii 1959 n. I C/59-1460 summa benignitate a me petis exponi.

A) *Circa Doctrinam* mihi videtur:

1. Iterum affirmanda specialis natura magisterii ecclesiastici et obligatorietas pro fidelibus inde profluens adsentiendi volenti animo sive decretis doctrinalibus sive praedicationi ordinariae.
2. Perpendendum quibus efficacibus mediis tradatur doctrina christiana fidelibus adultis, qui saepe ignorant res fidei elementares.
3. Thema optimismi christiani sublineandum contra diffusum pessimismum, hinc: contra relativistas validitas rationis humanae ad veritatem et certitudinem adipiscendam; contra individualistas et subiectivistas capacitas liberae voluntatis praedominandi super vires psycologicas inferiores suboscuras.
4. In brevi sermone de rebus socialibus insinuetur, ut qui catholici in campo syndacali et politico militant numquam obliviscantur res spirituales praevalere super oeconomicas, exercitium vero caritatis ipsam defensionem iurium socialium sociare debere.
5. Denuo tradantur rectae doctrinae circa finem primarium matrimonii, malitiam onanismi, foecundationem artificialem, partum indolorem, analgesin, terapeuticam psycanaliticam, reanimationem et similes quaestiones hodie valde agitatas.

B) *Circa disciplinam,* opto:

1. Concedantur Ordinariis expeditiores facultates in conferendis et tollendis pàroeciis: immutentur proinde normae concursus, collationis, privationis, pensionis; auferatur — debitis compensationibus — ius patronatus.

2. Iisdem parum expeditiores dentur facultates in re oeconomico-administrativa.

3. Prudentibus quibusdam normis traditis occurratur animarum necessitatibus meliori et uniformiori cleri distributione.

4. Ad simpliciorem formam reducatur ritus synodus dioecesanae.

5. Religiosi, etiam exempti, non solum principio, sed concretis prudentibusque normis, in iis quae animarum curam spectant, loci Ordinariis subdantur.

6. Superioribus maioribus religiosorum detur, ut, ex iusta causa, possint prorogare gubernium superiorum domorum ultra secundum triennium; hoc praesertim ad utilitatem hospitalis vel scholae, quae domui adnexa est.

7. Paretur codificatio legum liturgicarum, quae conservet et defendat venerabiles antiquitates, linguam latinam, et simul nonnihil sanae modernitati concedat.

8. Censurae ecclesiasticae simplificentur quoad speciem et numerum, ut consonent modernis temporibus et studium confessariorum facilitent.

Haec pro meo modulo sentiens, occasionem nanciscor meam devotionem Tibi profitendi et me ad osculum Sacrae Purpurae provolvendi, dum subsignor

obsq.mus

✠ ALBINUS LUCIANI
Episcopus Victoriensis Venetorum

245

EXC.MI P. D. MARINI BERGONZINI
Episcopi Volaterrani (Volterra)

28 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Mitto tibi responsiones quas a me petisti circa argumenta in futuro Concilio Oecumenico tractanda.

Rebus attente perpensis, en argumenta de quibus agendum est, ut mea fert humilis opinio:

I. *Quod ad Sacram Doctrinam attinet,* mihi videtur oportere ut Concilium:

a) Anathematizet errores ad id temporis grassantes, qui, etsi orti sunt in philosophiae ambitu, tangunt tamen Sacram Doctrinam, quam funditus evertere nituntur. Huiusmodi errores sunt: Idealismus, Materialismus theoreticus, Existentialismus, Relativismus...

Optime novi Ecclesiae Magisterium Ordinarium pluries insectatum esse hos perniciosos errores, sed nunc Sollemnis Magisterii desideratur damnatio, quae errores istos prosequatur in omnibus suis consectariis, his minime exceptis quae ad civilem vitam pertinent.

b) Oportet insuper ut studia resumantur, in Vaticano Concilio intermissa, circa naturam et constitutionem Ecclesiae.

Ecclesiae mysterium, ni fallor, attente explorandum est, quin tantummodo immoremus in illa iuridica definitione quam contra novatores tradidit Sacrosancta Tridentina Synodus. His profecto temporibus permagni interest ut Dei Ecclesia accuratius cognoscatur prout est « Mysticum Corpus », « Christi Sponsa », « Dei Regnum ». Ista de Ecclesia accuratior scientia pontem efficere mihi videtur per quem acatholici facilius ad unitatem possint redire.

c) Optandum est praeterea ut Concilium Oecumenicum in canones redigat conclusiones quas Mariologia adepta est inde a Concilio Vaticano. Neminem latet scientiam mariologicam multum profecisse; attamen fatendum est eam nunc haesitationes multas experiri, ut videre fas est in quaestione de Cooperatione Beatae Mariae Virginis in humani generis redemptione. Ad expediendam scientiam mariologicam his impedimentis, sitienter a Concilio exoptatur subsidium quod viam illuminet, theologosque impellat.

In re vero mariologica summi momenti mihi videtur prae oculis habere non tantum praecipuum illud ac veluti classicum principium de divina Mariae Maternitate (Maria Mater Dei), sed etiam aliud principium, hisce temporibus pervulgatum, Patrumque testimoniis innixum, iuxta quod Maria est typus Ecclesiae.

d) Oportet Concilium se attentum praebere ad liturgicam institutionem, quae inde ab huius saeculi initio mirabiliter concrevit.

In hac disciplina multa probanda sunt, multa excitanda, aliqua vero reicienda.

e) Peculiarem quamdam animadversionem referre oportet ad quaestiones de Evangelio infidelibus praedicando. Operam navare debet Concilium ut Catholicae Missiones suum officium, iuxta temporum condiciones, melius in dies absolvant.

II. *Quod ad Sacram Disciplinam attinet,* oportet ut Concilium Oecumenicum:

a) Illam dominici gregis partem quam silentii Ecclesiam vocant tueatur atque defendat, detque christicolis illis, peculiares regulas practicas quibus utantur in his rerum tristissimis adiunctis.

b) Opus est Concilium componere aliquam exactam doctrinam theoreticam et practicam, ab universa Ecclesia servandam, in his quae ad « Laicorum Apostolatum » pertinent; deinde in *Codicem Iuris Canonici* novus inducendus est titulus qui de Actione Catholica agat.

c) Concilium praeterea conficiendum curet Codicem Liturgicum quo removeatur illa legum liturgicarum inordinatio quae in Ecclesia viget.

Curet etiam Concilium ut Breviarii et Missalis Romani emendatio quam citissime ad optatum effectum perducatur.

d) Diligenter examinanda sunt haec maximi momenti capita:

1) Quomodo reperiendae et excolendae sint ecclesiasticae vocationes;

2) quomodo persequenda institutio, cum temporum necessitatibus congruens, futurorum Sacerdotum, vel eorum qui iamdiu curam animarum agunt;

3) quomodo adiuvari possit numerus fere ubique exiguus Cleri Dioecesani;

4) denique optandum est ut Concilium prisca de ecclesiastico coelibatu decreta confirmet, eaque tueatur ab huius temporis impugnationibus.

Purpuram Tuam, Eminentissime Princeps, devotissime deosculor, et me tibi cum gaudio profiteor

addictissimum in Domino

✠ MARINUS BERGONZINI
Episcopus Volaterranus

246

EXC.MI P. D. SALVATORIS ROTOLO

Episcopi tit. Nazianzeni, Praelati nullius
Altamurensis et Aquavivensis
(Altamura ed Acquaviva delle Fonti)

Altamura, li 21 aprile 1960

Ill.mo e Rev.mo Monsignore,

Nell'accludere la richiesta risposta circa il Concilio Ecumenico si fa presente che nessun'altra lettera o richiesta mi è pervenuta all'infuori dell'ultima in data 21 marzo 1960 portante il N. di prot. 1 C/59-1506 bis; per cui la circolare di Sua Eminenza il Card. Tardini del 18 giugno 1959, di cui si parla nella suddetta lettera del 21 marzo, non mi è pervenuta affatto.

Tanto per la verità.

Coi sensi della più alta stima mi affermo

devotissimo in Cristo
✠ SALVATORE ROTOLO
Vescovo tit. di Nazianzo

In responsione ad litteram istius Pontificiae Commissionis in die 21-3-1960 sub N. prot. 1 C/59-1560 bis, toto corde plaudo praenuntiato futuro Oecumenico Concilio quod, certe, magnum beneficium Ecclesiae Universali afferet.

Nos, simul cum Dioecesis fidelibus, rogamus Deum ut omnia secundum vota ac desideria Summi Pontificis procedant; et quoad res et argumenta quae in Concilio tractari poterunt, omnino me remitto deliberatis Commissionis antepraeparatoriae.

Unum tantum votum tamen exprimere volo Rev.mae Pontificiae Commissioni, et hoc est, ut Festum Paschae ad tempus fixum in anno assignetur; et insuper, cum temporibus nostris opera pastoralis ministerii maximum incrementum habuerint, valde opportunum videtur ut ad quamdam simplificationem in recitatione Divini Officii procedatur.

Cum omni obsequio humiliter me profiteor

✠ SALVATOR ROTOLO
Episcopus tit. Nazianzenus
Praelatus nullius Altamurensis et Aquavivensis

248

EXC.MI P. D. PRIMI PRINCIPI

Archiepiscopi tit. Tyanensis, Administratoris Pontificii Lauretani (Loreto)

die 29 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Invitationi obsecutus (Litt. Pont. 1 C/59-1532, die 18 iunii 1959) qua a me rogabas ut ea rescribendo patefacerem quae digna viderentur ut in proximo Concilio Oecumenico pertractarentur, haec quae sequuntur propono.

I. *De Societate paganizante in Nationibus etiam Catholicis*

Quandoquidem Oecumenicum Concilium ad universalem Ecclesiam spectare debet ut mala animadvertantur, quae christianae societati insidiantur, opportuna inveniantur et inculcentur remedia, quibus mandatum a Divino Redemptore acceptum, ducendi nempe ad aeternam salutem homines omnes, submisso consilio meo retineo maius malum aetatis huius nostrae esse religionis ignorantiam, quae civium omnium ordines attingit. Etenim maior christianorum pars eas etiam ignorat veritates, quae necessariae omnino sunt ut homines aeternam vitam consequi possint: hoc est fidem in Deum Creatorem, Salvatorem ac Remuneratorem.

Ex hac religionis ignorantia cetera omnia mala de re morali et religiosa oriuntur, quae in christiano populo lamentamur: amiserunt nempe tam multi verum terrenae vitae conceptum, quae nihil aliud est nisi iter faciendum et eluctandum ad vitam assequendam aeternam.

Atqui hodie mortalis haec vita concipitur quasi finis sibimetipsae praepositus; et cuius meta nihil aliud est nisi materialium bonorum fruitio, voluptas, praeminentia, potestas. In calamitatibus non culparum expiatio cernitur; neque homines propriam voluntatem voluntati Dei demisso animo submittunt. Ita pariter dolores non considerantur veluti fons meritorum ad vitam consequendam aeternam.

Mala quae hoc in mortali exsilio vitari nequeunt nonnullos ad desperationem trahunt; alios vero ad acquiescientiam, quae veluti fatalitas existimatur. Multi profecto conceptum peccati, quod offensa Dei est, amiserunt; ideoque inferni timore non afficiuntur, mortem veluti naturae necessitatem considerant, eaque quae subsequentur nihili habent, nihil perpendunt.

De hac igitur paganizante vita proximum Concilium Oecumenicum opportune agat, eius causas inquiret, remedia animadvertat.

II. *Recta Religiosae Institutionis Ordinatio*

Procul dubio praecipua huius religionis ignorantiae causa ex eo pendet, quod religiosae doctrinae institutio, quae divino illi mandato respondere debet « Ite et docete », minus recte ordinata est.

Puer, postquam ad sacram Synaxim primum accessit, haud sibimetipsi relinquendus est; sed per varias paroeciae Consociationes ita procedere debet, ut nunquam ad extremam usque aetatem ea adiumenta necessaria ei desint, quae ex religione proficiscuntur.

Sed, proh dolor, non raro videmus haec religiosa adiumenta deesse vel esse manca, in illis praesertim paroeciis, in quibus Parochus non habetur. Quamobrem: « Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? » (*Rom.* 10, 14 sq.).

III. *De nova Diaconorum constitutione modo permanenti facienda*

Cum fere ubique Ecclesiasticae vocationes rariores fiant, et cum nonnullae Dioeceses hac de causa in gravi discrimine versentur, non paucae paroeciae nullum habent animarum pastorem.

Quaenam remedia adhibenda sunt ut huic gravissimo malo medeatur?

Ante omnia, opportunum mihi videtur Opus Vocationum Ecclesiasticarum in singulis Dioecesibus instituere ac promovere; itemque adhortari parochos ut « parvum clerum » in sua cuiusque paroecia constituant quasi primum seminarium futurorum sacrorum alumnorum; deinde vero laicorum apostolatum promovere, qui Ecclesiasticae Hierarchiae obsequentes, eidem adiutricem operam navent.

Sed non in isto omnia. Videntur enim tempora nostra aliud etiam postulare: diaconos nempe in forma permanenti constitutos, qui sacro coelibatu non teneantur obstricti.

Initio variae difficultates eluctandae ac superandae sunt; quarum haec praecipua esse videtur: ut nempe in sacris Seminariis ii una simul vivant, qui vel ad sacerdotium vocentur, vel tantum ad diaconatum destinentur.

Verumtamen, potius quam paroeciae habeantur — quod non raro contingit — nullo praeditae pastore, melius esse videtur paroecias haberi in quibus sit Diaconus qui baptizet et qui catechismum doceat, verbumque Dei praedicando proponat.

Ac praeterea Diaconis facultas tribui poterit in publicis scholis christianam doctrinam docendi atque explanandi.

Hoc praeterea modo pauci forsitan eorum, qui sacrum Seminarium relinquerent, utiliter recuperari poterunt in his agendis, dum vitam sacerdotalem, ob difficultatem coelibatus, agere non potuissent.

In sacrarum autem Missionum locis diaconi, una cum catechistis, quasi « longa manus » sacerdotum esse poterunt.

IV. *Religiosis Ordines ad observantiam revocare suorum institutionum.*

Tridentina Synodus, ut religionis ignorantiae opportuna praeberet remedia, clericales Religiosorum Congregationes fovendas curavit, quae saeculis XVI et XVII tantopere floruerunt, et quae eo potissimum spectabant ut civilem societatem penetrarent et conformarent christiano spiritu, et rectam iuventutis institutionem susciperent, eorum praesertim, qui ex humilibus coetibus essent.

Hae Religiosae Congregationes hodie quoque habentur; sed iuvenes docent, qui tantummodo clausas scholarum aulas collatis expensis frequentant, dum ingentes multitudines plerumque neglegunt, quae in agris colendis vel in officinis laborant. Ad hos quoque respicendum est ac providendum omni ope.

V. *Christifideles Liturgiam participare debent*

Hac de causa omnia curanda et provehenda sunt, quae sacram liturgiam captu faciliorem reddant, et quibus expeditius et utilius fideles possint sacros ritus participare.

VI. *De Veste Sacerdotali*

Ad vestem sacerdotalem quod attinet, mihi opportunum esse videtur sacerdotibus permittere ut ea induantur qua in septentrionalibus Europae Nationibus sacri administri utuntur; ac talari veste tantum in sacris functionibus uti.

Neque omnino iubendum mihi esse videtur ut sacram tonsuram conservent.

VII. *Vita communis clericorum qui curam habent animarum*

Praeterea id mihi utile et salutare videtur, ut clerus qui curam habet animarum, vitam communem agat, praesertim in urbibus, ut facilius sacerdotalem spiritum alat ac foveat eodem quippe modo, quo in Seminario hic sacerdotalis spiritus fovebatur et ab innumeris arcebatur periculis, ad iuvenes praesertim quod pertinet.

VIII. *Accessus sacerdotum ad alias Dioeceses*

Id mihi opportunum videtur ut Dioeceses inter se clausae ne serventur, sed ut facile permittatur ut quae Dioeceses sacerdotibus abundant, sed ut facile permittatur ut quae Dioeceses inter se clausae ne serventur, sed ut facile permittatur ut quae Dioeceses sacerdotibus abundant, eos sinant ad alias transferri Dioeceses, ubi clerus impar est numero ac necessitatibus christifidelium.

IX. *De Capitulis Cathedralibus*

Pari modo opportunum temporibus nostris censeo Capitula Cathedralia, et quae in Basilicis Patriarchalibus ac magnis Sanctuariis habentur, committenda esse Ordinibus Religiosis, ut iam Media Aetate eveniebat, ita ut clerus Dioecesanus « ministerio verbi » ceterisque sacerdotalibus muneribus se dedere possit.

X. *Confraternitates reformandae sunt*

Hae Confraternitates iam impares et absonae temporibus nostris videntur. Nihil enim agunt quam id, quod etiam domi vel in propriis paroeciis agere possunt: hoc est Officium B. M. V. vel mortuorum una simul recitare. Atqui aedes saepe amplissimae, quibus hae Confraternitates fruuntur, utilius possent destinari ad alios usus, ut exempli gratia ad oratoria puerorum vel consociationes iuvenum studentium, qui saepe non habent sedem, in qua rectam educationem obtineant, ac vel etiam honestis ludis utantur, quibus hodie tantopere indigent, et quos — pro sua aetate — tantopere exoptent.

XI. *Fines Dioecesium rectius statuantur*

Cum in Italia, tum etiam extra Italiam, fines Dioecesium saepe sunt ita confusi ac praepediti, ut sacerdotale et episcopale ministerium difficilius exerceri possit. Opportunum igitur mihi videtur peculiarem Commissionem nominari, quae hos fines rectius decernat ac statuat.

XII. *Parvae Dioeceses abolendae sunt*

In Italia praesertim Dioecesium numerus nimius profecto est; quapropter difficile omnino evadit Curiam, Capitulum, Seminarium et alia multa constituere, quae ad rectam Dioecesis administrationem necessaria sunt. Qui sacerdotes in his Officiis adhibentur meliores profecto sunt

ideoque possent ad curam animarum attendere, si non essent muneribus illis praepediti. Ceterum maiores Dioeceses aptius sunt ordinatae, aptiusque possunt variis fidelium necessitatibus respondere.

XIII. *De Dioecesibus suburbicariis*

Non semel, ut omnes norunt, actum est de Dioecesibus suburbicariis Ordinario loci concredendis, sine dependentia ab Em.mo Cardinali Episcopo. Hic enim plerumque est aetate provecta ac variis Curiae Romanae negotiis ac muneribus implicatus. Titulus igitur sine iurisdictione ei relinqui potest.

XIV. *Unica Dioecesana administratio bonorum ecclesiasticorum*

Administratio bonorum Dioecesis, ac praesertim paroeciarum, plerumque singulis administratoribus concreditur vel singulis parochis; ac non raro memorati sacerdotes cum suis subiectis conflictantur eorumdem bonorum causa.

Hoc grave inconveniens vitari posset, si universum patrimonium Dioecesis non singulis concrederetur, sed unicae Administrationi Dioecesanae, quae non sacerdotibus sed honestis peritisque laicis demandaretur.

XV. *Exemptiones Ordinum Religiosorum reducendae vel abolendae sunt.*

Impedimenta non parva afferunt Episcopis, in proprio obeundo munere, exemptiones Ordinum Religiosorum. Non facile erit eas omnino abolere; videtur tamen urgere ut Clerus Regularis, qui curam habet animarum, Ordinarii auctoritati omnino subiciatur; neque possit vel accipi vel transferri sine consensu Ordinarii.

XVI. *Commissio Vigilantiae*

Commissio Vigilantiae in unaquaque regione instituenda est, quae curet ut in scholis christiana doctrina recte impertiatur. Quandoquidem institutio religiosa, quam clerus in publicis Italiae scholis impertit, post circiter triginta annos optatos non edidit fructus, opportunum mihi videtur ut in singulis circumscriptionibus Ecclesiasticis Commissio permanens instituatur, quae accurate decernat quo modo haec religiosa institutio impertiatur, eaque singulis Episcopis referat quae consentanea necessitatibus videantur.

XVII. *Visitator Seminariorum*

In singulis Nationibus Visitator Seminariorum constituendus esse videtur, eodem nempe modo quo in Italia Praelatus habetur, qui hoc munere fungatur ac rectam praesertim examinet institutionem iuvenibus sacricolis impertitam, ad theologicam doctrinam quod attinet, ad moralem disciplinam et ad exegesim ceteraque studia Biblica, secundum traditionem orthodoxam ac praecepta hac de re ab Apostolica Sede impertita.

XVIII. *Quoad Doctrinam Christianam*

Ad Christianam autem doctrinam quod attinet, opportunum mihi videtur *novum Sillabum* redigere et publicare, in quo praecipui errores recenseantur ac damnentur. Hoc est:

1. Errores, qui in Litt. Enc. *Humani Generis* exponuntur ac reprobantur.

2. « Moralis situationis » (quae dicitur), secundum quam obiectiva principia de re morali et iuris naturae substituuntur a iudicio personali ac subiectivo.

3. Doctrinales aberrationes psychoanalysis, quae a « freudismo » oriuntur.

4. Laicismus Status, qui in omnibus perfunctionibus suis a religione abstrahere contendit.

Ecclesiae siquidem ius tribuendum est in res temporales interveniendi quotiescumque hae res cum praeceptis moralibus coniunguntur, vel cum bono animarum et cum maiore Dei gloria.

Ita pariter Ecclesiae tribuendum est ius id efficiendi ut in politica Nationis vita gubernium efformetur, quod praeceptis non obstet a Iesu Christo datis, neque salutem animarum impediat.

Opportunum praeterea est grave periculum perpendere quod ex communismo oritur; omniaque exquirere et comparare media, quibus et communismus impugnetur et expellatur, ac doctrina de re sociali ab Ecclesia iam impertita pro viribus in usum deducatur.

Doctrina autem, a S. Thoma Aquinate sapientissime proposita ac tantopere a Summis Pontificibus commendata, in Seminariis recte luculenterque tradatur.

Professores scriptoresque adhortari oportet, ut in exponendis christianis praeceptis iisque omnibus, quae ad religionem aliquo modo pertinent, Magisterium Ecclesiae docentis sequantur, quae divinae revelationis authentica est interpres et magistra.

Nova dogmata definire mihi non videtur opportunum.

Quae Eminentiae Vestrae demisso animo exponens, de iis veniam peto, quae forsitan minus recte scripserim; ac Sacram Purpuram deosculatus, maximo obsequio me profiteor

Eminentiae Vestrae addictissimum
✠ PRIMUS PRINCIPI
Archiepiscopus tit. Tyanensis

248

EXC.MI P. D. AURELII SIGNORA
Archiepiscopi tit. Nicosiensis, Praelati nullius Pompeiani (Pompei)

Pompeiis, die 24 augusti 1959

Eminentissime Pater,

Litteris Eminentiae Tuae — n. I C/59-1540 — die 18 iunii 1959 datis, quibus a me quaeris iudicia, condiciones, consilia, animadversiones pro futuro Concilio Oecumenico a Sanctitate Sua Ioanne XXIII, divino consilio indicto, rescribo, quamvis persuasum habeam meam operam parum ad rem conferre.

Tamen aequo animo libenterque Tuis desideriis, quae mihi pro lege potissima sunt, pareo.

FIDES

Nunc vero inter omnes constat nostram gentem, cuiusque generis: habitatores, oppidanos, cives, vicanos ipsos et rusticos, sic distentam esse cumulo scientiarum quae sunt de rationibus (ideologie), quas in dies inimicus homo, callide producens, speciose explanat, ut religio ipsa et fides valde in omnibus languescere videatur, nisi tamen, Deus avertat!, in plurimis mortua sit.

Et reapse plurima stratumina, inter homines conspiciuntur tum humili et modico, tum nobili loco natos, qui prima nostrae Religionis elementa, v. gr. Credo, Pater Noster et Ave Maria (indignum!) oblivione obruerint. Cetera novimus, qua de causa mihi persuasissimum est, hic et nunc, non novis definitionibus opus esse, sed impendere ut:

a) acrius adducantur Sacerdotes omnes ut ad munus suum docendorum, scilicet puerorum christianae doctrinae institutiones incumbant, statutis etiam inspectionibus de peracto labore.

b) Praedicatio, lato vel stricto sensu, contineatur semper finibus

certis, i. e. catecheticae, tum in ipsa Evangelii explanatione habenda pro illis fidelibus qui homiliae paroeciali interesse nequeunt, tum pro catechetica puerorum institutione, tum in omnibus festis, ne in errorem inducatur populus putans praedicationem pertinere tantum ad libellum numerarium sollemnitatum. Qua de re praedicatio sit semper explanatio regularis, constans, per gradus increscens totius Christianae Religionis.

c) Omni ope atque opera enitatur ut fideles prae manibus habeant, perlegant, immo incumbant studio Sacrae Scripturae et ipsorum documentorum Magisterii Sanctae Ecclesiae ut Ecclesiam ament, artius eius ministris iungantur, insidias tam multas refellere sciant. Iterum iterumque moneantur fideles vetitas esse versiones S. Scripturae, quae probatae non fuerint ab Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione illius, et ita vetitos esse libros omnes, ephemerides, commentaria de Religione ab haereticis edita vel a frigidis et a negligentibus.

d) Vita liturgica talibus exornetur expressionibus ut fideles mente et corde magis magisque participes fiant mysteriis christianis.

e) Distribuantur in anno liturgico Epistolae et Evangelia illa quae necessitate temporum maiorem fructum tum lectione tum interpretatione praebeant, quibusdam amotis quae minime ad rem pertinent.

Moralis

In re morali ob ignorantiam Religionis magis ac graviter lamentatur confusio quaedam unde varii et magni momenti errores in societatem serpent quoad, v. g. sexualem educationem, usum matrimonii, onanismum, immo multi sibi ius arrogant coangustandi, proferendi Legem a Deo datam et de ipsa Lege aliquid derogandi ad suos usus.

Declarentur et confirmentur principia; eorumque applicationes vel usus in Ecclesia ubicumque gentium uniformes fiant ut qui christiani profiteantur tales semper et ubique se praebeant et videantur.

Enimvero operae pretium est codicem moralem componere in quo omnes individuales et sociales vitae formae breviter explicentur atque auctoritate confirmentur.

Sacramenta

In Sacramentis administrandis, quorum praestantissima natura et utilitas semper explicanda est, cum fons gratiae et vitae ipsa sint, immutatis servatis formis, convenientia iam videtur postulare usum ubique linguae vernaculae.

Ad excitandum cultum SS. Eucharistiae et ad fovendam pietatem fidelium erga Augustissimum Sacramentum frequenti immo quotidiana com-

munione, permittatur adeundi ad Mensam Eucharisticam, iuxta can. 867 § 4, qui clara indiget interpretatione, quavis hora diei, lege tamen ieiunii servata secundum recentiores dispositiones.

Hoc fieri et oportet et opus est hodie in casu infirmitatis et ob fere universalem Cleri penuriam.

Clerus

Graviter ac rite, iuxta morem Sanctae Ecclesiae, defigatur:

a) lex ecclesiastici coelibatus;

b) item ubique terrarum habitus sacerdotalis distinctionem talem ferat ut omnibus notum sit qui sint sacri ministri verae Religionis;

c) minime levis habeatur obligatio sacerdotibus in Urbe et in Orbe coronam seu tonsuram apertam semper ferendi (can. 136); secus lex abrogetur.

Cum omnium eiusmodi rerum causa stet penuria Cleri, cui accedit, proh dolor! imperfecta formatio, necesse est, summa omni cum cura inquirendo, vocationes cohortari et seminariorum disciplinam exsequi.

In Regionalibus Seminariis aliquando scientiarum studium est cura principalis, dum, ob multitudinem alumnorum, spiritualis et moralis formatio deficiens est, et saepe videtur minui adhaesio alumnorum Ecclesiis particularibus suae dioeceseos quibus saepe omnino aluntur.

Nihil ideo impedit quominus demandetur ipsi Metropolitae disciplina et procuratio Seminariorum interdioecesanorum, quibus praesint Superiores et Magistri eiusdem regionis, vel cuiusque dioeceseos, quantum fieri potest, qui valeant paterna disciplina alumnos educere et suo quisque loco, tuta reddere vincula Ecclesiae ad quam Seminaristae pertinent.

Amplior detur Episcopis facultas suam exercendi iurisdictionem concursus ad beneficia abolendo, salva semper periculorum severitate atque gravitate.

In examen deducatur num maturitas iam temporis postulet omnia cuiusque generis beneficia vel patrimonium Entium Ecclesiasticorum, in genere, in unum coegi et iuxta recentiora iudicia ita metiri ut uberiores habeantur fructus et sanctius quodam aerarium dioeceseos aeque omnibus dividi possit Sacerdotibus.

Recognoscatur item exemptionis institutum quoad Religiosos, cum opportunum iam videatur Episcopum in sua dioecesi Religiosis uti posse libenter, ex animi sententia, cum bonum animarum id poscat.

Parochorum inamovibilitatem aboleri necesse est.

ACTIO CATHOLICA

Maximi ea facienda est et ab omnibus promovenda ac fovenda. Si Sancta Mater Ecclesia uberrimos fore fructus vitae ac pietatis christianae huius apostolatus iure sperat, necesse est ut genere non numero cernantur asseclae qui debent esse velut legio delecta vel electi milites voluntarii, fervidi in fide, probitate perspecta, seduli, viri navi et experientissimi, vitae liturgicae (et cantui gregoriano) etiam assueti, subiecti atque obnoxii semper Sanctae Ecclesiae et Episcopis.

Tali modo Sacerdotibus, Parochis praesertim, datur maximum atque optimum adiutorium ad explenda apostolatus munera, nec umquam fieri potest ut Institutum Actionis Catholicae futurum sit in paroecia pondus grave, aliquando etiam molestum tamquam monstrum ex contrariis naturae studiis conflatum, vel palmes qui non fert fructum a semetipso quia a vite ex se avulsus.

Cum Actio Catholica duplicem finem habeat, institutionem nempe christianam et apostolatum, eorum qui ei nomen dederint, maxime est insistendum christianae institutioni provehendae, tum frequenti catechetica instructione, tum Sacramentorum devota susceptione.

Comitia Actionis Catholicae a comitiis ceterarum piarum adsociationum semper separentur, ut suum quaeque sodalitas finem obtineat.

Mulierum sodalitates tantum Sacerdotibus aetate et virtute probatis committantur.

Graviter hortandum est: omnes pro certo habeant culpa non facile excusari eos qui quoquo modo fideles, sive directe sive indirecte, ab apostolatu Actionis Catholicae avertere studeant.

Cum causae praecipuae corruptorum morum sit impar et deficiens Religionis cognitio, ut supra dicebamus, stipatio multorum diversi sexus in artis domibus, fere nulla spiritualis praeparatio ad matrimonium ineundum, ornatus mulierum immodestus, facilior consuetudo, qua praesertim utuntur ad aquas, seu in publicis balneis, maxime interest summa ope niti ut contra has causas, nulla interposita mora, decertetur; atque huic rei maxime intendere debeant Catholicae Actionis Adsociationes.

Haec vota nostra, Eminentissime Pater, — utinam Tuis possint usui esse laboribus! — libens magnis precibus suppleo, Deo et Beatissimae Virgini SS. Rosarii a Pompeiis, et perlaetis auspiciis ut futurum Concilium Oecumenicum ad faustum exitum quam citius perducatur, iuxta desideria Sanctitatis Suae Ioannis XXIII Summi Pontificis, Cui faveas meo nomine una cum tota Pompeiana Familia multam nostram devotionem, oboedientiam, perpetuum obsequium, dicere.

Has preces et vota, Eminentissime Pater, benigno excipias animo precamur: quae preces sunt ac vota Sacerdotum et Levitarum Pompeiorum una cum Antistite suo Tibi conclamantium: Te Deus adiuvet, Deipara Virgo Te protegat!

Haec bona, haec fausta, Tibi, tuoque labori ominamur.

Eminentiae Tuae obsequentissimus

✠ AURELIUS SIGNORA
Archiepiscopus tit. Nicosiensis
Delegatus Pont. Praelatus nullius Pompeianus

249

EXC.MI P. D. FRANCISCI RICCERI

Episcopi tit. Coeleni, Praelati nullius S. Luciae (Santa Lucia del Mela)

S. Lucia del Mela, 25-8-1959

Acceptis litteris sub N. Prot. I C/59-1546, Nobis cura fuit pluries apud Nos convocandi quosdam Canonicos Nostri Capituli Cathedralis doctrinae peritis, quibuscum permulta vexavimus pro Concilii Oecumenici argumentis apparandis.

De iis autem Nobis visum est ea seligere, quae hic habentur:

A) *Quoad Dogma*:

1. Definitio dogmatica Universalis Mediationis B. M. V.
2. Definitio dogmatica Christi et Mariae Regalitatis.

B) *Quoad errores condemnandos*:

1. Definitio Communismi athei.
2. Definitio Neo-modernismi iuxta Apostolicas Litteras *Humani Generis*.

C) *De re morali*:

Aetatis nostrae pericula, quae ex iis rebus promanant, quae vulgo cinema, radio, televisione, sport-stampa dicuntur.

D) *De disciplina*:

1. Parochorum amovibilitas ad beneplacitum Episcoporum.
2. Translationis facilitas ex una ad alteram Dioecesim, etiam sine Ordinationis tituli mutatione.

3. Relationes inter Clerum saecularem et regularem.
4. Quomodo resolvi possit positio Sacerdotum apostatarum.
5. Quomodo provideri possit ut Clero iuniori subveniatur;
6. Renovatio legatorum iuxta taxam dioecesanam.

E) *De re liturgica*:

1. Revisio et agilitas Pontificalis, Caeremonialis Episcoporum, necnon Ritualis, Missalis et Breviarii.
2. Vulgaris sermonis usus in Sacramentis Christifidelibus administrandis.

F) *De re pastorali*:

Positio Laicorum in Ecclesia, eorumque apostolatus.

Praeterea nos omnes huius Praelaturae Nullius S. Luciae Mjlarum Deo et Deiparae Beatissimae Virgini Mariae praeces fundimus pro Ecclesiae unitate et ad mentem Augusti Pontificis, Quem Dominus vivificet et Beatum faciat.

✠ Franciscus Ricceri
Episcopus tit. Coelenus
Praelatus nullius S. Luciae

250

Rev.mi P. D. ILDEPHONSI REA
Abbatis nullius Archicoenobii Montis Casini (Monte Cassino)

Montis Casini, die 15 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Tuis acceptis litteris N. 1 C/59-1556 signatis, gratos animi sensus patefacere praecipue cupio quod tanta benevolentia me humillimum omnium sciscitari dignatus sis.

Cum a Domino auxilium gratiae suae iterato postulaverim, has submisso et obsequenti corde « Pontificiae Commissioni pro Concilio Oecumenico » propositiones suggerere audeo, non modo meum animum aperiens, sed etiam subditorum meorum sententiam interpretans.

In primis, quod de doctrina est, votum significare mihi curae est de Beatissima Virgine Maria, ut omnibus gemmis quae Eius fulgentissimam exornant coronam, ultima quoque addatur.

Postquam enim dogmatice definitum est Eam et anima et corpore in

coelum assumptam esse, consequens est ut etiam sollemni et infallibili definitione Ecclesiae declaretur « idcirco Eam de praesenti saeculo esse translatam ut pro omnibus hominibus apud Deum fiducialiter intercedat » (Secreta in Missa Vigiliae Assumptionis); nullam ergo hominibus dari gratiam quae per manus — ut dici solet — huius benevolentissimae et miserentissimae Matris non transeat, quippe quae, in coelum assumpta, super regias gazas et custos et domina sit constituta.

Et quoniam Purissimo Cordi B. M. Virginis tum Clerus universus, tum Familiae religiosae, tum coetus fidelium in paroeciis et in Dioecesibus, tum Nationes Christianae his nostris diebus certatim se devovent, optimum et conveniens videtur si Ecclesiae accedat definitio dogmatica qua horum omnium animi maiore etiam fiducia extollantur ut in Beatissima Virgine Maria Mediatrice omnium gratiarum spem firmam reponant se a tali pientissima Matre gratiarum copiam pro salute et prosperitate tum singulorum, tum humanae et christianae familiae indubitanter obtenturos.

Qua re, Dei et Christi Domini gloria, et pietas erga Beatissimam Virginem, et maior in populorum moribus probitas, certe, valde augebitur.

Spes affulget denique fore ut ad hanc optatam definitionem perveniatur eo quod Summus Pontifex feliciter regnans, Ioannem sibi nomen imponens, utrumque huius nominis praeclarissimum Sanctum delegit patronum. Et ideo praedilecti discipuli Christi et custodis et veluti Filii adoptivi Beatissimae Virginis partes suscipiens, Matri coelesti obsequium totius familiae humanae nomine praestans, novum diadema Eius capiti impositurum confidimus.

Quod de regimine pastorali Ecclesiarum est, optandum videtur ut benevolenti et liberali animo a Dioecesibus quae copioso gaudent clero auxilium conferatur iis Pastoribus qui de Sacerdotum inopia valde angustiantur. Quam saepe enim cor Pastoris conteritur quum filios audiat plorantes et panem petentes, nec habeat quos mittat ut frangant eis.

Aliud quoque quod Commissionis animadversioni subiciendum videtur Parochorum institutionem, inamovibilitatem et remotionem respicit. Concursus enim plerumque sarcinam et impedimentum tantummodo evadunt, immo quandoque litium et recursum causa et origo. Itemque translationes efficere haud facile est, si Parochus prompto animo eam accipere paratus non sit.

Postremo, in regimine paroeciarum aliud quoque est quod Pastores anxietate nimia angit vel eos interdum a rebus spiritualibus distrahit, et saepe inter Pastorem et oves paene conflictum inducit: agitur de administratione beneficii temporalis. In praesentibus enim adiunctis dum ita

conductorum animi contra heros exasperantur haud parum obest tranquillitati animi Parochorum quum de praediis cura gerenda est. Nam si reddituum exactio urgetur, fidelium querimoniis et obtrectationibus occasio praebetur; sin aliter, vix ad vivendum necessaria accipiuntur, et ceterum patrimonii paroecialis dissipatio efficitur. Quam ob rem optandum videretur si Parochi et coeteri Beneficiarii, tutis assignatis stipendiis, omni cura bonorum temporalium administrandorum eximerentur. Hinc auferretur incongruens et iniqua beneficiorum disparitas qua invidiae, rixae, dissensiones, cupiditates crebro inter Sacerdotes suscitantur.

Haec demisso animo Pontificiae Commissioni subiiciens, Sanctae Matri Ecclesiae semper et in omnibus oboedientiam et reverentiam et mentis obsequium toto corde profiteor.

✠ ILDEPHONSUS REA
Abbas et Ordinarius Montis Casini

251

REV.MI P. D. P. ROMUALDI M. ZILIANTI

Abbatis nullius S. Mariae Montis Oliveti Maioris
(Monte Oliveto Maggiore)

29 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Maxima laetitia nuntium Summi Pontificis Ioannis XXIII de Concilio Oecumenico indicendo accepi, et Eminentiae Vestrae gratulor quod idem Summus Pontifex Eam in Praesidem Commissionis Antepraeparatoriae Pontificiae eiusdem Concilii elegit.

Mihi pergratum est litteris sub die 18 iunii, Prot. N. I C/59-1557 responsum dare, et ita desiderio Augusti Pontificis adhaerere vota mea indicando.

Et ideo:

1. Ante omnia mihi videtur pertractanda esse in Concilio ea quae Concilium Vaticanum circa naturam Ecclesiae, Corporis Mystici Christi, ob adversos eventus tractare nequivit.

2. Perutile insuper mihi videtur contra errores Communistarum, iam a Summis Pontificibus damnatos, anathema pronuntiare. Haec sollemnis condemnatio a Concilio Oecumenico facta maxime proderit tui-

tioni catholicae doctrinae et pastoribus animarum in munere quotidiano obeundo.

3. Etiam normae definitivae circa limites in SS. Scripturis interpretandis magni ponderis essent, cum nostris temporibus ob progressus scientiarum perplures catholici, etiam huius rei periti, non semper videntur tuto ambulare. Pontifices equidem et Commissio pro authentica interpretatione Biblica perplures normas ediderunt, sed declaratio Concilii Oecumenici his novum robur daret.

4. Desideratur a pastoribus animarum nova editio Catechismi Catholici, quae deberet esse vere universalis sermoneque plana ac nostris temporibus adaptata, prae mente habendo novam formam dicendi.

5. Ad sublevandam pastoralem curam animarum, ita ut fideles omnes possint magis ac magis vitam Ecclesiae cognoscere et in ipsa liturgia partem habere, mihi videtur in aliquibus partibus ipsius liturgiae introduci posse linguam vernaculam; videlicet, in administratione Sacramentorum Baptismatis et Extremae Unctionis et in ritu Matrimonii. Eadem lingua vernacula mihi videtur adhibenda in Sacramentalibus nonnullis, praesertim in quibusdam benedictionibus et in absolutione Defunctorum.

6. In emendando Missali, iam in actu, mihi videtur utillimum fore pro christiana fidelium instructione ut fiat nova selectio locorum Evangeliorum magis apta ad catechesim. Scimus enim praesentem structuram Missalis pendere historice ab antiquis Stationibus quae determinatis festis fiebant, Evangelium ac Epistulam selecta esse pro opportunitate illius ecclesiae in qua Statio fiebat. Cum hodie fideles fere omnes, maximo cum nostro dolore, diem festum sanctificent solum S. Missam audiendo et laborent magna ignorantia in re religiosa, optimum esset si in ipsa Missa catechesi catholica imbuerentur per explanationem loci Sancti Evangelii ad hunc finem selecti. Simul cum reformatione Evangeliorum optimum esset si etiam Epistulae vel Lectiones Missarum seligerentur ad eumdem finem: omnibus notum est qui thesauri in SS. Scripturis contineantur.

7. Maximi momenti etiam mihi videretur si Concilium Oecumenicum pertractaret quaestiones sociales, quae nostris temporibus totam societatem humanam agitant; praecipue ea quae proprietatem, capitale, opificia, labores, mercedes et ipsos operarios respiciunt. Omnes homines, etiam inimici, in tanto negotio ad Ecclesiam oculos vertunt.

8. Si Concilium denique ageret etiam de Actione Catholica, quae magno adiumento pastoribus animarum est nostri temporibus, optimum esset, nam novum robur huic Institutioni daret. Opportunum videretur magis unificare huius Actionis Catholicae diversae ramificationes, et clare

patefacere catholicam Patruum doctrinam circa activitatem ipsam ne in gravem errorem huius activitatis asseclae cum detrimento animarum incidant.

In osculo S. Purpurae

Em. V. add.mus

✠ Romualdus M. Zilianti

Abbas nullius S. Mariae Montis Oliveti Maioris

252

Rev.mi P. D. ANSELMI L. TRANFAGLIA

Abbatis nullius Montis Virginis (Monte Vergine)

Ex Abbatia « Nullius » Montis Virginis, die 17 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Vestris litteris, sub die 18 iunii proximo elapso, Prot. N. I C/59-1558, responsuri, haec quae sequuntur in futuro Concilio Oecumenico pertractanda Vobis proponere in Domino duximus.

Praeprimis, quae Patres in Concilio Vaticano in actis imperfecta et indecisa reliquerunt ob ipsius Concilii suspensionem, accurate resumantur et ad exitum felicem perducantur.

Dehinc:

I. *Circa Theologiam Dogmaticam*:

a) Explicitius confirmetur momentum dogmaticum Magisterii ordinarii Ecclesiae.

b) Definiantur et plectantur plures errores in re dogmatica et liturgica, in quibusdam litteris encyclicis Pii Pp. XII f. r. iam tacti.

c) Quoad Theologiam Marianam, studio accuratissimo subiciatur doctrina de Regalitate et Universali Mediatione B. V. Mariae et, si Patribus opportunum visum fuerit, eadem privilegia dogmatice definiantur.

II. *In re morali seu praxi Ecclesiae*:

a) Dispositiones nunc vigentes circa ieiunium et abstinentiam in legem statuantur.

b) Caelibatus clericorum observantia, iuxta perantiquam Ecclesiae praxim, denuo pressius inculcetur.

III. *In re liturgica*:

a) Nova editio, ex integro retractata, Ritualis Romani exaretur, in qua reducantur Benedictiones reservatae.

b) Ad finem feliciter et cito ducatur Breviarii reformatio.

IV. *In re canonica*:

In nova Iuris Canonici revisione, censurae reservatae omnino reducantur, ipsaeque normae canonicae et morales in simpliciorem prorsus formam redigantur.

V. *In Catechesi pastorali*:

Redactio novi textus Catechismi magis puerorum intellectui accommodati.

Praesenti nacti occasione, libenter optamus futurum Oecumenicum Concilium illos abundantiores fructus in vinea Domini ferat, quos cuncti christifideles ominantur: contra perversos errores, semper et ubique serpentes, mentes illustrentur, animique ad viam salutis magis magisque aperiantur ut Regnum Dei ubique terrarum longe lateque pateat.

Hisce animi sensibus ad osculum S. Purpurae provolutum, me profiteor

Eminentiae Vestrae addictissimum

✠ LUDOVICUS ANSELMUS TRANFAGLIA, O. S. B.
Abbas nullius Montis Virginis

253

EXC.MI P. D. CAESARII D'AMATO

Episcopi tit. Sebasteni in Cilicia
Abbatis nullius Sancti Pauli in Urbe (San Paolo fuori le mura)

Datum III Kal. oct. MCMLIX

Eminentissime Princeps,

Tuae ad me delatae litterae, quibus expoposceras ut in Generali Concilio operam conferram, paulo seriorem responsionem modo habent.

Qua de re velim ut pro tua benevolentia indulgeas et sero respondenti et ea quae subsequuntur suggerenti.

Quod Apostoli Petro dederunt, humilem subiectionem, consilium efficax, activitatem indefessam, hoc ipsemet, qui episcopalis dignitatis iugum sustineo, amanter profiteor, immo impendar et superimpendar

pro modulo meo ut, sub ductu Romani Pontificis, veritas, iustitia, pax usque firmentur.

Decet insuper Sancti Pauli humilem Abbatem (quo titulo divi Hildebrandi successores malunt subsignari) arctiori specialique vinculo cum in oboedientia praestanda tum in opera socianda Sedi Apostolicae devinciri prae ceteris Religiosorum Ordinum Moderatoribus, cum huius Sacratissimi Coenobii Romanus Pontifex sit indubitatus dominus, singulare munimen.

Fateor, Eminentissime Domine, me ad scribendum tardius manum admovisse, duplici praesertim causa permotum. Prima obvenerat mihi in hac alma Urbe degenti: quid plura congerrem adderemque his quae summae laudis Purpurati Patres, clarissimi Praelati Romanae Curiae propositurі sint vel iam proposuerint?

Alteram candide enuntio, sitque venia tale quid audenti: ex quo Abbati Sancti Pauli subtracta est iurisdictio in suam Dioecesim, utique minimam, sentio me, a curis quae ceteros animarum Pastores angunt, paene abstractum; videorque inutile siccumque lignum.

Cum tamen dixerim meam oboedientiam facile exhibiturum, placet quaedam argumenta, quae in proximo Generali Concilio tractari poterunt, hic exponere.

Videlicet:

1. Ut pressius definiatur quaenam et ad quae extendatur potestas Episcoporum sive vi potestatis Ordinis, sive vi iurisdictionis.

2. Ut funditus renovetur institutum beneficii ecclesiastici, ita ut magis sit expedita cura animarum, facilius regimen Ordinariorum, et tollantur quaedam ut dicunt speraequationes inter clericos.

3. Ut nova edatur editio officialis librorum Sacrae Scripturae, et si fieri potest, prius lingua originali, deinde versione latina, non despecta versione Vulgata, et examinentur doctrinae de « inspiratione » ut dicunt biblica.

4. Ut sacra Liturgia integre restauretur et simplificetur ad normam verae traditionis scientifice probatae, ad praesentes necessitates ipsam accommodando. Item ut damnentur quaedam exaggerationes circa sacerdotium ut aiunt fidelium, et titulus aequivocus « Virginis Sacerdotis ».

5. Ut opportune et discrete examinetur quaestio salebrosa de lingua liturgica, servata tamen meliori quo fieri potest modo officialitate, praeminentia et obligatorietate linguae latinae.

6. Ut censurae, reservationes peccatorum et iuris communis exceptiones reducantur.

7. Ut maiores facultates dispensandi dentur Ordinariis locorum, et si casus ferat Regularium.

8. Ut vitetur praxis vi cuius suppletur consensus eorum quibus aliquod ius pertinet ad supprimendum illud. Hoc liceat tantum Sedi Apostolicae, et in casu extremo.

9. Ut vitetur conflictus iurisdictionum in eodem territorio vel supra easdem personas sive physicas sive morales, ut solet in iure cumulativo.

10. Ut antiqua iura et privilegia sarcta tectaque serventur, nisi obstet communis disciplina.

11. Ut Episcopi residentiales senio vel aliquo impedimento confecto de iure dimittantur, et ipsorum sustentationi congrue provideatur. Item ut consulatur Episcoporum decori tam coadiutorum quam auxiliariorum vel tantum titularium.

12. Ut consideretur utrum conveniat reducere numerum Congregationum Religiosarum, maxime mulierum.

13. Ut supprimantur in Romana Curia Congregatio Caeremonialis et Congregatio Fabricae Sancti Petri et nova Congregatio erigatur de Actione Catholica.

14. Ut examinentur quaedam modernae theoriae circa matrimonium et castitatem, et generatim quaelibet philosophia materialistica vel idealistica vel theosophistica damnetur.

15. Ut melius ordinetur ad praxim pastoralem curriculum studiorum in Seminariis.

16. Ut totis viribus adlaboretur ut fratres dissidentes ad unitatem Sanctae Romanae Ecclesiae redeant.

Haec habui, Eminentissime Princeps, quae scriberem; quaeque, tuam clarissimam Purpuram reverenter osculatus, tibi refero, Summi Pontificis iudicio subiicienda, meque profiteor

Eminentiae Tuae addictissimum

✠ CAESARIUS D'AMATO, O.S.B.
Episcopus tit. Sebastenus in Cilicia
Abbas S. Pauli de Urbe

254

REV.MI P. D. ISIDORI CROCE

Archimandritae B. Mariae Cryptaeferratae
(S. Maria di Grottaferrata)

Grottaferrata, 20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Magnas effundendas Deo Omnipotenti gratias censeo de proxima Synodo Oecumenica quam providentialiter Summus Pontifex Ioannes XXIII fel. regn. convocare intendit.

Et humiles preces pusilli nostri gregis ad Deum elevamus secundum augustas Intentiones Sanctitatis Suae pro felici exitu Oecumenici Concilii ad gloriam Dei et salutem animarum in uberiori Ecclesiae Sanctae Catholicae vita.

Quae autem Eminentissima Dominatio Tua petit in venerabilibus Epistulis die 18 iunii a. 1959 datis sub Prot. N. 1 C/59-1568 in angore me tenent pro meae salutis statu, qui pro nunc saltem difficultatem haud parvam causat ad dignam responsionem dandam.

Conditio vero meae Abbatiae, quae illud peculiare habet suae existentiae argumentum apud Sedis Apostolicae fores ut testificet pulchritudinem Sponsae Christi Ecclesiae in diversitate rituum et disciplinae cum inconcussa fidei unitate, delimitare mihi videtur votum meum ad ea quae optatissimum reditum in sinum Catholicae Ecclesiae Christianorum Orientis separati pro humillima mea sententia minus arduum redderent.

Quae quidem sunt in universum: ut in futuri Concilii Oecumenici tractandis rebus et argumentis de doctrina, de disciplina, de Liturgia, deque pietatis christianae exercitiis Patres in mente habeant ut, integro fidei deposito, obviam eatur in caritate Christi usibus traditionibus necnon animo sive menti Orientalis Ecclesiae, ut nullus extet obex quominus separati fratres in gremium Sanctae Catholicae Ecclesiae ingredi valeant si vere spiritu Divini Fundatoris Domini nostri Iesu Christi animati sint.

De coetero quaecumque in Domino ven. Commissioni Antepraeparatoriae sive Patribus proximi Concilii Oecumenici proponere placuerit et Christi Vicario consensu examini vel discussioni subicere, his humilem cooperationem meam Deo adiuvante propono.

Vota interea fervida omnibus ven. Commissionis Antepraeparatoriae Membris maximeque Eminentissimo eius Praesidi submittens,

preces ad Deum, per intercessionem B. Mariae Virginis, pro futuro Concilio Oecumenico fidenti animo elevo, dum Eminentissimae Tuae Dominationis me profiteor

humillimus add.mus
in Christo servus
✠ Isidorus Croce
Archimandrita B. Mariae Cryptaeferratae

255

Rev.mi P. D. FAUSTI MEZZA
Abbatis nullius Ss.mae Trinitatis Cavensis
(Santissima Trinità di Cava dei Tirreni)

Badia di Cava, 25 agosto 1959

Eminenza Reverendissima e Veneratissima,

L'umile sottoscritto, visto che anche a lui — « postremae currus rotae » — si è voluto far l'onore di chiedere eventuali proposte per il Concilio, si è sentito in dovere di formularne qualcuna, e più precisamente cinque, nella speranza che possano essere utili pietruzze per il costruendo edifizio.

Comunque, la presentazione di queste proposte conciliari da parte mia niente altro vuol essere e significare che il più devoto e filiale ossequio alla Sede Apostolica ed alle alte Gerarchie Ecclesiastiche.

Prostrato al bacio della Sacra Porpora, mi onoro confermarmi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
obbedientissimo in Domino
✠ Fausto Mezza
Abate nullius Ss.ma Trinità di Cava dei Tirreni

I. *De opportunitate nova ratione constituendi Italicarum Dioecesium fines*

Commune Italicis Episcopis desiderium est ut ad universarum dioecesium descriptionem aliquando tandem deveniatur, singularum territorium rectius definiendo.

Nemo enim non novit plurimas in Italia dioeceses adhuc esse hic et illic in partes divisas, prout medio volvente aevo fundatae fuerunt,

potius de consuetudine feudalis iuris, quam iis perspectis quae ad pastorale munus potissimum pertinerent. Proinde non raro fit ut vel parva exiguo corpore dioecesis suas videat paroecias in tribus aut quattuor sparsas Reipublicae provinciis; quin id etiam non semel datur ut pauca sane municipia sint tota in suae dioecesis territorio posita, ceterorum autem terrae aliae ad aliam dioecesim pertineant. Atque eo usque ventum est, ut oppidum princeps in propriae dioecesis territorio sit, sed suburbanos pagos et vicos et villas in alienae invenias: dixerit aliquis hic esse caput, illic et illic disiecta membra. Haec rerum conditio nemo non videt quam magno sit tranquillitati ordinis detrimento, eo praesertim tempore cum habentur comitia eligendis popularibus oratoribus ferendis legibus.

Sunt praeterea immensae magnitudinis dioeceses, quarum trecentae, quingentae, mille recensentur paroeciae; aliae autem tam exiguae, ut opus non sit utriusque manus digitis ad omnes paroecias numerandas; atque est videre, ut ex. gr. in Apulia, dioecesim aliquam una tantum aut duabus civitatulis constitutam.

Illud denique praetereundum non est, quod in nimis exiguis dioecesibus inveniri nequeant qui praeponantur sive moderandis Actionis Catholicae associationibus, sive operibus humanae consortioni adiuvandae.

Hoc igitur est in votis, ut instituatur consilium uniuscuiusque dioecesis territorio tota Italia definiendo.

II. *De re liturgica peculiari codice in ordinem redigenda*

Post innovationes et simplificationes novissime in liturgiam inductas, optandum mihi videtur ut res liturgica — primum in libris iussu editis supremae Auctoritatis perscripta, deinceps publicis litteris et decretis aucta, denique sparsim explanata adnotationibusque praedita ab innumeris commentariorum auctoribus, ideoque nostris diebus facta multiformis materiae moles — presse et clare et consultu facilis praecipuo codice tota colligatur, perinde ac praecautum atque provisum fuit ut ius canonicum fieret, redacto codice, res prope communis.

Duo potissimum eademque magni momenti ex huiusmodi codice redundare poterunt: primum, aliquid auctoritate praestantissimum et, tamquam punctum polare, tranquilla immobilitate praeditum, sive disputationes de re liturgica habendae erunt, sive quaestiones dirimendae atque solvendae; deinde perfectum quoddam instrumentum probandis aut improbandis rebus, usu facillimum, consultu fallere nescium, quidquid acciderit de re liturgica disserendo, quae sane materia hucusque est si qua umquam involuta, unde oriri solent « suasoriae et controversiae ».

Restat ut cum bona venia adnotatiunculam faciam ad ea quae supra scripsi: si volumus ut sacris actionibus aliquando populus actuose participet, sinamus in nonnullis liturgiae partibus uniuscuiusque nationis linguam adhiberi.

III. *Urget communismum quem vocant aperte et explicite voce Concilii Oecumenici condemnare.*

Quamvis neque mala quibus humana consortio nostra aetate vexatur, neque libertas non ante audita credendi seque gerendi prout cuique lubet, quae subdola calliditate Fidei moribusque magis magisque in dies insidiatur, unice adscribi debeant perversae communistarum doctrinae, infitiari tamen nequit, perpensis formidandis progressionibus huiusmodi doctrinae teterrimae vel potius satanicae, quae late serpit tamquam, malum immedicabile, cancer, super faciem terrae,opus esse ut Concilium Oecumenicum sollemne in huiusmodi infestissimam doctrinam anathema pronuntiet, ipsa rei gravitate consessusque maiestate formidandum; eo vel magis quia condemnationes nunc usque ab Ecclesia pronunciatae non solum, ut mihi videtur, nullam sollemnitatem induerunt, quam e contra anathema a tam magno consessu conclamatum haud dubio continet, sed etiam occasionem dederunt obliquis cavillationibus, propterea quod communistae causabantur ob aliam incusationem quam impietatis illatam sibi condemnationem fuisse. Placuit enim Russicissantibus Italis vociferari condemnationes illas nil aliud esse quam reiectionem suae agendi methodi in re politica et sociali; at, recte perpensis rebus, communismi doctrina ipsa per se haeresia est, cum videlicet non tantum eversio ab imis Christianae doctrinae habenda sit, sed etiam falsa prorsus religio.

Quid est denique communismus? ornatu si illum nudas rei politicae et socialis, detegis quo intus est: immanis materialismus evectus in ordinem supremae religionis. Quae cum ita sint, condemnatio in re omnino religiosa aperire valet curnam ne mente quidem fingere liceat communismum christianum: etiam infans comprehendat neminem profiteri posse duas religiones inter se oppositas et contrarias.

IV. *De caelibatu ecclesiastico fortiter tutando*

His diebus circuit domos episcopales, fors et paroeciales, occulte editus libellus, et numeris fractis subscriptus: « Nonageni centeni sacerdotes ». Quid vult iste libellus? In eo fingitur — ut patet, agitur de re ficta et commenticia — maximam cleri partem preces suppliciter admovere Pontifici Maximo atque Concilio Oecumenico ut lex de caelibatu aliquando tandem abrogetur; quae autem promuntur argumenta ad pro-

bandam supplicantium causam, nescies risumne moveant an indignationem. Ac dolendum est quod etiam scripta prelo excusa, volitantes paginae, ephemerides, praesertim hebdomadalia allicientibus figuris picta suffragantur indecoro stultissimoque incepto, scilicet sacerdotem ad altare comitari, non ut sacrum celebret, sed ut uxorem ducat. Quidquid cogitandum est de hac mentium aberratione, nemo dubitet quin Concilii Oecumenici interventus, seu caelibatum sollemni sententia firmando, seu inconsultam agitationem condemnando, rectos sacerdotes in sancto servitio confortare valeat, et si qui inania pascunt, salutari monitu ad bonam frugem reducere.

Optandum insuper videtur ut dum Concilium Oecumenicum caelibatum ecclesiasticum contra impios ausus fortiter tuetur, eodem tempore qua par est industria caveat ne a sacerdotio arceantur sacrae militiae tirones de erroneo iudicio circa eorum studium excolendae puritatis. Excessus namque hic atque illic irrepserunt in exigenda ab alumnis sanctuarii eam carnis puritatem, quae pene sit tentationum expers, ita ut illis solummodo pateat introitus Sanctuarii qui acceptam in baptismate innocentiae stolam numquam amiserunt. Quodcirca expedit ut Patres Conciliares qua pollent auctoritate quaestionem dirimant, quae sive in conventibus sive in commentariis exagitatur, quaenam videlicet vadimonia castitatis in sacrae militiae tironibus inveniri debeant ut ad sacerdotium admittantur.

V. *Num expediat parochos esse a sua sede inamovibiles*

Prius quam finem scribendi faciam, detur mihi venia aliquid dicendi, quod potius ad *C.I.C.* novis rebus integrandum pertinet, quam ad Concilium. Velim igitur subicere amplissimi conventus iudicio desiderium late inter Ordinarios propagatum circa problema, quod ex parochorum inamovibilitate (*C.I.C.* can. 454) saepe oritur, longe ad solvendum difficile. Cum enim magna sit sacerdotum penuria, fere semper inexplicabilis nodus Ordinariis est principium servare inamovibilitatis. Quam ob rem non semel fit ut sacerdos apprime idoneus magnae paroeciae gubernandae, cum iam administret paroeciam ruralem, ibi manere totam vitam debeat, tamquam ostreum firmiter adhaerescens scopulo, et otio torpere, nec potestas Ordinario sit illum a muneris cura detrahendi, quod ipse plerumque « sine cura » absolvit, ut transferat ubi ingenio et navitate suum agrum uberes iubeat reddere fructus.

✠ FAUSTUS MEZZA
Abbas nullius Ss.mae Trinitatis Cavensis

256

Exc.mi P. D. CAROLI GRANO

Archiepiscopi tit. Thessalonicensis, Nuntii Ap. in Italia

Roma, 31 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Ho avuto l'onore di ricevere il venerato foglio N. 1 C/59-1675, del 13 luglio scorso, col quale Vostra Eminenza Reverendissima si compiaceva di rimettermi il testo della Lettera Circolare, pari numero, del 18 giugno 1959, concernente la preparazione del futuro Concilio Ecumenico.

Vivamente grato all'Eminenza Vostra del cortese invito, che mi rivolge col citato Dispaccio, di manifestare, in tutta libertà e pastorale schiettezza, opinioni, desideri e voti in vista dello storico avvenimento annunziato dal Sommo Pontefice gloriosamente regnante, mi permetto di esporre umilmente, in foglio a parte, alcune indicazioni su gli argomenti che, a mio modestissimo avviso, potrebbero utilmente formare oggetto dell'attenzione dei Padri del futuro Concilio.

Inchinato al bacio della Sacra Porpora, con sensi di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
Umilissimo devotissimo obligatissimo

✠ Carlo Grano
Arcivescovo tit. di Tessalonica
Nunzio Apostolico in Italia

Allegato al rapporto N. 339, del 31-8-1959

Premesso:

1. Che la Chiesa è il Corpo di Cristo « et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur » (*Efes.*, I. 23).

2. Che alla Chiesa compete, oltre all'azione sacramentale apportatrice di grazia, anche un'azione educatrice e civilizzatrice.

3. Che la società moderna dev'essere posta in condizione di comprendere con rispetto e fiducia, e di accettare con convinzione e amore, la necessità e i vantaggi della presenza della Chiesa nella storia di ogni tempo, per l'immensa portata delle verità di cui essa è depositaria.

Si prospetta sommessamente l'opportunità che il Concilio Ecume-

nico stabilisca le premesse dottrinali e pratiche atte a rendere più efficiente, in rapporto ai tempi, l'organismo visibile del Corpo di Cristo.

In considerazione di quanto precede, sembrerebbe utile l'esame delle seguenti questioni:

1. Problema del reclutamento, della formazione e dell'impiego del Clero sia secolare che regolare. La scarsità delle vocazioni e le prospettive sempre più difficili per il ministero sacerdotale inducono a considerare l'urgenza di provvedere al miglioramento qualitativo del Clero e alla utilizzazione più razionale dei Religiosi, sotto la direzione dei Vescovi. La ricostituzione, sotto nuova e conveniente forma, della Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari potrebbe forse giovare alla soluzione delle numerose questioni connesse col problema in parola.

2. Problema del reclutamento, della formazione e della preparazione specifica, al massimo livello, delle Religiose addette alle scuole materne, agli ospedali, alla educazione e istruzione della gioventù femminile, alle Opere Pie di assistenza e beneficenza ecc.

3. Problema della maggiore funzionalità della parrocchia. Molte parrocchie non possono funzionare per mancanza di mezzi, e addirittura di sacerdoti. Potrebbe essere opportuno raggrupparle, tanto più che, per quanto riguarda l'Italia, nel caso di raggruppamento di più parrocchie, « lo Stato manterrà inalterato il trattamento economico dovuto a dette parrocchie » (art. 18 del Concordato). Inoltre, la vitalità spirituale della parrocchia sembra richiedere una più solida istruzione religiosa e una educazione liturgica continua e completa.

4. Problema dei criteri che i Vescovi e i sacerdoti, sia secolari che regolari, sono tenuti a seguire inderogabilmente, quando la loro azione religiosa debba svolgersi in campo amministrativo, politico e sociale. Oggi, le tentazioni del sacerdote, specialmente per la politica e le attività sociali, sono tali da suggerire lo studio di particolari salvaguardie e direttive precise, come la recente esperienza dei « preti operai » insegna.

5. Problema della scelta, della formazione e dell'impiego — intenso anche come limite di azione — dei laici nell'apostolato gerarchico.

6. Non sembra superfluo accennare qui, almeno per quanto riguarda l'Italia, al problema della riduzione delle diocesi. L'impossibilità in cui si trovano molte piccole diocesi di provvedere adeguatamente alle esigenze del Seminario, della Curia e del Tribunale ecclesiastico, rende urgente l'esame e la soluzione del problema sopra indicato.

✠ Carlo Grano

Arcivescovo tit. di Tessalonica

Nunzio Apostolico in Italia

257

EXC.MI P. D. DIDACI VENINI
Archiepiscopi tit. Adanensis

Vaticano, 7 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

In riferimento alla venerata comunicazione della Eminenza Vostra Rev.ma N. 1 C/59-2118, mi reco a dovere inviare alla Eminenza Vostra alcune proposte, qui allegate, che avrei in animo di sottoporre alla considerazione degli Ecc.mi Padri nel prossimo Concilio Ecumenico, dalla Santità di Nostro Signore Giovanni XXIII recentemente praennunziato.

Con sensi di profonda venerazione, chino al bacio della Sacra Porpora, mi professo

della Eminenza Vostra Reverendissima
umilissimo e devotissimo servitore

✠ DIEGO VENINI
Arcivescovo tit. di Adana

De conglobatione Operum Caritatis et Assistentiae Socialis Ecclesiae Catholicae

Opportunum esse videtur instituere novum Sacrum Dicasterum ad finem conglobandi et unificandi criteria et opera Caritatis et Assistentiae Socialis quae, hic et nunc, sunt in variis regionibus orbis catholici et Auctoritati Ecclesiasticae subsunt.

Huic Dicastero finis etiam esset invigilandi singulas activitates Institutionum Catholicarum beneficentiae, ordinata ratione disponendi ac actiones maiorum necessitatum coordinandi.

Haec centralis Institutio Caritatis Ecclesiae eo magis necessaria hoc tempore videtur quia nunc impulsus in mundo habentur omnia ad potestatem Civitatis reducendi omniaque al laicorum mores revocandi, quae secumferunt consequentias iuridicas, oeconomicas et administrativas circa ea quae iamdiu fuerunt benemerita opera Caritatis Ecclesiae.

Sub dependentia praedicti Dicasterii submittenda videntur esse Officia omnia Caritatis, ambitu sive Dioecesis sive Nationis.

✠ DIDACUS VENINI
Archiepiscopus tit. Adanensis

258

EXC.MI P. D. CONSTANTII MICCI

Episcopi tit. Hadrianiensis in Hellesponto
Auxiliaris Larinensis et Thermularum

Larino, 23 settembre 1959

Eminenza Rev.ma,

Vorrà scusarmi se solo ora sono in grado di rispondere alla Sua Venerata del 18-6-1959, n. 1 C/59-2121.

L'ho ricevuta quando solo da pochi giorni ero entrato nel mio Ufficio di ausiliare di queste Diocesi e nelle prime settimane poco ho potuto attendere a questo lavoro che d'altronde non poteva nè doveva essere preso alla leggera. Per cui mi son permesso di arrivare oltre i termini raccomandati per la presentazione.

Nella speranza della Sua benevola comprensione mentre umilmente mi rimetto al Superiore Giudizio su tutto quanto son venuto esponendo, chinato al bacio della Sacra Porpora, con ogni più vivo ossequio mi professo

dell'Eminenza Vostra Rev.ma
dev.mo
✠ COSTANZO MICCI
Vescovo tit. di Adriana

ANIMADVERSIONES

1. Cum constet Concilium Oecumenicum Vaticanum temporum acerbitate suspensum esse atque intermissum, scire liceat utrum Romanus Pontifex *illud resumi an alterum ab eo convocari* iubeat.

2. His temporibus plerique hominum magis alliciuntur bonis ac voluptatibus, quibus fruantur, quam agitantur doctrinis.

Idcirco et sunt revocandi ad fidei principia et, circa fruitionem temporalium bonorum, monendi ne aberrent neve amittant finem suum aeternum.

Qua re *parum* videtur *disceptandum de ultro definienda fidei doctrina, multum vero de catechizandis populis* et singulorum animis.

Quae autem, pauca, de doctrina definiri statuerit Sacrosanta Synodus, ea respiciant potius:

a) *unitatem* Ecclesiae, ad quam revocentur errantes;

b) *materialistarum* (marxistarum) errores, quos caveant fideles;

c) ipsum propagandum Evangelii lumen, ad quod perducantur infideles universi.

3. Eadem Sacrosancta Synodus, si quae, de suggerenda populis et singulis disciplina, decreta emanari iusserit, sic tamen consulat moribus universorum, curet ipsa decreta iis proponenda verbis, locutionibus, propositionibus, quae *vere sapiant catholicitatem neque sint magis idonea menti latinae quam ceterorum populorum.*

4. Quae fidei et morum sunt principia seu dogmata definita, ea adfirmare pro necessitate et opportunitate oportet omnino.

Quod autem attinet ad *ius positivum mere ecclesiasticum,* si quid *adaequandum, derogandum et abrogandum etiam,* in Domino, videbitur, praesertim quo *facilius ad unitatem redeant errantes,* id agere ne pigeat.

Consilia

1. Vigentis iuris in Ecclesia duo exstant immediati fontes, Codex nempe Iuris Canonici et quae, exinde a Codicis promulgatione, pro necessitate temporum, ab Auctoritate Apostolica emanata sunt et emanantur decreta, edicta, leges, interpretationes Canonum authenticae etc.

Opportunius videtur *omnia vigentia iura ad unum referre Codicem* (et pro hac re optime aderit revisio codicis), iteratis eius editionibus authenticis.

2. Patres Conciliares *revocent ad Ecclesiae unitatem,* monitione sollemni, omnes errantes haereticos, schismaticos, ad quorum reditum ipsi Patres, autoritate qua in Concilio pollent, doceant nihil aliud opponi *nisi quae contradicant doctrinis fidei definitis.*

3. De *materialismo atheo* (marxistarum), ut supra animadversum est, definiantur ex professo doctrinae, methodus, et damnentur.

At etiam « *materialismus* » *erroresque coeterorum* etsi non communistarum damnentur pari auctoritate, quorum doctrina, vita, mores, a veritate non minus aberrant.

De disciplina ecclesiastica

1. Adstent in Ecclesia, praeter presbyteros, etiam *ministri inferioris ordinis, v. gr. diaconi,* qui levioribus obligationibus obnoxii, adhibeantur ad ministeria, quae propria non sunt ordinis sacerdotalis, ad pueros cathechizandos, ad promovendam « Actionem Catholicam », quam dicunt, etc.

2. Instituantur *presbyteria,* cohabitationes scilicet clericorum, presbyterorum saltem eidem Ecclesiae addictorum, praesertim paroeciali.

3. Consulat Sacrosancta Synodus ut praesto sit *clericis* eiusdem dioe-

cesis vel provinciae *qui moderetur eorum conscientiis,* Sacerdos insignis sanctitate et doctrina, praeditus facultatibus necessariis et opportunis, vel ex clero regulari, vel saeculari eligendus.

4. *Rerum novarum qui sint fines,* quos clerici in sua vivendi et agendi ratione praeteriri nequeant quin fines etiam morum praetereant, Patres Concilii decernant.

5. Si quid innovandum *circa habitum,* quem clerici publice deferant, praeoculis tamen sit quantum usque modo contulerit vestis propria talaris vel alia eiusmodi, ad dignitatem clericorum servandam et tuendos mores.

6. Bona ecclesiastica ita administrari iubeat Sancta Synodus, ut *nulli Sacerdotum* cuiusque Dioecesis et Paroeciae *desint necessaria,* ne invalidis quidem et senescentibus.

7. Omnium clericorum ita sint *munera et iura definita,* ut omnia ad normam legis procedant nihilque sit *pro arbitrio* providendum.

8. Ad dignitatem personae *non videntur multum conferre praescripta Canonum* 2186-2194 *C.I.C.* nec coetera, quae *facultatem sui defendendi* forte denegent peccantibus, vel minuant.

9. In Codicis canonibus vel in legibus quae sunt praescripta iuris externi numquam resolvantur *in arbitrium intimae cuiusque conscientiae.* Quamvis enim ordo iuridicus ordini innititur ethico, neuter tamen videtur in alterutrum posse reverti.

10. Ordinarii locorum, per se vel per Vicarios suos Generales vel alios Sacerdotes delegatos, praecellentes virtute, doctrina, prudentia, quotannis *unicuique clericorum referant* et in scriptis redigant duobus exemplaribus, quorum alterum servandum in secreto Curiae Archivio, alterum ipsi clerico tradendum, *exprimantque iudicium aestimationis* de cuiusque vivendi agendique ratione; ut, si qui erraverint, corrigantur; si qui laude digni (merito virtutum, operibus pietatis et ministerii, muneribus obeundi), legitima aestimatione Ordinarii sui confirmentur et ad meliora sanctioraque sint parati. Sit tamen facultas contestandi suique expurgandi, si quid aestimationis minus placuerit. In *collatione officiorum* et beneficiorum ratio habeatur de eiusmodi aestimatoriis iudiciis.

11. Clerici *regulares,* quatenus sint Sacerdotio aucti muniaque obeant sacerdotalia ad animarum salutem, *ab Episcoporum iurisdictione ne sint exempti.*

De Dioecesibus

1. In sua quisque Episcopus Dioecesi sit utique princeps, legislator, iudex, rector et pastor animarum (quinimmo et plurimae, quae modo reservantur Apostolicae Sedi facultates circa immediatum regimen anima-

rum, Ordinario loci opportunius, fere, demandari possunt); at *fines Dioecesium ne impediant vel coarctent fidelium unitatem ac communionem;* ut, quae permissa et legitima sint in quadam Dioecesi, in finitimis sint prohibita. In ambitu saltem eiusdem Regionis Ecclesiasticae eodem omnino sit ratio regiminis omnino necesse est.

2. Providendum etiam videtur meliori regimini illarum Dioecesium, quae *angustioribus finibus* continentur vel pollent exiguo fidelium numero, ne presertim desint clerici ad necessaria munia obeunda.

Quod si necesse sit, supprimantur.

3. Quae usque modo de regimine Dioecesium adnotata sunt, *regimini etiam Paroeciarum,* servatis, applicari possunt.

4. Eadem quae dignitas ordinis, sit Episcoporum auctoritas iurisdictionis in Ecclesia, ne quis in eos ius habeat exercendi imperii nisi unus Romanus Pontifex.

Quos autem Sedis Apostolica delegaverit ad iurisdictionem quoque modo exercendam in Episcopos, sint et ipsi *dignitate episcopali* insigniti.

Quae quidem videntur *postulari ab Orientalibus,* et quidem praesertim ab orthodoxis, quos vocant, qui utinam sui schismatis et haereseos finem faciant!

5. Provinciae seu Regiones Ecclesiasticae, si fieri potest, *iisdem contineantur finibus ac civiles.* Item fines Dioecesium *ne fines excedant provinciarum civilium.* Nam multa sunt communia, quae tractentur, in Provinciis et Ecclesiasticis et civilibus.

6. Ordo et provisio beneficiorum in Dioecesibus forte adaequanda sunt *temporum necessitatibus.*

Capitula Canonicorum sint re vera Episcoporum senatus aut ne sint et supprimatur. Quod si hoc arduum videatur, quacumque ex causa, etiam administrativa, eorum loco, ubique consultores instituantur, qui vere munere consiliariorum Episcopi fungantur, ex optimis, de Clero curae pastorali addicto viris eligendi.

7. Examinì subicienda possibilitas instituendi in finibus Dioecesium *Paroecias non territoriales,* quae scilicet nullo innitantur territorio et iurisdictionem exerceant in fabricis opificum et huiusmodi fidelium coetibus.

8. Sacerdotes in Dioecesibus et Paroeciis *sint numero* qui possint pro multitudine fidelium vere consulere saluti animarum. Nihil obstet quominus de Dioecesi in Dioecesim tranferantur Sacerdotes.

Quae in Codice de clericorum incardinatione et excardinatione praescribuntur innovari iubeat Sancta Synodus (aut supprimi). Paroeciae, si opus est, uniantur.

De Paroeciis

1. Videant Patres conveniatne abrogare quae in Codice Iuris Canonici, can. 454, praescripta sunt de *Parochis inamovibilibus,* quo facilius et utilius Rectores animarum adhibeantur, etiamsi ad omnem prorsus arbitrii possibilitatem vitandam, unaquaeque translatio consultorum examini atque consilio subicienda videatur.

2. Item videat Sancta Synodus an munus eorum qui « *Adsistentes Actionis Catholicae* » nuncupantur, in *verum officium* constituendum sit, statuto et definito iure.

3. Item munus Sacerdotis qui, nomine et auctoritate Ordinarii, *Actioni Catholicae praeest* in Dioecesi, in *verum officium* constituatur, ut de tota activitate pastorali ordinanda videat et nomine Episcopi decernat.

4. Apostolatus laicorum iure definiatur.

5. Rectores Ecclesiarum particularium ne sint, quin Parocho omnino sint subiecti.

6. *Religiosarum domus,* quae in finibus Paroeciae sunt positae, ita *Ordinario loci sint subiectae,* ut Parochi, nomine Ordinarii, videant de earum instructione in doctrina christiana et actione in pueris catechizandis, etc.

7. Scientia, quae nuper inventa « *Statistica* » recenti etiam nomine vocatur, utantur saepius Parochi (et Ordinarii locorum), qua dignoscant concreditorum gregium status animarum, condiciones, necessitates, quibus *prudenter* consulant.

De populi disciplina

1. De humana societate in genere, et in specie de societate familiari, civili, de ipso Christi Corpore quod est Ecclesia; de earum origine, natura, finibus, coordinatione, subordinatione; de huiusmodi doctrina quid docuerit et doceat Sancta Mater Ecclesia tradatur in catholicorum *scholis et coetibus.*

2. De deligendis populi *legatis et senatoribus* ad leges ferendas deque civibus munia politica rite obeuntibus pro conscientia, tales, quae vere dubia dissolvant, *tradantur normae.*

Negotia maioris momenti

1. Non eadem sentiunt et agunt Latini, Germani, Angli circa multa quae ad easdem tamen conscientiae leges pertinent: circa *choreas, morem vestiendi, relationes* quas dicunt *sexuales,* etc.

Quaenam sententia Patrum de his diversorum populorum animis deque diversa eorum agendi ratione et sentiendi? Nonne una est lex cui omnes, qui christiano nomine censentur et gloriantur, oboediant est necesse?

2. Quaenam remedia Sacrosancta Synodus proponi censeat ad evitanda *scandala,* quae frequentiora et graviora in dies propagantur *mediis mechanicis* nuper inventis (quae v. g. cinema, radio, televisione)?

VOTA

Si Sacrosancta Synodus contulerit:

a) ad unitatem Ecclesiae;

b) ad pacem populorum et civium;

c) ad reprimendos communistarum errores;

d) ad propagandum per omnes gentes Sanctum Dei Evangelium; sat gloriae erit datum Omnipotenti Deo Eiusque Unigenito Filio et Spiritui Sancto, cui honor semper ubique et ab omnibus.

✠ CONSTANTIUS MICCI
Episcopus tit. Hadrianiensis in Hellesponto
Auxiliaris Larinensis et Thermularum

259

EXC.MI P. D. FERDINANDI BALDELLI
Episcopi tit. Aperlitani

Roma, 22 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Con riferimento alla Sua venerata Prot. 1 C/59-2714 del 18 giugno, ho il pregio di informare l'Eminenza Vostra che il Comitato Esecutivo della Caritas Internationalis, recentemente riunitosi a Ginevra, ha formulato con voce unanime l'allegato voto, con preghiera di trasmetterlo alla Commissione antipreparatoria per il Concilio Ecumenico.

Questo voto riguarda:

a) sul piano dottrinale, la necessità di ristabilire il vero concetto della Carità come virtù teologale nell'insegnamento della dottrina della Chiesa;

b) l'esercizio della carità al servizio dei bisognosi e, conseguentemente, la promozione di organismi adatti a questo esercizio, da istituirsi sotto la responsabilità degli Ecc.mi Ordinari;

c) la restaurazione del Diaconato come funzione appropriata per mettere in evidenza il legame tra Eucaristia ed esercizio della carità nella Chiesa.

Mentre mi permetto di trasmettere questo voto a nome del Comitato Esecutivo e mio personale, mi riservo di sottomettere al più presto possibile a codesta Ecc.ma Commissione antipreparatoria alcuni altri voti e relativo materiale che, a mio modesto avviso, potrebbero utilmente contribuire a dare la giusta importanza all'esercizio della carità della Chiesa presso clero e fedeli.

Rimango a completa disposizione di Vostra Eminenza e colgo l'occasione per chinarmi al bacio della Sacra Porpora e per professarmi con i più deferenti ossequi

di Vostra Eminenza Reverendissima
dev.mo nel Signore
✠ FERDINANDO BALDELLI
Vescovo tit. di Aperle

Voto del Comitato Esecutivo della Caritas Internationalis formulato a Ginevra, settembre 1959, con preghiera di trasmissione alla Pontificia Commissione Antipreparatoria per il Concilio Ecumenico.

Ut paretur Concilium Oecumenicum ...

1. Videtur quod, ubique grassante quadam philosophia sub nomine « Marxisme », Caritas, ut virtus, parvi ducitur, immo contemnitur, et ipsa caritatis opera despiciuntur, tam apud laicos quam apud quosdam clericos.

2. Optandum est, salvo meliori iudicio, ut ab omnibus, tum in Seminariorum exercitiis, tum in Verbi Dei praedicationibus, explanetur et vindicetur Caritatis genuina notio. Immo revocandum est mentibus quomodo, primis Ecclesiae temporibus necnon decursu saeculorum exercitata fuerit caritas christiana in omnibus orbis partibus ad inopiam miserorum sublevandam, attentis autem modis huius officii diversis secundum diversa tempora.

3. Ad cuius officii renovationem multum proderit, cum Ecclesia iudicaverit antiquum Diaconatus ministerium instaurandum esse, ut Ecclesiae proprium servitium, non sine nexu cum Eucharistiae SS. Sacramento.

4. Denique, cum hodie cooperantur Institutiones Internationales

ad expellendas paupertatem in genere et summopere miseriam populorum ex patria exsulum (D. P.), promovenda sunt « Opera Catholica Caritatis », quorum antea integratio in vita Ecclesiae plane ac clare determinata fuerit.

* * *

Roma, 2 luglio 1960

Beatissimo Padre,

Il sottoscritto sin dallo scorso anno con venerata lettera di Sua Eminenza Reverendissima il Segretario di Stato, di prot. N. 1 C/59-2714 e già debitamente riscontrata, veniva sollecitato perchè presentasse alla Commissione a ciò delegata gli argomenti che avesse ritenuto opportuno fossero affrontati nel prossimo Concilio Ecumenico.

Ora mi prendo l'ardire di far giungere nelle venerate mani di Vostra Santità alcuni argomenti che ho ritenuto di un qualche momento e che ho raccolti nell'accluso incartamento.

So bene che la Santità Vostra, pur assillata da tante attività e preoccupazioni, vuole direttamente rendersi conto delle comunicazioni che da tutto il mondo prevengono alla Commissione competente.

Per questo mi sono preso l'ardire di far giungere alla Santità Vostra i miei modesti suggerimenti, lieto se potrò anche in minima parte collaborare alla grande opera che Vostra Santità vuole decisamente portare a termine per il bene della Chiesa.

Prostrato al bacio del Sacro Piede, mi professo

della Santità Vostra
umilissimo e devotissimo
figlio e servo

✠ FERDINANDO BALDELLI
Vescovo tit. di Aperle

I

Voto concernente la costituzione di un nuovo ufficio « Caritas » per le attività caritativo-assistenziali della Chiesa nel mondo.

Prima parte

Punti dottrinali inerenti all'ufficio « Caritas »

La costituzione di un Ufficio « Caritas » per le attività caritative e assistenziali della Chiesa nel mondo pare sufficientemente motivata dalle seguenti ragioni:

1. La Chiesa non può non essere presente con il suo magistero, dottrinale e pratico, là dove sorgano larghi movimenti che interessino la collettività degli uomini.

Ma, non c'è dubbio che l'assistenza, in qualsiasi forma essa possa concretarsi, è ormai affrontata e fatta propria da tutte le Nazioni, anche da quelle di civiltà recente.

Quindi, è urgente che la Chiesa prenda precise posizioni in questo campo.

2. L'assistenza coinvolge necessariamente problemi di dottrina e di applicazioni pratiche. Negli uni e nelle altre, gravi e vaste sono le questioni che sorgono, perchè l'assistenza coinvolge la persona, la famiglia, la collettività, lo Stato, la Chiesa.

In tale materia sono assai facili gli errori e le deviazioni che possono portare ad abusi fatalmente perniciosi per la Chiesa, per lo Stato, per la famiglia, per l'individuo.

Altrettanto complessi sono i problemi pratici dell'esercizio dell'assistenza che richiedono, conseguentemente, un preciso indirizzo ed un non migliore preciso controllo.

Si pensi alla meravigliosa fioritura di Congregazioni, Istituti, Associazioni che in questi ultimi tempi, sotto l'afflato dello Spirito, sorgono con il nobile intento di attendere alle molteplici forme dell'assistenza sociale, secondo lo spirito e gli insegnamenti della carità teologica.

Esse non possono essere lasciate abbandonate a se stesse.

3. Si ritiene che le Sacre Congregazioni esistenti siano impari ad assumere questo nuovo campo di attività. E ciò sia per i gravi e grossi e molteplici problemi da cui sono oberate; sia per la estensione del campo dell'assistenza; sia per la sua molteplicità di realizzazioni; sia per i gravi e complessi problemi teorico-pratici che importa.

4. Pare, infine, che la costituzione di un tale Ufficio specializzato nell'urgente ed assillante problema della carità e dell'assistenza, costituisca una ulteriore efficace prova apologetica della divinità e della vitalità della Chiesa Cattolica, sempre protesa ad affrontare ed a cercare di risolvere alla luce degli insegnamenti del suo Divino Fondatore e Maestro i problemi che investono la comunità umana.

Seconda parte

Erezione e struttura dell'Ufficio « Caritas »

1. L''Ufficio Caritas sarà eretto mediante un Breve del Santo Padre.

Il Decreto di erezione sarà accompagnato da uno Statuto nel quale oltre che definire la struttura del nuovo Ufficio si assegneranno i compiti propri ai vari Uffici e ai vari Organi.

Pare molto opportuno stabilire, tra l'altro, con norma statutaria, che gli organismi periferici hanno un doppio compito: quello di trasmettere e di rendere esecutive le disposizoni date dall'Ufficio Centrale di Roma; e quello di segnalare a questo Ufficio Centrale di Roma le questioni più salienti ed interessanti della periferia.

2. Una *Commissione Cardinalizia,* di nomina del Santo Padre, avrà l'alta direzione dell'Ufficio Caritas.

3. Il nuovo Ufficio sarà retto da un *Consiglio di Presidenza* formato da un *Presidente,* nominato direttamente dal Santo Padre e da 5 *Vescovi Consiglieri* per ogni continente, presentati dai singoli Episcopati e nominati dalla Santa Sede.

L'Ufficio di Presidenza assicura la propria agibilità mediante una *Giunta Esecutiva.*

4. L'Ufficio « Caritas » di Roma sarà integrato da *Commissioni Episcopali continentali* strutturate sul tipo dell'attuale C.E.L.A.M.

5. A loro volta queste Commissioni Continentali si appoggeranno su *Commissioni Episcopali Nazionali* strutturate sul tipo della C.E.I.

Terza parte

Esecuzione pratica del progetto

Si ritiene conveniente che si addivenga alla formazione di una sottocommissione per lo studio di questo progetto.

Questa Sotto-Commissione dovrà essere inserita in una delle Commissioni già stabilite per il Concilio Ecumenico e che sia la più appropriata per la trattazione di questa materia.

II

Il primo e più grande comandamento: « la carità »

1. *Il fondamento* della carità nel Messaggio Evangelico; (*Matteo* V, 43-48; *Matteo* XII, 34-40; *Matteo* XXV, 34-36; *Matteo* XII, 28-34; *Luca* X, 25-37; *Giovanni* XIII, 34-35; *Giovanni* XV, 12-17; *I Giovanni* III, 23; *I Giovanni* IV, 7-8; IV, 19-20; *Rom.* XIII, 8; *Gal.* V, 14; *Col.* III, 14; *Atti* VI, 1-6; *I Pietro* IV, 8).

2. Il mistero della Chiesa quale *comunità dell'amore* divino a tutti partecipato: comunità dell'amore filiale a Dio e dell'amore fraterno fra gli uomini che ne fanno parte.

La Chiesa nel suo stato terrestre, quale comunità visibile, voluta da Dio nel Suo eterno disegno creativo e riconfermato dalla rivelazione di Gesù. La Carità che pervade il Corpo Mistico tende di sua natura a concretarsi in opere al servizio di Dio e dei fratelli: opere di religione e opere di misericordia.

3. *Le opere di misericordia* si concretano in quelle spirituali e in quelle corporali.

L'esercizio di queste opere dai tempi apostolici e nello sviluppo storico della Chiesa. Varie forme della Carità Cristiana.

4. L'esercizio della Carità così intensa deve poter e saper *raggiungere tutte le categorie* delle persone bisognose verso le quali deve essere in grado di poter esercitare un'assistenza integrale.

I compiti essenziali di tale assistenza saranno: istruire, educare, assistere, curare, ricreare.

5. L'esercizio della Carità così universalmente intesa chiede un *saggio criterio organizzativo.* I cardini di una tale organizzazione dovranno essere i seguenti:

a) *ufficio* « *Caritas* », a Roma, per le attività caritative e assistenziali della Chiesa nel mondo (v. proposta qui inclusa, in principio);

b) il *Vescovo* per la propria Diocesi, al quale compete lo « ius et officium gubernandi dioecesim » prima di tutto in « spiritualibus » e poi in « temporalibus » (*C.I.C.* can. 335 § 1). Egli infatti è Pastore e Padre cui incombe tutta la sollecitudine pastorale e che governa, per istituzione divina, « cum potestate ordinaria »;

c) il *Parroco* che è per definizione canonica il « Curator animarum » e che deve avere particolare comprensione verso tutti i poveri e bisognosi della Parrocchia (cf. cann. 457; 463; 469; 1473). Egli deve saper dare alla sua opera caritativa ed assistenziale la forma concreta più

adatta e più rispondente ai bisogni del tempo, superando una concezione statica della Carità con una concezione dinamica;

d) il *Diacono*. Pare infatti che sia da prendersi in seria considerazione la proposta da varie parti ed insistentemente avanzata di rinnovare il Diaconato per quell'esercizio della Carità come fu inteso sin dai tempi apostolici (cf. *Atti* VI 1-6). Il potenziamento di questo Ordine verrebbe da una parte ad alleggerire le attività più strettamente spirituali del Parroco e d'altra parte assicurerebbe un sistematico ed appropriato esercizio della Carità affidandolo, per tal modo a persona specificamente incaricata a ciò; persona che pur non avendo qualità per assurgere fino al sacerdozio (età, salute, cultura, ecc.) potrebbe invece essere sufficientemente dotata dei requisiti che si debbono richiedere per chi deve esercitare un'attività caritativo-assistenziale, in conformità ai principi della Carità Evangelica e seguendo le disposizioni della Santa Sede.

6. Una particolare esigenza di riaffermare i principi della pratica della Carità si impone oggi di fronte al *vasto problema della giustizia sociale*.

Occorre riaffermare la Carità come integrante la giustizia.

La Carità è insostituibile; è il cuore della giustizia e della sicurezza sociale: essa sola può salvare la giustizia e può illuminare e vivificare l'istituto della sicurezza sociale. Non si può parlare di « Carità o Giustizia » ma di « Carità e Giustizia ».

Soltanto mediante questa decisa affermazione della Carità soprannaturale, accanto alla giustizia, si riuscirà a custodire nell'ordinamento della vita sociale il primato e la trascendenza dello spirituale sull'economico, del divino sull'umano, del celeste sul terrestre.

7. Perchè si possa esercitare la Carità in conformità ai principi evangelici e secondo lo spirito e le direttive della Santa Chiesa e anche perchè si acquisti quella cultura e quella tecnica ormai indispensabile ad un opportuno svolgimento di tante attività, è indispensabile una *seria preparazione del personale addetto*.

Questo personale può essere ecclesiastico o laico. La preparazione del *personale ecclesiastico* richiede che fin dal tempo del Seminario Teologico i futuri Sacerdoti o Diaconi, siano adeguatamente preparati alla teorica e alla pratica della Carità e che pertanto nella loro formazione si inseriscano un corso di insegnamento della dottrina della Carità fraterna e sociale; una panoramica storica delle istituzioni caritative della Chiesa; lo studio delle moderne organizzazioni caritativo-assistenziali; si inserisca inoltre un periodo di pratica durante il quale i Seminaristi dovrebbero essere posti a contatto e delle organizzazioni e dei servizi

caritativo-assistenziali che dovrebbero un giorno esercitare nelle rispettive Parrocchie.

Per il *personale laico* sembra che si debba esigere analoga formazione, sia dottrinale che pratica. Forme concrete di tale istruzione sono date dalle Scuole Superiori di Servizio Sociale, la cui frequenza dovrebbe essere resa obbligatoria per tutti coloro che, uomini o donne, fossero chiamati all'esercizio della Carità.

Si dovrebbe, in particolare, curare, per chiunque intenda collaborare in qualsiasi modo ad un sistematico esercizio della Carità:

a) una seria, profonda formazione spirituale pastorale, strettamente intesa e che, senza monopoli esclusivistici, dovrebbe far capo soprattutto all'Azione Catolica, cui dovrebbe competere questo compito come « proprium »;

b) una formazione sociale — economica — sindacale, attraverso Enti adeguati o Corsi sistematici;

c) una formazione pre-politica, intesa come cognizione e approfondimento dei problemi della collettività sia regionale, sia nazionale, sia internazionale e delle dottrine e metodi che ispirano i vari partiti politici operanti nei singoli Paesi, al fine di essere in grado di vagliarne l'ortodossia o l'eterodossia e prendere conseguenti direttive rette ideologiche e pratiche.

Si ritiene che l'attribuire con più netta distinzione tali compiti formativi a Organizzazioni o Enti appropriati, non possa che giovare sia agli Enti stessi che potrebbero così meglio apprestarsi a dare la richiesta formazione, sia alle persone da formare che saprebbero con precisione a quali Organizzazioni rivolgersi per avere quella formazione specifica che loro manca.

III

Il mondo del lavoro

1. La Chiesa, preoccupata del fenomeno della scristianizzazione delle masse operarie, fenomeno che un po' dovunque va assumendo proporzioni sempre più allarmanti, nutre pure preoccupazioni *sui metodi di apostolato negli ambienti di lavoro,* che si vanno esperimentando qua e là.

Il pericolo più dannoso, sebbene latente, in tutte le nuove forme di apostolato sacerdotale in rapporto all'evangelizzazione del mondo lavorativo, non una sola volta denunciato dalla Suprema Autorità della Chiesa, è che venga a mancare la virtù soprannaturale discendente dall'Alto; virtù necessaria alla salvezza delle anime; pericolo sempre in-

combente perchè la molteplicità e la foga dell'azione facilmente fanno dimenticare l'orazione, che è il mezzo ordinario per ottenere quella virtù.

Il Divino Redentore ha detto: « Senza di me non potete far nulla » (*Giov.* XV, 5); da qui la necessità che qualunque apostolato da parte del Sacerdote si svolga con duplice programma inscindibile: « Preghiera e orazione ». Il mondo del lavoro può essere salvato solamente dai Preti, che entreranno nelle fabbriche come veri Preti, cioè come continuatori di quei primi Apostoli dei quali è scritto: « Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus » (*Att. Ap.* VI, 4).

Il problema dell'evangelizzazione delle masse operaie nel luogo delle loro quotidiane fatiche, mediante la presenza del Sacerdote, apportatore di un messaggio di verità e di carità, non tanto a parole, ma specialmente con la testimonianza viva della vita, è di indilazionabile urgenza; forse domani potrebbe essere tardi.

Troppe insidie sono oggi tese ai nostri lavoratori e troppi velenosi errori si cerca di iniettare nelle loro menti. La presenza del Sacerdote in fabbrica è un invito al lavoratore a riflettere sul problema religioso, che pure lo riguarda intimamente, ed è anche una dimostrazione che tra religione e lavoro non vi è antitesi.

Ma perchè la presenza del Sacerdote negli ambienti di lavoro sia efficace a raggiungere il suo scopo, ricupero a Cristo e perciò alla comunità parrocchiale delle masse operaie, deve essere presenza sacerdotale; e cioè il sacerdote in fabbrica è solo sacerdote, ricco di una intensa vita spirituale e di un grande amore, atto a riportare i lavoratori a Cristo, Via, Verità e Vita.

2. Dove al Sacerdote *è permesso entrare nelle fabbriche* — sistematicamente o saltuariamente — egli potrà svolgere direttamente il suo ministero, preparato da una rete di contatti e di rapporti umani, all'interno delle fabbriche. Dove questo non è possibile, converrà installare un centro di lavoro, di ministero, di riunioni, ecc. nelle adiacenze della fabbrica con la massima facilità per tutti di accostare ivi il Sacerdote.

L'azione del Sacerdote deve svolgersi sul piano morale e spirituale, al di fuori di ogni rapporto di ordine politico e perfino sindacale; questo per non dar luogo a fraintendimenti sulla sua persona, per poter parlare e agire con tutti esclusivamente in nome del Vangelo e della Carità di Cristo, per mantenersi libero dinanzi a chiunque nell'adempimento dei suoi compiti sacerdotali e pastorali.

3. Il Sacerdote si servirà di *ausiliari laici,* per il suo lavoro di fabbrica.

A questo proposito, se è da auspicarsi che sorgano Istituti Secolari

che si dedichino a quest'opera; e se pure è desiderabile l'impiego di laici cattolici, formati e appartenenti alle nostre Associazioni, tuttavia sembra molto più utile, efficace e gradita la *forma del Servizio Sociale,* svolto da Assistenti opportunamente preparati sotto l'aspetto professionale e spirituale da scuole nostre.

È soprattutto su questi ausiliari del Sacerdote addetto all'apostolato fra gli operai che bisognerebbe contare. La loro qualifica non desta sospetti e diffidenze fra gli operai. D'altra parte la loro opera squisitamente umanitaria e sociale pone le migliori premesse di fiducia, di cordialità, di conoscenza, per lo svolgimento di un vero apostolato da parte sia degli assistenti stessi sia del Sacerdote.

Perciò ci permettiamo di far presente la opportunità di una segnalazione e di un richiamo autorevole su questa forma di apostolato fra gli operai, che potrebbe rispondere benissimo alle esigenze che sottostanno al problema agitato nel caso dei « Preti operai », senza incorrere nei pericoli di questi; come pure ci sembra che si dovrebbe da parte di tutti gli organi competenti dare la massima importanza a questo genere di lavoro e alle Scuole che preparano gli elementi adatti a svolgerlo, viste le magnifiche possibilità che si dischiudono per la Chiesa in questo campo e che finora non sono state completamente sfruttate.

A tale scopo è però necessario che si conservi la unità di orientamento e di impostazione del lavoro, senza intralciare o dividere l'organizzazione che è già in atto e che ha dato buoni frutti mediante il concorso di tanti Sacerdoti e Assistenti Sociali.

4. Il Sacerdote Cappellano del Lavoro, deve avere una propria « *formula* » *di apostolato* particolarmente valida ed attuale, rispondente alle esigenze degli ambienti in cui opera.

Essa, nei tradizionali ed inconfondibili insegnamenti della Chiesa Cattolica si svolgerà su due precise direttive che a vicenda si completano per la formazione del cristiano integrale: *la formazione personale, la formazione alla comunità.*

La prima, che è più facilmente compresa e generalmente perseguita, si attuerà di preferenza con le seguenti iniziative pastorali:

a) Apostolato della Preghiera come mezzo sempre efficace per riaffermare, tra l'altro, il primato dello spirito sopra la materia;

b) le Conferenze Aziendali S. Vincenzo, quale attuazione concreta delle opere di misericordia corporali e spirituali;

c) la Catechesi agli operai, fatta con metodo conforme alle necessità e attitudini dell'ambiente quale strumento insostituibile per riportare i lavoratori alla Fede, ai Sacramenti e cioè alla vita della Grazia.

d) i Ritiri Spirituali minimi o in forma di esercizi, per orientare la vita nel soprannaturale e per facilitare la pratica della preghiera e della vita sacramentale.

L'altra, la formazione alla comunità, esige di essere maggiormente approfondita dal punto di vista dogmatico ed essere resa maggiormente operativa dal punto di vista pratico.

Una delle ragioni per cui le masse lavoratrici si orientamento verso il marxismo è, senza dubbio, perchè esso dà loro la illusione di accoglierne le aspirazioni, economiche e sociali, ma soprattutto perchè fa loro sentire il senso della solidarietà e dell'unione.

La parola d'ordine del marxismo è stata ed è: « Proletari di tutto il mondo, unitevi! ».

Il Cristianesimo può e deve opporre a questa demagogica unione che, comunque, è solo di categoria, e che, insieme, promuove la lotta contro ogni classe che non sia la proletaria, la vera e armoniosa unione fra tutti che è quella insegnata nel Dogma fondamentale del « Corpo Mistico ».

Si riportano qui alcuni testi più espressivi della Rivelazione: « Poichè in un solo spirito siamo stati battezzati tutti noi, per essere un solo corpo: o Giudei, o gentili, o servi, o liberi » (*I Cor.* XII, 13).

« Molti siamo un solo Corpo di Cristo » (*Rom.* XII, 5). « Cristo è il Capo del Corpo della Chiesa » (*Col. I*, 18).

Il Santo Padre Pio XII nella Sua Enciclica *Del Corpo Mistico di Gesù Cristo e della nostra unione in Esso con Cristo* così commenta questi testi sacri: « Questa nostra compagine in Cristo e con Cristo nasce innanzi tutto dal fatto che la società cristiana per volontà del suo Fondatore è un corpo solo perfetto, per cui in esso l'unione è costituita nel concorso di tutte le membra allo stesso fine ».

E ricordando poi che a garantire questa mirabile unità oltre le tre virtù teologali, è necessario anche l'amore del prossimo, aggiunge: « Come possiamo asserire di amare il Divin Redentore, se odiamo coloro che Egli redense con il Suo sangue prezioso per farli membra del Suo Corpo Mistico? Anzi bisogna affermare che noi saremo sempre più uniti con Dio e con Cristo, a misura che saremo membra l'uno dell'altro e vicendevolmente premurosi » (cf. *I Cor.* XII, 25).

La quasi assoluta mancanza di conoscenza di questa verità, che è fondamentale nel cristianesimo, (cf. citata Enciclica di Pio XII) da parte del mondo del lavoro, fa ritenere che la dottrina cristiana sia assolutamente estranea a questa solidarietà di classi e, peggio ancora, ch'essa sia « alleata al capitalismo contro i lavoratori » (cf. Discorso Pio XII, 1° maggio 1959).

Occorre pertanto, insegnarla, diffonderla, renderla accessibile, farne comprendere l'importanza nell'ordine speculativo, ma anche, e soprattutto, in quello pratico. Forma concreta di questo aspetto pratico è la interpretazione cristiana che, secondo l'ammaestramento del Santo Padre Pio XII di f. m., si vuole e si deve fare del movimento delle Relazioni Umane. Così tra l'alto Egli si esprimeva nel Suo Discorso tenuto per la solennità dell'Ascensione di Nostro Signore nel 1953: « Nella *Rerum Novarum* non soltanto la ricostruzione dell'ordine sociale nel mondo è intimamente congiunta col fine trascendente dell'uomo, ma anche la riforma delle reciproche relazioni fra le persone dedite all'attività economica, la cura dei rapporti umani quotidiani e concreti fra datori di lavoro ed operai, fra capi e dipendenti nelle imprese.

Quando la vera dignità umana e il destino trascendente di tutti gli uomini sono realmente vissuti giorno per giorno, anche l'impresa diviene stretta comunanza nel lavoro. Allora gli uni tratteranno gli altri con riguardo nelle parole e negli atti, facilitando loro il lavoro; studieranno di accordare loro quelle funzioni che meglio corrispondono alle capacità e al senso di responsabilità di ciascuno. Si vede così che già prima dei nostri tempi la Chiesa ha segnalato la *grande importanza della cura delle umane relazioni nell'impresa.*

Oggi invece si ha cura di promuovere le relazioni umane nella produzione spesso non per motivi molto nobili o con metodi più teorici che pratici. Ma ancora una volta si sarebbe evitato l'errore se con la saggezza della Chiesa si fosse preso il lavoratore per quello che è realmente; fratello di Cristo e erede del cielo.

È quindi penoso il vedere come oggi alcuni cattolici rifuggono dall'introdurre nell'impresa le mirabili ricchezze dell'umanesimo cristiano e le sostituiscono con una forma sbiadita di umanesimo distaccato dalla fede cristiana ».

Nel mondo del lavoro vanno quindi diffuse tenacemente, sistematicamente, concretamente la dottrina e la pratica delle relazioni umane, cristianamente interpretate, nella forma conveniente che esse siano più che atte a soddisfare all'esigenza di unità sentita dai membri delle singole classi e delle classi stesse tra loro.

Si debbono veramente introdurre queste mirabili ricchezze dell'umanesimo cristiano contro la blasfema e materialista convinzione marxista dell'unità del solo proletariato in lotta sistematica contro le altre classi.

Se i Cappellani del Lavoro sapranno approfondire queste giuste dottrine cristiane delle relazioni umane insegnate attraverso il magistero vivente della Chiesa Cattolica, e se ne faranno tenaci e convincenti assertori nei confronti dei tre soggetti del mondo del lavoro, imprenditori, diri-

genti, maestranze, essi riusciranno a corrispondere pienamente all'istanza sociale che permea tutto il mondo del lavoro, senza correre il rischio di cadere in deviazioni di strane forme di pastorale (preti operai) o di demagogie sociali o politiche non meno pericolose.

I Cappellani del Lavoro, nella giusta interpretazione delle relazioni umane rivendicanti la dignità della persona umana secondo i principi dell'etica naturale e cristiana, riusciranno a rendere concreti e precisi questi principi stessi stabilendo e conservando la pace sociale in una più concorde e stretta collaborazione nell'azienda, concepita come comunità di lavoro e sorgente di prosperità economica.

IV

Forme nuove di Pastorale

1. Il criterio fondamentale che deve animare queste nuove forme, è quello che spinge la Chiesa *ad andare sempre più incontro alle anime,* in questi tempi quando è purtroppo lontano lo spontaneo afflusso dei fedeli verso il tempio e verso le proprie Parrocchie.

Dovrà sempre conservare l'istituzione fondamentale della Parrocchia che dovrebbe costituire uno dei tre punti basilari della vita degli uomini: famiglia, lavoro (azienda o ufficio o servizio, ecc.), parrocchia.

2. Prima, di queste nuove forme, si vuole suggerire quella dei « *Centri Missionari Fissi* ». Già la Sacra Congregazione dei Religiosi sin dal 1954 ha approvato la iniziativa di costituire Centri Missionari nelle zone maggiormente depresse sotto l'aspetto spirituale ed economico. Ha dato alcuni punti onde disciplinare il funzionamento.

L'intento fondamentale di questi Centri, che sono generalmente costituiti da Religiosi in numero non minore a tre, è quello di ricuperare alla vita cristiana e parrocchiale le categorie dei fedeli maggiormente lontane dalla fede, assicurando nello stesso tempo l'intensificazione della vita cristiana dei buoni.

Per ulteriori dettagli di questi Centri Missionari si rimanda alle « Norme pratiche per i Centri Miossionari », concordate tra la Sacra Congregazione dei Religiosi e la Pontificia Opera di Assistenza per l'Italia.

Qui si vuole aggiungere che sarebbe molto opportuno che i Religiosi addetti a questi Centri Missionari non dovessero essere impegnati nel faticoso lavoro pastorale più di 20 giorni al mese.

Gli altri 10 giorni consecutivi potrebbero essere trascorsi in una casa ad essi riservata, e sufficientemente attrezzata dal punto di vista materiale e con una biblioteca adeguatamente fornita di testi di Sacra Scrit-

tura, di dogmatica, di morale, di teologia, di pastorale, di ascetica e di sociologia; oltre riviste scientifiche e di volgarizzazione.

In questa casa i Padri Missionari potrebbero provvedere al riposo fisico e al rinvigorimento spirituale e culturale; potrebbero farvi una vera e propria giornata di ritiro spirituale e organizzarvi riunioni di carattere teorico e pratico per rendersi esattamente conto dell'ambiente concreto in cui lavorano e per studiare le forme più efficaci alla loro penetrazione soprattutto per l'accostamento nelle singole borgate, e, se del caso, anche dei singoli agglomerati di abitanti.

Tra le questioni circa le quali dovranno costantemente tenersi aggiornati sarà, indubbiamente, quella riguardante la Catechesi.

3. Accanto ai Centri Missionari Fissi si vuole suggerire l'altra forma delle « *Missioni Mobili* ».

Non si può infatti pensare di istituire tanti Centri Missionari fissi quante siano le zone bisognose di assistenza spirituale e soprattutto di catechesi.

Allora bisognerà integrare l'opera stessa dei Centri Fissi mediante le Missioni Mobili.

Esse non vanno confuse con le usuali « missioni al popolo » che vengono organizzate periodicamente dalle varie parrocchie.

Devono invece essere pensate, concretate come qualche cosa che « si muove » e che va verso le zone periferiche più abbandonate e dalle quali maggiormente dista la Chiesa.

Queste Missioni Mobili richiedono innanzi tutto un ottimo missionario, che dovrà e potrà essere istruito secondo le esigenze di questa tipica forma di pastorale.

Questo personale potrà essere ceduto dagli Ordini Religiosi o dalle Diocesi che ne siano maggiormente fornite.

Le Missioni Mobili dovranno pur disporre di automezzi che costituiscano delle vere « Cappelle Mobili ». Dovranno comprendere l'altare decorosamente allestito e che possa aprirsi in modo patente al pubblico che circonderà l'automezzo e dovrà essere inoltre attrezzato di macchina di proiezione cinematografica, di gruppo sonoro (microfono e amplificatore), di dischi, di gruppo elettrogeno e quanto occorre per l'attuazione di ogni funzione religiosa.

La Missione Mobile per sua natura deve essere un lavoro di « accettazione cristiana » per un ammonimento straordinario alla vita cristiana e che serva alle Parrocchie, e ai Centri Missionari Mobili, che dovranno invece assolvere un lavoro di approfondimento e di continuità.

La validità di queste forme di pastorale è confermata da due elementi: l'uno, la necessità urgente e improrogabile di avvicinare zone abbando-

nate per catechizzarle, per abituarle alla pratica cristiana; l'altro, la voce autorevole di molti Eccellentissimi Vescovi che hanno sperimentata questa forma di pastorale e che insistentemente la richiedono.

È indubbio che queste Missioni Mobili danno una notevolissima ricchezza spirituale anche ai Sacerdoti e religiosi che, provenienti da ogni Diocesi, si offrono per la realizzazione di questo apostolato.

4. La terza forma di pastorale adeguata ai nostri tempi è quella dei « *Centri Sociali Comunitari* ».

I Centri sono un'organizzazione che fa capo al Parroco e che attraverso lo studio e la possibile risoluzione dei più vari problemi interessanti lo stato delle popolazioni tende ad ottenere per loro un migliore e maggiore livello di vita: civile, culturale, spirituale.

I Centri Sociali si fondano sulla maturata coscienza sociale e sulla tendenza alla elevazione morale sociale richiesta dai nostri tempi.

La Chiesa non vuole e non può essere assente in questo movimento e vuole stringere a sè tutti coloro che ad essa anelano con il fine primo di evangelizzazione dell'ambiente.

I Centri Sociali Comunitari devono essere e debbono intendersi come un mezzo d'incontro tra la popolazione e la Chiesa; e in questo senso devono considerarsi come « l'atrio della Parrocchia ».

I compiti essenziali di molti Centri Sociali Comunitari devono comprendersi in questi cinque settori: istruzione, assistenza generica, assistenza sanitaria, ricreazione.

In questa complessa attività i Centri Sociali tendono anche a risolvere nel migliore dei modi l'assillante problema del tempo libero.

Il quadro organizzativo di ogni Centro Sociale Comunitario è fondamentalmente il seguente: Presidente del Centro, il Parroco; Direttore del Centro, un laico adeguatamente preparato; Assistente Sociale e Consigli tecnici per ognuno dei 5 settori.

V

Argomenti vari

Ci si permetta di accennare ad alcuni argomenti che sembrano maggiormente urgenti per essere affrontati e trattati dal Concilio Ecumenico:

1. Sembra conveniente di stabilire che l'inamovibilità dei Vescovi e dei Parroci sia *limitata o ad un determinato e preciso anno di età,* o ad uno stato di salute sufficiente alle esigenze della pratica pastorale.

Questa disposizione importerà conseguentemente il problema del-

la migliore e più adeguata sistemazione di chi raggiunge tale limite di età o è preso da insufficienza fisica.

2. Là dove esistono i *benefici patrimoniali soprattutto delle Parrocchie* si riterrebbe conveniente la costituzione di un Centro economico-tecnico che attraverso organizzazioni periferiche e amministrative alleggerisca i pastori di anime dalle assillanti cure e preoccupazioni richieste dall'amministrazione dei benefici ed insieme realizzi *un'equa* distribuzione per tutti i Parroci onde superare il grave inconveniente di benefici parrocchiali sovra-ricchi e di altri super-poveri.

3. Si ritiene non solo conveniente ma necessario *insistere sulla disciplina del clero* soprattutto per ciò che riguarda l'ubbidienza non solo ai propri Eccellentissimi Ordinari, ma anche alle direttive della Santa Sede; la povertà come distacco dai beni materiali non solo intenzionale ma anche pratica e ciò onde rendere più efficace l'apostolato sacerdotale soprattutto nei confronti delle categorie più abbandonate; la castità per cautelarla sempre maggiormente tenendo conto delle aumentate insidie e pericoli dei nostri tempi. In questa materia si riterrebbe conveniente che fossero poste allo studio forme di sanatoria almeno per i casi limiti di formazione di famiglia con figli da parte di sacerdoti che abbiano deviato dai loro sacri impegni.

4. Si ritiene necessario che sia riaffermato il fondamentale principio della *libertà dell'insegnamento,* rendendo alla Chiesa il diritto e il dovere di avere le proprie scuole e di ottenere per esse quel contributo che lo Stato passa alle scuole da esso gestite.

5. Pur necessario pare che sia riaffermata la *libertà nell'assistenza* nel senso che il moderno stato sociale deve sì provvedere con adeguata legislazione al sempre ulteriore sviluppo dell'assistenza ai propri cittadini ma non deve affatto monopolizzarne l'esercizio o la gestione.

La Chiesa deve rivendicare a sè il dovere più ancora che il diritto di esercitare in tutte le forme l'assistenza come concreta espressione delle opere di misericordia corporali e spirituali.

6. Va decisamente riaffermato il *valore fondamentale della famiglia* impostata secondo la dottrina pratica cristiana particolarmente rivendicando l'indissolubilità del matrimonio, la sostanziale differenza tra prole legittima e illegittima, il diritto inalienabile dei genitori all'educazione dei propri figli.

Si pensa che in questo campo debba di nuovo essere affrontato il delicato e complesso problema della limitazione volontaria della prole.

7. Si pone qui a conclusione di queste brevi note l'umile desiderio che venga decisamente riaffermato il *fondamentale criterio di vita cri-*

stiana contenuto nell'insegnamento della Rivelazione: « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus ».

Questa affermazione è richiesta soprattutto ai nostri tempi di fronte alla decisa affermazione materialista di tutta la dottrina marxista.

✠ Ferdinando Baldelli
Vescovo tit. di Aperle

260

Exc.mi P. D. IOSEPHI PERNICIARO

Episcopi tit. Arbanensis, Auxil. Planensis Graecorum

Prot. n. 148/P 21 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Mentionem faciens veneratae epistulae istius Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico diei 18 iunii 1959, Prot. n. 1 C/59-2152, consilio huius Capituli Cathedralis accepto, puto in proximo Concilio Oecumenico sequentia agi posse:

1. Doctrinam Ecclesiae confirmare praesertim contra hodiernos materialisticos errores.

2. Actionis Catholicae socios ad maiorem cum Clero collaborationem vocare, conferendo quoque Ordines minores, more antiquae disciplinae, loco eos reservandi tantummodo ad sacerdotium ascensuris.

3. Ad maiorem liturgicam participationem fideles hortari, etiam linguam vulgarem adhibendo, quoad partes elata voce dictas.

4. Quod pertinet ad christianorum problema unionisticum:

a) in primis fidem in Ecclesiae unitatem, Clero (praesertim Seminariorum alumnis) atque laicis inculcare, rituum differentiis non obstantibus;

b) relationes, non officiales, cum praestantioribus ecclesiasticis ac laicis viris separatarum Ecclesiarum conducere, auxilio quorumdam sodalium, v. g., Societatis Catholicae Italicae pro Oriente Christiano (A. C. I. O. C.: Associazione Cattolica Italiana per l'Oriente Cristiano) aut aliarum similium Societatum. Haec relationes, initio, sub titulo personali, habendae essent atque, solummodo post exitum, fierent officiales.

Cum haec Dioecesis ad hunc finem unionisticum ab immortali Pio XI, v. m., creata sit, Clerus et laici eiusdem felices se existimabunt pro-

pria officia Sanctae Sedi praestandi ad eundem nobilissimum finem consequendum.

Interim, optans prosperum exitum laborum istius Commissionis, ex corde me profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus in Christo

✠ IOSEPHUS PERNICIARO
Episcopus tit. Arbanensis

261

EXC.MI P. D. ORESTIS RAUZI
Episcopi tit. Argensis, Auxiliaris Tridentini

Tridenti, die 27 augusti 1959

Humillimus infrascriptus haec indicanda putat pro futuro Concilio:

1. Ad levandas quaestiones inter Parochos et alios sacerdotes in Paroecia, et ad unitatem instaurandam, opportunum putat, totam curam animarum externam in paroecia Parocho submittere. Augeatur potestas Parochi, ita ut omnes collaboratores cum ipso concordare debeant omne quod ad curam animarum pertinet: functiones, praedicationes, actionem catholicam et socialem et caritativam, primam Communionem.

2. Statuatur vinculum maius quam usque nunc, ut fideles instructionem religiosam frequentent; ignorantia enim religiosa modo periculoso augetur.

Et Deus ...

✠ ORESTES RAUZI
Episcopus tit. Argensis
Auxiliaris Tridentinus

262

EXC.MI P. D. CAIETANI MALCHIODI

Episcopi tit. Canensis

Loreto, 10 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Mi onoro di trasmettere all'Eminenza Vostra Reverendissima alcune proposte relative al prossimo Concilio Ecumenico, secondo il desiderio dell'Em.za. V. Rev.ma, e il cortese invito della Commissione antipreparatoria.

Chinato al bacio della S. Porpora, con venerazione e ossequio, mi professo

dell'Eminenza Vostra Rev.ma
dev.mo servo

✠ GAETANO MALCHIODI
Vescovo tit. di Cana
Vicario dell'Amministrazione Pontificia

Prot. N. 1199

Proponitur ut Concilium Oecumenicum damnet doctrinam et principia relativismi moralis et sic dictae « moralis situationis ».

Damnet principia absolutae independentiae ex parte auctoritatis politicae a principiis moralibus, ita ut sit ipsa auctoritas fons moralitatis.

1. *Circa divinum cultum et sacram liturgiam*: det principia clara et perspicua de divino cultu, de cultu publico et privato deque utriusque armonico complemento; magis insistat in adimplendo praecepto Missae festivae; det vero principia ut circa abstinentiam a labore revertamur ad conceptum ut haec abstinentia sit non in se, sed in quantum favet divino cultu: ex hoc eruatur consectarium de non amplius facienda distinctione (et non tantum verbis sed potius re) inter labores serviles et liberales.

Ut facilius reddatur adimpletio praecepti audiendi Sacri, detur libertas circa horam Missae; idem dicatur de hora pro recipienda S. Comunione etiam extra Missam.

Praeceptum Communionis annuae, non sit amplius affixum tempori paschali, sed, ut praeceptum Confessionis, sufficiat ut adimpleatur quotannis. Simplificatio Divini Officii et Liturgiae Missae, ita ut, praesertim

haec, sit vere, actio totius plebis fidelis; ex hoc usus, saltem pro partibus in quibus interveniunt, linguae vulgaris.

Proponitur denique promulgatio Codicis Liturgici.

2. *Pro SS. Eucharistia*: maior simplificatio legum circa ieiunium eucharisticum.

3. *Pro Paenitentia*: extensio iurisditionis sacerdotum in peregrinos in quos, in sua Dioecesi, habeant iurisdictionem delegatam, reducendo ad illiceitatem, non ad invaliditatem, auditio extra Dioecesim, sine licentia Rectoris Ecclesiae. Aboleantur permultae poenae ecclesiasticae quae nullum valorem nisi historicum habent.

4. *Pro Ordine Sacro*: Non apparet necessitas nec utilitas conferendi Ordines sive Sacros, sive Minores, iis qui ad Sacerdotium non tendunt; ut autem Sacerdotibus auxilium praestetur in quibusdam sacris, nunc ex iure ecclesiastico sacerdotibus, vel diacono reservatis (distributio communionis, baptismum sollemne, ministerio ad altare fungi uti diaconus et subdiaconus et alia huiusmodi) poterit concedi quibusdam laicis (sive religiosis, sive saecularibus) qui, vide, gratia, votum publicum obedientiae et castitatis emiserint (etiam temporaria), ut haec ministeria, veste speciali (ecclesiastica et liturgica) induti, exerceant ...

5. *Pro Matrimonio*: suppressio impedimentorum gradus minoris, excepto, forsan impedimento criminis etiam neutro patrante. Circa adsistentiam ut haec sit invalida, etiamsi a Parocho loci fiat, quando neuter, vel alteruter de propria paroecia non sit, et muniti non sint de « Nihil Obstat » a competenti Curia Episcopali.

6. *Pro Prima Communione et Confirmatione*: detur maior auctoritas parocho pro admissione et fiat vera determinatio annorum (vide gratia, sex annos expletos, vel septem).

7. *De abstinentia et ieiunio*: stabilia reddere actualia indulta Episcopis concessa, ita ut deveniant leges universales; forsan reducenda esset lex abstinentiae non ad omnes sextas ferias.

8. *De inviolabilitate humanae personae*: Condemnatio omnium errorum circa liceitatem abortus, aliarumve actionum occisivarum; errorum de sterilisatione; de narcoanalisi; damnatio artium « sport » nimium periculum afferentium, sine ratione sufficienti.

✠ CAIETANUS MALCHIODI
Episcopus Canensis
Vicarius Administrationis Pontificiae
Almae Domus Lauretanae

263

Exc.mi P. D. SECUNDI CHIOCCA

Episcopi tit. Caesariensis in Bithynia, Auxiliaris Ianuensis

Genuae, die 29 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Debitum officii est, et mihi quidem pergratum, tibi patefacere ea quae in futuro Concilio Oecumenico, iuxta meum consilium, tractanda erunt.

Iuxta ordinem sunt quae sequuntur:

1. Nova sollemnis damnatio materialismi athei et Communismi, eo consilio ut fideles absterreantur a doctrina tam perniciosa quae nunc in toto mundo diffunditur.

Item damnatio, vel quid simile, cooperationis cuiusque generis cum Communismo.

2. Expositio systematica et doctrinalis saltem principiorum fundamentalium doctrinae socialis catholicae quae Communismo opponi possit.

3. Definitio clara et accurata doctrinae quae dicitur de « Sacerdotio laicorum »; item explanatio eorum quae laicis competunt in apostolatu, cum plena submissione Ecclesiasticae Hierarchiae.

Si necesse sit, damnatio omnium errorum contra orthodoxam eiusmodi Ecclesiae doctrinam.

4. Opportuna videtur quoque definitio doctrinae de divina Institutione et de divina auctoritate Episcoporum. Pariterque monitio Sacerdotibus, Religiosis et laicis facienda de disciplina, oboedientia et obsequio quae Episcopis debentur, tamquam iis quos « Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei ».

5. Maior potestas Episcopis tribuenda in propriis Seminariorum Regionalium alumnis.

Affirmetur ius Episcoporum ad proprium Seminarium Dioecesanum etiam maiorem erigendum, si mediis aptis non careant.

Item Episcopis plenissimum ius fateatur conferendi ordines, etiam minores, propriis alumnis dioecesanis qui in Seminariis Regionalibus degunt.

6. Revisio et limitatio privilegii exemptionis Ordinum et Congregationum Religiosorum.

Obligatio, quoad Religiosos, praestandi operam et auxilium Episcopis et organismis dioecesanis ad bonum animarum prosequendum, sub Episcoporum auctoritate.

Augeatur potestas Episcoporum in Religiosos, maxime circa ea quae pertinent ad pastorale ministerium.

7. Revisio omnium privilegiorum et limitatio vel abrogatio eorum quae, tractu temporis, inventa sunt damnosa ecclesiasticae disciplinae, bono animarum, necnon dignitati et auctoritati Episcoporum.

8. Definitivum et clarum ordinamentum rerum reformatarum et innovatarum in liturgia, ita *ut uniformitas in universa Ecclesia inducatur.*

9. Reformatio coeremoniarum Libri Pontificalis quae nimis prolixae, sunt, ut « Consecratio Abbatis » (ut evidens inducatur discrimen inter hanc et Consecrationem Episcoporum, quae plenitudinem Sacerdotii confert).

Haec iuxta meum consilium, sunt quaedam argumenta potiora quae in proximo Concilio tractanda erunt.

Interim erga Eminentiam Tuam maximum obsequium profiteor et Sacram Purpuram reverenter osculo.

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimus in Domino
✠ Secundus Chiocca
Episcopus tit. Caesariensis in Bithynia
Auxiliaris Genuensis

264

Exc.mi P. D. CARMELI CANZONIERI

Episcopi tit. Caesariensis in Mauritania, Auxiliaris Messanensis

Eius scripta concordant perfecte cum relationibus Archiepiscopi Messanensis.[1]

[1] Cf. Messanen., pag. 372.

265

EXC.MI P. D. THOMAE BERUTTI

Episcopi tit. Cusiensis

Nuoro, 15 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Accepi tuas litteras (Prot. N. I C/59-2383), quae mihi pergratae fuerunt.

Quibusdam Theologiae ac Iuris peritis, praesertim in re missionaria, consultis; haec utiliter tractanda in Concilio Oecumenico propono:

DE PERSONIS

I. *De clericis*

a) Confirmata lege coelibatus in Ecclesia ritus latini, can. 132 ita mutarem: « Clerici *ritus latini* in maioribus ordinibus constituti, a nuptiis arcentur et servandae castitatis obligatione, etiam *per votum personaliter factum,* ita tenentur, ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint ».

b) Vicariis foraneis maior detur auctoritas super parochos sui districtus, quo melior suis officiis satisfacere possint.

In can. 448 adderem:

« § 3: Curet Vicarius foraneus ut parochi sui districti frequenter communem habeant collationem de rebus suarum paroeciarum, quas quodammodo in solidum administrandas habent, ita ut unusquisque ab aliis adiuvetur sive in praedicatione verbi Dei, sive in Sacramentis administrandis aliisque necessitatibus cultus et apostolatus, in rebus spiritualibus et temporalibus, et vinculo amicitiae ad invicem ligentur ».

II. *De religiosis*

a) Caveatur ne professio perfectionis christianae in Institutis saecularibus nimium extollatur, cum detrimentum vocationum ad statum religiosum, qui perfectior est.

b) De confessione religiosarum.

A can. 522 expungantur verba « in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semipublico peracta ».

Can. 876 ita immutarem: « Retenta disciplina de confessariis ordi-

nariis et extraordinariis, statuta in cann. 520-523, pro religiosis feminis, earum confessiones valide recipit quilibet sacerdos pro mulieribus approbatus ».

De rebus

I. *De Sacramentis*

a) De Ss.ma Eucharistia.

Can. 821, § 1. « Missae sacrificium qualibet hora litari potest, de venia proprii Ordinarii ».

Can. 806, § 2. Facultas binandi semper concedi potest a proprio Ordinario, qualibet rationabili causa; ubi deest copia sacerdotum; etiam facultas trinandi.

Can. 822, adderem: « § 5. Ordinarii valent sacerdotibus suis subditis coecutientibus concedere ut Missam celebrent B. Mariae Virginis vel de defunctis; et aliis sacerdotibus infirmis, adhibitis cautelis, ut Missam celebrent sedentes ».

Can. 859, § 1, ita mutarem: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, id est ad rationis usum pervenerit, debet semel in anno, Eucharistiae sacramentum recipere, *laudabiliter* tempore paschali ».

Can. 867, § 1. « Omnibus diebus et qualibet diei et noctis hora, praeter V, VI feriam et Sabbato Hebdomadae Sanctae, licet Ss.mam Eucharistiam distribuere ».

b) De Poenitentia.

Can. 872, adderem: « Sacerdos qui potestatem iurisdictionis, sive ordinariam sive delegatam, in aliqua dioecesi legitime habent, ea gaudet etiam in aliis dioecesibus eiusdem provinciae ecclesiasticae ».

Can. 873: « Sacerdotes omnes maritimum, terrestre, aëreumque iter quocumque medio arripientes, quorumlibet fidelium secum itinerantium confessiones valide et licite excipiunt, dummodo approbati sint in aliqua dioecesi ».

Simplicior fiat legislatio de casibus reservatis.

De indulgentiis: Servatis indulgentiis plenariis, partiales alia locutione exprimantur, cum usualia vocabula (300, 1000 dierum etc.) parum intellegibilia sint et dent ansam quaestionibus sine sensu.

c) De Matrimonio.

Can. 1046, B « Ordinarii locorum ab impedimentis gradus minoris dispensare valent, nisi concurrant cum impedimentis gradus maioris ».

II. *De diebus festis*

In can. 1247, § 1, cum iam pluribus in nationibus reductus sit numerus dierum festorum sub praecepto, minuatur aliquantum etiam pro Ecclesia universa.

In can. 1248. Cum terminus « opus servile » factus sit ambiguus et quodammodo anachronisticus, aboleatur, et nova formula urgeatur lex de sanctificatione diei festi. E. gr. sic proponitur can. 1248: « Festis de praecepto diebus Missa audienda est; et abstinendum est a quolibet labore, qui occupans vires mentis vel corporis, nec recreationis rationem habeat nec immediate ordinetur ad quotidianas necessitates vitae ».

Can. 1249: « Legi de audiendo sacro satisfacit qui Missae adest quocumque ritu catholico celebretur, sub dio aut quolibet loco, etiam in oratoriis privatis ».

III. *De abstinentia et ieiunio*

Facilius concedatur omnibus confessariis facultas dispensandi, pro casibus particularibus, a lege abstinentiae et ieiunii.

In can. 1254 § 3 adderem « A lege abstinentiae et ieiunii dispensantur itinerantes ».

IV. *De magisterio ecclesiastico*

De censura et prohibitione librorum curetur legislatio simplicior et magis temporibus accommodata.

In can. 1402, amplior facultas fiat Ordinariis, tum locorum cum religiosorum, ut suis subditis licentiam valeant concedere libros proscriptos retinendi ac legendi; quam facultatem possint etiam aliis sacerdotibus delegare.

Prosequatur renovatio liturgica, ad simpliciorem formam redactis rubricis et, ubi expediat, caeremoniis. Tollantur omnino preces in Officio, lectiones praeter epistolam in Missa, et II schema ad Laudes.

Concedatur usus linguae vernaculae in pluribus orationibus libri ritualis, secundum versionem approbatam ab Ordinariis locorum.

Postulatur ut tollantur omnes restrictiones sive generales sive particulares quae impediunt missionariis eorumque adiutoribus conciones, conferentias et similia, nec non collectionem eleemosynarum pro propriis missionibus. Nil timendum pro operibus generalibus Propagationis Fidei, quia minuentur eorum onera in favorem singularum missionum; nec aliquid aliud timendum, quia tandem aliquando cum Missiones in Dioeceses veri nominis mutabuntur, omnia eorum bona cedent in novam personam iuridicam.

Multa bona proventura videntur si clerus saecularis frequentiores formas vitae communis induat, et si, more Americae Septentrionalis, ad quandam aequalitatem oeconomicam in omnibus paroeciis et officiis reducatur.

Instituantur inter clericos associationes mutuae interdioecesanae, regionales vel nationales, ad providendum invalidis et senibus.

Eminentiae Vestrae humillimos animi sensus ex corde profiteor

Eminentiae Vestrae Rev.mae
add.mus
✠ Thomas Berutti, S. I.
Episcopus tit. Cusiensis

266

Exc.mi P. D. SALVATORIS BALLO GUERCIO

Episcopi tit. Diocleani

Romae, die 8 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est Eminentiae Tuae Rev.mae sententias, consilia et vota exprimere in Litteris die 18 m. iunii 1959 Prot. N. 1 C/59-2662 requisita circa auspicatissimum Concilium Oecumenicum a Summo Pontifice Ioanne XXIII fel. regn. indictum.

Quamvis ab ineunte S. Pii X fel. memoriae Pontificatu usque ad Pontificatus initium Ioannis XXIII fel. regnantis, ditata sit S. Mater Ecclesia multis Litteris Encyclicis et Motu Proprio et Litteris Apostolicis sed et multis aliis documentis e Sancta Sede provehentibus de re dogmatica et liturgica sed et de disciplina ecclesiastica tractantibus, tamen cordi nunc est Concilium Oecumenicum sua propria ac sollemni auctoritate haec omnia ita muniri ut praedictae ordinationes et praescriptiones a clericis atque a fidelibus enixe observentur.

Et imprimis quoad:

I. *Doctrinam*

1. In votum est ut in Concilio Oecumenico tractetur de mediis quibus melius Ecclesiae dissidentes iterum cum S. R. Ecclesia unum ovile constituere possint.

2. Desiderari videtur plenior explicatio illius relationis, in Litteris

Encyclicis *Mystici Corporis* Pii XII s. memoriae adumbratae, inter membra sensu pleno Ecclesiae et alios baptizatos.

3. Desiderari videtur plenior explicatio doctrinae B. V. M. omnium Gratiarum Mediatricis.

4. Sollemnis condemnatio sic dicti « Communismi » et sententiarum quae principiis innitantur marxistis iteretur.

II. *Quoad mores*

Maxime videtur momenti principia clara iterum statuere et pro ephemeridibus et pro foliis et pro televisone ut melius curari possint pro moribus iuventutis.

III. *Quoad Gubernationem et disciplinam*

1. Ad maiorem utilitatem et spiritualem et oeconomicam uniri debent dioeceses parvulae. Idem valet de seminariis quae regionalia esse debent.

2. In quantum fieri possit, ubi mens est novas paroecias erigere, adesse debent media illa nostris temporibus necessaria pro cura animarum: in specie: scholae paroeciales, domus pro clero, aedificia aliqua pro operibus cum Actione Catholica connexis. Ne erigantur paroeciae nimis parvae, ubi vita oeconomica fiat incommodum maximum pro sacerdote.

3. Singuli parochi conari debent Oratoria in suis paroeciis pro iuventute erigere, necnon Congregationes pro vita spirituali fidelium.

4. In singulis paroeciis curant parochi associationem aliquam instituere pro pueris ad eos bene instruendos pro servitio ad altare. Associatio sic dicta « Pueri Cantores » valde commendanda est quae erigere possit in singulis paroeciis.

IV. *Quoad Clerum*

1. Instituatur vita communis pro clero saeculari in paroeciis.

2. Bonum esset iterum insistere praescriptis can. 131 de collationibus seu conferentiis habendis de re morali. Videtur necessarium in his conferentiis tractare etiam de re dogmatica.

3. Exercitia spiritualia pro clero saeculari fieri debent unoquoque anno.

4. Instituatur dies spiritualis singulis mensibus habenda pro clero saeculari.

5. Saltem unoquoque anno fiat, sub directione Ordinarii loci, conventus cleri dioecesani ubi verbum esse possit de rebus spiritualibus necnon

materialibus dioecesis. Conventus ille, distinctus quidem ab unione, tempore exercitiorum spiritualium, opportunitatem loci Ordinario dat mentem suam de variis quaestionibus aperire.

6. Can. 136 (de habitu ecclesiastico). Cordi est dignitatem habitus ecclesiastici servare: ne utantur clerici mediis vehicularibus quae contraria videantur dignitati ecclesiasticae.

7. Ampliores concedantur facultates Ordinariis locorum ut expeditius agere possint in re disciplinari tum pro clero tum pro fidelibus.

8. Ut praescripta Ss. Congregationum Romanarum vitam dioecesanam spectantia facilius ac tutius impleri possint, habeatur pro singulis dioecesibus vel regionibus consultores seu visitatores qui consilium dare possint locorum Ordinariis et mentem loc. Ordinariorum cognoscere.

9. Sacerdotes ne sese immisceant rebus politicis, doctrinam vero socialem Ecclesiae praedicent.

10. Necessarium videtur modum meliorem instituere pro digna sustentatione oeconomica cleri. Hoc valet imprimis pro aegrotis et pro illis provectioris aetatis.

V. *Quoad curam animarum*

1. Cordi nunc est Concilium Oecumenicum sua sollemni auctoritate praescriptis can. 467 et 468 insistere, quae parochus obligant suas oves cognoscere, aegrotos, maxime vero morti proximos adiuvare. In mentem parochorum revocetur obligatio gravis moribundis assistere.

2. Instructiones quae matrimonium fidelium antecedere debent numquam omittantur.

3. « Proprium et gravissimum officium, pastorum praesertim animarum, est catecheticam populi christiani institutionem curare » (*C.I.C.* can. 1329). Ut in omnibus paroeciis iterum floreat illa tam necessaria institutio praesertim pro pueris! Tradi debet a parochis per modum scholae tum quoad pericula superanda tum quoad praemia concedenda.

4. Numquam cessent parochi fideles exhortari ut sancte servent dies festi sub praecepto, praesertim dies dominici. Saepius admoneantur fideles de praecepto abstinendi ab operibus servilibus, actibus forensibus et aliis actibus can. 1248 prohibitis.

5. Singulis diebus dominicis legatur inter Missam Evangelium lingua vulgari.

6. Ut parochi adiuventur praescripta can. 1345 fideliter observare, curant Ordinarii loc. initio uniuscuiusque anni singulis parochis argumenta distincta et practica pro explanatione doctrinae christianae tradere.

7. Admoneantur fideles de obligatione subveniendi vitae oeconomicae cleri paroeciis addicti.

VI. *Quoad S. Liturgiam*

Nulla videtur necessitas moderandi vel commutandi praescriptiones S. Liturgiae in quantum ad S. Sacrificium Missae. Lingua latina, vis unitiva in tota Ecclesia occidentali servetur incolumis pro S. Sacrificio Missae. Similiter et pro Divino Officio.

VII. *Quoad Actionem Catholicam*

Sit finis Actionis Catholicae in singulis paroeciis ut recte efformentur conscientiae fidelium in vita privata et in vita sociali.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor

Eminentiae Tuae Rev.mae

✠ SALVATOR BALLO GUERCIO
Episcopus tit. Diocleanus

267

EXC.MI P. D. CHRISTOPHORI A. TERZI
Episcopi tit. Diocletianensis

Romae, e conventu S. Francisci trans Tiberim, 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui talia posuit in corde Summi Pontificis Ioannis XXIII fel. regn., celebrationem videlicet Concilii Oecumenici.

Ad rem quod attinet, opportunum duco Commissioni Antepraeparatoriae ea proponere quae usum respiicunt vanuum rerum:

a) In primis, illarum vulgo dictarum « automobili », non quia damnandus sit usus, cum hodie omnino appareat necessarius in explendo sacro ministerio, sed malus usus. Revera, non raro accidit videre non tantum sacerdotes saeculares sed etiam religiosos uti, loco « automobili utilitarie », « automobili di lusso », et etiam « di gran lusso », quod in bonis est causa verecundiae et in malevolis murmurationis et vae!

Certo est reprehendendum in sacerdotibus et religiosis accedere ad sacra facienda cum « automobili di lusso » et interim praedicare populo

christiano ut aequo animo ferat paupertatem, sed peius est adspicere sacras personas hinc inde tempus extrahere inutilibus vagationibus.

b) Item dicendum de malo usu aut disceptationibus aliarum inventionum: « cinema, radio, televisione, calcio », etc., etenim, quando sacerdotes et religiosi his indulgent, ad profanam non sanctam vitam iter faciunt, incassum sic reddendo dispositum can. 124 *C.I.C.*, ubi dicitur: « Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere ».

Fausta adprecor et Deus addat tibi vires.

Eminentiae Tuae Rev.mae add.mus
✠ CHRISTOPHORUS ARDUINUS TERZI
Episcopus tit. Diocletianensis

268

EXC.MI P. D. ALOYSII HUDAL
Episcopi tit. Aelanitici

Grottaferrata, 3 agosto 1959

Il Sottoscritto si permette di consegnare le seguenti osservazioni anche nel caso che un modulo, interrogatorio o schema fosse in preparazione per l'Episcopato mondiale e per le personalità che secondo il Codice sono chiamate a partecipare:

1. *Materia dommatico-teologica.*

Quali speciali errori e correnti pericolose dopo il Sillabo ed il Decreto del Sant'Offizio (1864; 1907) si dovrebbero trattare, in quale misura e con quali provvedimenti? Quali falsi concetti nel campo della filosofia (Freud, per nominare uno dei più influenti scrittori) e della Sacra Scrittura?

2. *Materia Morale.*

Matrimonio (mezzi anticoncezionali, fecondazione artificiale, ecc.), scuola confessionale (contributi dello Stato, cf. soluzione Belgio 1959), problema di una guerra atomico-nucleare e di raggi cosmici, fino a che punto è permesso di usare tali mezzi, aggressione, difesa, in questa materia vi sono nel Protestantesimo germanico due correnti contrarie, ambedue cercano una ragione nella Bibbia.

3. *Materia disciplinare.*

Diaconato senza celibato prima come esperimento nelle Missioni e nelle grandi città; cura speciale *non via caritatis aut gratiae sed iustitiae*

socialis per il clero secolare, in non pochi Stati abbandonato, perciò anche rare vocazioni (Sud America); introdurre una previdenza sociale obbligatoria per tutte le Diocesi del mondo (infortuni, malattie, vecchiaia); fondazione a tale scopo di una grande opera internazionale con sede centrale a Roma e succursali in America del Nord ed in altri Continenti, da me proposta già anni fa nella mia qualità di Consultore alla S. Congregazione del Concilio, allora mi fu detto che il tempo non era maturo (però quando lo sarà?).

Cura *segreta* e ben organizzata per i numerosi preti disgraziati, apostati, sposati. Questi sono due problemi gravi ed urgenti da essere discussi almeno dietro le quinte del Concilio Ecumenico.

4. *Riforma dell'educazione attuale antiquata dei seminaristi,* meno scienza secca e più contatto con la vita vera, pratica; mandare un anno prima dell'ordinazione sacerdotale gli alunni come diaconi nella cura pastorale delle grandi città, non nella campagna, per conoscere i veri problemi della vita, anche i pericoli oggi più gravi che mai per giovani sacerdoti, sopprimere i Seminari anche nei Conventi con meno di 20 discepoli.

5. *Materia liturgica.*

Uso della lingua popolare fino a certi limiti, una legge però uniforme, *generale;* lo stato attuale è in diversi paesi *caotico,* grazie ai liturgisti fanatici perchè manca una mano forte, energica; riforma del Breviario, da anni preparata dalla S. Congregazione dei Riti senza molti risultati pratici, finora quasi tutto come prima, lezioni diverse inverosimili.

6. *Diritto dei Religiosi.*

Nonostante numerosi paragrafi ed articoli del Codice non è chiaro fino a che punto il loro privilegio di esenzione si estende nel caso che siano occupati nella cura pastorale come parroci, cappellani, catechisti; ogni canonista e più ancora ogni Ordinario nella prassi può confermarlo.

7. *Chiesa Orientale.*

Lasciare invariata la scelta e nomina attuale dei loro Vescovi, secondo antiche tradizioni, tanto meno che possibile toccare o cambiare le loro abitudini (principio di autonomia), la Santa Sede centro dell'unità per appelli e revisioni se almeno 5 Vescovi della relativa Chiesa Orientale tali provvedimenti chiedono; invitare l'Episcopato Orientale al Concilio come lo fu fatto prima del 1870, dare anche a loro un rango degno della loro ricca storia, evitare anche il minimo motivo di animosità e timore di un predominio dell'Occidente sia nella cultura sia nelle forme esteriori della comune religione, questione di delicatezza come io tante volte potevo constatare nei paesi balcanici e dell'Oriente.

Il gran pericolo è oggi che le Chiese Orientali, per mezzo del mo-

vimento ecumenico di Ginevra diventino sempre più influenzate ed intossicate dal Protestantesimo mondiale. Fatto è che non pochi giovani orientali hanno già studiato nelle facoltà teologiche protestanti in Germania (Tuebingen, Berlino). Più che necessario è concedere anche da parte di Roma borse di studio per attirarli a facoltà cattoliche, ben formate con professori di rango, scienza, perfetta conoscenza di molte lingue e dei difficili problemi dell'Oriente.

Molto importante sarebbe a tale scopo di fondare nelle facoltà teologiche di Vienna, Monaco e nell'Istituto cattolico di Parigi proprie cattedre per storia, diritto e liturgia delle Chiese Orientali. In vista del vecchio antiromanismo diversi giovani orientali preferiranno certamente le 3 sullodate città, specialmente perchè in Austria e Germania sono numerosi profughi orientali non uniti. Io credo che i Governi di questi due Stati nel proprio interesse anche con loro mezzi finanziari aiuteranno un tal progetto lungimirante religioso-culturale. Questa cosa dovrebbe essere trattata, almeno sondata e se possibile realizzata *prima del Concilio,* per comunicare poi il risultato positivo nel momento opportuno come prova di simpatia e continuo interesse di Roma verso i fratelli delle Chiese Orientali.

Queste osservazioni, frutto di meditazioni e lunghi studi, sottopongo al giudizio dei competenti mentre rimango

devoto servo in Cristo
✠ LUIGI HUDAL
Vescovo titolare di Ela

* * *

Grottaferrata, 29 agosto 1959

Mi sia permesso di aggiungere alla mia lettera del tre agosto ancora le seguenti proposte come materia del futuro Concilio: la prima volta mi sono sfuggite:

1. *Materia teologica.*

Tre pericolose correnti dovrebbero essere oggetto perchè dopo il 1945 dominanti in vasti territori del mondo: il radicale nazionalismo, l'estremo razzismo ed il sistema totalitario esercitato sia da Stati sia da un solo partito di qualunque colore, mancante una opposizione finiscono sempre nella tirannide ed esclusiva egemonia sul popolo, come la storia di tutti i secoli lo prova in forme troppo tragiche; 25 anni fa ho tenuto su questi 3 problemi conferenze nelle settimane universitarie di Salis-

burgo proponendo con gran plauso una solenne condanna da parte della Chiesa; le conferenze furono pubblicate in lingua tedesca (Innsbruck, 1934), poi tradotte in italiano, dal Presidente dell'Accademia Pontificia per la formazione dei futuri diplomatici, Mons. Savino, e pubblicate a Roma nel 1937, con approvazione precedente del Vicariato di Roma, purtroppo ambedue le edizioni furono condannate dalle autorità fasciste e naziste e poi (strana coincidenza) anche dal compianto Cardinale Segretario di Stato Pacelli, quest'ultimo per ragioni di « inopportunità ». Oggi, dopo 25 anni delle conferenze, queste 3 false dottrine sono più che mai la vera e la più forte minaccia contro l'avvenire della Chiesa, basta leggere le relative tendenze quasi diaboliche per educare nei paesi dominati da loro la gioventù, e cioè la generazione di domani.[1]

Una voce da Roma nei nostri tempi incerti con una condanna forte sarebbe un punto culminante del Concilio e troverebbe una eco vasta di plauso mondiale perchè colpisce pericoli più che attuali ed urgenti, si può dire di vita o di morte.

2. *Materia liturgica.*

Una riforma radicale del rito del battesimo, con l'eliminazione in gran parte dell'Esorcismo, che come è oggi risulta offensivo per i laici colti e forse anche per non pochi sacerdoti. Come si possono pronunciare le strane parole, forse ricordo di certi estremismi rimasti da secoli lontani: Exi ab hac creatura, maledicte diabole »?

3. *Riforma dell'Indice.*

La prassi attuale è senza dubbio antiquata e in non pochi casi contro la massima della procedura giustiziaria (audiatur altera pars). È giusto condannare autori cattolici, laici e sacerdoti senza sentirli prima, senza dare loro la possibilità di difendersi? È giusto e nobile compromettere un Ordinario o una Curia dinanzi ai fedeli quando hanno dato l'*Imprimatur* senza farsi prima da loro informare? Quello che in prima linea deve sparire nella riforma è la condanna per motivi di puro opportunismo: basta pensare a Lamennais (*Paroles d'un croyant*), Rosmini (*Cinque piaghe*), Bonomelli (*Conciliazione*), Duchesne, Hehn, Holzhey per nominare solamente pochi scrittori — tutti sacerdoti — o il caso di Ehrhard, Vienna, caso più che tragico (riparato da Pio XI di s. m.).

Tutto il sistema dell'Indice con tali forme *ha diminuito il prestigio* del relativo Dicastero, mentre una riforma corrispondente ai tempi cambiati con mano forte, aumenta l'importanza della censura.

---

[1] Cf. *Bulletin,* N. 151/S. 1527, 20 - august 1959.

Questo sia detto con la sincerità desiderata così nobilmente nella lettera della Commissione Antipreparatoria ricevuta il 18 agosto 1959.

Con profondi ossequi

devoto servo in Cristo

✠ LUIGI HUDAL
Vescovo titolare di Ela

269

EXC.MI P. D. GHEBRE IESUS IACOB
Episcopi tit. Erythritani

Trevi, 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Summa reverentia provolutus ad pedes Eminentiae Vestrae, infrascriptus Iacob Ghebre Iesus, Episcopus tit. Erythritanus, honori ducit respondere veneratissimis litteris Eminentiae Vestrae d. d. 18 iunii 1959, agentibus de futuro Concilio Oecumenico.

Adiunctas mitto Eminentiae Vestrae aliquas considerationes circa quaestionem oecumenicam in Aethiopia, necnon quamdam aliam quaestionem quae ad hanc regionem attinet.

Dum maximae venerationis sensus Eminentiae Vestrae infrascriptus praebet, benedictionemque Vestram humiliter petit, honorem sibi ducit sese profiteri

Eminentiae Vestrae addictissimus in Domino

✠ GHEBRE IESUS IACOB
Episcopus tit. Erythritanus

De possibilitate instituendi conatus ad reconciliationem Ecclesiae Coptae in Aethiopia cum Ecclesia Catholica obtinendam.

1. Negari nequit dari gravia impedimenta, quae unioni Ecclesiae Coptae cum Ecclesia Catholica obstare videntur et quidem imprimis errores quidam dogmatici, qui etsi a fidelibus, imo ab ipsis simplicibus sacerdotibus generatim forsitan non admittantur, tamen in doctrina Ecclesiae Coptae continentur, scilicet:

a) monophysismus saltem nominalis;
b) processio Spiritus Sancti a solo Patre;

c) traducianismus, etiamsi hic non sollemniter doceatur;

d) liceitas divortii in casu fornicationis.

Etiam autonomia Ecclesiae Coptae, ab auctoritate civili sustentata et cum ipsa quodammodo coalita, atque nuper ab institutione Patriarchatus valde roborata, unioni cum Ecclesia Catholica certe non prodest.

2. Dantur tamen ex alia parte multae rationes, quae reconciliationi inter utramque Ecclesiam favere videntur, scilicet:

a) exsistit inter christianos coptos magna aestimatio erga Sedem Apostolicam Romanam;

b) sacerdotes quoque catholici magni aestimantur propter eorum doctrinam, culturam, spiritum religiosum;

c) christiani copti admirantur catholicos propter devotam eorum celebrationem S. Liturgiae, caeremoniarum religiosarum etc., immo in his eos imitari desiderant.

3. Accedit quod ipsi christiani copti, praesertim iuvenes, propriam suam Ecclesiam propriumque eorum clerum sive saecularem sive regularem non amplius in eodem ac olim honore habent, quia:

a) cultura et doctrina sacerdotum valde tenuis est;

b) non exsistit in eorum Ecclesia corpus doctrinale bene instructum;

c) deficit conceptus clarus et distinctus Ecclesiae docentis, etiam propter supra allatam dependentiam Ecclesiae ab auctoritate civili.

4. Ideo tempus maturum esse videtur, ut prudenti modo temptamina instituantur ad quamdam appropinquationem inter Ecclesiam Coptam et Ecclesiam Catholicam obtinendam. Ad hoc autem melius videtur ad tempus non intrare in controversias dogmaticas, sed potius quaerere mutuam quamdam benevolentiam quae viam sternat ad unitatem dogmaticam et quidem:

a) monstrando aestimationem et reverentiam erga auctoritatem ecclesiasticam coptam;

b) colendo observantiam erga eorum fidem et cultum;

c) favendo et studendo eorum manuscriptis, documentis, libris, historia etc.;

d) instituendo studia accurata de origine, evolutione, usu ritus aethiopici, conservando, in quantum possibile, omnia quae ab antiquo tradita sunt, ostendendo utilitatem quarumdam mutationum opportunarum, quae sub inspiratione Sancti Spiritus in Ecclesiam introductae sunt et quae sine detrimento ipsius ritus antiquitus traditi acceptari possunt. Ad hoc commendatur institutio cuiusdam comitatus, qui studium profundum ritus aethiopici aggrediatur;

e) evitando expressiones, quae eorum mentem offendere possent,

ut e. gr. « reditum » ad Ecclesiam Catholicam, « ingressum » in Ecclesiam, sed potius loquendo de « unione », « reconciliatione » inter utramque Ecclesiam.

5. Ad hanc mutuam comprehensionem ac benevolentiam promovendam commendantur sequentia a parte catholicorum:

a) institutio « centrorum colloquiorum » ut aiunt, inter sacerdotes catholicos et schismaticos, in quibus tractent de problematibus ad utrumque clerum pertinentibus, e. gr. de moralitate, de educatione iuventutis, de communi certamine contra hostes communes religionis, de magno bono unitatis et de malo separationis etc.;

b) publicatio operum, opusculorum ad problema ecumenicum explanandum, de historia conciliorum oecumenicorum, de hierarchia ecclesiastica, de pluralitate et pulchritudine rituum in unitate eiusdem Ecclesiae, fidei et traditionis etc.;

c) institutio centrorum informativorum, ubi aliqui sacerdotes, bene instructi de religione, omnibus id desiderantibus, notitias accuratas dare queunt de dubiis, de controversiis, de quaestionibus religionem spectantibus.

Ceterae quaestiones proponendae

Problema summi momenti pro regione aethiopica est, quomodo pro sacerdotibus provideri possit in rebus quae ad eorum victum cultumque maxime necessariae sunt. Hoc problema adhuc magis urget pro sacerdotibus aetate provectis, infirmis et invalidis.

✠ IACOB GHEBRE IESUS
Episcopus tit. Erythritanus

270

EXC.MI P. D. EDUARDI PIANA

Episcopi tit. Euroeensis in Phoenicia, Auxiliaris Novariensis

Novariae, 9-8-1959

Eminentissime Domine,

Litteris tuis respondeo quae, sub N. 1 C/59-2557 diei 18 iunii c. a., Calendis augustis Novariam pervenerunt.

Pontificiae Commissioni communico animadversiones, argumenta et vota quae mihi in Domino, Ecclesiae animarumque bono profutura, in Concilio Oecumenico tractanda visa fuerint.

1. *De Ecclesia Catholica*

Renovetur et confirmetur necessitas Ecclesiae Apostolicae Romanae pro salute animarum non solum sed et pro bono regimine, prosperitate et pace totius humanae societatis.

2. *De clero et seminariis*

a) Formentur Clerici et educentur in spiritu sacrificii et mutuae caritatis et tolerantiae.

b) Rectores et moderatores spirituales in Seminariis sint viri moribus, oratione et pietate probati, qui practicam vitam pastoralem in ministerio animarum et paroeciis exercuerint.

c) Curetur « *praevidentia socialis* » pro sacerdotibus, ita ut isti alacrius operibus ministerii vacare possint, certi quod, adveniente senectute vel aegritudine, « *victui ipsis necessaria non desint* ».

3. *De religiosa instructione*

Plerique christiani, gustum, tempus et modum amiserunt pro sua filiorumque instructione in rebus fidei (quod olim, apud nos, fiebant ad Vesperas, in diebus festis).

Curandum est ut, ad hoc maximum opus, auxilium praestent nostri temporis inventiones et humani ingenii applicatione (stampa, radio, televisione). Quomodo, quibus modis? Hoc est videndum et tractandum.

4. *De Actione Catholica*

Optandum est ut socii Actionis Catholicae maiorem inter se foveant unitatem et oboedientia et reverentia Hierarchiae, sive Episcopis, sive parochis, ceteris praecellant.

Ecce vota mea pro Concilio Tibi, Eminentissime Pater, breviter enucleavi, dum animi sensus ex corde profiteor et Eminentiae Tuae et omni Commissioni, cui Ipse praees, fausta quaeque a Domino devote adprecor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ EDUARDUS PIANA
Episcopus tit. Euroeensis in Phoenicia
Auxiliaris Novariensis

271

Exc.mi P. D. GUILLELMI MOTOLESE

Episcopi tit. Eutymensis, Adm. Ap. Archid. Tarentinae
(Taranto)

Tarenti, 15 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Luce a Deo impetrata, post longam curam cogitationemque, instante Concilio Oecumenico a Romano Pontifice Ioanne XXIII f. r. indicto, haec ad maiorem Dei gloriam, ad Ecclesiae triumpha atque ad animarum salutem proponere mihi visum est:

1. In Concilio Oecumenico definiatur ac proclametur ab infallibili S. R. Ecclesiae Magisterio novissimum de Mediatione Universali Beatae Mariae Virginis dogma, quod omnia privilegia a Deo Ei collata expleat. Hoc enim a presenti historiae cursu petitur; nam tempus hoc a competenti auctoritate Marianum dictum est, sive ex miris et multis B. Mariae Virginis apparitionibus, sive ex totius orbis Sacratissimo Eiusdem Virginis Cordi consecratione ab Ecclesia Dei peracta.

2. Doctrina hedonistica et pragmatica saeviente, necessaria mihi videtur sollemnis et definitiva damnatio cuiusvis materialismi ad omne conscientiae dubium theoricum vel practicum avertendum et ut in omnibus hominibus reviviscat aestimatio honoris ac verae magnitudinis personae humanae necnon eius aeterni finis.

3. Proinde sanctitas familiae christianae, indefectibilis coniugum fidelitas, contra quamlibet divortii speciem vinculi matrimonialis indissolubilitas, solemniter confirmentur, atque sive iniusta sive contra naturam prolis limitatio damnetur; parentes ad gravissimum filiorum suorum christianae educationis munus explendum moneantur et ad eorum mores tuendos, sibi strenue vindicent ius pro liberis suis eligendarum scholarum.

4. Ut omnes Christifideles plene et univoce doctrina catholica imbuantur et in Mysticum Christi Corpus vigentes scientesque inseri possint instituatur, si fieri potest, organum supremum de Doctrina Christiana et de laicorum Apostolatu, ut efficaciter omnes apostolatus modos et conatus usque adhuc exquisitos atque peractos dirigat et in unitatem componat.

5. Dioeceses exaequentur ac aptentur animarum necessitatibus et huius temporis apostolatui.

6. Confirmata Parochorum stabilitate, facultas amplificetur Episco-

porum, qui, pro suo iudicio, Parochos amovere possint ad eorum sanctificationem et bonum animarum.

7. Sacerdotes saeculares, animarum salutis causa, tranferri possint etiam in alienas Dioeceses ad utilitatem totius Ecclesiae.

8. Sacerdotes Dioecesani constituantur in vitam communem, saltem qui Paroeciarum curam habeant, ac desinant Paroeciae minores prae numero animarum, quae ipsi vocationi Sacerdotali propter diutinum otium periculo fiunt.

9. Non praetermisso privilegio exemptionis ad peculiarem vitae formam tuendam, Religiosi, quantum fieri potest, subiiciantur aliquo modo iurisdictioni Ordinarii loci quoad opera Dioecesana in bonum animarum ab eo statuta.

10. Ad aptius informandos eos qui ad statum Sacerdotalem contendunt, Seminarii Regionales, ubi adsunt, numerum alumnorum contrahant, ita ut singuli cognosci, corrigi et excoli possint. Aetas ad Sacerdotium suscipiendum producatur saltem ad annum vigesimum sextum et collatio Ordinum Maiorum congruo tirocinio in Paroeciis peragendo praecedatur.

9. Ordines Minores pristino honori atque disciplinae restituantur ad aedificationem Christifidelium necnon ad cultum perfectius explendum et ad Clerum adiuvandum in temporalibus.

12. Ablata omni poena peccati, lex abstinentiae et ieiunii in consilium vertatur.

13. Sacerdotes apostatae qui ad bonam frugem redire cupiunt, sanctitate Ordinis salva, in sinum Ecclesiae maxima cum prudentia admittantur ut ad gratiam redire possint. Confirmetur tamen Cleri coelibatus qui ad honorem et gloriam catholici Sacerdotii et ad fecunditatem Ecclesiae quam maxime aptus est.

Qua par est reverentia, profiteor Eminentiae Tuae

Add.mus in Domino
✠ GUILLELMUS MOTOLESE
Episcopus tit. Eutymensis
Administrator Ap. Tarentinus

272

EXC.MI P. D. FRIDERICI EMMANUEL

Episcopi tit. Aezanitani

Genova, 20 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Forse mi ricorderà Vescovo a Castellammare, quando V. Em. veniva a far visita ai cari amici Starace.

Io l'ho sempre ricordata e seguita con ammirazione. Ora sono molto vecchio, e con gli acciacchi dell'età. Prego scusare la libertà con la quale mi sono permesso di esprimere mie opinioni. Se non crede opportuno presentare la mia Risposta la cestini.

Avevo rievocato molti e minuti ricordi sulle condizioni delle Diocesi di Sabina e Castellammare; sul clero, specie sui Parroci, sulle popolazioni; sui Seminari Regionali ecc., ma ho creduto di abbreviare il mio scritto in lingua italiana, perchè son cose note a Vostra Eminenza.

Prego Don Bosco che Le ottenga salute pari al suo vasto, prezioso nobilissimo apostolato in servizio della Chiesa e del nostro Gran Papa Giovanni XXIII.

Umil.mo dev.mo servo

✠ FEDERICO EMMANUEL

Vescovo tit. di Ezani

Eminentissime Domine,

Aetas mea superadulta (88 annorum!) sive tarditatem sive brevitatem responsionis excuset: in simplicitate cordis pauca tantum, de cetero iam nota, considerationi PP. Commissionis Concilii antepraeparatoriae proponere audeo.

I

Neminem fugit periculi vere maximi instantia quae ex Communismi theoretica et practica propagatione christianae religioni et humanitati provenit; certe minus, at in dies crescens, periculum quod per insidiosissimam propagationem sectarum adventisticarum fideles etiam pios seducere conatur.

Multa bene dicta et bene ordinata Pastoribus et gregibus proposita fuere et continuo offeruntur: videtur tamen deesse congrua sollemnitas,

continuitas et practicitas directionis. Actio defensiva et offensiva incrementum et munimen acciperet, si Romae vera Sacra Congregatio institueretur (Congregationi de Propaganda Fide aequiparabilis et Supremae Congr. S. Officii subordinata) Summae Potestatis fulgore illustrata, quae Pastoribus et fidelium coetibus sive doctrinalia sive practica proponeret quae fidei servandae, tutandae et educandae necessaria vel utilia esse possunt. Si inter huius novae Congregationis membra non tantum ecclesiastici sed et illustriores laici viri variarum nationum nominarentur; si insuper in singulis nationibus Congregationis-sectiones erigerentur et Conferentiae Episcoporum vel primatiali seu archiepiscopali Curiae adiungerentur; si ipsarum munus esset, solide et argute et nove impugnationes refellere, seductiones praevenire, christianam culturam in propria regione fovere, atque in intima communione cum centrali romana Directione manere, non tantum pericula fidei supra exposita, sed etiam periculum ab ingravescente universali materialismo proveniens minueretur, et catholici Nominis novitas et contemporaneitatis splendor augeretur.

II

Cleri conveniens praeparatio etiam hodie punctum saliens totius ecclesiasticae activitatis constituit. Encyclicae litterae SS. Domini nostri « Ad Petri Cathedram » quasi magna charta institutionis clericalis haberi possunt et debent. Magnum beneficium institutio Seminariorum Regionalium attulit: clericorum tamen in talibus seminariis educatio mihi in hoc peccare videtur, quod nimis intenduntur et extenduntur eruditionalia, marginalia, profana (quae utiliter tractarentur quidem in ecclesiasticis Universitatibus et Atheneis!) et nimis praetereuntur vel minimizantur pastoralia, ascetica, praesertim vero biblica. Qui e seminario exeunt iuvenes sacerdotes, si intellegentiores, curricula paroecialia fugiunt, et Curiam Romanam vel episcopalem et cathedras gymnasiorum expetunt vel etiam migrationem in exteras ditiores nationes obtinent; si minoris ingenii, — non tamen minoris inflationis pleni — in proprias dioeceses redeunt, episcopum, canonicos, parochum parvipendunt, et, dum multa vix utilia secum gerunt, in practicis et substantialibus vere deficientes et quasi minorati inveniuntur. Duo vel tria mihi proponenda viderentur: intellegentiores (pro posse omnes!!) Athenaeis assignentur; ceteris vero in Seminariis magis practica institutio tribuatur, quae tamen non minore honore et amore digna reddatur. (Analogia aliqualis ex comparatione scholarum classicarum et scholarum technicarum deduci poterit; aemulatio vero et imitatio hauriri poterit etiam ex scholis quibusdam

superioribus Americae Sept. vel Angliae, quae alumnos sibi vincire aestimatione, et affectionem maximam in ipsis sibi fovere valent). Si in Athenaeis praecipue soliditas et splendor scientiae curanda sunt, in Seminariis super omnia gratia, laetitia, ingeniositas, amor pastoralis missionis omni industria curetur. Programmata a multis inutilibus, vel minus utilibus, audacter liberentur, ut necessariis et utilioribus (et supereminentibus!) conveniens locus acquiratur. Sacrarum Scripturarum, non tam hermeneutice quam practice explicata lectio et gustatio generosissime foveatur. Sacerdos qui sine personalissimi amoris relatione erga Sacros praesertim Novi (sed et Veteris) Testamenti libros e Seminario exit, vere ipse miserandus, et certe miserabilis eius futura (tota in humanis praeceptis insistens) praedicatio et animarum directio! Ipsa fidei defensio non tam in confutatione vel probatione, quam in ostensione spiritus et veritatis consistit! Omnia vendenda, ut thesaurus iste divinus comparetur!

III

Episcopi humanitas et sanctitas, instructio et auctoritas, quia fere omnia ad ipsius exemplar componuntur, accuratissima selectione in nominatione, sed et in semper maiore coniunctione cum Corpore Episcoporum nationali vel regionali foveatur.

Experientia 35 annorum episcopatus in Italia centrali (Sabinae) et insulari (Stabiae) non pauca mihi sive in populo sive in clero sive in seminariis vitia ostendit: haec inde certe iam meliora evasere, sed Sacri Oecumenici Concilii immensa Renovatio novam in Ecclesia Aetatem inducere poterit: quod ut fiat, exiguae et senescentes, sed vividae et confidentes meae preces a Deo O. M. per Christum Iesum D. N. et Mariam, Christiani Populi Auxiliatricem, obtinere conabuntur.

Interim devotos animi sensus profiteor Eminentiae Tuae et fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Ill.mae et Rev.mae
humillimus servus

✠ Fridericus Emmanuel
Episcopus tit. Aezanitanus

273

EXC.MI P. D. IOANNIS B. NIGRIS
Archiepiscopi tit. Philippensis

Romae, 25 septembris 1959

QUAEDAM DOCTRINAE CAPITA

1. Gravis est quaestio de evolutionismo, quippe qui uti pacificus usque ad hominis originem admittitur in scholis et libris, super ephemerides et diurnos, etiam in proiectionibus cinematographicis, dum a positivistis et communistis uti dogma contra creationem et argumentum contra Dei existentiam divulgatur.

Ad graviorem reddendam hanc quaestionem accedunt quidam catholici, qui evolutionismum usque ad hominem aperte docent non uti hypothesim studiorum causa, sed uti thesim, immo item ac evolutionistae athei reperta paleontologica coarctare conantur, dum, si scala ascendens in genere ab ente unicellulari ad hominem usque uti evolutionis indicium interpretari posset, eodem tempore plura facta habentur, quae cum evolutione conciliari prorsus nequeunt, ne una quidem series filetica ob anulorum defectum statui potuit, omnes conveniunt periodo historico viventium species immutatas conservari qui novae neque apparuerint neque appareant; ad hominem autem quod attinet paleoanthropologia docet *Homo sapiens* praecessisse *Anthropoides,* hominis formas similes hominibus nostri temporis praecessisse hominis formas inferiores, ita ut series morfologica progressiva hominum fossilium ab evolutionistis theorice confecta minime concordet cum serie reali, quam paleoanthropologia exhibet, nempe homines fossiles usque nunc in ordine temporis reperti stant contra evolutionismum.

Hi catholici evolutionistae sub aspectu pseudoscientifico in eodem plano sunt ac evolutionistae athei et volentes nolentes vim conferunt evolutionismo atheo et confusionem in mentibus facile ingerunt, qui in fide fortes non sunt ad thesim atheam facilius inclinari possunt.

Rebus sic stantibus forsitan oporteret quaestionem considerare, puncta determinare circa evolutionismum in genere (quo sensu accipi possit et quo non, eorum valorem obiter attingendo quae paleontologia usque nunc offert) et circa evolutionem ad hominem quod attinet (theologice et paleoanthropologice), ut sollemniter omnes doceantur, catholici evolutionistae autem saltem prudentiores fiant, ne animabus noceant.

2. In populis, qui se ad humanum civilemque cultum informatos habent, malthusiana praxis late diffusa est.

In India et in Iaponia a civili auctoritate nosocomia statuta sunt, ubi mille millia abortum quotannis patrantur, viri et mulieres ad se sterilisationi subiiciendum urgentur vel circa media ad conceptionem impediendam docentur.

In congressu scientifico in urbe York nuper habito conclamatum est gravissimum periculum humanitati incumbere ob ingentius in annos nativitatum augmentum. Quidam professor Harrison Matthews asseruit indoctos tantum credere posse quod « filii sunt benedictiones divinae » et « quo magis filii multiplicantur, eo copiosiores benedictiones Deus largitur »; inde sequi dilemma « Aut nativitatum limitatio, aut ruina humanitatis » per pestilentias vel immania bella, quo in casu fore ut fortiores supersint; et questus est contra nativitatum limitationem « Nimia impedimenta a " leaders " religiosis opponi ».

Num opportunum erit etiam hanc quaestionem uti diffusum ingravescens malum considerare?

3. Num etiam de existentialismo agere opportunum videtur? Forsitan aberrans mentis forma est oblivioni destinata, cuius propterea in Concilii Oecumenici sollemnitate meminisse dignum non est. Sed ob eius eversionem cuiusque ordinis religiosi et moralis in sua peiore acceptione inter iuvenes praecipue studentes sectatores facile invenit.

Tria scio: 1) Existentialismus quadam diffusione pollere videtur, quia vulgaris est eius acceptio, qua uti existentialistae habentur qui practice atheos, amorales, idealitatibus expertes praeter suam existentiam fatalistas, irrequietos sese exhibent; 2) in Iaponia Paulus Sartre, qui inter existentialistas pro sua pugnaci atheismi, materialismi et amoralitatis professione eminet, inter primos Occidentis scriptores est, qui plurimos lectores inter universitatum studentes habent; 3) in Corea, teste Vicario Apostolico de Seoul, existentialismus multo favore in universitatibus fruitur.

De Ecclesiis

1. In hodierna arte sacra sacrum saepe deficit: ecclesiae, quae videntur aulae pro cinema vel pro autovehiculis adservandis quas « garage » dicunt, aut indefinibilia aedificia a quolibet sensu religioso aliena; statuae et saepius picturae, quae sacrilegium tangunt ob nobilissimae formae humanae a Deo creatae deformationes; quae omnia in auctoribus defectum sensus religiosi manifestant et animos a piis sensibus avertunt. De quo arguenda videntur in primis Consilia dioecesana artis sacrae tuendae, quae vel non vigilant, vel munere suo male funguntur opera

permittendo, quae prohibenda essent, idque saepe sub influxu quorumdam membrorum, qui uti periti in arte videntur, sed quorum minime interest artis sacrae, proinde arti hodiernae a priori favent et hodiernos artifices pro posse commendant.

Oportere igitur videtur, ut membra horum Consiliorum sapienter eligantur cum absoluta exclusione eorum, qui, novitatis amore ducti, artificibus favent, qui sacro afflatu expertes et suae ineptitudinis ad sacra sacre tractanda ignari, opera profana pro sacris vendunt. Ordinarii insuper ne negligant attente considerare iudicia et permissiones a Consiliis artis sacrae lata neque ea confirment, quae videantur authenticae arti sacrae non convenire.

2. Super altaria determinatis Sanctis vel Ministeriis dicata sub pictis tabulis, quae Sanctos vel Mysteria repraesentant, plurimis in locis mos introductus est ponendi aliam imaginem Sacri Cordis, vel Beatae Mariae Virginis, vel Sanctorum, quando piarum mulierum devotioni indulgendo, quando vero ad copiosiores eleemosynas captandas: inde factum est, ut de Sanctis vel Mysterio, quibus altaria dicata sunt, actum sit ad cultum quod attinet; etiam fit, ut de Beata Virgine Mariae plures imagines in eadem ecclesia habeantur, quod forsitan minus conveniens est.

Alicubi extra altaria in ecclesia habentur statuae, praecipue Sancti Antonii Patavini et Pietatis quae evidenter exponuntur ut eleemosynae et candelae affluant. Romae in Ecclesia Sancti Silvestri in capite est cappella dicata Sancto Ioanni Baptistae, cuius Caput super altare adservatur; ex adverso huius altaris super tabulam posita est Pietas, coram qua multi orant, oblationes et candelas copiose afferunt, et raro est qui Sancti Ioannis Baptistae meminerit.

Nonne opportunum esset haec incongrua prohibere, templo et altaribus simplicitatem pristinam restituere, mercaturae speciem auferre?

3. In quibusdam ecclesiis Iesus in Sacramento non super altare maius, suum thronum naturale in suo templo, stat ibique expositus adoratur, sed super altare laterale; alicubi de altari ad altare transfertur pro devotionibus particularibus; alibi series imaginum adservatur, et quando quorumdam Sanctorum dies occurrunt, prope altare maius super tabulam imagines floribus et candelis circumdatae exponuntur, evidenter ut candelae et oblationes afferantur, dum Dominus Iesus cum suo humili lumine fere oblitus stat.

Exceptis casibus in iure consideratis, opportunum videretur iubere, ut Sanctissimum Sacramentum super altare maius permanenter adservetur, non transferatur de altari ad altare, sed expositiones eucharisticae semper super altare maius fiant, Sanctorum imagines in choro non exponantur.

Quaedam de sacerdotibus in genere

1. Notabilis causa languoris spiritualis sunt autobirotae, quia Sacerdotes facile iis utuntur plus sollatii ratione quam pro necessitatibus pastoralibus, immo multi necessitatem pastoralem non habent. Cum animadversiones et hortationes minime prosint, opportunius videretur: 1) omnino prohibere usum iis qui necessitatem pastoralem non habent; 2) qui necessitatem habent permissionem petant et autobirota utatur pro necessitatibus pastoralibus tantum onerata conscientia; 3) transgressoribus congruae penae statuantur.

2. Nunc diffundi coeptus est usus automobilis rhedae, quod etiam sub alio aspectu non opportunum videtur. A populo enim uti « luxus » haec machina aestimatur quando necessitas pastoralis evidens non est, proinde Sacerdotibus convenire non videtur, dum circa eos tot tantaeque miseriae pastorum corda ad caritatem urgere deberent, indeque admiratio scandalum tangens oritur, eo magis quod pro itineribus extra paroeciae fines machinae publicae quas « autobus » dicunt optime fere ubique pluries in die praesto sunt.

Opportunum igitur videretur: 1) Ne Sacerdotes inconsulto Ordinario automobilem rhedam habeant; 2) qui vero pro determinatis necessitatibus automobilis rhedae facultatem ab Ordinario habent, moneantur pena patibiles eos esse, si pro aliis finibus ea abutentur.

3. Levitatis signa in Sacerdotibus duo signanda videntur: circumeundi usus per pagos et urbes vel detecto capite vel eo capitis operculo, quod « basco » appellant, et quidem ad unum alterumve capitis latus inclinatum, quae Sacerdotis dignitatem minime decere et profanum spiritum patefacere videntur.

4. In dioecesibus, ubi beneficia paroecialia habentur, magnae disparitates oeconomicae habentur: sunt qui bonis affluunt et qui fere egestate laborant, praecipue ubi paroeciae in montibus habentur. Qui bonis affluunt non raro obliviscuntur divinae sententiae « Quod superest date eleemosynam » et suis neque fidelibus neque fratribus in Sacerdotio pauperibus dant, sed sibi et suis cognatis fructificant. Num hanc quaestionem mature considerare et positivis legibus solvere oporteret?

Sunt quidam Ordinarii, qui serio aliquibus in casibus vel pro Seminariis, vel pro aliis dioecesis necessitatibus, vel pro Sacerdotibus pauperioribus adiuvandis serio agant; alii sunt, qui absque summae determinatione petant, parochi ditiores vero quod volunt et in genere parum dant, proinde problema Sacerdotum pauperum non solvitur.

In Albania inamovibilitas parochorum non vigebat. Feria quinta in Coena Domini omnes Sacerdotes cum Ordinario pro Oleorum consecra-

tione se congregabant; post Missam simul agebant praecipue de quadam aequitate oeconomica statuenda inter Sacerdotes hisce duobus modis: 1) aliquando alterna translatio statuebatur a montibus ad planum et viceversa; 2) semper pro singulis paroeciis in montibus decernebatur qui parochus in plano et quam summam determinato parocho in monte tradere debebant. Proinde nulla querimonia de diversitate status oeconomici inter Sacerdotes audiebatur.

Cur haec secunda regula non posset adhiberi ubi ob beneficiorum diversitatem notabilis disparitas oeconomica inter Parochos et Parochos existit, mutatis mutandis? Pro Sacerdotum coetu sit Commissio Sacerdotum, qui experientia, aequitatis sensu et communi aestimatione emineant quique videant; 1) qui Sacerdotes adiuvandi sint et qui adiuvare possint; 2) quae summa opportuna esset pro Sacerdotibus adiuvandis; 3) quomodo haec summa dipertiri oporteat inter Parochos, qui adiuvare possunt. Officii oeconomici dioecesani sit summas colligere et distribuere iuxta planum a Commissione confectum et ab Ordinario probatum.

5. Forsitan bonum esset inamovibilitatem parochorum abrogare, quia libertatem Ordinariorum limitat ideoque non raro animarum bono et fidelium paci nocet, bonis Sacerdotibus inutilis est, parochis non melioribus favet, processus provocare potest, qui passiones alunt et neque bonis, neque malis fidelibus aedificationis sunt.

6. Diebus festis non ubique brevis sermo in Missis habetur; quando vero habetur, saepe nec brevis nec praevia argumenti meditatione habetur; insuper in pagis non raro, si quid animadvertendum est, indecoris modis fit, quae omnia vel a verbo Dei audiendo fideles avertunt vel audientes taedio fastidioque afficiunt et praedicationem sterilem reddunt. Forsitan oporteret, ut Ordinarii opportunas institutiones dent, vigilent, negligentes admoneant et in casu persistentis negligentiae pro sua prudentia provideant; data enim fere generali et exitiali ignorantia religiosa, quaestio maximi momenti esse videtur, eo magis quod catechismus pro adultis vel non fit vel post meridiem fit quando pauci fideles interesse solent.

7. Data diffusa ignorantia religiosa et considerata paucitate eorum qui diebus festis post meridiem Vesperis intersunt, num opportunum videretur mense maio sacro mariano, quod primis tenebris fieri solet, vel diebus dominicis loco omeliae catechismum ex. gr. alternis annis institui? Dummodo Christus praedicetur...

Quaedam de sacerdotibus iuvenibus

1. Saepe questus audiuntur circa sacerdotes iuvenes, qui sacerdotali spiritu facile languescunt cum omnibus consectariis, quod pluribus causis tribui potest.

Forsitan in Seminariis ad formationem quod attinet aliquid defuit, si moderatores satis idonei non fuerunt, si magistri docuerunt tantum et eodem tempore educatores non fuerunt. Proculdubio diffusus populi aër moralis fere paganus ob spasmum vita fruendi quocumque modo in iuvenum animos influit mali horrorem, mortificationis spiritum et spiritum supernaturalem minuendo vitaeque illecebris sensim sine sensu blandiendo. Magno damno esse possunt mira aetatis nostrae incepta uti radioauditiones, televisiones, cinemavisiones, si quis sine debita prudentia iis indulget. Aliquando debita vigilantia et paterna institutio desunt ex parte parochorum, quibus Sacerdotes iuvenes auxilio dantur. Pro aliquibus, qui parochi vel vicarii iuniores nominati sunt, independentia sine superioris in loco inspectione ad quasdam periculosas libertates movet.

Oportere igitur videretur: 1) ut seminaristarum moderatores peculiaribus animi, ingenii et sacerdotalis spiritus dotibus vere praediti sint, sollicite munere suo fungantur et firmiter agant non tantum quando de immoralitate vel de gravi indisciplina res est, sed etiam si quis vel habituali in spiritualibus torpore, vel spiritus supernaturalis carentia, vel ad profanos sensus inclinatione laboret; 2) ut magistri non tantum scientiam doceant sed etiam alumnorum animos etsi obiter virtutibus formare studeant; 3) ut moderatores et magistri de ingravescentibus mundi malis occasione data non sileant, sed prudenter loquantur ut horrorem in animos inserant, supernaturalem vitae valorem efferant, ad officium reparationis coram Deo excitent, nobilitatem Sacerdotii celebrent qua vocatio est ad cooperandum cum Christo in animarum salute promovenda contra mundi illecebras et ignorantias, etc., ita ut malorum visio animis non noceat vires debilitando, sed ad sanctam reactionem eos excitet et vocationem corroboret; 4) ut hortationibus instetur, ne Sacerdotes sine prudentia radioauditionibus et televisionibus indulgeant, ubi autem cinema paroeciale habetur pellicularum revisionem parochi non Sacerdotibus iuvenibus sed prudentibus laicis committant; 5) ut parochi onerata conscientia paterne curam sacerdotum iuniorum habeant, invigilando ut quidquid eorum vitae spirituali nocere potest vitent, pietatem vero fideliter colant, muneribus suis rite fungantur, praxi pastorali acquirendae studeant; 6) ut Vicarii foranei peculiari diligentia parochos et vicarios, qui uniores sunt et soli, invigilent et fraterne moneant, si quid animadvertendum videatur.

2. In Seminario pro anno propedeuticae, cui sapienti institutione Religionis et Filosophiae in Lyceo et opportunis introductionibus ineunte primo Cursu Theologico provideri potest, nonne opportunior esset tertius decimus annus, in quo Pastoralis, Asceticae, Actionis Catholicae et Sociologiae elementa tradantur, institutiones circa tempora moresque necnon pericula regulae dentur, quibus alumni vitae malis occurrere, vel ea vitare et mentem voluntatemque ad casus solvendos convertere sciant, ut semper, ubique et cum omnibus bonum sacerdotem agere valeant?

Quod si ad praxim inchoandam diebus festis parochis committantur, ut illis auxilio sint, si quid vero notatu dignum viderint vel audierint quod suam sensibilitatem tetigerit idque postea in schola referant et magistro occasionem explicationes vel institutiones dandi praebeant, alumni facilius et utilius contactus cum hodierna vita habent et ex experientiis ad vitam pastoralem tutius aggrediendam melius praeparantur.

Quaedam de religiosis

1. Pro Ordinarii dignitate et pro prudentiore agendi ratione forsitan opportunum esset, ut Regulares mendicantes in dioecesibus, ubi eorum domus est, etiam ab Ordinario licentiam quaerendi eleemosynas habeant, cum eius sententia de opportunitate et de stipes quaerendi modo quibusdam in casibus magni momenti esse possit.

2. Caleidoscopicam vestium varietatem, quando vix serio aestimandam, quando vero valetudini minus congruam, Religiosi et praecipue Religiosae exhibent. Nonne vasta reformatio opportuna esset ad maiorem simplicitatem vel etiam ad uniformitatem habitus redigendo cum congruo simplici distinctionis signo, saltem quando extra coenobium circumerrant? Quod per praecepta facere oporteret, quia hortamenta fere nihil profuisse experientia docet.

3. Considerata Sacerdotum paucitate, praecipue in magnis urbibus, opportunum videretur statuere, ut loci Religiosorum Superiores Ordinariis onerata conscientia pro posse suos Sacerdotes offerrent, qui diebus festis auxilio parochis esse possint non tantum Missae celebratione, sed etiam ad confessiones et ad paroecialia opera sustinenda quod attinet.

4. Quorumdam Ordinum Religiosi ad episcopalem vel cardinalitiam dignitatem evecti pro vestibus praelatitiis coloribus utuntur diversis ab iis, quod Praelati e Clero saeculari electi adhibent. Num uniformitas opportunior esset?

QUAEDAM DE ACTIONE CATHOLICA

1. Cum Actionis Catholicae sit bonos Catholicos formare, qui praeter commune exemplaris vitae christianae onus suscipiant etiam onus Hierarchiam adiuvandi in Regno Dei inter Fideles promovendo, quaeri potest: Cum ita in primis spirituali Sodalium bono prospiciatur, ut idonei Sacerdotum adiutores fiant, num opportunum esset considerare, si melius sit abolere veteres pias consociationes, ex. gr. « Mariae Filias », « Matres christianas » et alias, quae characterem formativum pro virtutibus christianis colendis habeant, vel easdem, statutibus opportune aptatis, uti consociationes Actionis Catholicae agnoscere, quod iam pro Congregationibus Marianis obtineri potuit?

Ut consociationes vitales sint, oportet earum curam convocationibus et sermonibus habere, quod Sacerdotibus grave est, praecipue diebus festis, si consociationes plures sunt. Insuper in paroeciis plerumque elementa meliora Sodales sunt cum piarum consociationum tum Actionis Catholicae et numerosae convocationes graves illis item ac Sacerdotibus sunt. Consequitur Consociationum imminutionem Sacerdotibus et Sodalibus prodesse, quin spirituali et sociali Sodalium formationi damnum afferatur.

2. In Italia parvulorum consociationi nomen « Lupetti » datum est, quod indecorum est: nonne opportunum esset nomen mutare? Forsitan melius esset ipsam consociationem item ac consociationem quam « Beniamine » vocant abolere, quia ob sodalium aetatem et captum fere inutiles videntur. Ne tempus fere frustra teratur, utilius videretur puerorum puellarumque organisationem ab « Aspiranti » incipere.

3. In iuvenum utriusque sexus organisationibus quodam momento plures recedunt vel etiam ad partes adversas abeunt; inter eos, qui perseverant et consociationibus superioribus nomen dant, sunt qui, vel ambitione capti, vel suae utilitatis studiosi, vel principiis parum orthodoxis blandientes divisiones provocant et valde nocent, festis diebus in genere post meridiem in paroecia parum sacris participant; quae omnia defectum formationis spiritualis manifestant. Oportet igitur quam maxime iuvenum animos doctrina et spiritu christiano imbuere, ut eorum conscientia christiana solidior fiat et a periculo declinandi a recto tramite avertantur.

Cum utilia valde conferent ad iuvenum animos sibi devinciendos docilioresque in omnibus reddendos, quod adversae partes optime noverunt et utilitatibus licitis et illicitis ad eos captandos valde utuntur, oportet maiori studio iuvenum necessitatibus obviam ire: recreationibus, ludis, deambulationibus itineribusque omnes libenter vacant; in studiis auxilium omnes studentes gratum habent; curam habere, ut pro

suis studiis vel sua professione occupationem habeant et vitae problema solvant, omnibus gratissimum est; in difficultatibus omnis generis consilio et opera praesto esse, iuvenum eorumque familiarum animi facile vinciuntur. Animadversio Sancti Augustini « Puer nucis trahitur » etiam pro iuvenibus valet eosque dociliores atque fideliores reddit; idea enim attrahit, amor vero operibus manifestatus vincit, quin dicatur id christianum esse.

Quaedam de Missionibus

1. Haud raro in Missionibus dissensiones inter Ordinarium et Superiorem religiosum oriuntur, quod bonae agendi rationi nocet, pacem aufert, scandalo bonis Missionalibus necnon Fidelibus esse potest.

Forsitan opportunum esset uni Ordinario omnem potestatem conferre.

2. In quibusdam Institutis Religiosis Superiores Maiores ab iis qui Missionibus praesunt partem exigunt subsidiorum, quae a Pontificio Opere a Propagatione Fidei illis dantur; quod non licere videtur, eo magis quod Sacra Congregatio de Propaganda Fide, cum alicui Instituto Religioso Missionem committit, oportere monet, ut non tantum Missionales suppeditentur sed ut auxilia materialia quoque illis praebeantur.

3. In territoriis missionis Seminaria interdioecesana vel intervicarialia Institutis Religiosis commissa haberi possunt: num oporteret ut Ordinarii, qui alumnos dant, si quid Moderatoribus dicere opportunum censeant circa alumnorum pietatem vel disciplinam vel studia, id facere possint. In quadam enim regione haec evenerunt: Duo Archiepiscopi et Legatus Apostolicus temporibus diversis tribus Rectoribus aliquid animadvertere circa Seminarium opportunum censuerunt, Rectores vero illos a suo officio illico dimittere ausi sunt; alius Legatus Apostolicus, auditis Episcoporum lamentationibus et eorum impossibilitate interveniendi cognita pro alumnorum disciplina et pietate restaurandis, Em.mum Praefectum Sacrae Congregationis certiorem fecit atque proposuit ut pro alumnorum formatione instauranda et ad relationes Seminarii Directionem inter et Episcopos necnon Legatum Pontificium definiendas statuta dare vellet; quod Episcopis plaudentibus et benedicentibus factum est, alumnorum spiritui valde profuit, sed ad Legatum Apostolicum quod attinet initium dolorum fuit, actoribus Religiosis apud quemdam Superiorem Maiorem facile nervis captum eoque tramite excelsius.

4. Hic illic in mundo missionali quaestio de adaptatione liturgica agitur: de qua iam in Conventu Assisii habito actum est, nunc vero alter conventus in urbe Nimega habetur. Videtur argumenta non deesse, quae huic quaestioni faveant.

In primis bonum est suspicionem auferre, quod populi occidentales suum humanum civilemque cultum populis orientalibus et afris imponere velint, quasi ipsi suas civilitates linguasque non habeant et nihil boni in suis philosophiis moribusque possideant.

Secundo si quae in praecipuis populis inveniri possunt, quae ad cultum populis acceptiorem reddendum et ad veritatum fidei intelligentiam melius expediendam apta sint, ea adhibendo aequum obsequium illis praestaretur, quod vehementer conferret ad quamlibet falsam suspicionem avertendam, ad animos ad fidem amplectendam melius inducendos, ad fidei veritates facilius explicandas, quorum omnium gratia conversionum motus celerior fieret.

Tamen opportuna videretur huius quaestionis consideratio in Concilio Oecumenico tantummodo ut quaedam principia statuantur. Ad praxim enim quod attinet oporteret, ut Comitatus in praecipuis regionibus constituerentur, quorum membra partim Missionales et partim indigenae essent, qui, scientia et prudentia praediti, studerent quid religiones, philosophiae, litteraturae, traditiones et mores offerre possent, postea suas propositiones Supremae Auctoritati facerent.

✠ LEO IOANNES BAPTISTA NIGRIS
Archiepiscopus tit. Philippensis

274

EXC.MI P. D. ANTONII RAVAGLI

Episcopi tit. Philippopolitani in Arabia, Coadiutoris c. s. Mutilensis

Mutili, d. 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ad ven. Litteras I C/59-2572 respondendum puto coram Deo:

DE DOCTRINA

Quoniam enixe optatur unio omnium christianorum in unica vera Ecclesia catholica videtur inopportuna novorum dogmatum definitio, quae enim redderet difficiliorem, praesertim quoad Ecclesiam orthodoxam, auspicatam unionem.

Quoad Liturgiam in votis est expositio certa eius doctrinae et clarus ac simplex codex liturgicus; praeterea recognitio librorum liturgicorum.

Denuo et sollemniter — iuxta recentia documenta pontificia — dam-

nentur huius aetatis errores contra fidem et mores (communismus atheus, naturalismus, existentialismus atheus, etc.).

Expositio, quasi codex, doctrinae socialis Ecclesiae desideratur (officia et iura individui, familiae, societatis civilis, ibi inclusis relationibus inter Ecclesiam et Rem Publicam).

De Disciplina

1. Amovibilitas parochorum, certis quidem cautionibus, quae haberi possunt per instituta iam in *C.I.C.* existentia ad auxilium Episcoporum in Dioecesis regimine.
2. Immutatio tituli ordinationis, ita ut facilius sacerdotes de propria dioecesi in aliam transferri possint.
3. Inclusio Cleri Regularis in apostolatu dioecesano, aliquid immutando de instituto exemptionis.
4. Inquisitio alicuius instituti pro miseris sacerdotibus apostatis, praesertim concubinariis, ut redeant ad Deum, firma autem disciplina de castitate perfecta sacerdotum in Ecclesia latina vigente.
5. Emendatio disciplinae de administratione beneficiaria, honestam sustentationem omnium sacerdotum tuendo.
6. Exstinctio aut coniunctio legatorum Missarum parvae entitatis, data Episcopis apta auctoritate.
7. Disciplina de ieiunio et abstinentia servandis actuali mitigatione vigens claro sermone firmetur.

De Pastorali

Officii « Actionis Catholicae » confirmatio et in *C.I.C.* ad hoc ipsum tituli insertio.

Quoad Catechesim deferre alicui consilio onus textum catechismi pro adultis componendi (ut « Catechismus ad Parochos » Conc. Trid.), item alterum textum pro pueris, expressum una cum Iesu Christi vita, puerorum menti accommodata. Hi textus — lingua latina exarati — totam Ecclesiam obligare deberent et pro omni natione facienda eorum translatio, uti dicitur officialis, in lingua vulgari.

Veniam humillime peto si qua, de supra scriptis, minus apta videantur, dum Eminentiae tuae me profiteor

Dev.mus in C. I.

✠ Antonius Ravagli
Episcopus tit. Philippopolitanus in Arabia
Coadiutor Mutilensis

275

Exc.mi P. D. LAURENTII M. BALCONI

Archiepiscopi tit. Hierapolitani in Phrygia

Mediolani, 7 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Respondeo litteris Eminentiae Vestrae datis die 18 iunii huius anni de iis quae in proximo Concilio tractanda utiliter possent.

Ut patet, quia Episcopus titularis sine cura Dioecesis, quaedam tantum generalis ordinis hic adnotare volui, remittens omnia prudenti iudicio Commissionis Praeparatoriae Concilii.

Omni qua par est reverentia genuflexus deosculans Sacram Purpuram, me profiteor.

✠ Laurentius Maria Balconi
Archiepiscopus tit. Hierapolitanus in Phrygia

Haec notanda mihi videntur:

1. De Clero. Agitatio quaedam iuniorum Sacerdotum quibus adhaerent etiam nonnulli provectioris aetatis intendit obtinere a S. Sede cessationem caelibatus quem dicunt ingratum et inutile ligamen. Omnes autem meliores et doctiores auspicant quod antiqua regula maneat et vigeat.

2. Ab iunioribus nonnullis desideratur ut permittatur eis amicam habere quae valeat eis consolationem in doloribus et angustiis procurare, quod munus difficulter a viris eodem sensu et affectu impleretur.

3. Contendunt nonnulli ut mutetur habitus clericalis ita ut sacerdotes habitum saecularem induere possint. Quod fere ab omnibus reprobatur.

4. Gravissima quaestio nuper agitata est, scilicet ut more Apostolorum, Diaconorum institutio renovetur.

Quaestio tamen quae unice a S. Sede definiri potest, fere omnibus minus practica videtur, quia et coniugati assumerentur et deficente facultate Missam celebrandi et confessiones audiendi, nihil aliud isti agere possent quam quod in Missionibus iam faciunt catechistae.

Immo insinuatio quaedam videtur illorum qui coelibatus cessationem exoptant cum laicis iam coniungatis permitteretur ad haec munera accedere.

5. Nova doctrina aut potius novum systema morale ab aliquibus vulgari coeptum est quod « Folkorismum » vocant. Fautores novi huius sy-

stematis dicunt se propagatores puri Evangelii et contendunt quod conventus ab iisdem habiti Superioribus non denuntientur. Conventus autem frequentantur a membris ex maxima parte iuvenibus utriusque sexus, et in iis cum Sacerdotibus agunt de actuatione puri Evangelii etiam per collectionem pecuniae et distributionem egentibus.

6. Omnia supradicta displicent maiori et saniori parti cleri, qui rogare vellet S. Sedem ut auctoritate sua reprobaret hoc systema.

7. Pericula pro clero, praesertim pro iuveni clero sunt quaedam mulieres a sectis secretis adhibitae, ut simulantes conversionem aut exigentes conversationem titulo instructionis intendunt tamen sacerdotem sibi vincire ut deceptus cadat.

Sunt etiam quae simulantes a sectis secretis velle exire, Sacerdotem explorant num facilis sit capturae.

8. Sectae Massonicae iam a tempore videntur intensiorem actionem agere per medium aliquorum qui pacto stipendio sibi inserviunt.

Hoc modo particulas consecratas colligunt et in comitiis secretis nefandis ritibus profanant. Facta super allata mihi descripserunt ipsi auctores, qui ad me venerunt ut propriae conscientiae consulerent. Iudico autem quod et hi non intentione conversionis sed tantum ad explorandam mentem meam venissent.

9. Caeremonia qua in Missa clericus elevat planetam ad elevationem Hostiae et Calicis non habet amplius cur exequatur et bonum videretur eam abrogare, quia praesertim ubi sunt acatholici admirationem excitat ut inquirant quid momento tam sollemni obtendere velimus.

10. Quod Sacerdos se vertat ad populum pro « Dominus vobiscum, Orate fratres ecc. ... », non amplius videtur conveniens, cum crescant in dies altaria, in quibus Sacerdos celebrat versus ad populum.

11. Quaerunt nonnulli Sacerdotes qui regulariter Missam celebrant secundum ordinem dioecesis, quando obveniunt Missae particulares sicut in Quadragesima, in octava Pentecostes ecc., is convalescentes a morbo vel aliquo legitimo impedimento gravati, ut, celebrare possint Missam defunctorum vel B. M. V. quin ab Ordinario petant auctoritatem.

12. Conqueruntur multi quod ars moderna in ecclesiis nimis audacter introducatur, ut devotioni officiat et artem ipsam offendat. Vidi statuam ex marmore Sanctae Patronae alicuius ecclesiae, quae erat verum monstrum.

13. Communismus est vere maximum hodiernum periculum, sed diversimode iudicatur a multis. Pessimistae iudicant nil amplius possibile nobis, optimistae vero nimis facilis oppugnatio huius erroris. Vero praxis esset quae medium iter teneret. Facta probant quod ubi strenue laborant

Sacerdotes et laici, mirabiles consequi possunt effectus. Ego ipse vidi pagos totaliter in manibus communistarum et post mutationem Sacerdotis etiam vultum pagi totaliter mutasse ita ut tota administratio in manibus catholicorum veniret. Defectus catholicorum est in primis deficentia disciplinae ita ut non omnes arcte oboediant directionibus Superiorum.

14. Lex ieiunii Eucharistici benigne reducta ab Ecclesia occasionem dedit multis et variis interpretationibus ita ut nonnulli abusus irrepserint. Bonum videretur si praecisatio de sensu concessionis daretur a competenti auctoritate.

15. Dicitur quod clerus non est amplius sufficiens ad munera sibi propria implenda. Notandum tamen mihi videtur quod distributio non sit aeque facta. Ubi anteactis temporibus unus Sacerdos sufficiebat, hodie facile invenies praesertim apud religiosos quinque vel sex iuvenes.

16. Etiam distributio mediorum ad vitam necessariorum indiget correctione, quia multi superabundant omnibus mediis et multi etiam deficiunt necessariis.

17. S. Congregatio Seminariorum et Universitatum Studiorum instructionem edit in qua hortabantur rectores scholarum et collegiorum catholicorum qui assumunt docentes laicos utriusque sexus, ut diligenter observent Leges Statutas de stipendio et modo tractandi docentes, semper prae oculis habentes quod hi laborant pro pane quotidiano suo et familiae. Et ideo non solum res est iustitiae sed et caritatis eos convenienter tractare. Vere ingratum est audire aliquando docentes huiusmodi protestare quod recurrendo ad communistas facilius obtineretur iusta accommodatio.

18. Quia multi sunt missionari qui in persecutione communista sinensi mala passi sunt et venit ut missionarii isti saepe interrogentur de persecutione et de experientia ab ipsis facta, in his occasionibus repetitis vicibus accidit ut aliquando, bona aut mala fide, nescio, describunt falsa, amplificata et imprudenter dicta. Legi libellum in quo missionarius describebat suam captivitatem, quem superior alicuius Instituti prohibuit ut intraret in domibus sibi subiectis, quia falsa dicebat. Etiam « Crociata Missionaria » publicavit relationem acceptam sed quae falso monstrabat missionarium a communistis vexatum, quod verum non erat. Hoc factum occasio fuit ut « l'Unità », ephemerides communista, scriberet: si missionarii falsa publicant contra nos, signum est quod vera facta de qubius nos accusare possint, non habent.

In meis peregrinationibus causa functionum religiosarum audivi referre a Sacerdotibus et laicis facta quaedam a quodam missionario narrata, quae mihi constat falsa fuisse. Errant ergo qui adhuc putant licitum esse facere mala, ut eveniant bona.

19. Repetitis vicibus interrogatus fui quomodo missionarius qui

semper uti pauper est habitus, possit tales eleemosynas distribuere ut benefactor insignis haberi possit. Explicationem mihi dederunt, quod tempore expulsionis potuit feliciter abscondere et secum ferre capitalia missionis et ideo propter hoc possibilitatem nunc eleemosynas largiendi possidere.

20. His ultimis temporibus nonnullae prodierunt novae versiones S. Scripturae, quae omnes contendunt se melius referre sensum auctoris. Desideraretur tamen cognoscere qualem versionem praeferat Ecclesia.

21. Discussum est ab aliquibus num conveniat mutare linguam liturgicam latinam cum italica; sed fere omnes reprobant propositum. Vellent ergo ut in unaquaque Natione lingua vernacula introducatur.

22. Sciunt omnes quanta severitate et cura S. Congregatio Rituum tractet causas Servorum Dei; sed mei muneris puto notandum quod promotores causarum non semper eadem gravitate et cura agere, unice solliciti ut obtineatur Decretum introductionis causae.

✠ Laurentius Maria Balconi
Archiepiscopus tit. Hierapolitanus in Phrygia

276

Exc.mi P. D. ALBERTI CASTELLI
Episcopi tit. Ierichuntini

Manliani in Sabinis, die 30 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Veneratae epistolae Eminentiae Tuae Rev.mae (Prot. N. 1 C/59-2591) rescribens, sequentia argumenta in Concilio Oecumenico discutienda, utpote pro communi Ecclesiae bono utilia, submisse proponere audeo:

1. Adversus hodiernas tendentias sic dictas humanisticas quae technicum progressum nimis extollentes parvi vel nihili supernaturalia faciunt, Personam, Opera et Doctrinam Domini Nostri Iesu Christi in lucem proferre apprime necessarium duco, dogma praesertim Mystici Corporis illustrando.

Haec praecipue veritas inculcari debet: Nec progressum temporalem cum consequentibus bonis obtineri posse, nisi ratio habeatur de supernaturalibus bonis deque doctrinis quae Salvatoris Incarnatio mundo attulit quaeque Ecclesia docet et tuetur, quamquam Regnum Dei non est de hoc mundo (*Io.* 18, 36).

Asserentibus nostra problemata humana esse, ideoque ab hominibus mediis exclusive humanis solvenda, animadvertendum est Hominem Iesum Christum praesentem esse, qui nonnisi stulte inepteque ignorari potest. Christus homo personaliter dum inter nos degeret, sequentibus vero saeculis mediante Ecclesia, hominum problemata nec ignoravit nec despexit, verum omnia sub luce principium supernaturalium resolvit.

Poterunt ita determinari relationes quae intercedunt inter Christi redemptionem et hominum temporalem felicitatem, inter vitam politicam et religiosam, inter instituta socialia et ecclesiastica; praecipue autem necessitas absoluta et praeminens christianae caritatis stabilietur.

2. Ad viam fratribus separatis ut ad ovile redeant struendam, Concilium Oecumenicum *ens quoddam* excitare deberet cuius sit munus omnia colligere quae a fratribus separatis agitur vel imprimitur, in primis vero eorum iudicia et praeiudicia circa Catholicam Ecclesiam; et eorum reactiones ad singula acta Ecclesiae. Attente demum praescrutanda erunt omnia conanima eorum ad aliqualem unitatem uno aliove modo assequendam adhibita.

Hoc ens concipi posset uti *centrum studii* quod excitet et coordinet apud unam vel aliquas Catholicas Universitates universas catholicas activitates quae student amplius perfectiusque ecclesias separatas cognoscere earumque conversionem iuxta normas supremae Auctoritatis procurare.

Centrum ipsum advigilare quoque deberet super omnes catholicas activitates quae ad unionem assequendam utcumque adlaborant, eum in finem ut si eaedem sanae prudentesque exstent foveantur, si e contra inepto zelo moveantur vel per vias falsas periculosasque incedant, corrigantur.

Talis entis fundamentum erunt aptae declarationes circa salutem exclusive in Ecclesia assequendam, circa vocationem omnium hominum ad redemptionem, itemque circa Hierarchicam constitutionem Ecclesiae.

3. Valde optandum puto ut Concilium Oecumenicum normas ferat ad vitandum ne sacerdotes directa administratione bonorum temporalium, praecipue immobilium, (uti praedia praesertim beneficialia) graventur, quod si eveniat liberius suae sanctificationi iidem sacerdotes operam dare, itemque felicius sacro ministerio incumbere valebunt.

Equidem modo pars cleri curae animarum addicti cotidie praeoccupationibus ordinis oeconomici et pecuniarii opprimitur: exinde non rari lugendi oriuntur conflictus parochum inter et paroecianos cum gravi iactura pro personali aestimatione parochi et consequenter — quod peius — pro efficacia eius sacri ministerii. Adde praedia paroecialia non raro in peiori versari conditione quam cetera: parochum, utpote terrae

dominum, a subditis automatice inter capitalistas annumerari ideoque inter pauperum hostes.

Si e contra sacerdotes et parochi potirentur, sicut universi eiusdem classis — puta magistri, functionarii, etc. — adaequato salario seu retributione, cum subsidiis pro expensis cultus et operum paroecialium, vel per status contributa vel per dioecesanam administrationem, nemo non videt quam facilius sacerdotes ipsi ad suum sacerdotalem colendum spiritum, ad studia explenda praesertim pro sermonibus parandis et pro catechisticis instructionibus meditandis, et pro directione animarum in confessionibus recte procuranda, incumbere assidue possent, ne dicam de operibus educativis, socialibus et caritativis excitandis et dirigendis.

Dum Sacram Purpuram devote deosculor, occasionem nanciscor me cum maximi obsequii sensibus confirmandi

humillimum in Christo servum
✠ ALBERTUS CASTELLI
Episcopus Ierichuntinus

277

Exc.mi P. D. LAURENTII GARGIULO

Archiepiscopi tit. Germensis in Hellesponto
Coadiutoris c. s. Caietani

Die 29 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Venerandae Epistulae Tuae respondendo diei 18 elapsi iunii (quae ad me initio mensis augusti pervenit) officium adimpleo humiliter Tuo iudicio subiciendi quaedam argumenta, praecipue ad disciplinam pertinentia, quae, ut mihi videntur, in futuro Concilio tractari poterunt.

1. Omni ope atque opera eniti ut christianorum unitati faveatur, v. gr. colloquia fovendo doctos catholicos inter atque acatholicos.

2. Studere aptioribus rationibus componendi, in singulis locis, activitates omnes apostolicas a quibusvis peractas, praesertim cleri saecularis atque regularis, quodammodo Episcopo Dioecesano unico duce.

3. Maximo momento perspecto religiosae institutionis, considerare opportunitatem constituendi novam Sacram Congregationem Romanam, cuius officium erit promovere ac dirigere quidquid ad praefatam institutionem religiosam quoquo modo spectet.

4. Studere opportunitati catechismum adultorum fovendi ope brevis explicationis catecheticae, tradendae in omnibus Missis quae diebus festis celebrantur, ita ut totum argumentum tribus vel quattuor annis perficiatur.

5. Opportunitatem considerare abolendi vel saltem multum mitigandi parochorum inamovibilitatem, quae saepe magnam difficultatem Episcopo opponit in dioecesis pastorali regimine.

6. Opportunitatem perspicere, expleto studiorum curriculo, praemittendi ordinationi sacerdotali unum aut duos annos pastoralis vitae apud sedulum ac bonum parochum peragendae, praesertim ut ordinandi castitas comprobari possit antequam coelibatus sacerdotalis onus ipse assumat.

7. Consulendi causa exiguo numero sacerdotum, qui omnia munera ipsis commissa obire nequeunt, considerare an opportunum sit conferre iuvenibus aptis et bene paratis ordines minores vel etiam subdiaconatum; et ipsis postea committere munera minoris momenti, sine onere tamen coelibatus.

8. Opportunitatem considerare dispensandi ab impedimento dirimente matrimonium sacerdotes apostatas in periculo mortis constitutos.

Magno cum obsequio, ex corde me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum

✠ Laurentius Gargiulo
Archiepiscopus tit. Germensis in Hellesponto
Coadiutor Caietanus

278

Exc.mi P. D. PHILIPPI AGLIALORO

Episcopi tit. Germenensis in Galatia, Auxiliaris Panormitani

Panormi 3 septembris 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Plurimas Eminentiae Tuae Reverendissimae refero gratias, quod mihi dignatus sis mittere litteras de Pontificia Commissione antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, a SS.mo D. N. Ioanne Pp. XXIII feliciter regnante, suprema Sua auctoritate Apostolica, indicto.

Dum Beatissimo Patri humiles et intimos meos sensus profundae venerationis et absolutae fidelitatis profiteri laetor, Eminentiae Tuae Reve-

rendissimae et Commissioni, cui dignissime praesides, has paucas meas opiniones, si et quatenus quid valeant, breviter submittere audeo.

1. Prae oculis habitis praesentibus humanae societatis conditionibus, opinor perpendendum esse et penitus reformandum parochorum inamovibilium ius, ut locorum Ordinariis plena detur libertas providendi, instanter et necessario, gravibus circumstantiis, quae accidere possint.

2. Item, meo iudicio, recognoscenda est cuncta materia, quae Ordines Religiosos spectat, praesertim quoad exemptionis privilegium.

Nam, Religiosi, cum ab Ordinario loci sacram ordinationem ac facultates pro ministerio sacerdotali exercendo recipiant, ceterum ab Eorum iurisdictione prorsus exempti evadunt in casibus quoque verae necessitatis, magno cum detrimento — deficiente hodie sacerdotum numero — circa christifidelium curam spiritualem.

3. Examinandos denique censeo omnes iuris canonici canones de Clericorum disciplina, atque de consociationibus catholicis, vulgo « Organizzazioni cattoliche », ad bene firmandum oboedientiae et subiectionis fundamentum erga Auctoritatem Ecclesiasticam, ut, per vitae interioris opulentiam, ubique floreat spiritus rerum omnium contemptionis et verae morum integritatis, quae valde necessariae sunt pro fecundo apostolatu et pro pleno Iesu Christi imperio inter perversam hominum societatem, opitulante Immaculata Virgine Maria.

Toto corde ominor multos fructus spirituales venturos esse in orbem terrarum ex Concilio Oecumenico, measque ad hunc finem fervidas preces effundo.

Eminentiae autem Tuae et Pontificiae Commissioni suppliciter invoco iugem Spiritus Sancti adsistentiam pro ingentibus laboribus, quos sustinere debetis ad Dei gloriam, ad Ecclesiae honorem et utilitatem, ad animarum salutem.

Hanc libenter nactus occasionem, Eminentiae Tuae Reverendissimae Sacram Purpuram devote osculari gaudeo.

Addictissimus servus in C. I.

✠ PHILIPPUS AGLIALORO
Episcopus tit. Germenensis in Galatia
Auxiliaris Panormitanus

279

EXC.MI P. D. ROGERII R. CAZZANELLI
Episcopi tit. Gindarensis

21 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Ad osculum S. Purpurae humiliter provolutus, Eminentiae Tuae Reverendissimae gratias ago quam maximas pro Tua Veneratissima Epistula diei 18 iunii ad me missa, quae ad me die 2 augusti pervenit, cum qua benignissime me invitabas, ut mei animi sensus Tibi aperirem circa argumenta tractanda in futuro Concilio Oecumenico. Ne cum prolixitate molestus evadam, breviter aliquid cum libertate exponam.

1. Mihi videtur tractandum esse de definibilitate doctrinae, iam communis, quae tenet B. V. Mariam universalem Mediatricem omnium gratiarum.

2. Definienda doctrina inter theologos controversa, in quo revera consistat essentia Sacrificii Missae. Hoc non solum doctrinaliter, sed etiam practice magni momenti esse potest, praesertim in Missionibus ubi sacerdotes saepissime deficientia vini laborant.

3. Desideratur ex parte Concilii nova et solemnis condemnatio materialismi, naturalismi, positivismi: errores simpliciter damnentur, et cum perspicuitate catholica doctrina exponatur.

4. Contra laicismum modernum clare tradenda est et doctrina Corporis mystici et doctrina de natura missionis Ecclesiae, quae cum sit, ex sua natura, spiritualis, essentialiter transcendit res mere materiales et temporales, etsi circa ipsas suam magisterii potestatem exercere valeat.

5. In tractanda unio cum ecclesiis dissidentibus cum maxima caritate, humilitate et mansuetudine agatur; sic amor veritatis unice ostenditur. Duo praecipua fundamenta unionis ponantur, scilicet: Primatus Romani Pontificis eiusque Infallibilitas, quae fundamenta ex fontibus historicis bene perpensis eruenda sunt. Quaestiones quoad diversitates in vita practica facilius postea componentur.

6. Inveniantur media efficaciora ad impediendam propagationem protestantismi, quia ubique terrarum est unum ex maximis periculis contra nostram fidem.

7. Dantur sapientes leges Ecclesiae, quae residentiam clericorum praecipiunt; sed quotannis semper minus observantur, quia etiam clerici curae animarum addicti, saepissime a propriae residentiae loco ab-

sunt, et hoc magno cum scandalo et murmurationibus fidelium et cum animarum damno. Instanter ergo urgenda est legum observantia.

8. Vita vere evangelica, imprimis quoad paupertatem et simplicitatem, tam a clericis saecularibus quam ab utriusque sexus religiosis parum in praxim deducitur. Bonum exemplum deest, quod animas attrahit, dum e contra spiritus mundanus, qui luxum et voluptates quaerit, securus ubique penetrat, non pauca et parva mala secum afferens.

9. Multi sacerdotes saeculares divitiis abundant, dum alii in summa egestate versantur; quod saltem non aequum videtur et certe fidelium admirationem excitat. Modus inveniendus est, quo bona temporalia inter sacerdotes cum aequitate et iuxta necessitates distribuantur.

10. Maximi momenti mihi videtur agere de problemate vocationis eorum qui ad statum clericalem vel religiosum adspirant et normae ad hoc vel condere vel colligere, imprimis in materia castitatis. Leges iam existentes passim in variis decretis vel documentis dispersas inveniuntur.

11. Detur organica expositio doctrinae quoad naturam et indissolubilitatem matrimonii et etiam quoad coniugum obligationes.

12. Saepe inveniuntur curatores animarum, cuiusque gradus vel dignitatis, qui ob vel senectutem, vel ob infirmitatem, vel ob nimis longam commorationem in eodem loco, non amplius cun fructu animarum laborare possunt; sed eorum praesentia potius in damnum vertitur animarum. Cur non dantur leges, quarum vi a competente auctoritate, vel ad renuntiationem invitentur vel etiam cum facilitate ad renuntiationem adigantur.

13. Urgendum est apud Ordinarios dioecesium, quae adhuc copiosum numerum sacerdotum possident, ut suis clericis cum facilitate facultatem petendi Missiones apud infideles concedant. Non raro sacerdotibus in dioecesibus officiis committuntur, quae a probis et peritis laicis absolvi possunt.

14. Maxima pars Missionum inter infideles, ab Ecclesia, Institutis Religiosis commissa est. Nihilominus in multis dioecesibus leges habentur tam restrictivae pro activitate missionaria ex parte Religiosorum et Religiosarum, ut videantur potius in proprium commodum, non Ecclesiae laborare. Et hoc certe damnum affert tam ideae missionariae, quam ad promovendas inter iuvenes vocationes, et etiam non favent generositati fidelium in favorem missionum. Dentur leges ad hoc generales.

15. Perspicue exponantur dignitas sublimitas et momentum statuum perfectionis; tales enim status non semper qua digni sunt aestimatione habentur.

16. Experientia testante et probante, valde utile esset si, a competenti auctoritate probati viri eligerentur tamquam Visitatores pro Insti-

tutis Religiosis Mulierum, quibus incumberet munus, determinatis temporibus, visitationem canonicam peragendi in domibus Religiosarum et postea vel Ordinariis locorum vel S. Congregationi de Religiosis referendi. Visitatio enim peracta a propriis Superioribus Instituti, ob passiones mulierum, multoties finem visitationis non attingit.

17. In Kalendario Ecclesiae tam in Missa quam in recitatione Divini Officii simplificatio fiat: conserventur pro Ecclesia Universali festa Domini, B. M. Virginis, Apostolorum, Doctorum et Sanctorum Fundatorum alicuius Religionis. Reliqua festa ecclesiis particularibus relinquantur, ita tamen ut saepe saepius officium feriale habeatur.

18. Ritus et sollemnitas tam in administratione Sacramentorum quam Sacramentalium, tam pro divitibus quam pro pauperibus aequales sint, abolita omnino qualibet differentia, ita ut coram Deo et coram Ecclesia omnes fideles pares se sentiant, sicut filii eiusdem patris et matris.

19. Non est obliviscenda miseranda conditio eorum qui, etsi ministri Christi, tamen ad statum laicalem reducti sunt. Eorum numerus in Ecclesia iam magnus est, proh dolor! cotidie augetur. Pro istis difficillimum est servare sacrum coelibatum pro tota vita, et triste est semper in peccato manere. Non est possibile viam invenire, ut etiam isti infelices cum Deo, cum Ecclesia et cum propria conscientia, reconciliari possint?

20. Materiale tam copiosum pro Concilio Vaticano iam praeparatum et nondum in praxim Ecclesiae deductum, iterum proponatur et in quantum opportunum fuerit, in praxim deducatur.

✠ ROGERIUS R. CAZZANELLI
Episcopus tit. Gindarensis

280

EXC.MI P. D. SERGII PIGNEDOLI

Archiepiscopi tit. Iconiensis, Auxiliaris Mediolanensis

Milano 2 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Mi onoro inviare alla Eminenza Vostra Reverendissima la risposta (in lingua latina e italiana) alla Venerata Lettera di V. E. in data 18 giugno u. s. prot. N. 1 C/59-2608.

Chiedo umilmente scusa del mio ritardo, dovuto soprattutto al fatto che (forse per un disguido degli Uffici Postali) ho ricevuto la Letterra di V. E. soltanto in data 19 agosto u. s.

Colgo volentieri l'occasione per rinnovare a Vostra Eminenza Reverendissima l'espressione della mia devozione filiale e del mio ossequio.

Di Vostra Eminenza Rev.ma obb.mo Dev.mo umil.mo servo

✠ Sergio Pignedoli
Arcivescovo tit. di Iconio

Eminentissime Princeps,

Ad veneratissimam Epistulam Tuam de proximo Concilio Oecumenico, quam a. d. XIV Kalendas Iulias accepi, subdito animo respondeo.

Quoad doctrinae capita

Hodie inter hominum animos potius quam peculiares formalesque haereses vel errores de vera Religione, *vitae naturalis sensus* diffunditur (quasi « diffusa haeresis ») qui negat vel saltem ignorat, ratione et doctrina, vitam supernaturalem esse et, valore et praestantia, rebus naturalibus temporalibusque praeesse. « Marxismus », « Existentialismus », « Laicismus », « Technicismus », « Historicismus » genera sunt huiuscemodi naturalis sensus vitae, dissimilia modo et gravitate.

Etiam apud homines Ecclesiae proximos, vel saltem non adversos, ignorantia late diffunditur rerum supernaturalium, quae saepe pro nihilo ducuntur, perinde ac iudicentur ab hominibus fere « semipelagianis » saltem pragmaticis nisi dogmaticis.

Cum Concilia Oecumenica, ex instituto, antiquitus operam dedissent illis quaestionibus quae maxime ad problemata erroresque eorum temporis pertinerent, mihi videtur opportune *Concilio futuro agendum esse de doctrina existentiae vitae supernaturalis, ut finis praesentis humani generis singulorumque hominum* (resumendo in his quaestionibus schemata in Concilio Vaticano iam proposita).

Ut autem haec doctrina multo vitalius valeat, solemniter proponenda videtur *doctrina de inhabitatione Spiritus Sancti.*

Argumenta nuper proposita non modo ad errores temporis nostri pertinent, sed etiam « communitatibus christianis separatis » accepta esse possunt, praecipue orientalibus: quod levioris momenti non est, cum Summus Pontifex saepe Concilium ad unitatem christianorum conficiendam spectare significavisset.

Argumentum vitae supernaturalis et omnium hominum vocationis ad salutem in aliud caput doctrinae hodie peropportunum inducit, id est de Ecclesia, de eius unitate et necessitate ad salutem mundi. De qua

doctrina, si Concilium eam posuerit inter disciplinas ponderandas, duas has animadversiones submisse propono:

1. Si relationes Ecclesiae, societatis Gratiae, cum rebus temporalibus huius saeculi, in quo Ipsa operatur, observentur et definiantur, multa elementa veritatis (de quibus hodie disputatur) clarescant de rationibus inter res naturales et mundum supernaturalem, ut exempli gratia, rationes inter vitam religiosam et vitam civilem, inter Ecclesiam et Rem Publicam etc.

Haud dubio maximae utilitatis esse videntur in his quaestionibus solemnes declarationes vel definitiones, quae multorum laicorum hominum expectationi respondeant.

Attamen argumenta quae memoravi detrimentum inferre possunt, quia Concilium in suspicionem vel in falsam interpretationem venire potest, hominum malevolentia vel cognitionis defectione, ita ut optata maior unitas christianorum in discrimen veniat. Quare, mea submissa sententia, haec argumenta contingentis momenti ordinario Ecclesiae Magisterio relinquenda sunt vel, ad summum, generalibus declarationibus circumscribenda.

2. Concilium Vaticanum doctrinam de Summi Pontificis, Petri Successoris, auctoritate definivit. Futurum Concilium (operam pergens iam a Concilio Vaticano dispositam) doctrinam de potestate Episcoporum, Apostolorum successorum, ponderare potest. Duae Ecclesiae columnae etenim Petrus et Apostolorum Collegium sunt.

Speciali modo opportuna videtur investigatio et definitio sacramentalis valoris episcopalis consecrationis. Haec definitio enim lumen adhiberet ministerio peculiari et necessario Episcoporum in Ecclesiae vita, non tantum iurisdictionis, sed verae authenticae et plenae « potestatis generandi » in omnibus rationibus vitae supernaturalis, ex consacrationis charismate.

Circa spiritualem « fecunditatem » et paternitatem Episcoporum (una cum Summo Pontifice), Ecclesiae vita coniunctior fieret, in unitate Cleri saecularis et Regularis (unum ex propositis a Summo Pontifice significatis), in unitate laicorum hominum simul operam dantium sacerdotibus, quod hodie late crebrescit, necessitatem afferens disciplinae et explanationum.

Quoad disciplinam Cleri et Populi christiani

Cum Summus Pontifex emendationem legislationis canonicae nuntiavisset, pleraque problemata vitae pastoralis, studii, vitae liturgicae, structurae etc. quae Ecclesiae pro temporum vicissitudinibus occurrunt, in eam sedem differenda videntur.

Terminis ergo certis aliqua argumenta quae, humili mea sententia rationis et diligentiae mihi digna videntur, circumscribo:

1. *Incrementum communis operae Episcoporum Nationum et Regionum Conciliarium* (sub Sanctae Sedis auctoritate), ad communes declarationes doctrinales magisterii ordinarii, et ad actiones pastorales generalis utilitatis faciendas.

Haec opera communis, iam partim ad effectum adducta, cum in ecclesiastica traditione sit, etiam hodiernis necessitatibus respondet, quia problemata diversa rerum administrationis, doctrinae, scientiae, structurae civicae etc. magis magisque fines proferunt ita ut communia atque etiam universalia fiant.

Ab unitate notionum et consiliorum, beneficia usu acciperent in primis Catholicae Missiones, pro quibus hodie Catholicae Nationes partem minimam impendunt prae sumptibus intestinis. Beneficia notabilia etiam multa alia opera acciperent, ut ars cinematographica, ars impressionis, studia superiora, subsidia caritatis etc.

2. *Disciplina Cleri Regularis quod attinet ad vitam pastoralem.* In vita pastorali omnis actio et operatio, sive Cleri Saecularis sive Cleri Regularis, subiicenda essent Episcopi auctoritati: iam vero agitur de operis quae in eiusdem locis conficiuntur et saepe pro iisdem hominibus: quare carentia imperii unitatis solum operae efficacitati perniciosa esse potest.

3. *Institutio Diaconorum qui tales maneant absque sacerdotali ordinatione*: in « mundo » vivere possent, liberas professiones profitentes, et sacerdotes adiuvantes in animarum cura, christianae doctrinae institutiones docentes, et forsitan parva « tabernacula » custodientes domi suae ita ut SS. Sacramentum facilius visitetur et S. Communio a fidelibus accipietur, in horis opportunioribus incolis magnarum urbium insularum et magnorum locorum studii et laboris.

4. *Renovatio rationis qua in Seminariis Clerus Dioecesanus et Regularis fingitur et renovatio curriculi studiorum,* praesertim « praeter sacras scientias praecipuas) pastoralium studiorum, sine exclusione principalium « religionum » orbis terrarum et — saltem pro aliquibus sacri ordinis alumnis — studii sufficientis alicuius sermonis exteri: quae studia hodie opportunissima videntur cum, itineribus increbrescentibus, consuetudines quotidie frequentiores fiant quas Clerus cum incolis alienorum nationumque religiosarum confessionum iungit.

5. *Defensio institutorum catholicorum* (*Actio Catholica etc.*) *a « spiritu saeculi »*: quae necessitas hodie praecipue animadvertitur.

Defensio haec postulat, ad Clerum et Laicos « militantes » informandos, ut denuo cum auctoritate praestantia auxiliorum supernaturalium

supra auxilia naturalia revocetur: Ecclesiae praesentia in mundo semper spectanda videtur ut « sanctificatio mundi », non ut « mundi aedificatio adversus mundum ».

(Notandum est: Cum pro argumento doctrinali, tum pro argumentis disciplinae et pastoralis curae, submisse arguo Concilio, longorum catalogorum et enuntiationum loco, *edicenda esse pauca documenta praecipua,* cum principiis doctrinae et usus, ut efficacia maximi momenti in Ecclesiis consequatur, et vehementius in communi omnium consensu res incidat).

Aliqua praescripta levioris momenti ad Concilium bene disponendum

Quod attinet ad bene Concilium disponendum externa commoditate, omnino submisse sequentia consilia audeo proponere:

1. Opportune Potestates non-catholicae (si forte ad Concilium vocentur) non tantum per epistulam, sed per personas vere paratas prudentesque invitentur.

2. Opportune sive pro Catholicis Praelatis sive (et praesertim) pro Potestatibus non-catholicis forte invitatis, hospitalitas maxime curanda est, ut in domo Patris Communis et in Curia Christianitatis suo commodo commorentur.

3. Opportune quam primum « Ufficio Stampa » constituendum est maxima cura, quod pro communi omnium sensu, verum Concilii aspectum ostendat, in christianis gentibus mentem rerum supernaturalium et Ecclesiae fiducia plena diffundat, omniumque, etiam valde alienorum a doctrina christiana, animum vehementer impellat ad bene serioque cogitandum de magno religioso eventu Ioannis XXIII Pontificatus.

Occasionem amplector ad denuo significandum Eminentiae Tuae obsequium meum devotum et filiale, Sacram Purpuram devote osculans.

Eminentiae Tuae Rev.mae humill.mus dev.mus oboed.mus

servus in Christo Domino

✠ SERGIUS PIGNEDOLI
Archiepiscopus tit. Iconiensis
Auxiliaris Mediolanensis

281

Exc.mi P. D. GULIELMI BOSETTI

Episcopi tit. Hipponensis, Auxiliaris Brixiensis

Brescia, 28 augusti 1959

Mihi pergratum est respondere litteris huius Pont. Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico N. 1 C/59-2611.

Magna cum humilitate nonnulla argumenta tractanda in Concilio audeo proponere:

I. *De catechesi christifidelium*

Puto christifideles erudiendos esse praesertim in illis paucis veritatibus quae fundamentum fidei et vitae christianae sunt. Si, quod dolendum est, iam non frequentant scholam doctrinae christianae, necesse est illas veritates theologicas impertiri, saltem per decem puncta (10 minuti), dum fideles astant missae festivae celebrationi, loco explicationis pericopae evangelicae, quae modicum fructum adfert. Oportet quod illa expositio dogmatum sit bene praeparata, si possibile est, a viris ecclesiasticis optime peritis sive in doctrina sive in re pastorali, et a sacerdote oratore bene meditata et assimilata.

Tunc vita erit vere christiana et fide et praxi; hodie e contra est tantum apparenter christiana, fundata tantum in devotionibus particularibus et non in veritate dogmatica. Permulti dicuntur christiani quia invocant aliquos sanctos, cereos accendendo, sed negligunt vitam sacramentalem et praecepta Ecclesiae; egent notione theologica Ecclesiae, eiusdem originis et vitae divinae et ita explicatur quod praeceptis Ecclesiae in rebus fidei et morum iam non oboediunt.

II. *De assistentia sacerdotum novensilium*

Saepe accidit quod sacerdotes post aliquos annos in ministerio, amittant spiritum sacerdotalem et negligant disciplinae ecclesiasticae praecepta.

Forsitan hoc evenit ob oppositionem inter normam in seminario acceptam et vitae substantiam. Remedium tali gravi discrimini potest esse auxilium assiduum et ordinatum illis praestandum, saltem primis quattuor annis sacerdotii, quod deberet constare in conventibus bimensilibus trium dierum in quibus tractantur problemata vitae asceticae et pastoralis. Praesentia sacerdotum in vita spirituali et pastorali peritorum secure redderet bonum fructum.

III. *De pastorali ministerio sacerdotum*

a) Oportet pietatem et sanctitatem sacerdotum favere, curando ut sint viri orationis et virtutum, praesertim caritatis et castitatis. Vitae ratio sacerdotum debet esse dimissa, ut possint esse revera patres omnium fidelium, maxime pauperum et opificum. Parochi sint patres erga sacerdotes coadiutores, curando ne illis desint necessaria vitae.

b) Saepe sacerdotes sunt parochi, potissimum in regione montana, perpaucorum fidelium (100-200) segregati a vita civili, magno cum discrimine eorum spiritus et vitae sacerdotalis. Cogitanda est ratio ut praeveniatur hoc periculum, introducendo, exempli gratia, vitam communem sacerdotum in vico principali, a quo cum birota cum motore instructa vel aliquo medio, adeant parvas paroecias et opem ferant fidelibus.

c) Experientia docet quod inamovibilitas parochorum persaepe est causa incommodi sive quoad fideles sive quoad ipsos parochos. Verum est quod in Codice I. C. enumerantur causae pro remotione parochorum; sed in re est processus difficilis et odiosus. Melius esset dare Episcopis, onerata eorum conscientia, facultatem transferendi vel deponendi parochos, quemadmodum nunc fit pro coadiutoribus.

d) Concursus ad paroecias, ut statutum est in Codice, abolendus est; non est practicus et est causa non parvi incommodi, melior est concursus generalis, faciendus, ex. gratia, singulis quinque annis. Episcopi deinde, praevio examinatoribus consensu, assignant singulis paroecis vacantibus sacerdotes in concursu adprobati.

e) In regimine paroeciae persaepe parochus magnam temporis partem impendit in administratione beneficii et rerum temporalium ecclesiae, cum magno detrimento ministerii pastoralis. Relinquendum est tale munus alicui enti vel viris laicis, bene peritis et fidelibus, ex. gratia, Actionis catholicae vel Instituti saecularis, si adest.

IV. *De Sacramenti Confirmationis administratione*

Iuxta hodiernam praxim Confirmatio administretur pueris ante vel statim post Primam Communionem, ad sextum vel septimum annum. Est sacramentum militiae christianae, sed puer fere nihil intelligit de eius ratione. Deberet conferri hoc sacramentum paulo ante pubertatem (circiter a. 13) pueris indumentibus civilibus indutis, non veste alba, praevia congrua institutione religiosa et morali. Tunc puer intelligeret sacramenti virtutem, scilicet se esse iam perfectum christianum, qui debet in vita civili quotidiana Christum et fidem catholicam confiteri.

V. *De sacerdotibus dioeceseos in missione, presertim in America latina*

Modus practicus adiuvandi dioeceses Americae latinae sacerdotibus egentes, est assignare aliquam paroeciam illarum regionum sacerdotibus nostrae dioeceseos. Isti sacerdotes fiunt missionarii ad tempus. Oboediunt Ordinario paroeciae cui addicti sunt, sed manent incardinati in propria dioecesi, ad quam possunt redire post aliquot annos missionis. Hoc modo diffunditur spiritus missionum in nostris dioecesibus, quorum sacerdotes invitantur ad ferendum auxilium ministerii sacerdotalis in illis regionibus longinquis.

✠ GULIELMUS BOSETTI
Episcopus tit. Hipponensis
Auxiliaris Brixiensis

282

EXC.MI P. D. VINCENTII PADOLSKIS

Episcopi tit. Larandensis

Romae, die 13 decembris 1959

Eminentissime Princeps,

Liceat mihi gratos animi sensus Eminentiae Tuae Reverendissimae ex corde exprimere pro acceptis litteris ex die 12 novembris currentis anni nomine Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico — Prot. N. 1 C/59-2753).

Sequentes animadversiones et vota proponere audeo, si huiusmodi argumenta in futuro Concilio Oecumenico tractanda suscipientur.

I

Brevior et simplicior ritus componatur pro casu, quando in eadem visitatione infirmi sacerdos ei Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis administrat, necnon Apostolicam Benedictionem cum plenaria indulgentia impertitur.

II

1. Ex Officio Divino eliminentur omnia, quae cum veritate historica non concordant.

2. Matutinum diebus festivis solemnibus, quando sacerdotes plu-

rimis laboribus vacare debent et solent, ad unum tantum Nocturnum reducatur.

3. Lectiones II Nocturni multorum officiorum notabiliter abbrevientur.

4. Sabbati Laudes loci II solummodo Ps. 50 et Cantico Moysis in quattuor partes diviso constent.

III

Paroeciae pro diversitate sermonis, seu nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium *benevolenter constituantur* si id fidelium spirituali profectui necessaria vel utilia sunt et a fidelibus petitur. Nec debent huiusmodi paroeciae supprimi nisi gravi necessitate compellente. Clerus tali ecclesiae vel paroeciae addicendus semper idoneus eligatur, callens linguam huius nationis, in cuius servitium deputatur.

Ratio huius provisionis sunt continuae migrationes populorum non tantum propter rationes oeconomicas, sed etiam politicas. Hic suprema lex salus animarum esto. Experientia constat linguam et traditiones patrias esse media maximi momenti ad fidelitatem erga Ecclesiam et religionem fovendam. Ubi haec deerant multi ab Ecclesia et fide defecerunt.

IV

Alumni in Seminariis studiis paedagogiae et affinibus disciplinis sedulius incumbant ut ita sese melius praeparent ad doctrinam christianam fidelibus suae curae spirituali concreditis uberius tradendam.

Oram Sacrae Purpurae deosculans profiteor Eminentiae Vestrae Reverendissimae devotissimum servum in Christo

✠ VINCENTIUS PADOLSKIS
Episcopus tit. Larandensis

283

EXC.MI P. D. ROBERTI RONCA
Archiepiscopi tit. Naupactensis

Roma, 28 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Secondo il benevolo invito rivoltomi dall'Eminenza Vostra Reverendissima con scritto 1 C/59-2630 del 18 giugno c. a., mi permetto inviare in allegato alla presente un elenco di argomenti che sembrerebbero di maggiore interesse per il Concilio Ecumnico.

Nel presentare tale elenco all'Eminenza Vostra esprimo i miei filiali sentimenti di deferenza e di affetto ed assicuro di elevare le mie preghiere affinchè, secondo i venerati desideri del Sommo Pontefice Giovanni XXIII f. r., si assicuri la buona riuscita del Concilio, mentre chiedo scusa del ritardo con cui, per varie sopraggiunte circostanze, lo schema di proposte giunge all'Eminenza Vostra.

Con i sensi del più profondo rispetto, al bacio della Sacra Porpora, mi sottoscrivo

dell'Eminenza Vostra Rev.ma
dev.mo

✠ Roberto Ronca
Arcivescovo tit. di Lepanto

I

Maxime opportunum Concilium ad offerendum fratribus separatis et toto mundo praetiosam margaritam cuius mille facies splendent veritate et pace verae Ecclesiae.

II

Valde desideranda editio alicuius catechismi universalis complectentis omnes veritates theologicas et vitae christianae cum completis definitionibus ad evitandum ne termini similes recipiant interpretationes diversas vel forte opposita.

III

Desiderandum est ut conficiatur elenchus quidam veritatum contra errores modernos ex inordinato quaestu rerum novarum exorientes, ad imitationem Syllabi, prae oculis habitis etiam Litteris S. Congregationis de Seminariis ad Episcopos Brasiliae, quas secutus est catechismus Episcopi Campos.

IV

In singulis necessarium videretur commendare:

1) reditum ad S. Thomam sive in S. Theologia sive in philosophia;

2) uniformitatem circam democratiam exaggeratam et exaggeratum statalismum et specialiter:

a) circa conceptum auctoritatis et societatis civilis;

b) circa libertatem Ecclesiae;

c) circa educationem et instructionem;

d) circa classes sociales;

e) circa publicam moralitatem;
f) contra limitationem prolis.

3) harmonicam vitam duarum virtutum iustitiae nempe et caritatis, relationibus inter nationes, coetus (classes), entia moralia, individua, declarando firmam absolutamque exigentiam ut utraque virtus perenniter exerceatur, neque una vel alia, ne indirecte quidem, suffocetur;

4) maiorem amplitudinem facultatum Episcopis concedendam maioremque determinationem eorum responsabilitatis circa:

a) vitam religiosam;
b) formas et activitates Actionis Catholicae;
c) disciplinam et collationem Paroeciarum;
d) vitam oeconomicam dioeceseos, paroeciarum, operum dioecesanorum et paroecialium, et hoc ad evitandum ne timor excessivarum responsabilitatum assumendarum vel transgrediendi limites iuridicos coerceat vel etiam suffocet omnem activitatem;

5) maiorem clarificationem relationum canonicarum et disciplinarium inter Dioeceses et Ordines Religiosos quoad apostolatum et quoad Opera, perspecta necessitate ut Instituta Religiosa habeant disciplinam magis florentem et unitariam.

✠ ROBERTUS RONCA
Archiepiscopus tit. Naupactensis

284

EXC.MI P. D. TELESPHORI I. CIOLI

Episcopi tit. Liviensis, Coadiutoris c. s. Arretini

Arezzo, 31 agosto 1959

Eminentissime Domine,

De rebus et argumentis quae in futuro Concilio tractari poterunt infrascriptus quae sequuntur animadversiones humiliter proponit:

I. *De doctrina et pietate*

1. Novae definitiones dogmaticae non videntur urgere, cum hodie desit peculiaris ratio historica, i. e. negatio unius vel alterius veritatis in communi deposito fidei contentae. Historice enim constat definitiones dogmatum, ut plurimum, factas esse cum haereses serpebant.

2. Ad doctrinae capita quod attinet, peropportunum tamen videtur definitiones, vel saltem declarationes promere circa plurima quae in

Sacramentis conficiendis inutiliter atque pro praxi perniciose inter doctores agitantur, praesertim circa materiam et formam potestatemque ministri etc. Hinc e. g. utile, saltem pro praxi, videntur definitiones vel declarationes de forma essentiali in sacrosancto sacrificio Missae et de multis incertis in sacramento poenitentiae.

3. In catholica doctrina tradenda atque addiscenda, rationes uniformitatis dictionis in veritatibus enucleandis et memoriae mandandis, animique cultus facilius et efficacius efformandi videntur expostulare textum unicum a peritis in scientia theologica, paedagogica et psychologica confectum, atque a Suprema Auctoritate adprobatum universeque promulgatum.

4. Pietatis formae, quae ubique terrarum tam faciliter multiplicantur, vel stricte prohibeantur vel cum magna cautela in posterum admittantur, ne quod primarium et essentiale est detrimentum capiat. Idem dicendum videtur de novis Institutis religiosis, sive virorum, sive, praesertim, mulierum, Institutis saecularibus non exceptis, quorum pullulatio et multiplicatio virium dispersionem non raro provocant, idearumque confusionem generare possunt.

II. *De disciplina Cleri atque de cura pastorali*

1. Perutilis videtur abrogatio legis de inamovibilitate parochorum, vel, si magis placeat, Ordinariis amplior praebeatur facultas procedendi ad eorundem remotionem vel translationem, quandocumque rationabilis causa adsit, ne, ob imperitiam, senectutem, vel infirmam pastoris valetudinem, salus animarum detrimentum capiat.

2. Forsan multum confert ad animarum salutem procurandam Deoque peccatores reconciliandos si facultates audiendi confessiones Sacerdotibus in itinere maritimo vel aërio versantibus concessas, extendantur ad iter quoque terrestre quovis modo quacumque de causa factum. Notum est enim non paucos esse qui multis de causis multisque modis quovis anni tempore regiones peragrant, et vel vitae periculo obnoxii sunt vel alicui sacerdoti ignoto, sed sibi bene viso libenter confitentur peccata sua.

3. Ad beneficia ecclesiastica quod attinet, plura incommoda verificantur sive ob rerum adiuncta quae, aliquando, spectata exiguitate beneficii, idipsum onerosum reddunt beneficiario; sive, cum de pignore beneficii sermo est, ob incertitudinem qualitatis et quantitatis obligationis legis, quae onus beneficiario imponit excessum fructuum in commodum Ecclesiae vel piarum causarum impendendi; unde, hoc in casu, crebro fit ut beneficiorum consanguinei vel affines adripiant, cum de-

trimento piarum Institutionum et Ecclesiae, necnon famae ipsiusmet beneficiarii. Nec praetereundum est incommodum quod administratio beneficiorum saepe affert bono spirituali et famae beneficiariorum qui, necessitate compulsi vel quadam avaritiae spiritu ducti, plus quam par est rebus temporalibus se implicant et de iis cum laicis in publicis agunt locis.

Quapropter totam materiam de beneficiis ex novo tractandam, melius ordinandam atque clarius enucleandam esse mea opinio est.

4. Exiguitas numerica Sacerdotum magis magisque arduam de die in diem curam reddit animarum. Insuper circumstantiae locorum, temporum, officiorum, populorum incrementi et translationis etc. multoties impossibilem eandem curam facit. His positis, forsan nova atque extensiva legislatio circa frequentiorem Missae celebrationem aliquod afferri poterit huic malo remedium. Hinc bonum videtur si locorum Ordinarii habituali donentur facultate permittendi binationem quolibet anni die et trinationem diebus festis de praecepto, quando exigentia aliqua id expostulet. Ius Sanctae Sedis erit permittendi ampliorem facultatem ad eorundem locorum Ordinariorum petitionem.

5. Ad fidem pietatemque Christifidelium fovendam non parum conferre videtur facultatem proferendi vernacula lingua vel omnes vel saltem quasdam sive rerum sive personarum benedictiones, adiurationes quoque et exorcismos, necnon preces pro agonizantibus praescriptas. Ita enim christifidelium participatio in sacra actione facilius et efficacius obtinetur.

III. *De disciplina populi christiani*

1. Notatu dignum est, uti mihi videtur, incommodum quod multi experiuntur in praecepto satisfaciendo sacrum audiendi die festo. Difficultas exurgit sive ex parte sacerdotum diebus festis multiplici activitate oneratorum; sive ex parte fidelium, qui ex circumstantiis temporis, aëris, laborum, locorum, aetatis, vitae socialis etc. audire Sacrum tali die et tali hora tantum vel praepediti sunt, vel huiusmodi praecepto supra modum gravati. Ad difficultatem, quantum possibile est, superandam, et ad animarum salutem melius procurandam peropportuna videtur lex quae, sub certis clausulis, facultatem omnibus faciat adimplendi praeceptum vel die festo vel alia die per hebdomadam. Experientia teste, fideles pluris faciunt Missam vespertinam, quam devote audiunt, cuiusque occasione catechetica instructione erudiri possunt utilius et efficacius, cum non adest penuria temporis pro Sacerdote, sicut est si diebus dominicis binas vel ternas Missas in diversis locis celebrare debet.

2. Opportunum quoque videtur consilium substituendi praeceptum

communionis paschalis cum praecepto communicandi semel saltem in anno, sicut est de sacramento poenitentiae. Ratio potissima in eo est quod multitudo fidelium quae ad poenitentiae tribunal diebus paschae proximis accedit, vix fructuosam Sacramenti administrationem reddit.

3. Cum notum sit vitam christianam in multis languescere, virtutemque poenitentiae corporalis non multi iam fieri congruum videtur abstinentiae et ieiunii leges, quae in *C.I.C.* continentur, ad eam temperare formam quae iam in Indulto habetur.

✠ Telesphorus I. Cioli
Episcopus tit. Liviensis, Coadiutor c. s. Arretinus

285

Exc.mi P. D. VICTORIS LONGO
Episcopi tit. Lorymiensis, Auxiliaris Neapolitani

Napoli, 25 agosto 1959

Eminentissimo Principe,

Profondamente grato dell'invito ad inviare a Cotesta Eminentissima Commissione antipreparatoria per il Concilio Ecumenico i miei poveri pareri, spedisco ciò che ho potuto scrivere in fretta sulla base della mia esperienza.

Con i più devoti omaggi bacio la Sacra Porpora

dell'E. V. dev.mo obbl.mo
✠ Vittorio Longo
Vescovo tit. di Lorima

Ampliore sermone atque composito respondere mihi placuerat quaestionibus, quas istud Em.mum Consilium, Ioanne Pp. XXIII auctore, Episcopis proposuit; sed, cum tempus perexiguum datum sit, vix pauca conferam, quae ex sacerdotali ac pastorali munere functo optabiliora atque maioris momenti videantur.

Quae quidem (et quaestiones et observationes et sententiae) ad Italiam Meridianam praecipue spectant.

Quod primum vero ad Seminaria pertinet, profecto — ut mihi videtur — ubique pari ratione litterarum studia, et sacra et profana, interius percipiantur oportet, iisdem libris — si fieri possit — adhibitis.

Quod vero observetur apud ipsam quamque dioecesim, quae sacrorum alumnos instituendos cuiusque regionis Seminariis non committat.

Qui operam in Sacrorum alumnos instituendos impendunt apud Seminaria, sive Maiora sive Minora, eruditi sint, nec quod superest tempus docendi muneri conferant. Quapropter ad hoc fungendum munus praeferendi sunt qui lauream vel licentiam obtinuerint, quibus merita decoraque tribuatur.

Litterarum studia, sive sacra sive profana, eo intendant ut, praeter intellectum, animis maxime provideant: quod quidem graviter simul ac moderate fiat.

Disciplinarum autem studia, quae « paedagogia » (nec tantum de catechetica institutione) « sociologia », « pastoralis » nuncupantur, augeantur atque amplificentur oportet.

In extremo studiorum sacrorum curriculo oportet alumni etsi brevi cuiusque hebdomadis spatio, in paroecia loci Seminarii instituta incumbant (Catechesim — A.C. — ACLI — Coetum Vincentianum).

Itemque, Sacramentorum administrandorum (Baptismi, Matrimonii, Extremae Unctionis, etc.) rationem atque usum percipiant, necnon quibus auxiliis morientes adiuvari possint; demum, Sacramenti Poenitentiae administrandi se peritos praebeant, non solum « casus morales » solvendo sed etiam rationes sententiasque, asceticae vitae doctrinam, animorum moderatoris scientiam profitendo.

Quod autem attinet ad Sacerdotes, qui Religionem docent, necesse est ut quotannis studiorum curriculum instituatur de omnibus maioribus ac subsidiariis disciplinis integrandis, praeter Religionem, nec munera ulla conferantur, quin experimentum postuletur, alumnis de industria in classes congregatis, ab inspectoribus idoneis. Haec studiorum integratio praeceptorumque inspectio ad provincias quoque regionesque extendatur, ut sacerdotes adprobati ratione distribuantur, nec Clerus fama detrahantur vel discipulorum intemperantia excitetur.

Christianae, igitur, doctrinae praecepta apud paroecias quoque solidari integrarique peropportune videtur; quin etiam oportet eorumdem praeceptorum rationes, sive apud paroecias sive tota dioecesi, necessitatibus praesentibus aptentur, ideoque cathedrae stabiles instituantur sive ad excolendos adultos non indoctos sive erudiendos pueros, Eucharistico Convivio primum enutritos, usque ad provectam aetatem. Adultorum autem catechesis accommodetur ad tempora, ad auditorum animos, ad locorum condiciones.

Itaque « protestantium » errores, itemque et « rationalistarum » et « naturalistarum » et eorum, qui nullum veri falsique discrimen faciunt,

ceteri errores summa industria, ex scientiarum ratione, summo decore persequendi oppugnandique sunt.

« Apologeticae » quoque cathedrae in sedibus maximis instituantur, concionatores sacri adhibeantur, dioecesanae Curiae « officia » constituantur, qui ea omnia attendant.

Quod autem ad cuiusvis muneris ministros attinet, peropportune videtur merces, ab initio, 40000 libellarum (minimum) tribui debere, ut, quavis maiorum munerum commendatione reiecta, pro sua quisque habilitate minister eligatur.

De Episcopis Auxiliariis. Ii, praesertim apud magnos dioeceses, rei administrandae necesse intersint una cum Ordinario, ne episcopale decus a quolibet, sacerdote, etsi Vicario, neglegatur neve ipse episcopus impediatur quominus quidquam dioecesanae rei augendae conferat.

Digna autem merces Episcopis Auxiliariis tribuatur pro suo ipsorum decore necnon pro necessariis impensis.

Et ut ad Episcopos redeam, aliquot anni iam sunt, cum quaedam Instituta, Collegia, Societates (ex gr. « Regalità » — Mondo Migliore » etc.) Spiritualium Exercitionum atque Institutionum Cursus pro Episcopis praeparant. Id minime laudandum: Episcopi enim in Apostolicae Sedis dicione esse tantum, nec ulla ab aliorum auctoritate praecepta, consilia, instituta de rebus spiritualibus repetere debent.

Sic se habentibus rebus, discrimen profecto inter Episcopos fiet, seu inter praesentes atque absentes, quorum illi maiore aestimatione, hi minore habeantur: quod mihi ipsi ex re vera atque usu constat.

Pauca nunc de sacerdotibus iunioribus sum dicturus: maiore cum studio provideatur ne ii, si fieri possit, sacerdotio nuper aucti, paroecialia munera sumant, quae magnam rationem contineat, maxime si nullo aliorum auxilio fruantur.

Praeterea, sacerdotes seniores saepius iuniores conveniant, eisque confessarios atque animorum moderatores provideant — qui magis magisque quidem rari extant! — ad iuniorum sacerdotum pietatem fovendam augendamque; certiores insuper se faciant de moderatoribus, quos sibi quisque sacerdotes elegerit.

Sacerdotum coetus instituantur — intra diocesis quidem fines — qui peculiaribus muneribus fungantur (Parochi — Adsistentes Eccl. — Sacris addicti apud infirmorum hospitia — Parochorum Coadiutores — Religionem docentes — etc.), ut cuiusque ordinis quaestiones proponantur ac perspiciantur, facultate data exprimendi quid quisque sentiat et quid ex usu didicerit: melius est enim loqui, etsi erratur ut ipse corrigatur error, quam tacere et servare, immo vere — quod deterius est —, erratam sententiam perficere.

Perspicuis gravibusque causis peropportune videtur vestem talarem indui, ubi adhuc haec disciplina increbuit.

Cetera vero indumenta, et liturgico et alio more praescripta, sive sacerdotalia, minime mutentur.

Aliquid demum de « Breviario » dicendum, quod, pro auctis apostolatus muneribus redigatur oportet (multi enim idem sentiunt atque iam postulant) ad ritum simplicem, seu ad novem psalmos cum tribus tantum lectionibus in Matutino reliquis Horis contractis.

Ad Religiosas autem quod attinet, praesertim vitam activam agentes, constat minime satis esse Probandatum atque unius anni Novitiatum ad morum officiorumque variorum formationem perficiendam. Cuius, igitur, formationis tempus oportet ut ad triennium producatur, antequam Religiosae apostolatus officia sumant. Prospiciatur autem ne parvae Religiosarum familiae careant — quod saepius fit — rerum spiritualium moderatoris opera.

At quaestio potissimum urget de Sacerdotum vita communi degenda apud paroeciales ecclesias, vel etiam apud domos praetio conductas, ubi Curiales sedes aedificari nequeant.

Sacerdotes dioecesani rationem quandam sequantur nulla vero, gravi condicioni obstricti, qua pro necessitatibus distribui adhiberique utcumque possint ad improvisis casibus providendum; ex iis autem aliquem pro aliquo substituendi Episcopis facultatem faciendam oportet, prout res postulet.

Qua propter Vicarii foranei maxima cum diligentia eligantur, qui operam potissimum dent ad invigilandum num ecclesiastici viri suis officiis diligenter satisfaciant et Foraniae necessitatibus provideant.

De templorum custodibus praecipua quaestio est ut Congregationes, ad ipsum constitutae, videant an « Tonsura » atque « Ostiariatus » illis conferantur.

Nova munera et nova « functio » regionis seu provinciae ecclesiasticae

Cum autem, volventibus annis, Apostolatus genera augeri magis magisque ac perfici videantur (A.C. — ACLI — POA — Instructores — Seminarii Minores, etc), Clerici omnes dioecesani disponantur, ordinentur, constituantur — servatis servandis pro Episcoporum iure — quadam administratae Ecclesiasticae Provinciae ratione, adeo ut ex eis aliquis pro aliquo haud difficulter substitui atque ad quamlibet opem (ex composito agendo semper ac moliendo, nullam moram patiendo) ferendam adhiberi possit.

Ex ratione administrandae Ecclesiasticae Provinciae — cuius pre-

cipuum « Organum » id est « Conferenze Episcopali » veluti « Centrum » disponere atque excitare debet omnia quae Provincia actura sit Episcoporum (Auxiliarium quoque) coetibus indictis.

Clericorum dioecesanorum opera cum Religiosis utriusque sexus connectenda est, prout necessitas postulat, servatis — videlicet — praecipuis monasticae vitae legibus et modificando institutum « Exemptionis », Provincia ecclesiastica, denique — ut rem summatim colligam — per se ipsa dirigere, ordinare, accommodare debet omnes Catholicorum actiones cuiusdam Regionis, auctore Episcoporum coetu, ex quibus unus vel duo operam dent ut expedite ac definite in usum communem adducantur omnia quae statuta sint, sine ulla Episcoporum capitis deminutione.

Quibus omnibus ex communi consensu ac sententia perfectis, quoties necessitates postulaverint, in usum uniformem adduci atque apud omnes dioeceses increbrescere possunt sive C. d. D. C. sive Conciliorum decreta.

Ad operam sic connectam perficiendam expeditos atque promptos sacerdotum manipulos institui peropportune videtur, qui, quadam ratione et alacritate, loca prout res postulet, mutantes inter Ecclesiasticae Provinciae fines, disciplinas varias tradant atque sacras conciones habeant.

Ex quo patet pecuniam ex communi aerario erogandam esse ad impensam sustinendam pro cuiusque dioecesis laboribus.

Omnia quae supra diximus, eadem de auxilio animis corporibusque ferendo dicantur, iis praesertim medio ordine natis quorum necessitates, cum iidem emendicandi condicione erubescant, in cuiusquam conspectum non veniant.

At non minus auxilium — est enim magni momenti quaestio — afferendum est Clericis aetate provectis nec amplius ad quidquam idoneis, eos quoquo modo eisque meritam requietem praestando apud aptissima hospitia, in eorum ipsa regione instituenda, aliquid insuper pecuniae pro iusta honestaque pensione largiendo, praeterea quibus iidem Clerici iam ex civili ecclesiasticaque caritate fruantur.

Sententiarum omnium, quas superius proponi, finem facturus, id addere mihi placet, ut, vitae pubblicae ac privatae rebus toto orbe volventibus, « Commentariolus » quidam, ad schematis, instar, sextodecimo saltem quoque die edatur, ex quo cognosci possit quid Ecclesia de quovis praesentis temporis eventu sentiat.

Ex cuius supremae Magistrae iudicio Christifideles quoque veritatis lumen accipere possunt, cum ipsi sacerdotes inter se discordes de casi-

bus recte iudicandis saepe videantur, non sine gravi Christifidelium perturbatione.

Reipublicae quoque « partiti » earumque consilia de operibus perfectis perficiendisve ad praesentia aptari oportet.

Ad extremum nunc venio: certi ac definiti fines constituendi sunt — Pius Pp. XII felicis recordationis consiliarius enim atque auctor habetur — quos ultra nequeat Catholica doctrina quasdam novissimas vivendi rationes adprobare vel sententias opinionesque, quae deteriores in dies evadunt accipere. Quibus ex certis ac definitis finibus Clerici ad uniformem iudicandi rationem profecto dirigentur.

✠ VICTOR LONGO
Episcopus tit. Lorymiensis
Auxiliaris Neapolitanus

286

EXC.MI P. D. IOSEPHI GAWLINA
Archiepiscopi tit. Madytensis

Romae, 7 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Quantas maximas gratias Eminentiae Tuae Reverendissimae agens pro Litteris die 18 iunii 1959 Prot. N. 1 C/59-2207 mihi missis honori mihi duco quae sequuntur ad Reverendissimam Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico humillime deferre.

Ad osculum S. Purpurae prostratus Eminentiae Tuae Reverendissimae humillimum in Christo servum

✠ IOSEPHUS GAWLINA
Archiepiscopus tit. Madytensis

A) *De Supremis Religionum moderatoribus in regionibus a communismo occupatis residentiam habentibus.*

Qui Superiores Generales Congregationum etc., imprimis, Vicarios Generales in Urbe habeant et oportet et opus est.

Ecclesiam in regionibus a communismo occupatis libertate non frui pernotum est. Si membra alicuius Congregationis, cuius Supremus Superior in his locis deget, aliquem actum communistis displicentem ponunt, si e. g. errores materialismi condemnant, gubernia communistica,

« oltrecortina », statim vehementem vim in eundem Supremum moderatorem exercent, qui omnem actionem seu professionem anticommunisticam interdicat, a gravibus minis minime abhorrentes.

Superior Generalis sub metu, etiamsi invitus et coactus, subditos suos in regionibus liberis astringere potest, unde non parvum damnum quoad disciplinam et doctrinam oriri contingit.

Exemplum habeas: Anno 1959 catholica ephemeris polona in Gallia condita est, moderante sacerdote huiusmodi Congregationis. Articulo quodam contra doctrinam marxistam publicato, moderator a Superiore Generali in Polonia residente, post gravissimas minas auctoritatum communistarum, amotus, ephemeris suppressa est magno cum detrimento disciplinae emigrantium, ephemeridibus communistarum inde quasi monopolio gaudentibus.

Superior Generalis in regione a communistis occupata residens rem non omnibus sub aspectibus spectare potest: e contra, cum latent quae extra Patriam necessaria sunt, in Patria quidem non est liber.

Quapropter non modo Procuratorem, sed etiam Vicarium Generalem e Clero extra Patriam commorante in Urbe habere debet.

Probatum est Congregationes quae superiores cum praerogativis superiorum maiorum extra Patriam occupatam habent, multo melius minis et metui resistere quam diuturna sub oppressione communistarum vexatas.

B) *De Codice relationum internationalium exarando*

Proponitur humillime constitutio Commissionis pro elaborando Codice relationum internationalium.

1. Nimis intricata vita moderna laborat ob defectum Codicis relationes interhumanas et internationales amplectentis, mutuaque iura et obligationes stipulantis, qui ab omnibus accipi possit, eo vel magis quod condiciones temporum nostrorum non immerito aequiparantur bello latenti quod subito mundum subvertere potest.

Ad hunc Codicem exarandum prae ceteris S. Romana Ecclesia propter doctrinam e fontibus divinis sibi profluentem aptissima est. Etiamsi maior pars mundi non sit catholica, tamen non-catholici quoque aures suas praebebunt normis et propositis ab Ea datis, persuasum habentes S. Sedem Apostolicam non sua quaerere, sed doctrinam iure naturali nixam tam pro Christianis quam pro ceteris ad emendandas relationes interhumanas et internationales adque promovendam pacem proponere.

2. Quod propositum ne temerarium videatur, liceat afferre exemplum anni 1939, cum S. P. Pius XII m. in Vigilia Nativitatis I. C. quinque conditiones pro iusta et honesta pace orbi proposuit. Ad hoc

saluberrimum opus pontificium laborarunt in Anglia, annis sequentibus, insimul cum Catholicis etiam summi moderatores ecclesiae anglicanae, scoticae necnon orthodoxae, societati cui nomen « Sword of Spirit » aggregati.

Quae actio pontificia Ecclesiae Catholicae etiam inter Islamitas et paganos magnam auctoritatem conciliavit, ut itineribus meis in Africa et Asia animadvertere potui.

3. Paulo Vladimiri, Vitoria et aliis praecursoribus nixi, auctores moderni, non paucis sectoribus iure particulari iam ad regulam, ad complectionem tamen *totius* quaestionis nondum pervenerunt.

« Liga Nationum » necnon « Nationes Unitae », O.N.U., amiserunt auctoritatem suam ob defectum firmorum et clarorum principiorum. In Asia et Africa post bellum novae nationes sui iuris exstiterunt. Problemata, e recentissimo progressu conditionum technicarum et politicarum orta, requirunt elaborandum dilucidum explicatumque Codicem relationum interhumanarum et internationalium, qui etiam a non-catholicis accipi possit. Quod nobile onus S. R. Ecclesiae pro Eius dignitate convenire puto.

C) *De Episcopis Castrensibus*

Sortes Episcoporum Castrensium, si erunt bella, quae Deus avertat, omnino praevideri nequeunt. Certum autem videtur, quod non multi Episcopi — Ordinarii, Vicarii — Castrenses privilegio fruentur dirigendi curam animarum e residentia sua, quae communiter in urbe principe sita est. Quae urbes, eo quod capita, aggressionibus aereis et atomicis iam ab initio opprimi poterunt.

Iam novissimo bello nonnulli Episcopi Castrenses extra fines propriae Patriae commorari coacti sunt, difficillimas cum S. Sede Apostolica relationes habentes.

Iuxta « Annuarium Pontificium » maior pars Vicariorum Castrensium, quorum sex dignitate cardinalitia ornati sunt, in urbibus principibus residentiam habet.

Huius condicionis commodum est immediatus contactus cum auctoritatibus militaribus; incommodum tamen maius esse videtur cum *tempore pacis* omnes vel exiguae rixae et dissensus — quarum multitudo oritur exercitu iuvante politicam Gubernii non semper cum Ecclesia concordantis — immediate et quasi semper impetuoso modo Vicario Castrensi deferuntur. Qua nimia e vicinia oriuntur novae discordiae quae dignitati cardinalitiae detrimentum afferre possunt.

Quapropter liceat mihi, solummodo experientiis Episcopi Castrensis nixo, salvo meliori iudicio, ad deliberandum humillime proponere ut:

1. Vicarius Castrensis nominetur unus ex Episcopis Dioecesanis extra urbem principem — aut Episcopus Castrensis solummodo pro militibus ut e. g. in Italia.

2. Qui in urbe principe suum Vicarium Generalem habeat.

3. Ut, bello exorto, Vicarius Generalis nominetur Episcopus Castrensis, qui si Patria ab hostibus occupetur, exercitum et auctoritates civiles extra patriam sequi poterit.

D. *De visitatione Missionum*

Proponitur humillime ut Missiones quae S. Congregationi de Propaganda Fide subsunt, non solum a propriis Vicariis aut Praefectis Apostolicis, sed etiam decimo quoque anno a Visitatoribus Apostolicis visitentur qui sint religiosi non autem membra Congregationis visitandae.

E) *De Actione Catholica*

In parte tertia *Codicis Iuris Canonici* — De Laicis — tractatur de fidelium associationibus, de tertiis Ordinibus, confraternitatibus, archiconfraternitatibus et primariis unionibus, sed nondum de Actione Catholica.

Quae cum variis modis interpretetur et peragatur, proponitur humillime, ut Commissio constituatur quae hanc maximi momenti rem eodem modo quo supra commemoratae sub legis vincula coniciat.

F) *De confessionibus immigrantium*

Confessiones immigrantium a sacerdotibus eiusdem linguae excipi pernecessarium apparet, etiamsi quis cum nova paroecia territoriali sit bene versatus.

1. Quibusdam in regionibus consuetudo irrepsit, iuxta quam Clerus territorialis, migrantes omnes paroeciae conciliare intendens, eos docuit, ut peccata sua apud sacerdotes paroeciales confiteantur qui « etiam peccata non intelligentes valide ab illis absolvent ».

Plane dubitamus quominus talis sacerdos muneri sacramentali magistri, medici, iudicis satisfaciat, automatica, dumtaxat, absolutione contentus. Et potest procul dubio talis tractatio sacramenti locum dare plerisque sacrilegiis et bigamiis.

2. Quae necessitas eo fortius apparet in confessionibus antenuptialibus. Parochus loci nunquam omittat paenitentes ad missionarium eiusdem linguae mittere, quia iste optimam habet notitiam psychologicam suae plebis, conditionis vitae eius, quin et obviarum simulatio-

num in terra aliena. Inde quivis advena, praetermisso sacerdote nationali, immediate ad parochum loci appellans, iam a priori suspectus est de aliqua dissimulatione aut etiam crassa bigamia.

E confessionibus de quibus sub 1. sequitur saepe, ut bigami sacrilego modo S. Communionem accipiant, concubinatum continuent atque moribundi, denique sacerdote eiusdem linguae arcesso de tali peccato morsus conscientiae non manifestent dicentes se in confessione a sacerdote alieno absolutos fuisse.

G) *Adnotatio technica quoad Conclave*

Ut secretum durante et post Conclave omnino servetur, proponitur humillime, ut labores tam praeparatorii quam repositorii — i. e. Conclavi finito —, praesertim « electricistarum » non operariis laicis, sed speciali modo ad hoc exercitis clericis committantur.

Sine difficultate enim parva « microphona » ubique abscondi possunt, quae coniuncta cum retibus telephonicis ipsum actum tradent aut — quamquam non coniuncta — tamen omnia verba conservare possunt ad utilitatem inimicorum Ecclesiae.

Ita Clerici doctiores operariis venalibus praeparabunt et removebunt totum apparatum technicum, quo maior certitudo praebeatur.

H) *De responsabilitate propria et de iure iurando militum*

Pernecesse est, ut a theologia morali conscientia militum magis actuatur quoad propriam responsabilitatem moralem.

1. Sequentium deliberationum auctor primo bello — 1914-1918 — ad militiam in exercitibus Germaniae et Turchiae coactus, secundo bello mondiali erat Episcopus Castrensis Exercitus Poloni cum exercitibus Angliae, Galliae, Americae commilitantis. Inde eius considerationes ex usu rerum ortae sunt.

Ambobus in bellis gravissima crimina contra vitam, libertatem, fortunas hominum commissa esse sat notum est.

Raro milites iniusto aut nefario iussui resistunt. Plerumque severae disciplinae se accomodantes excusant conscientiam suam sub praetextu iussui superiorum necessitatis parendi. Increbruit enim falsa ratio « omne iussum sanctum esse » (jeder Befehl ist heilig). Omnes quoque auctores scelerum bellicorum, bello finito in ius vocati, hac excusatione utuntur.

2. Hanc opinionem cum absolutismo ultimorum trium saeculorum ex quo totalitarismus modernus ortus est, connexam putamus.

Quae opiniones falsae etiam apud multos catholicos adhuc valent, qui modo usitato rem considerant.

Exempla: Excellentissimus quidam Archiepiscopus — non meae nationis — quocum de his rebus contendi respondit mihi postulata mea aequiparanda esse invitationi ad periurium, quoniam milites iureiurando ad oboedientiam sunt obligati.

Puto autem quoad iusiurandum militum eadem valere quae canone 1319 de obligatione iurisiurandi promissorii definita sunt.

Anno 1944 visitavi in civitate Lauretana aeronautum a militibus nostris captum, qui sacram Lauretanam Domum ignivomis globis percusserat. Exprobrans illi sacrilegium commissum accepi responsum:

« Militibus omne iussum sanctum et ideo discuti vetitum est. Responsabilitatem non ego habeo, sed praefecti mei, qui tale iussum dederunt ». Qui aeronauta erat catholicus.

3. Opinio iuxta quam non milites iussa exsequentes, sed solummodo eorum praefecti imperandi potestatem habentes criminum commissorum rei sunt, debilitat conscientias, frangit humanitatem, est causa pessimorum facinorum.

Ne milites tali errore teneantur neve obliviscantur se homines non machinas esse, necesse est ut:

a) capitulum de bello et iureiurando in theologia morali retractetur et de vinculis obsoletarum opinionum absolutismi liberetur.

— Optimum eximii generalissimi Ioannis Tarnowski opus cui titulus: « Consilium rationis bellicae » anno 1558 publicatum, argumento esse potest multas ab humana belli gerendi ratione aberrationes a posteriori absolutismo inductas fuisse.

b) ut multo fortius quam adhuc obligatio doceatur magis propriae conscientiae quam iniquis iussis parendi.

Auctor deliberationum de quibus supra, primo durante bello miles gregarius multa iussa prava non exsecutus, tamen contumaciam suam capite non luit.

✠ IOSEPHUS GAWLINA
Archiepiscopus tit. Madytensis

287

Exc.mi P. D. HUGONIS POLETTI

Episcopi tit. Medelitani, Auxiliaris Novariensis

Novariae, die 15 augusti 1959

Eminentissime Domine,

qua par est reverentia et oboedientia, sincere et, cum de mea modestia et humilitate conscius sim, maxima cum fiducia, pergratum mihi est epistolae tuae respondere, diei 18 iulii 1959, sub n. 1 C/59-2220 signatae, qua animadversiones, consilia et vota a me requirebas circa res et argumenta quae, in futuro Concilio Oecumenico, a SS.mo Domino Nostro Pp. Ioanne XXIII praenuntiato, tractari poterunt.

En quaedam quae, pro modulo meo, mihi videntur proponenda et tractanda esse, in bonum animarum et in honorem Sanctae Romanae Ecclesiae.

De Doctrina catholica et de integritate morum

1. In primis et ante omnia, exemplum Ss.mi D. N. Ioannis Pp. XXIII secuti, Oecumenici Concilii Patres, uno corde et ore agant de reditu schismaticorum et haereticorum in sinum Sanctae Matris Ecclesiae, seu *de unitate Ecclesiae,* ita ut immutabilis veritas doctrinae catholicae, pro opportunitate temporum et singulari modo, illuminetur a caritate, omnes vias errantibus explanando ut, salva integritate fidei et ecclesiasticae disciplinae, « fiat unum ovile et unus Pastor ».

2. Novissimis temporibus certe manifestum est Providentissimi Dei Omnipotentis consilium esse, ut Regnum Christi D. N. veniat in universum mundum per Mariam, iuxta illud: « per Mariam ad Iesum; per Iesum ad Patrem ».

Veritatibus iam de fide definita in tuto positis circa privilegia et praerogativas B. V. Mariae, tempus adesse videtur de veritate fidei definienda de *eiusdem B. M. V.,* corredemptione et mediatione.

3. Nemo iam disputat de veritatibus expressis in prioribus articulis professionis fidei catholicae seu « Credo », nempe de Dei Unitate et Trinitate, de Incarnatione et Redemptione D. N. Iesu Christi. Vel fide recipiuntur vel ignorantia crassa et oblivione donantur. Hisce diebus nostris vero, omnia iniquissimi *inimici tela diriguntur in unum articulum Fidei* catholicae, eo quod maxime hominum superbiae contradicit: « *Credo* ... unam, sanctam, catholicam et apostolicam *Ecclesiam* ». Quod

igitur speciali modo enucleari et illuminari debet ab Oecumenici Concilii Patribus. Nam omnes « notae » Ecclesiae in dubium vocantur. Negatur enim Sancta Ecclesia, a Iesu Christo fundata, esse:

a) Una: cum omnis religio, ut aiunt, bona sit.

b) Sancta et divina: nam multi Ecclesiam repraesentant ut societatem mere humanam, non a Sancto Spiritu sed ab hominibus fundatam et gubernatam, hominumque curis, lucris, passionibus penitus obnoxiam. Ecclesiam etiam adstruunt inimicam, ut aiunt, socialis hominum progressus et miserorum prosperitatis.

c) Universalis: praesides enim et moderatores nationum in pluribus populis enixe fovent pseudo-ecclesiarum nationalistarum fundationem.

d) Apostolica: multi enim negant Sacrae Hierarchiae divinam originem; Episcopos successores esse Apostolorum, eos separare conantur a Romano Pontifice eorum auctoritatem et iurisdictionem nimis deprimendo vel nimis exaltando.

4. Insuper, in impetu contra Sanctam Ecclesiam catholicam prae oculis habeantur:

a) *Inimici Ecclesiae externi*: imprimis « *communismus* » omnis veritatis et vitae divinae et supernaturalis negator acerrimus. Opportunum videtur ut Concilium doctrinam et consectaria « communismi », saltem in peculiaribus et extremis adiunctis, ut veram et propriam haeresim damnet, ut tandem, praesertim apud rudes, aequivocum auferatur de possibili communismi et religionis catholicae conviventia.

Item nationes moneantur *de periculo nationalismi* omnis speciei, in extrema deducti.

Liberalismus pariter damnetur, qui Ecclesiam ignorat, Deum in civili consortio fastidit et ab eo excludit, et fidem, negligendo, destruit.

Protestantica haeresis quoque prae oculis habeatur quae, praecipue in infidelium populis, longe lateque contra Ecclesiam Dei pugnat et viam communismo aperit.

b) *Inimici Ecclesiae interni,* proh dolor! multiplicantur. Nam etiam in ministris et sacerdotibus catholicae ecclesiae aliqui non pauci supra modum « *cultum personalitatis* » praedicant et, libertatem personae, iudicii et humanae voluntatis nimis exaltando, in primis virtutem oboedientiae et auctoritatem Sanctae Matris Ecclesiae et ecclesiasticam disciplinam despicientes enervant, nihil veriti acta, verba, decreta et regimen Episcoporum iudicare.

Insuper introductio « *methodus democraticae* » in populis et in civili consortio, saepe multos clericos in tentationem inducit ut eandem methodum invocent etiam in regimine Sanctae Ecclesiae.

Concilium Oecumenicum igitur foveat *Episcoporum auctoritatem et iurisdictionem in singulis Dioecesibus,* ita ut eos omnes habeant, uti sunt, vere Apostolorum successores, in communione Summi Pontificis sollicitudinem omnium Ecclesiarum habentes.

Pariter damnanda est sententia eorum qui ministerium sacerdotale *ad munus mere humanum deducunt,* praetio solvendum, de sua dignitate et sanctitate obliti, qua dispensatores mysteriorum Dei facti sunt.

5. Denique, in tuenda morum sanctitate, explicite damnandus esse videtur gravissimus error, qui non tantum in populum christianum sed etiam in clerum diffunditur et sub nomine « *la morale della situazione* » venit, iuxta quem, pro circumstantiis bonum et malum sunt idem.

De disciplina Cleri et populi Christiani

Cum tota humana societas diebus nostris magis ordinetur ad bona materialia et temporalia quam ad supernaturalia et aeterna, magis magisque necesse est ut *per Cleri sanctitatem, abnegationem et castitatem* fideles edoceantur « ita transire per bona temporalia ut non amittant aeterna ».

1. Nam, etiam in sacerdotibus, quaedam *nimia dedicatio ad quaestiones et associationes sociales,* eorumque opera ad indigentiam operariorum sublevandam, quae etiam sub tutela Sanctae Ecclesiae veniunt, saepe anteponitur studiis philosophicis et theologicis et forsan pietati et praeparationi asceticae et spirituali ad ministerium sacerdotale.

2. Pariter quaedam *frequentior consuetudo* facilisque participatio ludis, scriptis, *habitudinibus mundanis,* maxime praetextu iuventutis educendae et custodiendae (v. g.: cinema, radio, televisione, campeggi, spiagge, gite ecc. ...) multum animo et decori ministrorum Ecclesiae, praesertim junioris aetatis, nocet.

3. Itemque, *commoda et bona materialia vitae* societatisque modernae tentationem praebent sacerdotibus disciplinae ecclesiasticae minuendae, iuxta illud Ss.mi D. N. Ioannis Pp. XXIII: « ... la tentazione dei vantaggi di ordine materiale e del progresso della tecnica moderna, col conseguente rilassamento della compagine della disciplina ».

4. Malorum huiusmodi remedium princeps videtur *sedula Seminariorum cura* et praestantia ita formationi spirituali levitarum tributa, ut Deum et Ecclesiam vere super omnia diligant, ecclesiasticam disciplinam magni faciant, non tantum Summum Pontificem sed etiam Episcopum suum uti patrem, immo ipsum Iesum Christum, aestiment; oboedientiam addiscant, in despectione bonorum materialium et in abnegatione sui suorum sese exerceant, secundum verbum D. N. Iesu Christi: « Qui vult post me venire, abneget ... tollat crucem ... ».

Haec omnia tamen doceantur non tantum ut « virtutes humanae », sed, uti sunt, « virtutes supernaturales et christianae », contra humanum egoismum.

5. Cum saepe in associationibus et operibus socialibus huius temporis (ACLI etc.) sacrorum ministri *magis se gerant ut praesides et dirigentes,* quam ut magistros doctrinae et virtutum, et moderatores animarum (attivisti, organizzatori, sindacalisti, preti operai, ecc. ...), continuo moneantur ut in pastorali ministerio ipsi se praebeant ut ministros Dei, ad spiritualia et aeterna et ad gratiam Dei elargiendam mancipatos.

6. Sicut in regimine Universalis Ecclesiae opportunum videtur ut Dioecesibus eorumque Praesulibus maius momentum donetur, ita in Dioeceseos regimine Episcopi et parochi praecipue curent singulas *paroecias* quae cellulae Dioeceseos habentur, uti familia cellula est societatis.

7. *Doctrina de familia christiana,* tantis malis hodie dilapsa, foveatur a Conciilo iuxta typum sanctae D. N. Iesu Christi Familiae, munia et officia parentum filiorum enixe memorando.

8. Hisce temporibus quoque saepe sacerdotes multitudine officiorum opprimuntur, praesertim in Adsociationum Catholicarum organizatione. Item pleraeque Dioeceses ita parvo sacerdotum numero laborant ut adiuncta renovari videantur temporum Apostolorum, qui peculiaria munia diaconis reliquerunt. Forsitan considerandum erit *utrum et quaenam officia etiam hodie laicis committi possint ad opus paratis,* praesertim in rebus temporalibus gerendis, nec non, cum debitis cautelis et certis in circumstantiis, etiam in doctrinae catholicae expositione.

9. Multa maioraque bona videntur consequi posse in pastorali ministerio, si arctior detur cooperatio inter Episcopos Ordinarios residentiales et Ordines et Congregationes Religiosorum et Religiosarum, ita ut *Ordinarii locorum latiore polleant iurisdictione etiam in Religiosos* exemptos, cum pro bono animarum, eorum ministerio opus sit. Concilium optime poterit in simpliciorem formam redigere Religiosorum et Religiosarum disciplinam.

10. Ut foveatur cognitio Missionum in sacerdotibus civilium nationum, conversio animarum ad Christum Dominum et, e converso, sacerdotes e Clero indigeno antiquorum Ecclesiarum experientia informentur, opus institui poterit sub Sanctae Sedis tutela, quod curet *inter Dioeceses et territoria Missionum sacerdotum communicationem,* qui ad tempus et cum onere ad suum Episcopum redeundi, opus praestent sive ad Fidei propagationem apud infideles, sive ad ministerium pastorale in nationibus quae carentia sacerdotum laborant (America Latina, etc.) sive ad propriam perfectionem agendam in paroecis iam formatis.

11. Cum carnis luxuria magis magisque inter homines diffundatur,

meminisse iuvabit illud D. N. Iesu Christi: « Hoc genus demoniorum non eiicitur nisi in oratione et ieiunio ». Confirmanda igitur videtur *disciplina ieiunii et abstinentiae,* quamvis modis novis et huius temporis vitae aptioribus, qui ab omnibus facilius observari possint, leviores in executione, frequentiores numero; verbi gratia: certis diebus, una vice in die, cibis esurialibus vesci, intuitu expiationis et reparationis pro peccatis suis ceterorumque fidelium.

12. Cum plerique, etiam ex Clero, stulte cogitent de infirmanda *lege et gloria ecclesiastici caelibatus,* illam Concilium fortiter confirmet. Tamen, cum sacerdos aliquis a vocatione sua defecerit, provida Mater Ecclesia, in casibus peculiaribus et gravissimis adhibitis sanctionibus et poenitentiis, cum revera de salute animae eius agatur, illum adiuvet ut conscientiae suae consulat et saltem a peccato recedat: ne in aeternum damnetur!

Actuositates quibus hodie ecclesia tenetur

1. *De instructione catechetica.* Populi christiani gravissima et urgentissima necessitas est instructio religiosa tam puerorum quam adultorum, forma catechetica habita. *In Seminariis* igitur curent moderatores et doctores ut alumni prae omnibus doctrinis litterariis, humanis, technicis, congruentem acquirant scientiam theologicam, solidis fundamentis innixam, modo simplici, plano, evangelico tradendam, doctis et indoctis, praesertim catechetica forma. *In populo* denique omni modo foveatur instructio catechetica, maxime in scholis, in adsociationibus, verbo, sed etiam scriptis, adhibitis quoque ephemeridibus quotidianis et periodicis.

2. *De scientia liturgica.* Saepe, proh dolor! sacerdotes novensiles sacras coerimonias et divinum cultum pro nihilo faciunt, utpote inutilia et vetustissima et reformanda et negligenda, quae nihil prosint Christifidelibus huius temporis, a curis temporalibus oppressis.

Gravissimus error, iam a primis Seminarii annis profligandus!

Ut in populo christiano tamen cognitio liturgica et in sacris actionibus participatio magis magisque diffundantur, non tantum codificentur recentiores innovationes de Hebdomada Sancta, de Eucharistia, de Confirmatione, sed etiam funditus urgeatur *revisio librorum liturgicorum,* praesertim Ritualis, Pontificalis Romani, et Coerimonialis Episcoporum, cum plurimi ritus consecrationis et benedictionis nimis prolixi sint (v. g. consecratio ecclesiae, etc.) et a fidelibus prorsus incomprehensibiles.

3. *De inamovibilitate parochorum.* Praesens disciplina de inamovibilitate parochorum tum nimis auctoritatem et aestimationem Episcoporum mortificat, tum luctuosissima mala pro fidelium animis saepe parit. Utile videtur, cum debitis cautelis, eam amovere.

4. *De praevidentia pro morbis et senectute Cleri.* Cum sacerdotes plurimi nimia anxietate laborent de sua valetudine et senectute, paroeciis suis ita inhaerent, etiam cum senuerint, ut manu sua destruant quod in prioribus annis construxerant. Prudens systema de praevidentia ex parte Ecclesiae, sacerdotibus maiorem libertatem donaret in ministerio una cum tranquilla securitate in rebus oeconomicis.

5. *De peraequatione beneficiorum ecclesiasticorum.* Cum res satis periculosa et difficilis sit, saltem Episcopi dentur amplioribus facultatibus in reditibus bonorum ecclesiasticorum administrandis et sacerdotibus pauperibus erogandis.

6. *De piis fundationibus.* Multae conscientiarum anxietates, dubia, errores, negligentiae, interdum etiam iniustitiae, obortae sunt propter disciplinam de piis fundationibus, quae nunc viget. Nam sive propter imminutos redditus, permutationes et defectionem bonorum et, consequenter, propter multas et successivas uniones legatorum et reductiones onerum, sive propter neglegentiam antiquorum et recentiorum parochorum, saepe talis confusio fundationum ita facta est, ut vere sit inextricabilis.

Onus quoque recurrendi ad Sanctam Sedem pro quacumque fundatione interdum tam difficilis est, propter dubia circa circumstantias quae requiruntur pro notitia, quaeque iam impossibile est inveniri, ut a recursu deterrentur etiam diligentiores Curiae. Oportet igitur ut Concilium Oecumenicum totam disciplinam de piis fundationibus funditus revisat et in simpliciorem formam redegat, sanatione de praeterito concessa.

Haec omnia, Eminentissime Domine, tibi pandere, humiliter et confidenter, coram Domino, opportunum duxi.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus

✠ Hugo Poletti
Episcopus tit. Medelitanus
Auxiliaris Novarensis

288

Exc.mi P. D. HENRICI FORER

Episcopi tit. Memphitani, Auxiliaris Tridentini

26 augusti 1959

Libenti obsequio desiderium Summi Pontificis Ioannis XXIII adimplens infrascriptus sequentia optata — praeter ea quae ab Ex.mo Archiepiscopo transmissa sunt — futuro Concilio tractanda exponit:

1. Caritas pastoralis postularet, ut in regionibus mixtarum linguarum sacerdotes omnes utriusque Nationis linguam callerent atque sine distinctione omnes fideles in eorum lingua adsistere carum haberent, non solum in administratione Sacramentorum, sed etiam in cura infirmorum atque morientium, suggerendo illas orationes vel considerationes, quae usitatae sint fidelibus ideoque gratiores et efficaciores.

Ne accidat ut solum sacerdotes nationis subiectae omnes fideles sua quaque lingua alloqui valeant, ita ut ab ipsi exigatur cognitio utriusque linguae iam in Seminario et in concursu generali, mediante experimento praedicationis vel catecheseos, et omnes ad eos accedere possint in omnibus negotiis curae animarum, dum eorum confratres nationis dominantis linguam alteram in scholis publicis quidem addiscant, sed amplius non curent, experientia non colant, ita ut alienos fideles in confessionibus alloqui non valeant, infirmos vel morti proximos exhortari nequeant, eos intruere vel in negotiis religiosis assistere se impotentes sentiant, quamvis populus mixtus utraque lingua de facto utatur, et res publica pro lingua altera iam in Seminario Maiori colenda non parum pecuniae expendat; si quis clericus utraque lingua utatur, tamen ulterior eius progressus non colitur nec locis mixtis applicatur, ita ut de facto habeatur divisio et alienatio animarum, immo oppositio oriatur contra omne quod ab alia Natione etiam religiose procedat.

Ideoque suggerere liceat, ut omnis sacerdos qui in regione mixtae linguae operetur, ex conscientia illas linguas quam perfecte addiscat; ut in examinibus clericorum et concursibus parochorum pro loco mixto exigatur experimentum utriusque curae animarum; ut in talibus paroeciis mixtis non solum concedi debeat usus orationum publicarum utriusque linguae, sed ab ipso curatore sponte adhibeatur, si quaedam pars notabilis, v. g. in funere vel in functionibus sacris et liturgicis, iis indigeat. Atque ita obtineatur illa pax et caritas quae unitatem in Deo foveat.

Est verum quidem, talia posse ab unoquoque Ordinario disponi vel

imponi, sed singuli saepe obiectionibus subsunt, quasi partem unius nationis contra aliam assumant, dum regulae quaedam generales a Summa Auctoritate promanatae singulis valde prosint. Ceteroquin cura variorum rituum orientalium in mundo disseminatorum, vel adsistentia emigratorum aliquid simile iam providit, quod his casibus applicari poterit.

2. *Extrema unctio* — quod nomen animos terret, administrationem arduam vel, post factum, fere vanam reddit.

« Infirmatur quis in vobis ... », sed non dicit Apostolus: « usque ad mortem! » Sit vere sacramentum infirmorum, scilicet ut conferri possit cum quis aegrotat vel in nosocomium inferatur, si morbus longioris temporis praevideatur ita ut aegroti qua tales vere levamentum et consolationem habeant, nec facile exitu proximo terreantur. Itaque aliud nomen eligatur: unctio vel benedictio infirmorum, sacramentum aegrotorum, exorcismus morbi, consolatio infirmi vel aliud quid simile. Si hodie tantum insistitur in apostolatu infirmorum, eis etiam concedatur, etiamsi non morti proximis, illa unctio quae eos exhortetur et corroboret.

Pariter aliud extremum devitetur vel prohibeatur, ita ut statuatur tempus post mortem evidentem, quo elapso hoc sacramentum nec sub condicione conferri possit, et ut semper melius fideles instruantur, ut tempestive sacerdotem vocent, speciatim nunc in periculis viae, ubi saepe ultimus vel nullus sacerdotis interventus advocatur.

3. Cum *reformatio Breviarii* iamdudum in opere posita sit, hic exprimitur desiderium, ut pro clero addicto curae pastorali concedatur maior abbreviatio in diebus magni concurcus vel maioris applicationis, speciatim diebus dominicis et festis, ne angustia temporis vel defatigatio naturae recitationem devotam illusoriam efficiat.

Quamvis nova versio psalterii omnino maximi habenda sit, quia errores inveteratos ausa est auferre, tamen rythmus in ea nondum pulchritudinem antiquam attingere videtur; cursum scilicet illum suaviter fluentem, qui distinguit opus S. Hieronymi. Etenim Psalmi ars poetica sunt et non solum edictio veritatum.

4. *Pericopae Evangeliorum,* proh dolor, nimis usitatae iam difficultatem explicationis secum ferunt, nisi maiori varietate amplificentur, ita ut cyclo 3-5 annorum totum fere Evangelium proponatur populo.

Quod quidem certe compaginem antiquam et venerabilem Missalis turbare poterit, sed sicut tunc illae pericopae vel lectio Evangelii pro aedificatione fidelium exortae sunt, etiam nunc foecunditas Ecclesiae amplificationem salutarem admittere potest.

Item *Praefatio* propria pro tempore Adventus componatur.

5. Magis commendetur applicatio *rerum temporalium* Ecclesiae pro finibus pastoralibus et spiritualibus, sive in aedificationem populi christiani sive in sublevandis pauperibus.

Item Beneficia antiquata aut vacantia novis indigentiis applicentur, et Religiosi sua amplissima saepe latifundia curae animarum subiecta corde existiment, ne distinctio inter « Ordinem » et « paroeciam » scandalum vel damnum curae animarum secum ferat.

Ceteroquin optandum, ne nimiis vel minimis negotiis materialibus tempus et vires sacerdotum detineatur, sed facilius illae res discretioni Ordinarii committantur. Quod valeat speciatim pro Beneficiis supradictis et pro reductione onerum Missarum, quae saepe iniuria temporum evanescunt. Forsitan multa hucusque dicta respiciunt antiquum ordinem feudalem, quem utique deplorare opus non sit.

Alia ex parte, sicut praxis antiqua Ecclesiae, et praesens etiam instructio secumfert, melius adhuc distributio et adaequatio proventuum inter sacerdotes divites et pauperes inculcetur, ne quidam « ebrii sint, dum alii esuriunt ».

HENRICUS FORER
Episcopus tit. Memphitanus
Auxiliaris Tridentinus

289

EXC.MI P. D. FLORENTII ANGELINI
Episcopi tit. Messeniensis

Romae, 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratias ex animo Tuae Em.tiae Rev.mae refero quod, epistolis Prot. N. 10/59-2226, me ad exponenda Pont. Commissioni Antepreparatoriae pro Concilio Oecumenico, desideria et vota invitasti circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Precibus Deo actis, humiliter haec exponere putavi:

1. Disciplina caelibatus ecclesiastici denuo confirmetur et corroboretur. Insidiae et pericula cuiusvis generis quae nostra aetate morum integritatem tentant, caelibatus validitatem vehementius quam ante declarant; si temporibus nostris plurimae defectiones deplorantur, vitari tamen possunt et debent spirituali vita, institutione ac disciplinam quam maxime accommodata. Praecipue:

a) Seminariorum Rectores, conscientiae Moderatores ac docentes

sint vere muneribus suis idonei, vita eorum sacerdotali exemplo discipulis sint, necnon et apprime periti variarum quaestionum muneris pastoralis.

b) Specialiter attendendum est ad scholas apostolicas religiosorum quae cognitione vitae nimis arcta, ad caelibatum ecclesiasticum plurimos iuvenes introducunt, qui postea transeunt vel ut transeant invitantur ad saecularem clerum, ubi non semper edificanter vivunt.

c) valetudo physico-psychica ad sacerdotium candidatorum accuratiori inquisitioni subiciatur.

d) Opportunitas perpendatur elevandi aetatem pro ordinatione sacerdotum, diaconorum et subdiaconorum; ceterum oportet saltem, meo quidem iudicio, ut dispensationes ab aetate canonica non amplius concedantur.

e) Episcopi eorumque peculiares adiutores curam habeant sacerdotum praesertim iuvenum, eorumque vitam maxime spiritualem sequantur: exercitia nempe spiritualia quotannis facienda, moderationem spiritus, hebdomadalem confessionem, sapientem temporis usum, tempus scilicet orandi et tempus studendi, ministerium animarum, consuetudinem cum Superioribus, relationem saltem annualem ab omni sacerdote faciendam suae activitatis. Ceterum, si, nostra aetate, nova et infestiora pericula mentis et morum sacerdotum integritati minantur, nihil remittendum puto de statu ab Ecclesia tot saeculorum decursu sibi comparato, quo sacerdotalis vitae perfectio declaratur, ab ipso populo instanter postulata, nova tamen et idonea censeo media sanctificationis comparanda, ut sacerdotes suam sacerdotalem vocationem integerrime vivere possint.

Mala et incommoda, quae inter sacerdotes aliquando deplorare debemus, quaeque falso a quibusdam caelibatui ecclesiastico imputantur, sine fine ingravescerent, caelibatu adempto, vitaeque sacerdotum et Ecclesiae novae difficultates impossibilis aut absurdae solutionis orirentur.

2. Attamen defectiones perpendens quae in clero reapse habentur, Concilium, quod ad ecclesiasticum caelibatum attinet, examinare poterit gradum firmitatis, quo Ecclesiae hoc vinculum defendendum sit in iis qui, etiamsi olim sancte illud contraxerint, ab eodem tamen, ob rationes quas ipsa Ecclesia examinat et iudicat, dispensationem petunt.

3. Ut raritati sacerdotum aliquo modo occurratur, quae in dies evangelizationis operam et pastorale munus difficiliora efficit, Concilium perpendere poterit possibilitatem novi ordinis minoris non ad sacerdotium ordinati atque fortasse cum matrimonio convenientis, cui tribui poterit munus magisterii et catechisticae praedicationis, etiam in Ecclesia, atque, si hoc necessitas requirat, distributionis fidelibus SS. Eucharestiae.

Ad omnia incommoda vitanda, quae facile praevideri in Seminariis

possunt, ubi clerici caelibatum eligere debent, ut ad sacros ordines accedere possint, aetas aliqua statui potest pro iis qui novum minorem ordinem sumere intendunt (ex. gr. 30-35 annorum).

4. Rationem etiam debitam habentes varietatis, quam Spiritus ipse Sanctus Ecclesiae suae tribuit, quaque tantam eidem utilitatem affert Concilii Patres examinare poterunt quomodo removeri possint nimiae inaequalitates in cleri distributione, non tantum inter dioeceses eiusdem nationis, sed etiam inter nationes ipsas ac continentes.

Haec melior distributio explanari poterit si iam inter theologiae alumnos instituetur, qui studia absolventes in dioecesibus ipsis, ubi suum ministerium acturi sunt, facilitatem aliquam iam a tempore suae ordinationis consequentur.

Ad hoc assequendum, uti patet, necesse est rem ad clericorum et sacerdotum magnanimitatem remittere necnon et ad episcoporum intelligentiam.

5. Iterum fortasse examinandum erit principium inamovibilitatis parochorum, ita ut bonum commune animarum et praesidium continuitatis ministerii, quae multis ex causis utilitatem affert, pulchre componantur.

6. Opportunitas examinanda erit extremam aetatem statuendi pro parochorum, sacerdotum in cura animarum, episcoporum dioeceseos ordinariorum ministerio, a qua tamen superior auctoritas dispensare poterit pro singulorum casuum opportunitate.

7. Fines dioecesium iterum examinentur. Necessitas huius recognitionis non eadem est singulis nationibus; sed omnino opportuna apparet in Italia ut sensim sine sensu nonullae minimae dioeceses extinguantur. Multae quaestiones pastorale munus respicientes, faciliorem ac celeriorem solutionem hoc modo invenire poterunt.

8. Romana Curia, cui mirabilia Deus ac tremenda munera tribuit, quae maximum momentum habent ad supernaturalem statum generis humani, constituatur ac dirigatur in officiorum suorum distributione, tantummodo ex generali bono animarum. Ex quo sequatur necesse est ut ad omne munus huius nobilissimae « burocratiae » (uti dicitur), ex quacumque Ecclesiae regione homines recti exempli, vere apti, idoneique vocentur.

Munus denique quo aliquis functus sit, numquam eidem ius tribuat ad ampliora et honorificentiora munera; optime vero si religiosorum principium adhibeatur, quo in officiis regredi etiam possunt, ut semper omnes sese ad suum munus apte congruenterque accommodare possint.

9. Consideranti incrementum laicorum apostolatus in Ecclesia, necnon quomodo consociatio laicorum extra ecclesiam magis magisque

augeatur, imminens necessitas apparet ut catholici vias atque rationes efficaces perspiciant; opportuna varietate servata, instituta tamen idonea ad veriorem cotidie et ampliorem instituant. Concilium formam figuramque perpendere poterit alicuius apti idoneique pontificii instituti.

10. Quamquam omnes graves animadvertunt rationes theologicas, pastorales, historicas instituti exemptionis religiosorum, necessitas tamen magisque sentitur, in bene composita cura animarum, efficacioris unitatis omnium catholicorum virium alicuius dioeceseos circa proprium Episcopum.

Haec vota breviter et indicativa ratione, Pont. Commissioni Antepreparatoria pro Concilio Oecumenico, cui sapientia et prudentia Eminentia Tua praesidet, exhibeo, Deum orans ut proximum Concilium Oecumenicum augusta Romani Pontificis vota pulchre absoluteque perficiat.

✠ FLORENTIUS ANGELINI
Episcopus tit. Messeniensis

290

EXC.MI P. D. HENRICI BARTOLETTI
Episcopi tit. Myndiensis, Auxiliaris Lucensis

Lucae, die 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratulanti animo notitiam accepi indictionis Concilii Oecumenici a SS. Domino nostro Ioanne XXIII nuper factae, quae magnae utilitatis spem fovet pro universa Sancta Ecclesia.

Vota quae mihi humillime proponenda videntur haec sunt:

I. *Quoad doctrinae capita*

a) Resumatur schema « De Ecclesia » quod in Concilio Vaticano propositum fuit, ita ut *doctrina dogmatica de Ecclesia Christi* integre pertractetur, utpote quae nostris temporibus aptissima videatur ad errores refutandos, ad quaestiones solvendas et ad unitatem ipsius Sanctae Ecclesiae fovendam.

b) Synthesis componatur errorum temporis nostri, speciatim circa aptitudinem intellectus humani ad veritatem adipiscendam, sive in re morali sive in re theologica. Hi enim errores causae videntur omnis generis « relativismi » tum in vita pratica, tum in re intellectuali tum in ipsa vita religiosa.

II. *Quoad disciplinam Cleri et populi christiani*

a) *Exercitium Potestatis Episcopalis,* sive in ambitu uniuscuiusque dioecesis (quoad rem administrativam, in provisione beneficiorum Ecclesiasticorum quoad religiones exemptas etc.) sive mediantibus *Conferentiis Episcopalibus,* certis et aptioribus normis definiatur, confirmetur et roboretur.

b) *De statu oeconomico Cleri* Patribus Concilii quaestio proponatur, ita ut collatis exemplis et consiliis normae inveniantur et facultates opportune concedantur ad difficultates removendas, speciatim in quibusdam regionibus et ad necessaria omnibus procuranda.

c) *De defectu Cleri et Ecclesiasticarum vocationum* quaestio sedulo examinetur: methodi quaedam pro reclutatione vocationum studio PP. Concilii proponantur; normae et facultates *ad meliorem cleri distributionem* excogitentur et conferantur.

d) *Apostolatus laicorum,* qui dicitur, clara principia et limites definiantur; item quo sensu et limitibus tam clerici quam laici catholici in re « temporali » et speciatim politica partem habere possint vel debeant statuatur.

Haec vota humillime Eminentiae Tuae Rev.mae pro futuro Concilio Oecumenico subicio, animo paratus ad omnia devotissime recipienda quae in illo PP. definituri sunt.

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimus
✠ HENRICUS BARTOLETTI
Episcopus tit. Myndiensis
Auxiliaris Lucensis

291

EXC.MI P. D. ANDREAE KATKOFF
Episcopi tit. Naupliensis
Coadiutoris Ordinantis Ritus Byzantini

Die 20 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Tardavi valde cum responsione ad Eminentiae Tuae Reverendissimae litteras circulares datas die 18 iunii huius anni, eo quod nimis tarde eas accepi ratione peregrinationis meae in partibus Australiae cum consensu Sacrae Congregationis « pro Ecclesia Orientali ». Cum gaudio assentiens desideriis Summi Pontificis atque Tuis, ea quae sequuntur, coram Domino consideratis, breviter expono:

1. *Theologia Speculativa.* Numquam, videtur, doctrina dogmatica catholica fuit tam clare et eminenter proposita generi humano quam in nostris temporibus, tum a Summis Pontificibus tum a praeclarissimis doctoribus scholarum catholicarum. Doctrina de Maria, Mediatrici Universali omnium gratiarum, adhuc videtur profundius studenda. Doctrina seu opinio ista non videtur opponi Traditioni et menti Ecclesiae Orientalis.

2. *Theologia dogmatico-socialis.* Maxima problemata socialia nostris temporibus videntur esse sequentia: *a*) Communismus; *b*) Distributio populorum in terra, seu quaestio sic dicta de emigratione et immigratione populorum; *c*) Aequalitas omnium populorum, seu quaestio sic dicta « colorum ».

I. Condemnatio communismi sollemnis videtur esse omnino necessaria. Haec condemnatio communismi atheistici et asocialis desideratur non solum a catholicis sed etiam a multis schismaticis et haereticis. Omnes homines bonae fidei de hac definitione sollemni gaudebunt.

II. Distributio populorum in terra (emigratio-immigratio) etiam a pluribus catholicis male vel insufficienter solvitur. A non-catholicis saepe solutiones criminosae proponuntur (uti abortus et alia). Statuendum est, clare et distincte, nostris temporibus abundantia populi in quadam regione (e. gr. in Iaponia, Iapan, Italia etc.) solvi non potest, nec debet, in solo ambitu nationali, sed existere veram obligationem moralem aliarum nationum non praecludendi portas sui territorii, caeteris servatis, si adest abundantia terrae liberae. Hinc praxis amoralis abortus non videbitur sola possibilis aut necessaria ad solvendum hoc problema.

II. Discriminationem populorum secundum colores, regiones etc. declarandum est illicitam esse. Hanc declarationem, claram et sollemnem, expectant multi asiatici populi et videtur omnino esse necessariam tum ad clarificandam mentem europaeorum, tum ad sublevandos populos asiaticos et africanos.

3. *Vita Ecclesiae.* Summus Pontifex Ioannes XXIII clare monstravit suam mentem cordi illius esse quaestionem christianorum ab Ecclesia separatorum. Eandem mentem monstraverunt alii Summi Pontifices felicis recordationis, uti Benedictus XV, Pius XI, et sanctae memoriae Pius XII.

Cum unio fit inter duos, sequitur non-catholicos necesse *corrigere* mentes doctrinaliter et animos saltem affective; catholicos oportet *dirigere* mentes ad unionem et praeparare saltem in affectu christiano. Ut autem haec *correctio* mentium non-catholicorum fiat possibilis, catholici debent *primi* mentes suas praeparare et corda recalcitrantium ad se disponere.

Unde sequitur: Episcopos, clerum et populos catholicos omnia facere oportet ut ista unio facilius fiat, ut obstacula removeantur, nempe:

a) Decreta Summorum Pontificum nota sint Episcopis vel clero. In praxi multa ignorantia invenitur ubique, e. gr.: I. Studium Ecclesiae Orientalis et doctrinae Ecclesiae Orientalis in multis Seminariis negligitur. Alumni Seminariorum vix sciunt Orientales existere cum iam sacerdotio ditantur. Unde sequitur ignorantia, suspicium, animositas contra Orientales non solum acatholicos sed etiam catholicos. Saepissime Orientales (etiam catholici) rebaptizantur, reconfirmantur, in Ritum Latinum transferuntur. Utique potestas mutandi Ritum Sedi Apostolicae reservatur, sed in praxi, ut videtur, multi Episcopi amplam potestatem habent et illa utuntur.

b) Ut sacerdotes catholici Orientales cum clara conscientia noncatholicis dicere possint existere in Ecclesia Dei aequalitatem Rituum, existere in illa bonam voluntatem praeservandi Ritus Orientales, oportet quantocius has anomalias corrigere. Oportet ut clerus Orientalis (v. gr. in Africa, Asia Minori) opportunitatem habeat suum Ritum praeservare, non perdere. Oportet ut Missionarii suam propriam mentem adaptent ad mentes et habitudines legitimas eorum quos evangelizant et non e contra, mentes sine necessitate mutent eorum quibus praedicant.

Remedia. 1. Introducantur iam in catechismo notitiae de varietate nationum, colorum, Rituum et, servata cautela quoad mentem et aetatem, in scholis catholicis explicentur.

2. In Seminariis non solum praeserventur Decreta Summorum Pontificum quoad studia Orientalia, sed saltem semel in anno instruantur praelectiones Liturgiae Orientalis, ut clerici sciant divitias Ecclesiae. Ubi possibile, sacerdotes Orientales doctrinam Orientalem in Seminariis exponant.

3. Declaretur clare Baptismum Orientalium et Confirmationem validos esse. Prohibeatur, nisi adsit dubium positivum, orthodoxos schismaticos rebaptizandi. Hoc causat scandalum inter non-catholicos orientales et desperationem in animis cleri Orientalis Catholici.

Si post Concilium Oecumenicum non omnes ad gremium Ecclesiae revertentur, ex parte saltem Catholica omnia praeparentur ad ea tempora, quando Deus Optimus Maximus hanc gratiam concedet.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
servus devotus

✠ ANDREAS KATKOFF
Episcopus tit. Naupliensis

292

Exc.mi P. D. IOSEPHI PETRELLI

Archiepiscopi tit. Nisibeni

Montegiorgio, 1 settembre 1959

Eminenza Reverendisima,

Mi è pervenuta la venerata Lettera Circolare di Vostra Eminenza Rev.ma relativa al lavoro preparatorio del prossimo S. Concilio Ecumenico.

In doveroso riscontro del venerato documento e premesse le mie umili scuse per il ritardo dovuto a non lievi acciacchi della mia avanzata età, assicuro che partecipò al S. Concilio col cuore e con la preghiera in unione alle sante intenzioni e agli ardenti voti dell'amatissimo e vigilantissimo nostro Augusto Santo Padre, per la maggior gloria di Dio e per il profittto spirituale di tutte le anime nostre.

Con sensi di profondo ossequio mi inchino al bacio della Sacra Porpora mentre ho l'alto onore di professarmi

di Vostra Eminenza Reverendissima
umil.mo dev.mo servitore

✠ Giuseppe Petrelli
Arcivescovo di Nisibi

293

Exc.mi P. D. BLASII BUDELACCI

Episcopi tit. Nysseni, Auxiliaris Tusculani

Tusculi, die 15 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Officium adimpleo communicandi, iuxta placitum Summi Pontificis, Ioannis XXIII fel. regn.; prout Eminentia Vestra Rev.ma mihi significavit Litteris die 18 iunii 1959 datis: Prot. n. 1 C/59-2250, puncta quaedam quae opportunius examini subici posse futuri Concilii Oecumenici mihi visa sunt.

1. Postulatur *unitas* Ecclesiae tum externa (i. e. cum « patribus dissidentibus), tum *interna.*

2. Quo efficacius consulatur vitae christianae fidelium conveniens videtur proportionata divisio territorii Dioecesium et in iis rationalis distributio utriusque Cleri.

Curanda forte erit adsignatio redituum vere sufficientium Dioecesibus pauperioribus.

3. Maior auctoritas concedatur Ordinario Dioecesano in Religiosos privilegio exemptionis gaudentes.

4. Attenta utriusque Cleri exiguitate, activitas Sacerdotum qui disciplinis tradendis incumbunt, videtur coarctanda ad munus docendi disciplinas Religiosas vel cum Religione intime connexas, ut ipsi lectores seu magistri valeant etiam in ministerio pastorali proprie dicto directe se exercere.

5. Facultas habitualis tribuatur Ordinario dispensandi a quibusdam determinatis legibus Ecclesiasticis (ex. gr. relate ad impedimenta matrimonialia in quibus S. Sedes solet dispensare, ad reductionem onerum Missarum ex Legatis provenientium).

6. Desideratur reformatio Breviarii qua Divini Officii recitatio evadat expeditior.

7. Maior disciplina exigatur a clericis, quoad usum vestis talaris, tonsurae, ad totius vitae clericalis spiritum corroborandum.

8. Notio poenitentiae, quae cum abstinentia a carne feria VI coniungitur, aptius definienda videtur.

Puto alius generis privationem (ex gr. quoad spectacula, usum alcoolicorum) nostris temporibus melius esse accommodatam.

9. Item concedi posse, existimatur, facultas Praecepti satisfaciendi die feriali operariis qui nequeant abstinere ab operibus servilibus festis de praecepto diebus.

10. Concelebratio inducenda videtur in Missa Chrismali Feria V Hebdomadae Maioris.

Haec capita haud nulli momenti visa sunt mihi et quibusdam Viris Ecclesiasticis quorum consilio usus sum; e quorum examine ac definitione aliquod remedium afferri posse autumare licet modernae practicae apostasiae humanae societatis a fide.

Expectationi Summi Pontificis ac Eminentiae Vestrae aliquatenus respondisse fidens, osculo S. Purpurae prostratus, me profiteor

Eminentiae Vestrae Rev.mae

✠ Blasius Budelacci

Episcopus tit. Nyssenus, Auxiliaris Tusculanus

294

EXC.MI P. D. IOANNIS SMIT
Episcopi tit. Paraliensis

E Civitate Vaticana, 19 septembris 1959

Eminentissime Praesul,

Rogatus ut communicare faveam Pontificiae Commissioni nonnulla circa argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, haec vota humiliter propono.

Quoad S. Missam

1. Ut celebrans in prima parte S. Missae uti possit lingua vulgari.
2. Ut S. Missa finiatur cum benedictione sacerdotis post « Ite, missa est ».
3. Ut detur, secundum mores patrios, maior libertas quoad formam externam vestimentorum liturgicorum.
4. Ut ieiunium eucharisticum pro omnibus tum sacerdotibus tum laicis restringatur ad unam horam ante S. Communionem.
5. Ut omnibus sacerdotibus detur facultas celebrandi S. Missam semel in die quacumque hora.

Quoad administrationem Sacramentorum

1. Ut amplius admittatur lingua vulgaris, praesertim in administratione Baptismi, Matrimonii, Extremae Unctionis.
2. Ut diminuantur exorcismi.

Quoad recitationem Breviarii

1. Ut pro sacerdotibus, in cura animarum laborantibus, Breviarium non consistat nisi in Matutino trium psalmorum, Laudibus et Vesperis.
2. Ut detur facultas recitandi Breviarium privatim in lingua vulgari.

Quoad dogma

Ut de dogmate infallibilitatis explicite declaretur Summum Ponficem numquam infallibilem sententiam pronuntiaturum esse nisi prius auditis episcopis totius Ecclesiae tum occidentalis tum orientalis.

Interim excipias quaeso, Eminentissime Domine, devotionis et venerationis sensus

humillimi et addictissimi
servi in Domino
✠ IOANNES SMIT
Episcopus tit. Paraliensis

295

Exc.mi P. D. PETRI SEVERI
Episcopi tit. Pergameni, Auxiliaris Praenestini

Praeneste die 28 augusti 1959

Nuntius de Concilio Oecumenico convocando christifidelium animos magno gaudio affecit magnamque in expectationem adduxit.

Haud enim dubium est quin maximus ille consessus in his rerum adiunctis clero et christianae plebi valde profuturus sit lumen, solamen, incitamentum afferendo.

Potissimum insuper spes affulget, tali propitia occasione, dissentientes, saltem Orientales, ad unitatem Ecclesiae redituros. Quod tamen, cum in humanis difficillimum, si non prorsus impossibile, videatur, exopto ut, praeter enixas preces Deo Omnipotenti in tota Ecclesia multiplicandas, ipsum Concilium sub patrocinio B. M. V. a *Bono Consilio* ponatur atque definitio eiusdem Virginis ominum gratiarum *Mediatricis* ut primus Concilii actus proponatur.

De doctrinae capitibus tractandis

Nullum videtur extare argumentum ad errores vel quaestiones nostri temporis pertinens, quod Summi Pontifices pluries et luculenter non illustraverint; non intempestiva tamen erit circa eadem argumenta sollemnis doctrinae Ecclesiae confirmatio.

De disciplina cleri et populi christiani

Argumenta, quae circa hoc caput subeunt, referuntur praecipue ad Italicam nationem nec excedunt ordinariam Sedis Apostolicae administrationem; recensebimus tamen aliquot:

de ambitu potestatis Ordinariorum;

de emendandis finibus dioecesium Italiae earumque numero prudenter minuendo, cum parvae dioeceses non idoneae evadant ad huius temporis necessitatibus et actuositatibus consulendum;

de temperanda exemptione Religiosorum, praesertim in iis quae ad spirituales necessitates dioeceseos et ad externas actuositates respiciunt;

de instituto beneficiorum, quod non videtur ad nostri temporis rationem accomodatum;

de inaequalitate oeconomica officiorum et clericorum;

de sacerdotibus aetate vel infirmitate gravatis misere degentibus, praesertim in parvis dioecesibus;

de incrementanda vita communi clericorum et de clero dioecesano.

Circa omnes ceteras res opportune tractabuntur:

usus moderatus linguae vulgaris in actionibus liturgicis;

reformatio Breviarii Romani et simplificatio Kalendarii;

denique, quod maximum problema videtur, carentia sacerdotum et probabilis instauratio Ordinum minorum vel etiam Diaconatus a Presbyteratu seiunctorum.

Ex vestigio nulla alia alicuius momenti argumenta subeunt, facilius et clarius respondebitur si schema interrogationum missum erit.

✠ PETRUS SEVERI
Episcopus tit. Pergamenus
Auxiliaris Praenestinus

296

EXC.MI P. D. BENEDICTI FALCUCCI
Archiepiscopi tit. Preslavensis

Atessa (Chieti), 18 novembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Trasmetto all'E. V. Rev.ma la mia risposta alla venerata Circolare 1 C/59-2696 del 18 giugno 1959 relativa alle proposte, voti ed osservazioni per il futuro Concilio Ecumenico.

Chiedo umili scuse per il ritardo che cercherò compensare con una umile, assidua e fervente preghiera al Signore nel Santo Sacrificio della Messa, perchè le auguste intenzioni del nostro venerato Santo Padre nell'aspettativa della solenne assemblea Ecumenica, siano coronate dalla più ampia e devota rispondenza del Clero tutto e del popolo cristiano.

Il nuovo fervore di vita religiosa che su tutta la Chiesa come rinnovata Pentecoste si sentirà varrà ad attirare sulla misera terra le più elette benedizioni di Dio e a riportare alla Sede di Pietro anche le pecorelle erranti o scismatiche.

Una preghiera del tutto particolare per l'E. V. Rev.ma, perchè possa assolvere con ogni zelo i gravi compiti che la Santità di Nostro Signore

Giovanni Papa XXIII ha voluto affidarLe come al primo e più diretto collaboratore.

Mi valgo della presente occasione per baciare la S. Porpora e confermarmi dell'E. V. Rev.ma

Dev.mo ed umilissimo
servo

✠ BENEDETTO FALCUCCI
Arcivescovo tit. di Preslavo

1. Exponatur clara Ecclesiae sententia circa doctrinam a Christifidelibus retinendam relate ad mortem seu transitum B. M. Virginis.

2. Definiatur ut dogma fidei Mediatio Universalis B. Mariae Virginis.

3. Cum Ecclesia Catholica hodie cum omnibus terrae regionibus relationes promoveat et Concordata, modos vivendi ineat cum variis populis, ad errores praecavendos, peropportunum videtur, ut exponatur doctrina Catholica circa relationes inter Ecclesiam a Christo Domino fundatam et Societatem Civilem.

4. Sollemniter dammanda videtur tum doctrina Communismi tum Neomodernismi venenum, secundum Encyclicam *Humani Generis.*

5. Confessores omnes et sacri praecones quam sedulo fideles edoceant circa peccata hodiernae vitae socialis et progressus: competitiones agonales, leges viabilitatis, radiotelevisiones etc.

6. Fines, methodus et liceitas actionis uti dicunt syndacalis, relaxatio operis (sciopero) clare ad nostra tempora apta enucleentur et, si fieri potest, ad modum articulorum Codicis exponantur.

7. Leges ieiunii et abstinentiae ad hodiernas necessitates aptentur: serventur tantummodo quattuor vigiliae ut nunc in Italia post immane bellum et pro sola feria sexta retineatur lex abstinentiae.

8. Tempus clausum pro matrimoniis reducatur a die 17 ad diem 25 decembris et a Dominica 1 Passionis usque ad Pascha D. N. I. C.

9. Cum lex orandi sit et lex credendi, peropportunum videtur ut ritus Occidentales ubique sint conformes, elementis sumptis ex liturgia romana, ambrosiana, mozarabica etc. ita ut S. Missae Sacrificium uti hodie in pervigilio Paschatis absolvatur.

In Missali Sancti Ecclesiae universalis Missas retineant quae hodie propriae sint locorum vel peculiarium Ordinum seu Congregationem seu Coetum particularium.

10. Lectiones Sacrae Scripturae in Breviario retineantur quae aedificationem moveant, suppressis v. g. lectionibus peccatorum uti Davidis et

Sunamitidis. Responsoria omnia recitentur vel canantur tantummodo in choro et non in recitatione privata.

11. Sacerdotes apostatae ad conscientiam consulendam cum matrimonium, uti aiunt civile, contraxerunt vel concubinario vivant modo, a lege coelibatus dispensentur, ita ut sacramenta recipere valeant, cum prohibitione exercitii sacri Ordinis, excepta absolutione in articulo mortis, sub poena excommunicationis latae sententiae specialissimo modo reservata.

12. Ad modum simpliciorem reducatur processus remotionis parochorum, nonnullis adiectis gravibus causis ultra illas quae a Codice numerantur.

14. Episcopi omnes residentiales facultatibus polleant, unoquoque quinquennio renovandis, dispensandi super impedimentis consanguinitatis in secundo gradu collaterali aequali et affinitatis, excepta linea recta.

15. Ordinarii locorum facultate ordinaria processum instruant super matrimonio rato et non consummato, servatis regulis S. C. de Disciplina Sacramentorum usque ad sententiam definitivam, quae, una cum voto Episcopi ad eamdem Sacram Congregationem mittatur, ita ut, processo rite reviso, Praefectus S. C. ad Beatissimum Patrem petat gratiam dispensationis.

16. Vota perpetua retineantur tantummodo pro Religiosis monialibus Ordinum; sed pro monialibus Congregationum vota sint ad annum seu ad triennium.

17. Habitus primae Communionis simplex sit et optandum ut uniformitas statuatur.

18. In Missis festivis exponatur doctrina catholica ad formam Catecheseos aptatam ad lectionem evangelicam.

✠ BENEDICTUS FALCUCCI
Archiepiscopus tit. Preslavensis

297

EXC.MI P. D. CORNELII S. CUCCAROLLO
Archiepiscopi tit. Proconnesii

Gratias ago quam maximas pro epistola 18 iunii a. c. Prot. N. 1 C/59-2291.

Auditis, doctorum ac religiosorum virorum qui in doctrinalibus quaestionibus versati sunt et in via christianae perfectionis valde experti,

consiliis; iudicium audeo proponere (quod mihi maximi momenti videtur) circa moralia requisita quae pro ordinandis in Sacris, requiruntur.

Vulnus valde deprecabile conspicitur et, pro dolor!, valde frequens, quod in Sacris ordinati, immo et in curam animarum iam addicti, persaepius ut habitualiter non dicam, in peccatis contra sextum incidant, cum iam habitualiter haec contraxerint in praeparatione ad sacra suscipienda. Seminariorum Rectores hoc ignorantes, de exterioris observantiae contenti, ut alumni ad Sacros Ordines ascendant, ultro votum dant placitum.

Iam ab hinc viginti annos, dum Episcopalibus Consiliis Puliensibus Praeses eram, instructiones habui circa Confessores in Seminariis Regionalibus operam dantes, quas ipsis comunicavi, omnibus Regionis Episcopis maxime concordibus in adprobatione illarum instructionum quae in promovendis Seminariorum alumnis in Sacris, viam strenue arctabant. Illarum epistolarum, diversarum circumstantiarum causa, copias amisi, at hoc earum roborem non minuit. Valde utile mihi videtur ut etiam hodie, immo et in posterum, in memoriam revocentur et adamussim observentur, pro animarum bono, tam ipsorum sacrorum administrorum, quam fidelium.

Tam pro hac gravi re tractanda, quam de aliis maioris momenti, ut habetur commune consilium, mihi videtur perutile esse, ut Rectores Seminariorum cuiuscunque nationis, periodice conveniant. Quamvis enim de colendis Seminariorum alumnis multae datae sint leges et instructiones, tamen in earum interpretatione, non eadem est mens.

De cetero, ut omnis impendatur cura illorum a quibus pendet practice salus animarum, cum « sint providi cooperatores ordinis nostri » et ut maximam sollecitudinem in Seminariis adhibendam esse ad eorum formationem, praecipue interioris vitae sacerdotalis, facile conspicitur. Hac deficiente, inanis evadit omnis actuositas sacri ministerii.

Insuper ad hanc formationem magis magisque fovendam, mihi perutile videtur, auditis plurimorum votis Sacerdotum, eorum sacerdotales virtutes et sacerdotalia exempla, conspicere.

Ad hunc finem obtinendum, annuentibus votis, « *corde et animo* » expressis plurimorum Episcoporum, inter quos aliqui S. R. Ecclesiae Cardinales, propositum fuit novum « *Commune Confessorum Sacerdotum* ».

Iis votis perlibenter adhaeserunt vota plurimorum ecclesiasticorum virorum tam e clero saeculari, quam regulari, ut patet ex variis publicationibus quas, in iis novissimis temporibus, dederunt aliquae ephemerides clero dicatae.

Hoc et mihi videtur valde conveniens. Nam sicut in coelo exstat « *almus Sacerdotum chorus* » ab aliis distinctus charactere sacerdotali « *quod manet in aeternum* », sic a militanti Ecclesia, summe decet liturgice eos recognoscere, sicut distincte recogniti sunt, Commune proprio, in eorum festis, Apostoli, Martyres, Sancti Confessores Pontifices, Sancti Confessores sacro charactere non ditati, Virgines et Non Virgines.

Devota animi consideratione ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta a Domino deprecor

Eminentiae Tuae
add.mus

✠ Cornelius Seb. Cuccarollo
Archiepiscopus tit. Proconnesius

Eminentissime Domine,

Re mature perpensa, meae litterae diei 12 augusti 1959 Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico transmissae, urget me, si mihi licet, necessario, sequentia adiungere:

1. Mihi tam personaliter, quam a multis de auditu, constat quod perplurima Cathedralium Ecclesiarum Capitula necnon perplurimi singuli Sacerdotes, usque nunc in recitatione divini Officii Veteri Vulgata, scilicet psalmis prout, antiquissima traditione receptis, in universali Ecclesia, utuntur. Id non conspiceretur, si novissima versio maiori parti Cleri placeret et clarior evaderet.

In paroecialibus functionibus et praecipue in vesperis dominicalibus et festivis, in Officio Defunctorum, fideles psalmos agnoscunt et cantant tantum uti a praedicta traditione recepti sunt. Perdifficile, mihi videtur, quod ipsi ad novam traductionem se aptent, etiam eo quod musicae sacrae, a S. Pio X noviter instauratae, obstent novissima verborum mutatione.

Vesperae insuper, practice, ad praeparationem ad audiendum catechismum, quae auditio maximi momenti est, iuvant.

Notandum quoque est quod commentaria omnium Sanctorum Patrum et Doctorum, sicut totius Sacrae Scripturae, ita et psalmorum, iuxta editionem usque nunc receptam et a sacro Concilio Tridentino adprobatam, composita sunt iuxta ipsam Vulgatam ad cuius studium, summa cum diligentia, concordantiae biblicae redactae sunt, quae nullae evaderent, novis traductionibus receptis.

2. Anteacto tempore SS. Rituum Congregationi meam patefeci opinionem, auditis plurimorum Canonicorum et Sacerdotum consiliis, circa maioris hebdomadae novos ritus nocturnos institutos. Mihi responsum

dedit eadem S. Congregatio quod gravissimae essent rationes a me expositae pro eorum reprobatione.

De re morali est quaestio. Nam semper et ubique a sacris Pastoribus adhortatum fuit ut, peculiariter mulieres et puellae nocte domi degant, periculis moralibus instantibus, praesertim cum non raro longa, periculosa et saepe obscura sit via ad Ecclesiam accedendi, ut frequenter esse solet in paroeciis ruralibus et montanis. Hoc notandum mihi videtur, praeter alia quae practice facile intuentur.

Insuper Sacerdotes qui in Ecclesia, sacris intenti, pernoctant, inter quos saepe sunt parochi senes, debiles et qui habent plures paroecias, ultra vires defatigati, non possunt, summo mane, ut urget, confessionibus adsistere, non sine fidelium gravi incommodo et murmuratione.

Nonnulli Episcopi has rationabiles difficultates a parochis expositas, nolunt audire et dispensationem concedere, quam « pastorali ratione » concedere possunt ut sacri ritus sero persolvantur. Pro uniformitate ubique servanda mihi videtur ut, vespertinis horis, iidem ritus ab omnibus perficiantur.

Devota animi consideratione ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta a Domino deprecor.

Eminentiae Tuae
add.mus

✠ CORNELIUS SEB. CUCCAROLLO
Archiepiscopus tit. Proconnesius

298

EXC.MI P. D. HYGINI M. NUTI
Episcopi tit. Pupianensis

Romae, 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Veneratam Epistulam Tuam diei 18 iunii, Prot. N. 1 C/59-2294, rite recepi ultimis diebus mensis iulii nuper elapsi, de qua grates quamplurimas Tibi rependo.

Ex parte mea, ominor ex corde bona et prospera omnia pro felici exitu futuri Concilii Oecumenici, iuxta mentem et desiderium Sanctissimi Domini Papae, et gratiae Dei auxilio plenam fiduciam habeo talem celebrationem valde profuturam esse tum ad Ecclesiae doctrinam quod

attinet, tum ad disciplinam et mores cleri et populi christiani quod spectat.

Quando felicem ideam celebrationis futuri Concilii considero et meditor, spes intima dulcis mihi arridet, et sponte ac perlibenter quasi me compellit exclamare cum verbis Ecclesiae: « Sursum corda! » Gaudeamus omnes in Domino, exsultemus ac laetemur omnes una cum Beatissimo Papa nostro Ioanne, Cui Ipse Dominus talem celebrationem inspirare dignatus est ad magis propagandam gloriam suam et in bonum omnium fidelium tum Ecclesiae docentis tum discentis.

Nunc iam ad desiderium Tuum, Eminentissime Princeps, veniens, ut omni cum libertate et sinceritate communicem quaecumque pastoralis sollicitudo et zelus animarum mihi suggerant,circa res et argumenta in futuro Concilio tractanda, proponerem:

I. *Circa doctrinae capita*

1. Ad finem perducere incoeptum Concilii Vaticani de dogmatico decreto circa Ecclesiam, Corpus Christi Mysticum, quippe cum doctrina haec nostro saeculo ostenderit uberrimos posse sanctitatis fructus gignere, desideriis unionis, pacis, concordiae, fraternitatis, quae ubique sentiuntur atque sparguntur, respondere, necessitatem collaborationis omnium christianorum in Regni Dei extensione maiorem in lucem ponere, obligationem sanctitatis pro quolibet christiano extollere.

2. Profundiori studio subicere, decretum aliquod edendo, quaestionem de magisterio ordinario sive Romani Pontificis sive Episcoporum per orbem diffusorum; nam pluries obliviscitur etiam istos in huius magisterii exercitio ob quamdam peculiarem Divini Spiritus Sancti assistentiam speciali gaudere auctoritate.

3. Expositionem quamdam doctrinalem, uti iam pro variis capitibus in Concilio Tridentino factum est, de sic dicto sacerdotio laicorum. Tale quid mihi videtur posse viam praecludere multis erroribus et novas provocare publicationes quae doctrinam pro Ecclesia tam foecundam profundius investigent.

4. Cum sacrum matrimonium sat misere hodie pertractetur in periodicis, in spectaculis cuiusvis generis, in vita ipsa practica christiana, ita ut mundus totus hac de re falsis seminibus idearum germinet, decretum quoddam in quo et doctrina dogmatica et moralis de matrimonio clare confirmaretur, necnon dispositiones darentur ut maiore cum serietate praeparatio ad tantum sacramentum fieret; ita ut bonae familiae christianae societati redderentur, sat necessarium mihi apparet. Quoad ipsam liturgicam matrimonii celebrationem in ritu latino, forte

nimis premitur sobrietas, praesertim quando extra S. Missam, ut hodie toties accidit, fit sollemnitas. Possetne quid sollemnius, et nostris temporibus adaptatum, praescribi?

5. Cum materialismus et humanismus atheistici Ecclesiam omni ex parte minitentur, quaedam damnatio sollemnis de istis haeresibus sensum Ecclesiae et fidei veritatem de supernaturali oeconomia patefaceret.

II. *Circa disciplinam*

A) Cleri

Existimo:

1. Opportunum esse mutationem quamdam introducere relate ad aetatem canonicam pro diversis ordinibus recipiendis requisitam, praesertim sacrum presbyteratum quod spectat, nam aetas 24 annorum hodie nobis virum minime sufficienter maturum pro tanto onere praebet.

Inter ordinationem diaconalem de cetero et presbyteralem tempus posset longius introduci pro diaconatus exercitio sive in praedicatione fungenda sive in baptismo et eucharistia administrandis. Candidatus sic maturior et expertior ad sacerdotium accederet.

2. Iuvare sibi quaerere ad rem utrum vitae Ecclesiae possit utilitatem afferre reintroductio activa exercitii diaconatus necnon et aliorum ordinum diaconatu inferiorum.

3. Quaestionem de Breviarii adaptatione necessitatibus apostolicis hodiernis posse bonos fructus portare.

4. Quaestionem de habitu talari esse considerandam. An sit casus de reddenda eius forma magis respondente nostris temporibus ad abusus vitandos?

5. Tractandum problema sat delicatum et difficile de caelibatu sacerdotum qui e statu suo sublimi misere ceciderunt, ad videndum utrum Ecclesia, de filiorum salute Mater semper sollicita, posset medium invenire qui eos aliquo modo sublevet et cum Deo reconciliet, quin tamen ianua ulla aperiatur pro caelibatus relaxatione.

6. Cum problema vocationum sacerdotalium et religiosarum saepe non bene videatur exagitari, in iis praesertim regionibus ubi magna adest copia vocationum, ita ut dissensus multoties oriri possit inter Episcopos ceterosque quibus tale problema interest, cum non parvo vocationum damno, quaero utrum nihil posset de hac re sub aspectu disciplinari excogitari, ut omnia magis methodice, recte, iuxta Dei consilia procedant? Memorandum quoque esset problema de dioecesibus fere sine vocationibus, dum in eadem natione aliae dioeceses praedivites habentur.

B) Religiosorum

Desiderarem:

1. Decisionem aliquam circa accomodationem status religiosi nostro tempori; nam ideae sat diversae hodie agitantur quae vitae religiosae progressum in Ecclesia turbare videntur, uti v. g. nimia itinerandi facilitas, frequentes apud parentes et cognatos vacationes, publica fumigatio, spectacula audiovisiva, et ita porro.

2. Aliam aetatem canonicam pro professione perpetua sive sollemni sive simplici emittenda, et quidem aetatem maiorem quam 21 annorum, cum experientia satis nobis manifestet illa aetate iuvenem nondum satis maturum esse ad tantum iter carpendum.

C) Populi christiani

Puto:

1. Quaestionem de usu linguae vernaculae in quibusdam caeremoniis liturgicis, uti in sacramentorum administratione et in rituali benedictionum et exsequiarum, quae hodie tot in partibus sat acuta facta est, solutionem quamdam definitivam exspectare.

2. Quaestionem de lege ieiunii et abstinentiae attentionem mereri, cum multae hac de re nunc ideae confusae exsistant, ita ut practice illa lex non amplius servetur.

3. Legem ecclesiasticam de assistentia sacrificio Missae diebus dominicis et festivis aliter formulandam esse; nam hodie perplures huic praecepto die dominico satisfacere nequeunt. Nonne bonum esset ut si praeter praeceptum actuale, daretur ex parte Ecclesiae etiam sollemnis exhortatio, eo sensu ut qui die dominico satisfacere non potuerint, durante hebdomada conentur saltem una vice Sacro adstare? Et quid dicendum de quadam dierum festorum revisione, nam multi ob hodiernam vitam technicam nequeunt amplius omnes illos dies observare?

4. Cum post decreta tam benefica de confessione et communione frequenti inde a Sancto Pio X et aliis Summis Pontificibus data, clarius omnibus innotescat necessitas horum sacramentorum ad perseverandum in gratia, nonne fieri posset ut quodam modo fortius eorumdem sacramentorum receptio urgeatur, quam antiquitus a Concilio Lateranensi IV factum est?

Denique, si iuxta desiderium Domini Papae agere contingat de tam optata Unione Ecclesiarum dissidentium, puto non inutile adnotare hic, ex mea commoratione 23 annorum in Proximo Oriente, personalem impressionem quam habui et adhuc retineo, quod scilicet non pauci ex ipsis orientalibus desiderant dictam Unionem cum Sede Apostolica, dum-

modo aptus excogitetur modus eandem fieri posse cum honore reciproco et pari satisfactione ex utraque parte. Bonum erit ad rem tenere praesentem illorum mentalitatem, id est, eos esse valde sensibiles ad honores, praesertim liturgicos; felices, quando eis tales honores conceduntur, aegre ferentes et non parum inquietos, si illi honores eisdem denegentur.

Praeter vero orientales sic dictos orthodoxos, prae oculis haberi possent omnes dissidentes, qui communiter sub protestantismi nomine indicantur, et examinare diligenter, considerata ipsorum indole, quomodo facilius possent ad Ecclesiae sinum revocari.

Magno cum iubilo maximaque cum reverentia deosculor S. Purpuram Eminentiae Tuae Rev.mae, Tibique cuncta prospera et fausta ex corde adprecor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
Add.mus ob.mus in Domino servus

✠ HYGINUS M. NUTI
Episcopus tit. Pupianensis

299

EXC.MI P. D. ANTONII TANI
Archiepiscopi tit. Scythopolitani

Romae, 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Argumenta, quae in Concilio Oecumenico inter cetera proponi possunt discutienda, mea humili sententia sunt sequentia:

I. *Sacra Scriptura*

Quemadmodum nova Psalterii versio facta est et a Pio XII f. r. approbata, item perutile videtur ut nova versio ceterorum quoque librorum tum Veteris tum Novi Testamenti perficiatur, vel saltem quae in usu est Vulgata emendetur, quia in nonnullis locis non reddit sensum textus primigenii seu originalis. Verbi gratia: *I Reg.* 13, 1; *Ioa.* 21, 22; *I Cor.* 15, 51; *Phil.* 2, 11; etc.

II. *Pontificale Romanum et Caeremoniale Episcoporum*

Iam pluries his postremis temporibus *Rituale Romanum* revisum est et emendatum. Item optandum est ut similis revisio fiat *Pontificalis Romani* et *Caeremonialis Episcoporum.* Quidam enim ritus, v. g. consecra-

tio ecclesiarum et altarium sunt prolixiores ac nimis implexi. Optandum est ut ad formam breviorem et simpliciorem redigantur, quod in praxi hic Romae non semel factum compertum est.

III. *Missa lecta*

Ultimae preces sunt additio recentior, inducta ex peculiaribus Ecclesiae adiunctis. Optandum est ut non fiant additio perpetua, quasi Missa non sit per se oratio, immo sacrificium impetratorium pro omnibus Ecclesiae necessitatibus. Dicto itaque *Missa est,* vel *Benedicamus Domino* ac data benedictione, Missa iam peracta est, quin opus sit Evangelio Sancti Ioannis et precibus superadditis.

IV. *Missa feriae V in Caena Domini*

Cum feria V in Caena Domini sit dies quo Sacerdotium institutum est, optabile videtur ex communi sententia ut facultas celebrandi, ante vel post Missam sollemnem, extendatur sine exceptione omnibus sacerdotibus, eo vel magis quod de facto, vel ex iure vel ex privilegio vel ex facultate non difficulter obtenta, plerique sunt qui celebrant et solum pauciores a celebratione exclusi manent.

V. *Sacerdotes apostatae*

Si res lugenda quod quidam non sint perseverantes, in casu tamen inconstantiae et praevaricationis, minus malum videtur ut discedant quam maneant in ordine clericali cum maerore superiorum et animarum ruina. Et postquam discesserunt et vinculum contraxerunt, quod aiunt civile, ac filios genuerunt, eorum conditio fit peior et fere inextricabilior.

Propterea videndum est utrum melius provideatur eorundem saluti spirituali eos relinquendo in statu damnationis an relaxando ab oneribus clericalibus. Hisce in casibus non videtur spernenda eorum sententia (et non sunt pauci) quod pia Mater Ecclesia salubrius eorum miserrimae conditioni mederetur dispensando ab oneribus clericalibus, dummodo se conferant in alium locum ubi sint incogniti, omni praecisa spe ut deinceps in ordinem sacerdotalem redintegrentur. Curent saltem vitam ducere more laicorum christianorum ut salvi fiant, et ea lege ut nemo ipsorum filiorum inter candidatos ad sacerdotium et statum religiosum recipi possit.

VI. *Vita dioecesana*

Quo vegetior vita diocesana florere possit, videtur optabile ut unaquaeque dioecesis cuncta organa propria habere possit, inter quae prin-

cipem locum obtinet Seminarium minus et maius. Ad hoc tamen opus est ut unaquaeque dioecesis habeat fines ita extensos ut respirare queat ad vitam.

Equidem parvis dioecesibus provisum est Seminariis Regionalibus, sed estne remedium optimum quod excogitari possit? Experientia constat longe meliorem esse condicionem earum dioeceseon, quae integrum Seminarium possident. Sunt quaedam exiguae dioeceses, quae ultra centum abhinc annos nullum ex sinu suo expresserunt Episcopum.

Privatio Seminarii maioris, praeter alia inconvenientia, est fere interitus studiorum rerum theologicarum. Unde satius est malo mederi unione plurium dioeceseon quam institutione Seminariorum Regionalium, quae non videntur adaequatum remedium. Cuinam denique praesertim prosunt? Dioecesi in qua condita sunt: ceterae manent sicut homo, qui ex duplici organo vitali (rene, pulmone) vivere cogitur. Salvo meliore iudicio.

Haec candide expressi; verum ista Pont. Commissio Antepraeparatoria decernet utrum digna sint quae de iis ratio habeatur necne.

Interim tota animi devotione Eminentiae Tuae Rev.mae me profiteor

addictissimum ac obedientissimum

✠ Antonius Tani

Archiepiscopus tit. Scythopolitanus

300

Exc.mi P. D. FRANCISCI BOTTINO

Episcopi tit. Sebasteni in Palaestina, Auxiliaris Taurinensis

Torino, 4 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Ego subscriptus, cum sim pars Commissionis Diocesanae ab Eminentissimo Archiepiscopo institutae pro Concilio Oecumenico, mea vota expressi in relatione ab Eminentissimo Romae transmissa.[1]

Humillime in Domino

✠ Franciscus Bottino

Episcopus tit. Sebastenus in Palestina

Auxiliaris Taurinensis

[1] Cf. Taurinensem, pp. 669-671.

301

Exc.mi P. D. ANGELI ZAMBARDIERI

Episcopi tit. Sitensis, Coadiutoris c. s. Guastallensis

Guastallae, die 29 martii 1960

Excellentissime Domine,

Pertriste mihi est significare Excellentiae Tuae Rev.mae Exc.mum ac Rev.mum Dominum Iacobum Zaffrani, Episcopum Guastallae, duos abhinc annos iacere paralyticum, eodemque tempore te certiorem facio me una cum Episcopis Aemilianae Regionis die 4 septembris 1959 responsionem, quae ad Concilium Oecumenicum pertinet, misisse.[1]

Omni quo par est obsequio Excellentiam Tuam prosequor meque profiteor.

Excellentiae Tuae Rev.mae
add.mum

✠ Angelus Zambardieri
Episcopus tit. Sitensis
Coadiutor Guastallensis

302

Exc.mi P. D. GILBERTI BARONI

Episcopi tit. Thagastensis, Auxiliaris Bononiensis

Bononiae, die 7 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Cogitanti mihi quid ad ven. litteras die 18 iunii a Te datas (1 C/59-2426) responderem, de rebus in futuro Concilio tractandis, multa obversabantur:

Utrum multa tractare praestat, an pauca quae ad potissimas spectant nostrorum temporum necessitates? Universalia vel totius Ecclesiae, an particularia? Dogmatica, an pastoralia, an quae ad doctrinam socialem Ecclesiae pertinent, ut veluti « Summa » huius doctrinae constituatur? Internam Ecclesiae vitam (uti cleri et religiosorum constitutionem), an externam (uti rem socialem)?

Quod vero attinet ad Summi Pontificis votum, Eiusque hortationem

[1] Cf. Mutinensem, pag. 383.

ad preces effundendas ut Ecclesiae cum ea coniungantur quae unice est vera Iesu Christi Ecclesia, mea humilis sententia est, ne ipsa unio in discrimen adducatur, haud magnam partem rei dogmaticae tribuendam esse, nec Concilii Vaticani inexplicatum rerum ordinem resumendum.

Neque opportunum mihi videtur, in re sociali tamquam in re praecipua morari, quippe quae in asperas politicas quaestiones distrahi possit, atque, cum nonnullos populos, ut Asiaticos, non moveat, ad universam Ecclesiam non pertineat.

Pauca igitur puto esse argumenta in Concilio tractanda, attamen universalia, quae totius Ecclesiae rationem habeant, ac magis pastoralia, ad Ecclesiae vitam spectantia, quam dogmatica et socialia.

Duo quidem praecipua proponere ausim:

1. Ut in lucem maxime proferatur *ordo supernaturalis* doctrinae et vitae, cum iis omnibus quae consequuntur, *adversus naturalismum* omnesque eius significationes, et adversus naturalem vitae sensum. Oportet saeculum, ut ita dicam, exuere, et, in primis, diei Domini religionem promovere, familiae sanctitatem tueri, vitam gratiae et sanctitudinem cleri et religosorum fovere.

2. Ut *causae universalitatis Ecclesiae,* non solum de iure sed etiam de facto, in Concilio consulatur, his potissimum temporibus, quibus verbum Domini extremos orbis fines attingit. Opus est igitur Ecclesiam, sapienti et utili consilio temporibus serviens, formas et historicas rationes ad omnes totius orbis nationes, et ad earum humanum cultum et mores accomodare.

Denique Eminentiam Tuam precor ut tenuitati consilii mei parcat, ac benigne fidem meam accipiat, qua profiteor me Summo Pontifici et Sanctae Ecclesiae oboedientissimum fore, nec preces omissurum, ut inspirante Spiritu Sancto, cuius afflatu regitur Ecclesia, proximum Concilium Regno Dei provehendo efficaciter consulat.

Ad Sacrae Purpurae osculum provolutus, maxima cum humilitate me profiteor Eminentiae Tuae Reverendissimae

obsequentissimum servum

✠ GILBERTUS BARONI
Episcopus tit. Thagastensis
Auxiliaris Bononiensis

303

Exc.mi P. D. PRIMI GASBARRI

Episcopi tit. Thennesiensis, Auxiliaris Veliterni

Velitris, 26 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Litteris exceptis, quibus die 18 iunii, Prot. N. 1 C/59-2441, monebas ut Pontificio Coetui seu Commissioni Antepraeparatoriae Concilio Oecumenico convocando « cum omni libertate et sinceritate, animadversiones, consilia et vota, quae pastoralis sollicitudo zelusque animarum ... suggesserint circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt » aperirem, diu multumque mecum reputavi quae sanctissimae religionis nostrae capita essent, in quae praesertim sacer ille ac summus Episcoporum Conventus animum intenderent.

Neque vero putavi, posse me, quamquam inter sacrorum Praesules minimum, ab iis declarandis quae animus sentiret, abstinere, cum de re gravissima agi intellegerem, ac populo christiano summe necessaria.

Quandoquidem autem omnis vitae meae ratio ac consuetudo ea fuit ut in rebus pastoralibus operam meam fere omnem a suscepto Episcopatu collocarem, idcirco commentationes ac meditationes meae ad unam tantum rerum religiosarum disciplinam respicient, certa spe fore ut alii gravissimi viri rem dogmaticam tractent atque exerceant, quam sive a Concilio Vaticano, sicuti schemata celeberrimi eiusdem coetus ostendunt, sive a Summis totius Ecclesiae Pontificibus, qui ab eo tempore extiterint, pro temporum atque locorum opportunitate iam fuse tractatam fuisse constat.

Quae vero digna duxi ut ad Te scriberem, Eminentissime Princeps, haec, quae sequuntur, fere sunt.

1. Atque in primis hoc statuendum puto mundum universum, sive homines, eo tendere ut ex multis populis ac gentibus unum quid fiat. Quod tamen — sane dolendum — tum Ecclesiae placitis neglectis fieri, tum etiam spretis. Sunt quidem in Ecclesia Christi et vires magnae et ingentes, quibus si recte utamur, possint maximae christianae societati utilitates et commoda oriri. Fatendum tamen est in hac re aliter ac esset in votis cessisse, ea fortasse de causa, quod quidquid esset virium in unum contractum non est, posthabitis interim docentis Ecclesiae vocibus, quae quid sui consilii esset quaque via incedendum, nulla omissa occasione, declaravisset.

Cui rerum conditioni nonne mederi oportebit?

2. Quae hactenus prosecutus sum ad temperationem profecto Ecclesiae seu disciplinam pertinent, neque ullo modo fidei unitatem attingunt, quae Dei consilio salva et incorrupta manet. Ad unitatem vero agendi, eam maxime conducere puto quam Pius XII P. M. per Apostolicas Litteras « Mystici Corporis Christi » et extulit et promovendo inculcavit caritatem.

Hodie sane multum et « novitas » laudatur, et omnia incepta et instituta religionis ad aetatis nostrae placita accomodanda esse contendunt; non tamen asseveratione eadem affirmatur supremam sacratissimamque omnium aetatum legem Evangelio contineri atque caritatem vocari.

3. Quam per omnes Ecclesiae sanctae artus et vitam pervadere oportere, tanquam incendium per agros, omnibus apertum est. Aliqua tamen pro rerum usu, quem sum consecutus, breviter exponam.

a) Principio, necesse esse existimo ut Sacerdotes omnes, sive saeculares, sive regulares, qui non modo alieno animo aliquando agunt, sed etiam discordia et contentione, summa conspiratione et consensu procedant.

b) Deinde curandum esse censeo ut omnium Sacerdotum cuiuscumque condicionis et ordinis, ea sit societas et coniunctio consiliorum ut quasi cognatione quadam inter se contineantur. Quod facilius fieri posse puto, si iidem aeque per omnes dioeceses distribuantur; si bonis Ecclesiae aequius omnibus frui liceat; si Sacerdotibus facultas detur immo condicio fiat, perpensis locorum adiunctis, una simul degendi: communi enim vita, multorum Sacerdotum salus, amoto solitudinis periculo, continetur.

c) Tum opus est clerus, non modo saecularis — quod nemo dubitat — verum etiam regularis, cum Episcopis operam diligentissime socient: saepissime enim, iure exemptionis abusi, regulares in ipso Dioecesium territorio ita agunt ac si nullus prorsus ibi Episcopus exstet.

d) Id etiam cogito: debere nempe Sodalitates religiosarum mulierum praesto esse sacris dioecesium moderatoribus, in singulis Curiis seu paroeciis.

e) Postremo, Ecclesiae sanctae commodo fieri arbitror si eorum, qui sacris Ecclesiae Congregationibus, Dioecesibus et Curiis praesunt, certa aetas definiatur, ultra quam progredi non possint in gerendis muneribus, nisi paucis exceptis gravissimisque de causis: solet enim provectior aetas plerumque animos deprimere, obtundere ingenia.

Item existimo praesentem Dioecesium Suburbicariarum — quarum una sive territorio sive populi frequentia est inter Latiales Dioeceses, post Romanam Sedem, amplissima — gubernationem, parum esse

aetati nostrae accomodatam. Episcopi enim, quibus creditae sunt eae Dioeceses, plerumque debent abesse, quippe qui, gravissimis Romanae Curiae negotiis impigre dediti, in administrandis Ecclesiis, quarum sunt Pastores, parum temporis et industriae ponere queant.

Quae supra exposui tandem paucis comprehendens, ita censeo: exigere haec tempora non solum ut singuli Sacerdotes sanctitatis ornamento niteant; sed etiam postulare ut omnium viribus in unum collatis, certamen, quod manet, ineatur. Ceterum, sacri ac summi Concilii esse pressius definire quibus viis, modis, artibus, remediis id Ecclesia consequi possit.

En habes, Princeps Eminentissime, quae meditanti mihi obvia occurrerunt, quidve de singulis sentiam.

Quibus Tecum communicatis, ea qua par est reverentia et obsequio sacratissimam atque preclaram Purpuram tuam deosculor, id summa pietate a Deo optimo Maximo petens ut Ecclesiae Suae praesentissima ope adsit.

✠ PRIMUS GASBARRI
Episcopus tit. Thennesiensis
Auxiliaris Veliterni

304

EXC.MI P. D. ARRIGI PINTONELLO
Archiepiscopi tit. Theodosiopolitani in Arcadia

Romae, 31 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Pergratum mihi et honorificum valde est Eminentiae Vestrae Reverendissimae litteris sub N. C/59-2442 die 18 iunii signatis, sententiamne haberem an vota pro bono Ecclesiae suggerenda expetentibus, respondere.

Lubenti animo officio functus, impensos animi sensus Eminentiae Vestrae Reverendissimae profitetur

✠ ARRIGUS PINTONELLO
Archiepiscopus tit. Theodosiopolitanus in Arcadia

Quoad dogma

a) Veritas Unitatis Corporis Christi tamquam fundamentum primum Christianae Religionis habenda est.

Tota eius essentia et vis inde oritur; ipsaeque hodiernae societatis dissentiones optimam ex eius cognitione et in praxim deductione solutionem haberent.

Plerique tamen Catholici nullam prorsus notitiam vel omnino confusam de hac veritate retinent.

Quam maxime necessarium proinde videtur ut in scholis theologicis catholicum dogma ex hac veritate enucleetur et huiusmodi doctrinae explicatio in populari catechesi pro posse tradatur.

Quoad liturgiam

b) Populus christianus quasi ubique terrarum, significationem et symbolismum rei liturgicae plane ignorat.

At christiana vita tantum in profunda et practica cognitione veritatis theologicae in Liturgia contentae fundari potest; quo fit ut generalis et adaequata instructio liturgica Christifidelibus praeprimis impertienda sit.

Quoad vitam paroecialem

c) Paroecialis vitae anima *Oratorium* est.

Simul ac pubertatem attingunt, iuvenes Ecclesiam et religiosam praxim relinquunt; repentinaeque huius aversionis ratio esse videtur desuetudo ipsa conversationis et amicitiae quae priori aetate quam maxime Sacerdotem inter puerosve vigebant.

Quapropter easdem putamus aptioribus crebrisque modis in ipso pubertatis limine et deinceps fovendas esse.

Nostra quidem sententia est peculiarem aptioremve huius Apostolatus modum idipsum esse qui in *Oratorio et per Oratorium* tradi possit.

Oratorium proinde in omni paroecia constituendum est, clericive convenienter et apte imbuendi in pastorali Theologia hac institutionis ratione; eo vel magis quod *Oratorium* Christifidelium partem eam amplecti potest quam Actio Catholica numquam forsan attinget.

Quoad disciplinam cleri

d) Sacerdotes et praesertim parochi inibi adsignentur ubi necessitas expostulet, quin origo et dioecesis ipiusmet sacerdotis consideretur.

Inopportunum omnino videtur quasdam dioeceses multa copia abundare Sacerdotum nullo munere gravatorum, cum finitimae dioeceses magna afficiantur pastorum penuria pro suis quaequae paroeciis.

Capitula Cathedralia reformentur

e) « Senatus » Episcopi videtur sic componi posse:
— Vicario Generali et Cancellario Curiae;
— Rectore Seminarii et Delegatis Actionis Catholicae;
— Vicariis Foraneis.

Huius rei ratio est saepe saepius episcopum « captivum » fieri eorum qui proximi eius adiutores munere suo esse deberent.

Tributum pro re sacra

f) Nihil hodie auribus christiani populi magis offensivum sonat quam pro sacris rebus tributum exigere.

Quapropter perutile videtur, sicuti iam in pluribus fit nationibus, sodalitium quoddam e piis laicis in omni paroecia constituere, quod tributum ipsamque pecuniam pro sacra praestatione exigat.

Quod quidem dignitati sacerdotali magno emolumento esset.

✠ Arrigus Pintonello
Archiepiscopus tit. Theodosiopolitanus in Arcadia

305

Exc.mi P. D. MARTINI I. O'CONNOR
Episcopi tit. Thespiensis

E Civitate Vaticana, die 31 augusti A. D. 1959

Eminentissime ac Reverendissime Princeps,

Litteris die 18 iunii h. a. (Prot. N. 1 C/59-2445) missis de futuri Concilii Oecumenici apparatione, me benigne invitatus es, Commissioni Antepraeparatoriae, cui Eminentia Tua praeest, res et argumenta omni cum libertate suggerere quae in eodem Oecumenico Concilio tractari poterunt.

Qua de re maximi momenti coram Deo mature diuque reputata, satis mihi visum est de solis duobus argumentis agere quorum gravitatem ac

discrimina, ratione munerum a Sancta Sede mihi commissorum, familiariter novi, id est:

1. De iuvenum, qui ad clericalem statum adspirant, institutione.

2. De nimia necessitate urgente ad Ecclesiae opus in re cinematographica, radiophonica, maxime tamen televisifica.

Etenim, circa eas quae super indicantur quaestiones, animadversiones et vota Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico reverenter praesentibus litteris demandare audeo.

Precibus iugiter ad Divinum Spiritum fusis Dominum Apostolicum, futurum Concilium et navitatem supradictae Commissionis etiam atque etiam commendans, Eminentiae Tuae Sacram Purpuram deosculor atque meipsum Tibi addictissimum ac humilem servum profiteor

✠ MARTINUS IOANNES O'CONNOR
Episcopus tit. Thespiensis

Pars I

De iuvenum, qui ad clericalem statum adspirant, institutione

1. Ab Ecclesiae primordiis maximae curae erat sacrorum ministrorum selectio atque institutio et nemo est qui non videat summi momenti esse — statim utique post capitum doctrinae christianae defensionem — iuvenes ad statum clericalem adspiraturos ita praeparari ut apostolico more scientia et virtute adornati idonei ad Regni Dei dilatationem evadant.

A tempore illo praesertim, quo Sacrosancta Tridentina Synodus verae reformationis opus in Ecclesia promovit ac propagavit, levitarum institutio opportunis gubernatur legibus, postvenientibus saeculis decursu usque ad nostram aetatem in melius mutatis et auctis.

Videtur tamen quod nostri saeculi agilitas, divitiarum cultus, profanarum scientiarum progressus, scholarum laicitas, ac familiaris vitae et publicae moralitatis periclitatio tam profunde societatis conditionem mutaverunt quod traditionales institutionis clericorum rationes minime sufficientes inveniuntur. Idem novas necesse videtur quaeri vias ad vocationes promovendas ac suscitandas, nec non conservandas et protegendas.

2. Maxime etenim conveniens videtur ut tam magni momenti quaestio a futuro Concilio Oecumenico accurate examinetur, scientia factorum experimento collecta.

Et praesertim sequentium status quaestionum praeparari et Patribus Concilii ad deliberandum proponi oportet:

a) De vocationibus sacerdotalibus promovendis et rite educandis inter pueros iuvenesque, nempe in familia, in scholis, in spectaculis, in religiosa instructione, in coetibus et associationibus catholicis, in exercitiis spiritualibus et ceteris.

b) De ratione vitae in seminario, nempe de superiorum seminariorum congrua ad munia obeunda praeparatione, maxime eorum quos directores spirituales dicunt; de alumnis ad virtutes, etiam quae honestatem naturalem spectant, promovendis atque ad zelum pastoralem — christianae prudentiae ac oboedientiae erga Ecclesiam ope formatum — excitandis; de eorum sanitate fovenda.

c) De ratione studiorum id est de sanae doctrinae in theologia dogmatica et morali et in re biblica in universitatibus et in seminariis dispensatione, de rationali introductione disciplinarum quarum cognitio nostris temporibus sacerdotibus ad recte de rebus publicis, de socialibus permutationibus et de vita culturali diiudicandum est necessaria; de exercitiis practicis curriculo studiorum adiungendis.

3. Tamquam personalis experientiae fructus sequentia vota, re coram Deo perpensa, in hac promere audeo salvo meliori iudicio:

1) ut scholae seu cursus pro superioribus Seminariorum promoveantur;

2) ut curriculum studiorum can. 976 requisitum longius producetur;

3) ut aetas qua sacer praesbyteratus ordo conferri potest (can. 975) amplius prorogetur;

4) ut ea quae can. 1380 demandata sunt clarius, efficacius atque normative declarentur.

Pars II

De nimia necessitate urgente ad Ecclesiae opus in re cinematographica, radiophonica, maxime tamen televisifica.

1. « Miranda prorsus technicae artis inventa » (Litt. Enc. *Miranda prorsus*) maximum aetate nostra incrementum acceperunt: praecipue autem cinematographicae, radiophonicae ac televisificae artes.

His positis:

1) Nemo est qui non videat quomodo haec inventa conferri possint ad veritatis divulgationem, ad fidei propagationem atque ad morum rectam normam instaurandam.

Oportet ergo sive eos qui rei publicae moderantur, sive qui his technicis artibus praesunt — quae valde conferunt ad singulorum et hominum communitatis cogitandi agendique modum — monere circa earum christianum usum.

2) Non solum maximae utilitates, sed persaepe maxima pericula oriri possunt — et re vera oriuntur — ex technicis cinematographica, radiophonica et televisifica.

Doctrinae enim perversae de moribus privatis et publicis, deque re familiari et sociali disseminantur, praecipue per cinematographum; materialismus practicus praeterea divulgatur etiam in pueros et iuvenes.

Clerus etiam a vita quae sacerdotem decet non raro distrahitur usu inconsulto spectaculorum quae in domus ipsas religiosas ingrediuntur.

Necesse est ergo clerum et fideles moderari ad rectam spectaculorum selectionem iuxta Ecclesiae doctrinam et praecepta.

3) Novi apostolatus genus urget clerum atque fideles qui actioni catholicae aliisque associationibus operam dant, sive ut stationes radiophonicas vel televisificas vel auditoria cinematographica promoveant aut sustineant.

Non parvi momenti enim « sunt partes sacerdoti concreditae, ut in ceteris apostolatus campis, etiam in hoc Ecclesiae necessario opere, quod evulgandarum rerum inventa respicit, cum promovenda, tum in usum adhibenda » (*Miranda prorsus*).

Permagni momenti videtur ergo rectas normas clero et Christifidelibus impertire circa hunc apostolatum promovendum.

2. Summi Pontifices Pius Pp. XI, Pius Pp. XII et Ioannes Pp. XXIII f. r. sollemnibus documentis editis hac de re multa sapienter decreverunt,[1] in omnibus gentibus egregium opus a fundamentis erigendo, ipsa Sancta Sede advigilante et favente, ad pravas cinematographicarum imaginum series, televisifica spectacula et radiophonicas auditiones exstirpandas, bonasque fovendas.

Ita in unaquaque natione promota sunt: Consilia Antistitum ad hanc rem scrutandam ac advigilandam; Ecclesiastica Officia « eo consilio instituta, ut quidquid in re cinematographica, radiophonica, televisifica a catholicis agitur, dirigant rectoque ordine componant » (Motu proprio *Boni Pastoris*); Collegia auditoriorum cinematographicorum Ecclesiae auctoritati obnoxiorum; sodalitates auditorum spectatorumque catholicorum et multa alia.

---

[1] Pius PP. XI: Epistula Encyclica *Vigilanti cura* (*Acta Ap. Sedis*, vol. XXVIII, p. 249 et ss.). Pius PP. XII: Litterae Encyclicae *Miranda prorsus* (*Acta Ap. Sedis*, vol. XLIX, p. 765 et ss.); *Adhortatio* ad Episcopos Italiae de re televisifica (*Acta Ap. Sedis*, vol. XLVI, p. 56 et ss.); *Instructio* S. Congregationis de Religiosis « de apostolatu in re cinematographica exercendo » die 11 maii 1953 data; *Instructio* Pontifici Consilii rei cinematographicae praepositi ad Episcopos Italiae, die 1 iunii 1953 data. Ioannes XXIII: Litterae Apostolicae motu proprio *Boni Pastoris* (*Acta Ap. Sedis*, vol. LI, p. 185 et ss.).

Sufficit ad amplitudinem apostolatus huius generis extollendam dicere nostro tempore transmissiones radiophonicas catholicas a circa 5000 stationibus radiophonici diffusas esse, televisificas autem a circa 1500.

3. Attamen rapidissimus hac in re eventuum fluxus atque artis technicae minime desistens progressus, cum novas quotidie difficultates proponant, nova remedia poposcit ad periculum, graviorem quam scholarum saeculo elapso ad laicorum mores reductio, exsuperandum.

Itaque inter maioris momenti quaestiones, quae Patribus futuri Concilii Oecumenici supponentur, procul dubio nostram « de necessitate urgente ad Ecclesiae opus in re cinematographica, radiophonica ac televisifica » ponere opportet.

Sequentia praesertim argumenta in hac materia mihi in Concilio perutiliter tractanda videntur:

1) Ut perniciosus nostrorum temporum error (degradationis humanae consortionis causa et radix) quo asseverant ad integritatem libertatis in societate ius quidquid effingendi propagandique — etiamsi contra rectos mores, rationem sit et fidem — pertinere, condamnetur et sana catholica doctrina explanetur circa veram artium divulgationisque cogitatorum libertatem, caritate et recta ratione moderatam.

2) Ut ipso iure prohibeantur spectacula quae religionem aut bonos mores impetunt (cf. can. 1399, n. 3) et Christifidelibus grave imponatur officium sese in hac re Ecclesiae monitis conformare.

3) Ut Officiorum Ecclesiasticorum rem cinematographicam, radiophonicam et televisificam moderantium, conatus et incepta ab Episcopis, sodalitatibus catholicis ac fidelibus omni ope auxilientur et faveantur.

4) Ut clerus perfecte planeque eruditus sit de actione pastorali ad mala spectacula devitanda, bonaque fovenda; ipse tamen neque omnino a spectaculis (quae vitae culturali partem constituunt) arceatur, neque minime sibi convenientibus assistat, sed recte se gerat ita ut « eius prudentia, temperantia, necnon recta officiorum conscientia in exemplum Christifidelibus omnibus refulgeant » (*Miranda prorsus*).

✠ MARTINUS IOANNES O'CONNOR
Episcopus tit. Thespiensis

306

EXC.MI P. D. RAPHAELIS MACARIO

Episcopi tit. Tiberiensis, Suffraganei Albanensis

Albani, die 28 mensis augusti a. 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Summi Pontificis desiderio obsequentissimus, humillime nonnullas observationes expono quae extabunt, puto, alicuius utilitatis pro Concilii argumentis apparandis.

Ubique notatur sacerdotum penuria. Sic profecto se res habet. Sed quantum experientia pastoralis mihi suggerit, potius quam cleri penuria, deploranda est illius vitae interioris deficientia.

Generaliter in eo deest spiritus orationis-sacrificii et oboedientiae, ita ut fit inutile instrumentum, in manu Ordinariorum, ad apostolatum. Urget cleri reformatio pro bono animarum, ne eiusdem ministerium efficiatur sterile, et in contemptum incidat fidelium.

Ad consulendum vero spiritualibus populi christiani necessitatibus, singillatim diebus festis, praestent religiosi, de mandato Pontificis, spirituale ministerium dioecesibus quae auxilio indigent, prout Ordinarii postulant.

Quoad vitae christianae relaxationem, quae ubique terrarum notatur, praeter dissolutam praesentis temporis consuetudinem, haud parum influit inordinatus agendi modus paroeciarum, vel sacerdotum qui ministerio animarum vacant; nam dum in una paroecia vel ecclesia prohibentur aliqua, in alia tolerantur; et quae praedicantur super pulpitum, vel poenitentibus suggeruntur in actu confessionis, in aulis paroecialibus destruuntur, et haec est causa fidelibus se conformandi saeculi illecebris.

Sciant apprime fideles per ministerium verbi, fidei veritates et leges morales, deinde sacerdotes, absque perniciosis transactionibus, curent earum integram observantiam ab illis.

✠ RAPHAËL MACARIO
Episcopus tit. Tiberiensis
Suffraganeus Albanensis

307

EXC.MI P. D. RAPHAELIS A. PALAZZI

Episcopi tit. Thignicensis

Die 28 augusti 1959

Eminentissime Pater,

Paucis ante diebus pervenerunt ad me litterae Eminentiae Tuae ex Vaticano datae sub Prot. N. 1 C/59-2452 easque magna cum veneratione perlegi et nunc propero responsum reddere.

Cordi mihi est desideriis Sanctitatis Suae plene satisfacere, sed temporis angustiae, infirmitas qua crucior, locus remotus a conventu ubi degere consuevi impediunt quominus hunc laborem conficiam sicut amor et reverentia erga communem Nostrum Sanctissimum Patrem expostulant.

Quam ob rem venia sit mihi, si pauca tantum ex tam magna et multiplici materia, quae a Concilio Oecumenico pertractanda ac discutienda erit, hoc meo humili scripto tetigi.

Melius facient tot sancti Episcopi me maiore peritia ac prudentia praediti.

Sacrae Purpurae oram deosculans benedictionem humiliter imploro.

✠ RAPHAËL ANGELUS PALAZZI
Episcopus tit. Thignicensis

I. *De latino sermone in Sacra Missae Liturgia et in Divini Officii recitatione a clericis usurpando.*

Ecclesia, quae diversitatem gentium in confessione eiusdem Fidei adunat unamque efficit Dei familiam ac Christi regnum, aequum est, ut in sacra sua liturgia uno, universali sancto utatur proprio latino sermone, quo firmiora vincula inter omnes Ecclesias in fide et pietate actionum serventur.

Igitur in Sancto Sacrificio atque in recitatione Divini Officii a Clericis latinis nonnisi latina adhibeatur dictio qua Dei Ecclesia ad altare coelestis Hierusalem imaginem referat, in qua Angeli et Sancti una voce: « Sanctus et alleluia » in aeternum decantant.

Ita pariter lingua latina describi pergat « Acta Apostolicae Sedis ».

II

Usus enim linguae vulgaris, quae diversa est pro diversitate gentium unitati Ecclesiae Romanae, quae omnium Ecclesiarum mater ac magistra merito habetur, fovere non potest quin etiam non semel dogmatum veritatumque integritati noceat et vel ipsis diebus nostris periculum non absit ut ecclesiae nationales et novae sectae oriantur. Quam ob rem magis magisque in omnibus seminariis Ecclesiae latinae iuvenum animi latino sermone excolendi sunt nec audiendi qui huius sanctae linguae proximum exitium praedicant.

Inter Missarum tamen celebrationem curam animarum gerentes diebus praesertim dominicis et festis praecipuas partes Missae per se aut per alios proprio populi sermone explicent, quod D. Augustinus tempore suo lingua rustica seu punica se fecisse testatur: ita plebs ipsa particeps in sacrificio erit, sed plus medullis cordis quam labiis vocis in unione cum Christo et sacerdote.

Fidelibus Christi magnae utilitati procul dubio erit usus parvuli Missalis cum vulgaris dictionis translatione.

In Rituali ac Vesperali vulgaris sermo potius usurpetur, praesertim in Sacramentorum administratione et Vesperarum cantu, item in recitatione Officii Parvi B. V. Mariae.

Recitatio Officii Divini in lingua vulgari magis profutura videtur Sanctimonialibus omni cognitione sermonis latini ieiuniis.

IV. *De vita communi ad spirituale bonum clericorum promovenda.*

Ut clerus praesertim urbanus cum religione vitae sanctimoniam componat ac propinquorum feminarumque contubernii et familiaritatis, quae Christifidelibus suspicionem saepe creant, occasiones periculaque vitent, vita communis seu umbratilis Religiosorum vita suadetur, in qua Vicarius Foraneus aut etiam Parochus victu communi eodemque cultu et tecto utens suos Coadiutores ad apostolicae vitae doctrinaeque disciplinam diligenter erudiat. Ita ad sacerdotalia munera obeunda via sternitur ac munitur.

In vita communi facile est se Ecclesiae sapientissimis normis conformare, quae varia sacerdotalis pietatis exercitia praescribit, quae assiduam cum Deo coniunctionem efficiunt ac tuentur uti sunt sacra quotidie habenda meditatio, piae ad Divina Tabernacula visitationes, marialis Rosarii recitatio, diligens sui ipsius recognitio per conscientiae scrutationem.

Clerici gravi officio erga Ecclesiam tenentur horarias preces recitare.

... In oratione, quae vita Ecclesiae maxime exprimitur post Missae sacrificium principem locum tenet Divinum Officium seu septem horae canonicae quae in Breviario continentur.

Nostrae vero aetatis Dei ministri externa actione distenti ac continuis curis in iuvenum institutione ac catechetica doctrina Christifidelibus tradenda aliisque muneribus absorpti iam tempus modicissimum eis superest quo se Divini Officii longiori recitationi dedant.

Huic necessitati S. Pius Pp. X, mederi volens reformationem Breviarii aggressus est maioremque in animo cogitabat. Cum porro sollecitudines et difficultates in cura animarum in dies admodum percreverint, reformationis amplioris necessitatem sentimus, ut Officii Divini recitatio digne, attente ac devote persoluta fiat Sacerdotibus non pondus sed spiritualis alimenti fons.

Recitentur continuo novem Psalmi pro Matutino cum uno tantum versiculo et tribus lectionibus, quarum duae ex S. Scriptura et tertia Sancti, cuius festum agitur; haec tamen sit brevis summa lineamenta describens, historicis criticis documentis imprimis comprobata.

Diebus Dominicis vero tres lectiones sint ex Patrum homilia desumptae cum parva Evangelii introductione. Omittantur, si placet, responsoria breviora, Capitula et preces reducendo quoque numerum Antiphonarum Hymnorumque: norma aliqua esse nobis potest Breviarium quod S. Crucis dixerunt, tempore Clementis Pp. VII.

Amplior Divini Officii recitatio choralis relinqui potest Monachis et Religiosis potissimum vitae contemplativae addictis, qui ore rotundo horas decantare pergant secundum Ps. 118 « Septies in die laudem dixi Tibi ».

Sanctimoniales convenit ut in choro vulgari translatione utantur.

De habitu clericorum

In domo paroeciali et in Ecclesia vestem talarem a Clericis gestari maxime decet. Sed cum vestis talaris a Codice nullo modo praescribatur, sed ecclesiastica tantum a laicali distincta, Ordinariis eiusdem regionis facultas sit eam permittendi formam quae hodiernae vitae sociali magis conveniat: color tamen niger aut albus in regione magni caloris.

Multis locis iam convenientissima habetur forma habitus, quam dicunt Clergyman.

Corona clericalis, quae non superet amplitudinem unius parvae hostiae, ridicula potius quam alicuius utilitatis diebus nostris facta est.

Nihilominus in sacris Ministris cultus capillorum sit simplex. Divus Hieronymus gravissimis verbis Clericos Urbis reprehendebat qui foeminarum more comam colebant molliter incedentes cum titulo super caput et ocreis stridentibus.

Parochi

Ius nominandi et constituendi parochos competit Ordinario loci. Coram examinatoribus examen de doctrina subeant candidati, remisso iudicio de aliis requisitis qualitatibus ad Episcopum, qui in iudicio ferendo prae oculis habeat non tantum doctrinae rationem sed etiam omnium qualitatum quae ad paroeciam vacantem rite regendam requirantur: sublato omni concurrendi onere.

Quamvis Parochi non constituantur ad tempus determinatum, tamen iusta de causa prudenti arbitrio sui Episcopi attentis peculiaribus adiunctis, auditaque sui Consilii seu Capituli sententia, si hoc exigit Christifidelium bonum commune, removeri sine ullo processu possint.

Parochus ius habet ad praestationes quas ei tribuit vel probata consuetudo vel legitima taxatio. Attamen meminerint sacri Ministri, viri delecti e populo ac divinae participes potestatis, iam non sibi vivendum aut familiaribus suis, sed caritate erga omnes prorsus flagrare eos oportere.

Caveant insuper ne suis ipsorum sacri ministerii vicariis seu coadiutoribus cotidianis victui et dignae sustentationi necessaria desint. Neque ex mente eorum decidat Parochos gravi officio teneri impedendi superfluos fructus pro pauperibus aut piis causis. Animarum pastores nullo utilitatis suae studio permoti Christo et Ecclesiae generosi ac fideles deserviant, non rei nummariae sed animarum emolumenta quaerentes; neque reconditam pecuniam sibi asservent cum tot egeni fame pereant.

Ex paroeciis eiusdem Dioeceseos aliae sunt ditiores et quamplures Domini administri, sive in urbibus sive maioribus in paroeciis, ampliores redditus ex celebratione Matrimoniorum, Funerum et ex aliis sacris functionibus ac fontibus percipiunt et abundatiores eleemosynas ex Christifidelium oblatione obtinent; cum e contra, vel hisce temporibus nostris non desint Curiones in montanis aut remotis parvis pagis, quos in egestate reapse vitam degere probe scimus. Quam ob rem ex abundantiore copia bonorum, quae ad ditiores Parochos pertinent, ab Episcopo pars aliqua subtrahatur fratrum seu pauperiorum Curionum inopiae sublevandae adhibenda.

Cum quis Parochorum ob longevam aetatem aut varias aegritudines, quibus eius vita cruciatur impar ultra oneri ferendo factus est, curet

Episcopus ut renuntiationem ei proponat prospiciens tamen eius debitae substentationi atque habitationi, constituta pro eiusmodi inhabilibus Dei Ministris illa providentiali opera quam « pensione » vocant, ne postquam pro servitio Ecclesiae portaverunt pondus diei et aestus, inopia et fame misere perire cogantur.

In celebratione Matrimonii aut in persolvendis funeribus una sit taxa pro omnibus eadem, sublata quacumque singulari distinctione primae, secundae et tertiae classis; eadem adhibeatur in Ecclesia sollemnitas et pompa pro omnibus christifidelibus, qui pari iure filii, eiusdem Patris qui in coelis est, vocantur.

Gratuitum ministerium non denegetur iis qui solvendo pares non sunt, quia vera paupertate laborant.

Dum materialismus atheus de die in diem magis invalescit ac periculum impendit ne christianorum multitudines a salutis portu abducantur, iuvat maioris unionis et caritatis vincula inter utrumque Clerum Saecularem et Regularem adstringere.

Ne igitur dubitent animarum Pastores quoscumque Sacerdotes ex Sodalitate Religiosa in auxilium advocare sibique in labore socios adsciscere. Religiosi e parte sua sollertem operam adiutricem non recusent in praedicatione, in confessionibus audiendis atque in aliis sacris functionibus pro populo peragendis.

In communi certamine adversus Christi atque Ecclesiae hostes viribus unitis incedendum neque inter Christi commilitones avaritiae, invidiae aut acrimoniae sit locus.

In paroeciis praesertim urbanis, in quibus christifideles numero nimis creverint eorumque cura difficilior, quam decet, evaserit, neque Pastoribus iam possibile sit suas oves cognoscere, peropportunum erit, facta dismembratione, novas curas seu paroecias constituere. Bonum est enim ut Pastor domus christianorum visitet, et non semel tantum in anno, ut cognoscat oves suas et ipsae cognoscant eum.

In excitandis tamen novis Dei domibus atque paroecialibus aedificiis vitandum est ne sumptuosa magnique pretii sint quasi cathedrales aedes atque episcopales domus.

Multiplicentur potius aedificia seu asyla pro infantibus, quorum cura sacris Virginibus seu Sororibus concredatur; loca recreationis pro pueris atque puellabus, quae oratoria iam inde a S. Caroli temporibus dici consueverunt; aulae pro coetibus aut conventibus Actionis Catholicae, et alia eiusmodi pro operibus beneficentiae ac christianae institutionis. In novis constructionibus cum decore artis resplendeat paupertatis simplicitas.

Maior sollertia ac diligentia in dividendo fidelibus sacrae doctrinae

pabulo in animarum pastoribus desideratur, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant et non sit qui frangat.

In unaquaque regione seu natione ab Episcopis in annali suo conventu seligantur aliqua practica compendia vel summaria, quae tamquam itineraria Parochis et Coadiutoribus in promptu sint in praedicatione ad populum novae hodiernae eius menti et necessitati magis accommodata.

In praedicatione ad populum sint examinata et casta eorum eloquia (*Ps.* 11. 6; *Ps.* 17, 30), aliena a rebus novis et politicis, ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam cum brevitate sermonis, quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram. (*Rom.* 9, 28).

Hodierni christiani nostri rudes doctrinae et vitae cristianae sunt facilis praeda atheismi et materialismi; quo pacto bonus Pastor compressis manibus suas oves ecclesiam et Sacramenta deserere ac communistarum retibus irretiri respiciet? Nisi huic periculo obsistant Pastores nulli labori parcentes ut omnes christiani erudiantur doctrina catechetica seu christiana, oleum et operam perdent, neque mirentur si videant populum suum, omissa patrum fide, ad hostium societatem transire.

Vocationes ad statum Ecclesiasticum pauciores sunt quam in dies crescente necessitate animarum ministerium exigit et in pluribus Dioecesibus iam Parochorum numerus insufficiens ponderi ferendo, hinc plures paroeciae vacantes remanet cum quanto animarum detrimento nemo non videt. Nonne aliqua consideratione digna videtur illorum opinio qui huic paucitati remedium proponunt in constitutione Diaconorum, qui lege coelibatus non constricti in aliquo loco apto praeparentur debita formatione et instructione, cuius primum locum teneat illa catechetica, ut possint evangelium et sanctam doctrinam digne et competenter populo annuntiare, et nonnulla Sacramenta administrare, curae Ecclesiae et domus prospiciendo?

Suscepto Diaconatus ordine, semper maneant ad nutum Ordinarii, qui de eis disponet pro labore paroeciarum meliore et magis convenienti, quo possibile est modo, sub directione tamen et vigilantia loci Vicarii aut Parochi: hoc modo daretur facultas Sacris Ministris Altaris in communitate vivendi. Diaconi vero artem aliquam quam didicerint, in quantum commode fieri potest, exerceant.

Neque inprobanda videtur illa forma apostolatus inter laboratores seu Operarios in qua plures Sacerdotes, viri tamen singularis pietatis et prudentiae, sub directione alicuius Superioris simul conviventes veluti in communitate religiosa, laborent fideliter et devote, ita quod sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera deservire. Ita de mercede laboris, sicut Paulus Ap., pro se et suis confratribus cor-

poris necessaria recipiant sicut tamen decet servos Dei. Per duas saltem horas in die orationi instabunt atque omni prudentia et caritate consuetudinem et societatem cum aliis operariis fovere curent ut possint sensim eos ad meliora consilia reducere.

Summa tamen reverentia atque oboedientia venerentur suum Episcopum parati semper stare eius mandatis in omnibus.

Episcopi eiusdem gentis et nationis semel in anno conveniant ad conferentias episcopales habendas, sicuti iam a plurimis annis in Germania fieri consuevit ab Episcopis totius imperii in suo annali conventu Fuldae ad sepulcrum S. Bonifacii.

In quo annali coetu a Venerabilibus Praesulibus, Dei amore proximorumque procuranda salute unice ductis, fiat examen de statu actuali suae cuiusque Dioeceseos, de difficultate et necessitate in qua versatur, de novo proposito rectius prospiciendi saluti sui gregis, de vallo seu aggere irrumpentis atheismi et materialismi dictaturae opponendo, necnon Parochis cunctisque animarum curam habentibus per diversa officia sacerdotalia terendum iter commonstrent, ut quorum una est fides mentium una sit quoque pietas actionum.

Episcopi denique, quisque in sua Dioecesi, Vicarios Foraneos consulere non omittant, ut in cura animarum et in novis erroribus refellendis una sit eademque agendi ratio.

Ordinarii et in sacro ministerio Cooperatores erga Sacerdotes, qui tentationi et debilitati humanae misere cesserunt, humanissime se gerant et non sine reverentia; quod si Deus dederit ut aliquis frater resurgat, eum complectantur sincera caritate et benignitate et, si non erit possibile eius rehabilitatio, saltem ei auxilium non denegetur ut christiano more in pace vivat.

In sacramento Poenitentiae forma sacerdotalis absolutionis breviovior esto; si placet, ipsa incipiat verbis: « Ego te absolvo ab omni vinculo ... in quantum possum et tu indiges, deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen »; quae praecedunt et sequuntur omissis.

Si vel Missam ad breviorem formam reddere placet, ipsa incipiat ab Introitu seu Ingressa et terminetur cum sacerdotali benedictione. Collectae atque aliae Orationes omittantur. In quantum possibile est, fideles communicent intra Missam.

Numerus censurarum nimius hisce nostris temporibus, cum fides admodum refrigescit, bonos effectus sortiri non videtur; quam ob causam melius foret cogito si ad minimum restringatur.

Tempus pro adimplendo praecepto paschali statutum non sit ni-

mis coartatum, sed annum integrum comprehendat, ut detur curam animarum habentibus facultas melius suos Christifideles disponendi.

Dum Sacerdos S. Communionem distribuit particulam porrigens dicat tantum: « Corpus Christi », cui christifidelis respondet: « Amen ».

Dominicis et diebus in quibus aliqua particularis sollemnior functio religiosa habeatur, tum in Ecclesiis paroecialibus cum in ceteris Ecclesiis publicis praesertim Religiosorum, liceat Missam vespertinam haberi etsi necessaria sit binatio.

Aetatis nostrae operosa hominum industria, pecuniae dominantis et technicae disciplinae maior aestimatio vitae rationem totam permutavit atque omnes externarum rerum vortice abrepti per hebdomadam difficile a labore quiescunt. Proinde nonne opportunum foret attento animo perpendere opinionem eorum qui cogitant permutationem in Ecclesiae Kalendario et festum Paschae in certa die reponere? Quod si haec sententia non displicet, dies Paschae, unde totus ecclesiasticus cyclus pendet, statuta permaneat semel pro semper in Dominica prima seu aprilis mensis die prima.

Praeter dies dominicos reliqui dies festi sub praecepto audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus remittantur ad subsequentem dominicam aut sabbatum, ut integram hebdomadam feriae liberae decurrant, excepto die Natali Dominico die 25 decembris celebrando.

De religiosis

Status religiosus, qui consistit in stabili professione perfectionis evangelicae, a Christo originem ducit et a S. Gregorio Nazianzeno pars electa Ecclesiae merito appellatur. Propter eius eximia merita et utilitates in Ecclesiam et vel in ipsam societatem sive in scientiis et artibus liberalibus, sive in sanctitate et in omni genere bonorum ab omnibus in honore habendus est.

Nonne ex coenobiis et Societatum domibus Evangelii Praeconum agmina prodierunt, qui per mundum dispersi magno labore et constantia insudant et per impervias regiones discurrentes evangelicum semen spargunt semper parati cum cruoris effusione vitam ponere, facti spectaculum Angelis et hominibus?

In Congregatione Monastica monasteria non sint amplius sui iuris seu autonoma, sed uniantur plura in unam religiosam Provinciam sub oboedientia Abbatis Provincialis, inter Abbates singulorum monasteriorum electi, qui cum Consilio quattuor monachorum totam regat monasticam Provinciam cum facultate monachos de uno in alterum monasterium

transferendi secundum necessitatem, ita ut omnia monasteria sufficientem Monachorum numerum habeant.

Porro apud Abbatem Provincialem sit facultas ad Ordinem recipiendi et praeparatorium seu postulatus et novitiatus unus sit pro omnibus monasteriis eiusdem Provinciae.

Congregationes monasticae eiusdem Ordinis inter se confoederatione iunctae permaneant cum Abbate Primate et confoederationis vincula strictiora reddantur, ut sensim fusioni via aperiatur.

In Religionibus centralizatis, uti dicunt, Religiosi omnes sub uno Superiore militant, qui suam exercet potestatem super omnes domus et provincias religiosas in quas universa religio dividitur. Si forte in aliqua Provincia plura sint coenobia quam numerus religiosorum ferat, conventus minoris momenti claudantur, ut in reliquis cum sufficienti numero Religiosorum vita communis cum disciplina renovetur.

Ordinibus, qui profitentur eamdem regulam, quique vocationum defectu laborant, quam ob rem difficilem vitam ducere coguntur, proponatur unio seu fusio, ut viribus unitis, maioris utilitatis pro bono Ecclesiae adlaborent cum benedictione Dei. Ita Fratres Augustiniani e. gr. a reformatione seu Excalciati et Recolecti fundi poterunt cum Familia Eremitarum S. Augustini.

Ita quoque via paretur ut hoc olim fieri possit in sacro Ordine Seraphico, saltem inter Minores et Capuccinos, cum hodie fere nulla intercedat inter eos differentia sive quoad vitam, sive quoad disciplinam, excepta aliqua tantum exteriori forma parvi momenti in habitu et barba. Prius unio cum unico Ministro Generali, duodecim Definitoribus et duobus Procuratoribus, deinde pedetentim suo tempore fusio.

Regulares et Monachi, qui iure exemptionis gaudent, iurisdictioni Ordinarii loci non subdantur et hoc imprimis exigit ipsa constitutionis et ordinationis natura.

Nonnullorum voluntas proponendi Sacro Oecumenico Concilio huius exemptionis suppressionem idem est ac petere Regularium Ordinum atque Congregationum extinctionem.

Ideo Regulares Summo Pontifici immediate subiiciantur.

Cura paroeciae Regularibus concredita difficile cum vita et disciplina regulari coenobii seu conventus componitur et saepe inter Superiorem conventus et Parochum, inter iura et munera utriusque oritur conflictus, verbo: paroeciae cura vitae et disciplinae Religiosorum non prodest quin potius multum nocet. Melius possunt Religiosi iuvare fideles non suae tantum uni paroeciae serviendo sed pluribus simul paroeciis in circuitu existentibus operam suam in praedicatione, in audiendis

confessionibus praestando et maxime cum modestiae suae et sanctitatis vitae bono exemplo. Igitur curent Superiores Religiosi ut suorum subditorum operam ab Ordinario et Parochis requisitam libenter in quantum possunt, salva religiosa disciplina, praestent ad bonum animarum et Parochi vicissim libenter Religiosorum opera utantur.

Ex his bonis relationibus plerumque pendet ex maxima parte bonum animarum.

Hisce diebus nostris in ipso foemineo sexu rarae inveniuntur vocationes ad vitam claustralem et monasteria cum paucis tantum sanctimonialibus, neque iunioribus, languere videntur et inopia seu indigentia saepe confici. Religosae igitur quae vota emiserunt in eodem Ordine profitentes eamdem vivendi regulam uniantur in confoederatione sub potestate non Ordinarii sed Ministri Generalis primi Ordinis, Monasteria quae supervivere nequeunt vel ab aliis monasteriis provideantur sorores vel convenit ut claudantur.

Si possibile est instituatur dies certa ad eleemosynas colligendas in quavis regione seu natione catholica pro substentatione Sanctimonialium, quae suis precibus et sacrificiis cotidie benedictiones et favores e coelo trahunt avertentes a nobis iram et indignationem Dei.

Clausurae habenae aliquantulum solvantur ut et eiusmodi Monialibus seu Sororibus detur interdum aëre aperto et sano spiritum reficere, extra septa monasterii.

Congregationes Sororum operibus caritatis atque educationis addictae, quae fere iisdem legibus et disciplina reguntur, eamdemque vitae conditionem agentes cum iam plures sint, non multiplicentur ne cogantur inter se decertare ad vocationes inveniendas et eleemosynas quaerendas. Mendicatio lege et conditione aliqua restringatur.

Insuper Congregationes ad eumdem Ordinem Tertium pertinentes cum eodem fine, regula et spiritu et habitus colore plus minusve simili sensim sine sensu uniantur seu fiat inter eas fusio.

De re missionali

Summa animus aegritudine oppletur, si consideremus immensam hominum multitudinem, ad millies decies centum milia aestimari possunt, qui adhuc sedent in tenebris et in obscuro (*Ps.* CVI, 10); cum e contra Evangelii satores, qui in longinquis plagis desudant, viginti septem millia tantum hisce nostri diebus recensentur.

Idcirco quod faciendum superest in Vinea Domini ingentem prorsus exposcere operam innumerosque opifices quis enim ignoret?

Quapropter in utroque Clero Saeculari ac Regulari omnium Dioe-

cesium atque Congregationum Religiosarum apostolatus semina studiose foveantur, neque Ordinarios atque Moderatores Religiosarum Familiarum ulla species recti aut humana aliqua ratio permoveat, quasi quod Exteris Missionibus permiserint, id de utilitate Dioecesis aut Ordinis Familiaeque suae, si Religiosi, detraxisse videantur.

In locum enim unius, quem dimiserint foras, plures domi Sacertes perutiles Deum eis suscitaturum probe sciant.

Nonne hoc Episcopis ac Supremis Ordinum Congregationumque Moderatoribus, quibus maior pars Missionum sunt concreditae, maxime a Summis Pontificibus commendatum videmus in suis Encyclicis Litteris: *Maximum illud; Rerum Ecclesiae* atque; *Evangelii Praecones?*

Non sine magno dolore interdum videmus vel Pastores animarum non deesse, qui aegre ferant adulescentes in paroecia sua inveniri qui vocationem in animo foveant ac cooptari cupiant in aliqua Societati Missionali aut in veteri Religiosa Familia, cui non paucae Missiones vel in dissitis regionibus excolendae ab Apostolica Sede sunt demandatae.

Adulescentes a tam sancto proposito dehortari, abducere atque a re prohibere, hoc profecto nefas est; quin potius propensis eorum consiliis studioque obsecundandum erit nedum aliquo pacto obsistendum.

Meritis iuvat honestare laudibus Pastores Sacerdotesque omnes, qui generoso animo vocationes ad Instituta Religiosa praesertim Missionalia cuiusvis generis et habitus, sine ulla distinctione impenso studio provehunt, extimulantque adiutricem operam suam praestando, quique operibus Missionalibus omni ope auxiliari nituntur.

Episcoporum, Pastorum animarum, Religiosarum Familiarum, catholicorumque omnium conatus in hoc ferri debent, ut Sacrorum Legatorum numerus magis magisque augeatur et multiplicetur.

Qui vero Ordinibus Institutisve Religiosorum praesunt exteras colentibus Missiones, caveant ne ad tantum opus evangelii Praeconis nisi sodalium lectissimos destinent, eos scilicet qui et vitae innocentia et devotionis ardore, necnon animarum studio praestare videantur.

Itaque alumni, quos Dominus ad apostolicas expeditiones vocaverit, in domo aliqua praeparatoria aut collegio missionali, ubi scientiae rerum quae ad missiones pertinent tradentur, rite instituantur omnibus disciplinis tum sacris tum profanis, quae Missionariis opus sint.

Si enim Missionarii commeatu doctrinae non sint instructi, multum sibi deesse sentient praesidii ad sancti Ministerii fructuosam activitatem ac nimis sane dedeceret veritatis nuntios ab ethnicis ac ministris errorum superari.

Imprimis linguarum gnari scientesque sint oportet, earum praesertim quae olim sibi necessariae erunt ac rebus rationibusque satis erudiantur,

quae ad morbis medendi artem, ethnologiam, historiam, geographiam et alia eiusmodi spectant. Sed praecipue notitiam habeat necesse est missionarius sermonis populi, cuius se saluti devovebit. Nec enim contentus sit levi quadam huius cognitione sed tanta ut expedite atque emendate loqui possit.

Sorores Congregationis Missionalis antequam adiutricem operam suam in Missionibus praestent, ea sibi comparent mentis animique adiumenta necesse est, quae earum missionale opus et laborem efficaciorem reddet, uti rationes artis morbis medendi, educationis in catholicis scholis, beneficentiae et alia eiusmodi; sed imprimis studeant, omni qua par est sollicitudine et diligentia, bene discere linguam gentis ad quam mittuntur.

Omni ope ac studio efficiendum est ut nimis solitariae vitae pericula a Missionariis removeantur.

In christianitatibus a residentia centrali, ubi residet Episcopus aut Vicarius Foraneus, nimis remotis, duo semper convivant Missionarii simul pernecesse est, nisi forte Missionarius sit vir aetate gravis ac pietatis singularis, qui semper fuerit sollicitus de castimonia integerrime servanda.

Ad residentiam suam Vicarius Missionarios Vicariae convocet pro die menstruae recollectionis ut opportunissima praebeatur eis occasio sacramentalis confessionis peragendae; quod si hoc difficile nimis foret, Missionarius adeat viciniorem confratrem.

Singulis annis tempore opportuno habeantur sacra Spiritualia Exercitia a quibus peragendis nemo audeat se excusatum habere, neque a solvendis Conscientiae casibus dispensetur.

Pro electione novi Episcopi opportunum nullo modo duco ut singulis Missionariis sit facultas Romam aut ad Sanctae Sedis Legatum mittendi, Candidatorum tria nomina.

Ex hac agendi ratione multa incommoda prodire solent, confusio magna et saepe divisiones quoque animorum inter Missionarios, qui in electione saepe multis consiliis humanis ducuntur.

In hac re iuvat Episcoporum ex finitimis Missionibus et etiam Superiorum Religionis, si ad eam Missio pertinet, sententias petere.

✠ RAPHAËL ANGELUS PALAZZI
Episcopus tit. Thignicensis

308

Exc.mi P. D. CAROLI ANGELERI

Episcopi tit. Ptolemaidensis in Lybia, Auxiliaris Derthonensis

8 septembre 1959

Ego infrascriptus, debita reverentia ac humilitate, haec vota atque consilia propono circa res et argumenta, quae in futuro Concilio tractari poterunt:

A)

1. Ut vexata quaestio de differentia inter Praesbyteros et Episcopos, quoad Ordinem, an sit iuris Divini vel tantum Ecclesiastici, pressius declaretur.

2. Ut Diaconatus, iuxta antiquum morem, ripristinetur, una cum voto castitatis.

3. Ut pressius declaretur doctrina Ecclesiae circa possibilitatem absolvendi multitudinem cumulative; circa absolutionem per thelephonium vel per scriptum datam; circa possibilitatem extendendi ad numerosiores casus quam nunc, confessionem genericam, absque accusatione singulorum peccatorum.

B)

1. Ut habitus Ecclesiasticus prout nunc mos est in Italia, retineatur. Item lex coelibatus, facta potestate haereticis ad Catholicam fidem reversuris, in statu coniugali, permanendi, etiamsi Ordines Sacros susceperint.

2. Ut lingua vulgaris magis extendatur in administratione Sacramentorum Baptismi, Confirmationis, Matrimonii, Extremae Unctionis.

3. Ut Minister extraordinarius Sacramenti Confirmationis, urgente necessitate, quilibet Sacerdos esse possit.

4. Ut in coerimoniis Baptismi tollantur unctiones, saliva, sal; ritus unicus sit tam pro infantibus, quam pro adultis.

5. Ut Sacra Communio, debitis condicionibus, permittatur, etiam tempore vespertino, absque celebratione Missae.

6. Facultas trinationis in eadem Ecclesia ab eodem Sacerdote, magis facilis reddatur, facta potestate Ordinariis eam concedendi.

7. Ut Ordinarii maiorem potestatem habeant dispensandi ab impedimentis matrimonialibus; item in administrandis bonis Dioceseos plus valeant; Ordinariis iisdem amplior iurisdictio tribuatur in Religiosos, inter fines Dioceseos degentes et laborantes.

8. Ut ritus Consecrationis altarium, petrarum sacrarum, Ecclesiarum etc. ad simpliciorem ordinem redigatur, ita ut fideles adsistere possint.

9. Ut Breviarium ad unicum Nocturnum redigatur, cum tribus lectionibus et horis (sic iam habetur hebdomada paschali).

10. Ut censurae nunc in Codice Iuris Canonici extantes, ad pauciores contrahantur.

11. Ut lux electrica coram Sanctissimo et in Altaribus, in Sacris peragendis omnino permittatur; item in musica Sacra per discos transmissa, in parvis praesertim Paroeciis, ubi cantores et organista vix inveniuntur.

C)

1. Ut feria sexta dies poenitentialis declaretur, absque gravi praecepto abstinentiae.

2. Ut Communio Eucharistica sufficiat annualis, nec iam paschalis exigatur.

3. Ut praecepto audiendi Missam, aliquis satisfacere possit, etiam in hebdomada.

Impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ CAROLUS ANGELERI
Episcopus tit. Ptolemaidensis in Lybia
Auxiliaris Derthonensis

309

EX.MI P. D. ORONTII CALDAROLA
Episcopi tit. Uticensis

Neapoli, 6 Kal. septembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteris pro Concilio Oecumenico mihi humaniter missis, minimo ac novissimo Episcopo tit. Uticensi et XL circiter annos (nov. 1915-maii 1955) Dioecesis Dianensis haec quae sequuntur perpauca significanda duxi.

In tam praecipiti tempore quo mundus conscientiae interior dolenter est dilapsurus, Sacro Ordini Sacerdotali summopere in desinenter consulere oportet. « Sicut Sacerdos ita et populus » (*Osea* IV-8). Sacerdotes

quidem constat a Deo in totius orbis theatro positos esse veluti sidera inter densissimas a malignis spiritibus diffusas tenebras, veluti christiani populi duces, quorum ductu, quo fidelibus incedendum, quo flectendum, ubi immorandum notum sit. Itaque, non sine ulla dubitatione dixerim:

1. Sacerdotes, quotannis, non tertio quoque anno: non seorsum, suo arbitrio, huc atque illuc, sed cum Ordinario vel Vicario Generali, in domo Religiosorum Exercitiis Spiritualibus per hebdomadam vacare deberent.

2. Recessui Spirituali, singulis fere mensibus — tota die — in qua Sacerdos Regularis peculiares sermones, saltem duos alterum de pietate et de officiis alterum habeat, apud quem Sacerdotes Confessione rite se abluere queant et postea alia pietatis opera peragere: Ordinario praesente Eum adire, Eiusque salutaria monita et consilia cognoscere, etc.

In eisdem Conventibus ante omnia caritas et dilectio inter fratres praefulgeant, et vehementer Pia Presbyterorum Unio ad adiuvandas animas Sacerdotum, Purgatorii igne detentas, commendetur.

3. Upote praecipuum sacerdotalis officii caput sit propagatio Fidei christianae, Sacerdotes universi nomen dare tenerentur Consociationi Cleri Missionariae ad labores Missionariorum sustinendos (Encycl. Benedictus XV, *Maximum illud,* Pius XI, Motu pr. Rom. Pont.), nec non Sodalibus *Unionis Apostolicae et Sacerdotum Adoratorum.*

4. Consuetudo vitae communis inter Clericos non laudanda tantum et suadenda, sed reapse instituatur, praesertim inter addictos eiusdem paroecia (S. C. C. mart. 1927). Vita communis res magni momenti est, ut conicio, praesertim pro senibus, viribus, bonis, familia destitutis.

5. Quo magis efformetur Clerus sub directione et vigilantia Episcopi (decret. Concil. Trid. Sess. XXII c. 8) dioecesibus detur facultas Seminarium etiam Maius constituendi, quibus copia sit Moderatorum, Magistrorum, redituum et aliarum omnium a S. Congr. Semin. et Univ. Stud. constitutorum.

Rebus istis benigne sit mihi venia, dum confisus Ecclesiam copiosos uberesque fructus capturam ex iis quae in Concilio Oecumenico cauta et constituta erunt, propitiam gratiam et opem a Deo adprecor per Iesum Christum qui est benedictus in saecula.

Interim, ad osculum S. Purpurae pronus ex corde profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
Humillimus et Observantissimus Servus

✠ ORONTIUS CALDAROLA
Episcopus tit. Uticensis

310

Exc.mi P. D. FRANCISCI FASOLA

Episcopi tit. Vartanensis, Coadiutoris Agrigentini

Agrigenti, 11 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Litteris tuis I C/59-2491, diei 18 iunii 1959, respondeo, et veniam a Te peto meae cunctationis.

En vota mea quae in futuro Concilio tractanda propono:

1. *De re dogmatica.*

a) Iterum damnentur errores et haereses communismum atheum, spiritualismum vagum et existentialismum respicientes.

b) Quantum fieri potest, doctrina Ecclesiae circa evolutionismum mitigatum, ut dicunt, proponatur.

2. *De re morali.*

a) Normae dentur quae declarent et unificent doctrinam et praxim Ecclesiae « de usu matrimonii »; necnon de acceptatione communistarum in sacramentis administrandis.

3. *De re canonica.*

a) Potestas translationis parochorum facilior reddatur, quoties loci Ordinarius necessarium aut opportunum putet.

b) Loci Ordinarius ius habeat trinandi potestatem concedendi.

4. *De re liturgica.*

a) Restituatur Octava SS. Corporis Christi, ad instar Octavae Nativitatis Domini, ut amor erga sanctissimam Eucharistiam in cordibus sacerdotum et fidelium in dies augeatur.

b) Introducatur in fine « Communicantes » Canonis Missae, nomen sancti aut sanctorum, cuius festum agitur, sub litteris N.N.

c) Schema Missae componatur speciale ad recolendum XXV aut L ordinationis sacerdotalis annum, eo fere modo quo specialis benedictio datur sponsis XXV aut L nuptiarum celebrantibus.

Omnia bona in Domino Tecum sint et Pontificiae Commissioni pro Concilio.

Eminentiae Tuae
add.mus
✠ Franciscus Fasola
Episcopus tit. Vartanensis
Coadiutor Agrigentinus

311

Rev.mi P. D. ALOYSIUS A. GAVAZZI

Coadiutoris c. s. Abbatis nullius Sublacensis (Subiaco)

Datum Sublaci, die 8 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Exc.mus ac Rev.mus D. D. Simon Laurentius Salvi, Episcopus tit. Diocaesariensis in Palaestina et Abbas Ordinarius Sublacensis, recepit quidem Litteras Tuas N. 1 C/59-1570 diei 18 iunii 1959, sed nequit respondere tum ob gravem aetatem suam tum ob infirmam valetudinem.

Nunc, cum recepissem a Rev.mo ac Ill.mo Secretario Pontificiae Commissionis pro Concilio Oecumenico secundum exemplar harum Litterarum noviter Exc.mo ac Rev.mo D. D. Simoni Laurentio Salvi datarum, necnon litteras ab eodem Rev.mo ac Ill.mo Secretario, qui enixe eum rogat ut responsionem ad hanc Commissionem mittat, puto me posse et debere responsionem mittere, loco Exc.mi ac Rev.mi D. D. Simonis Laurentii Salvi legitime impediti.

Et, cum omni libertate et sinceritate non disiunctis tamen a quadam haesitatione ex cognitione deficentiae meae, animadversiones consilia et vota de rebus et argumentis, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent, pro modulo meo communico.

A) 1. Puto valde utilem esse mutationem nominis « Extremae Unctionis » in aliud: « Sacramentum Infirmorum », magis consonum textui Epistolae Catholicae Beati Iacobi Apostoli; novum nomen explicandum esset ita, ut dicatur hoc Sacramentum non tantum in extremo mortis periculo, sed quando quis in morbum vere gravem inciderit administrandum esse, ad levamen infirmi, quia saepe hic finis frustratur eo ut nimis tarde Sacramentum ministratur, cum iam tantum quoddam miraculum levamen dare posset, non Sacramentum quod est medium ordinarium. Novum nomen praeterea minus terrificans esset; et facilius consanguinei parochum rogarent ut Sacramentum infirmo administret.

2. Puto etiam melius explicandum esse hoc Sacramentum in eadem infirmitate iterandum non esse; ita ut explicetur infirmum vere convaluisse, ad effectum iterandi hoc Sacramentum, quando periculum mortis vere cessaverit, etiamsi valetudo non sit plene recuperata; idest Sacramentum iterandum esset, si, ob reincidentiam in eundem vel alium morbum, infirmus in alio discrimine vitae versetur, etiam si hoc acci-

derit paucis diebus post primam administrationem, et nondum dereliquerit infirmus cubile.

B) 1. Puto valde utilem esse declarationem de non opportunitate administrandi simul infantibus Primam Communionem et Sacramentum Confirmationis, quia plerique non animadvertunt valorem Sacramenti Confirmationis et opus operantis, in recipiendo dicto Sacramento in coincidentia cum receptione Primae Communionis, attenuatum evadit, et non refert adaequatum fructum.

2. Cum extrema haesitatione et rubore, consequenter propono ut Sacramentum Confirmationis retardetur; ita ut firmo manente pro collatione Primae Communionis tempore usus rationis (vel etiam tempore quo infans capax est distinguendi inter panem communem et panem Eucharisticum) tempus pro collatione Sacramenti Confirmationis protrahatur aliquot annos, ita ut dictum Sacramentum non consideretur tantum ut complementum Baptismatis (sicut evidenter consideratur a Graecis, quia id conferunt statim post Baptisma) sed consideretur etiam occasio qua infans recipit aliquam militarem vestitionem et *sponte confirmat* se velle esse christianum et acceptare omnes obligationes legis positivae; quod quidem experientia demonstrat valde difficile evadere eo tempore quo infans e contra optime distinguit inter panem communem et panem Eucharisticum. Ideo proponerem duodecim annos aetatis ut tempus aptum ad collationem Sacramenti Confirmationis.

C) Puto valde necessarium melius determinare relationes inter religiosum parochum et eius Superiorem. Sed quantum scio, tota materies « de religiosis » esset retractanda in Codice Iuris Canonici, et ideo evidenter etiam illae relationes clare et inequivocabiliter determinabuntur.

Peto veniam pro mea praesumptione quia ausus sum has propositiones facere; declaro me plene et totaliter submissurum decisionibus Concilii Oecumenici etiam eventualiter contrariis propositionibus meis; profundo et religioso obsequio Sacram Purpuram osculor et me profiteor.

Tui, Eminentissime Princeps
devotissimum servitorem

✠ ALOYSIUS AEGIDIUS GAVAZZI
Coadiutor c. s. Abbatis nullius Sublacensis

BRITISH LIBRARY
81
DEC

INDEX

ITALIA

PAGG.

BRITISH LIBRARY 81 DEC